



N. 1.



# BARBARORUM LEGES ANTIQUÆ

## CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

---

## VOLUMEN SECUNDUM.

---

# BARBARORUM LEGES ANTIQUÆ

CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

*ACCEDUNT*

FORMULARUM FASCICULI

*ET SELECTÆ CONSTITUTIONES MEDII ÆVI.*

Collegit, plura Notis & Animadversionibus illustravit, Monumentis quoque ineditis exornavit

F. PAULUS CANCIANI

*Ord. Serv. B. Mariæ Virginis S. T. D.*

## VOLUMEN SECUNDUM

*Quo continentur Pactus Legis Salicæ, Antiquiores Leges Populorum Regni Austrasiæ, & Assisæ Regni Hierosolymitani ad Inferiorem Curiam pertinentes.*



VENETIIS MDCCLXXXIII.

Apud { SEBASTIANUM COLETIUM, ET FRANCISCUM PITTERIUM

*SUPERIORUM LICENTIA AC PRIVILEGIO.*

JOANNI JOSEPHO

# DE WILZECK

SACRI ROMANI IMPERII
COMITI;
HVLTSCHIN, GVTTENLAND &c. &c.
BARONI;
SACRAE, CAESAREAE, REGIAEQVE, APOSTOLICAE
MAJESTATIS
A SECRETIORIBVS CVBICVLIS, INTIMISQVE
STATVS CONSILIIS;
HETRVSCA, ET NEAPOLITANA LEGATIONE,
REGNANTE MARIA THERESIA AVG.,
FELICITER FVNCTO:

JOSEPHI II.

ROMANORVM IMPERATORIS AVG.
MVNIFICENTIA,
SVPREMO, IN ITALIA, PVBLICI CVRSVS
PRAEFECTO;
IMPERIALI PLENA CVM POTESTATE
COMMISSARIO;
APVD GVBERNIVM INSVBRIAE AVSTRIACAE
PLENA CVM POTESTATE
ADMINISTRO;
SCIENTIARVM, AC BONARVM ARTIVM
CVLTORI ET PATRONO;
DIGESTORVM IVRIS MEDII ÆVI
PARTEM ALTERAM
QVA LEX SALICA, LEGES AVSTRASIÆ ANTIQVIORES,
ET ASSISIÆ REGNI HIEROSOLYMITANI
AD INFERIOREM CVRIAM PERTINENTES
CONTINENTVR
NICOLAVS COLETIVS
BIBLIOPOLA VENETVS
LVBENS, VOLENS
D. D. D.

# CONSPECTUS

## HUJUS SECUNDI VOLUMINIS.

# NOI RIFORMATORI

## DELLO STUDIO DI PADOVA.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Gio. Tommaso Mascheroni* Inquisitor General del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato *Barbarorum Leges Antiquæ. Tomus Secundus. Pactus Legis Salicæ &c. Ms.*, e *Stampa*; non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Francesco Pitteri* Stampator *di Venezia*, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 20. Settembre 1782.

( Andrea Querini Rif.
( Niccolò Barbarigo Rif.
( Alvise Contarini Secondo Kav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 58. al Num. 557.

*Davidde Marchesini Segr.*

22. Settembre 1782.
Registrato nel Magistrato Eccellentissimo contro alla Bestemmia a Carte 108.

*Andrea Sanfermo Segr.*

---

| ERRATA | CORRIGE. |
|---|---|
| Pag. 80. col. 1. lin. 1. TITULUS XLII. | TITULUS XLIII. |
| 83. col. 1. lin. 7. Romanus | Romanum. |
| col. 2. in Notis lin. 3. *Friofald* | *Frio fald.* |
| 84. col. 1. in N. lin. 24. *Pio marina* | *Piomarina.* |
| 85. col. 1. in N. lin. 24. *remanet* ) hoc | *remanet.* ) Hoc |
| col. 2. in N. lin. 6. *De Reipus*. | *De Re-ipus.* |
| 88. col. 1. l. 8. *eum* | cum |
| col. 2. in N. l. ult. *bnüt-* | *knüt-* |
| 90. col. 1. in N. lin. 29. *Tunginus* aut Centenarius.) i. e. *Decanus* aut | *Tunginus aut Centenarius.*) I. e. *Decanus aut* |
| 91. col. 2. lin. 16. restes | testes |
| 92. col. 1. in N. lin. 4. Windelinus | Wendelinus |
| 93. col. 1. in N. lin. 10. *Latrocinium* | *Latrocinio* |
| 94. col. 1. in N. lin. 3. *Perbanniti* ) peremptorie | *Perbanniti.* ) Peremptorie |
| 95. col. 1. lin. 4. eum | cum |
| 96. col. 1. in N. lin. 38. *Wereguldum* | *Weregeldum* |
| col. 2. in N. lin. 43. *Solem ei* | *Ei solem* |
| 99. col. 2. lin. 5. *Thurnicale* | *Thurnichale* |
| col. 2. in N. lin. 17. *Turnichale* | Thurnichale, |
| col. 2. lin. 9. (9), | (9) |
| 100. col. 1. l. 3. (2), | (2) |
| 101. col. 2. lin. 22. Si quis Rathinburgii legem voluerit | Si qui Rathinburgii legem voluerint |
| 115. lin. 2. *Childebeti* | Childeberti |
| 476. col. 2. in N. lin. 1. eædem | easdem |

# PACTUS
# LEGIS SALICÆ

*Antiquior, & Reformatus*

CUM DECRETIONIBUS ET CAPITULARIBUS

AD LEGEM SALICAM PROPRIE SPECTANTIBUS.

ADDUNTUR

*FORMULÆ MARCULFINÆ, EARUMQUE APPENDIX, NECNON BIGNONIANÆ.*

Omnia partim Hieronymi Bignonii, partim Jo. Georgii Eccardi, partim ex utroque excerptis Notis illuſtrata.

*ACCEDIT*

GLOSSARIUM AD LEGEM SALICAM FRANCISCI PITHŒI.

# IN PACTUM LEGIS SALICÆ

## *MONITUM COLLECTORIS.*

EDitis superiore Volumine Legibus Italicæ originis, Transalpinas nunc tradere instituo, quæ in Italia quoque obtinuerunt. A Salica initium duco, quæ exteris cæteris legibus frequentiorem apud Italos obtinuit usum.

Celeberrimæ hujusce Legis origines latent adeo in obscuris, ut neque de legis auctoribus, neque de tempore, neque de natali solo, neque de lingua, qua primum exarata fuit, neque de causa, qua *Salicæ* nomen acceperit, quidquam affirmari tuto possit; quamvis in his torqueantur quamplurium eruditorum ingenia. Quorum sententias & argumenta prolixiore calamo referre longum esset, & tædio plenum; at vero aliqua summis saltem labiis delibare non inutile erit, neque injucundum.

Quærenti quinam fuerint Legis Salicæ conditores, obvia est responsio: *FRANCI.* At si petas, ex qua gente, aut ex qua patria processerint Franci, ignorant tum veteres, tum recentiores. Populus hic, cujus nomen ante sæculum Christianum III. inauditum est, e Troja, e Palude Mæotide, e Macedonia, e Pannonia, e Balthico mari ( bone Deus, unde non! ) derivatus recensetur.

Ego unicam proferam sententiam, quæ mihi videtur verior, quia simplicior, atque in puriores historias non impingens. Hanc amplexi sunt cum Cluverio plures antiquitatum studiosi, qui Francorum originem non aliunde quærendam esse docent, quam in media ipsa Germania; ajuntque *Francorum* nomen non fuisse gentile, sed sociale quamplurium veterum gentium Germanicarum, quæ communis servandæ libertatis gratia in unum fœdus coaluerint, adversus hostium, præcipue Romanorum, tentamina. Quod fœdus initum fuisse credunt, postquam Germani ab Imperatore Vero Maximino diro bello & depopulatione lacessiti fuerant.

Re vera statim ferme post bellum illud *Francorum* nomen innotescit. Et quidem exinde apud Romanos Scriptores clarescunt *Francorum gentes* (1), *diversæ Francorum gentes* (2); quo satis indigitatur, non unum populum Francicum fuisse, sed plures una aggregatos. Imo fœdus ipsum innuere videtur Nazarius (3), qui de Bructeris, Chamavis, Cheruscis, aliisque Germaniæ populis verba faciens, *conspirationem fœderatæ societatis* commemorat.

Porro fœderati ipsi appellati fuere *Franci*, hoc est, ( ut Germanicæ vocis *Wrang* planior fert interpretatio ) *truces*, *feroces*, *asperi*; quod scilicet & numero, & robore, & rei bellicæ promptitudine, atque audacia, hostibus terrori essent. Sane vero *truces Franci* (4) a Romanis appellabantur; imo & ipsi Franci hoc epitheto seipsos donant initio Prologi Legis Salicæ: *Gens Francorum inclyta . . . firma pacis fœdere . . . audax, velox & asperâ*. Hæc de populo Salicæ Legis conditore.

Quod si de tempore conditæ legis sermo sit, illud equidem quasi digito ostendit Auctor de Gestis Francorum, hæc scribens (5): *Defuncto Sunnone Franci*



(1) Aurel. Victor. in Gallieno. (2) Eumen. Paneg. VI. cap. 5.
(3) Nazarius Paneg. Const. M. cap. 18.
(4) Incert. Paneg. Const. M. cap. 24. Nazar. l. c. cap. 17.
(5) Epitome cap. 4.

*petierunt consilium, & elegerunt Faramundum filium Marcomiri, & levaverunt eum super se regem crinitum. Tunc & legem habere cœperunt.*

Porro Prosperi Chronicon Pithœanum regnum Faramundi rejicit in annum Æræ Christianæ CCCCXXI. In hanc ergo circiter epocham rejicienda forent Salicæ Legis incunabula. Et sane Sigebertus Gemblacensis (1), vel hisce, vel paris meriti inhærens monumentis, ab anno CCCCXXII. dictatæ Salicæ Legis sumpsit initia.

Tempus ergo conditæ legis nobis innotesceret, si præfati Scriptores tutam mererentur fidem. Sed fasta Francorum jam sæculo VII. aut VIII. fabellis referta fuisse inter alia colligere possumus ex Auctore ipso de Gestis Francorum, qui VIII. sæculo floruisse creditur, & qui Faramundi patrem Marcomirum Priami filium facit, & Sunnonem filium Antenoris, & talia inserit de adventu Francorum e Troja, ut ipse sibi fidem detrahere videatur.

Pleniorem ullo procul dubio mereretur fidem parvum sive Tironis, sive alterius Prosperi Chronicon, si authenticum ad nos usque pervenisset. At vero suspicione non caret, pauca illa verba, *Faramundus regnat in Francia*; sicut & alia, quæ in eodem Chronico occurrunt: *Priamus quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus*; interpolata fuisse a sequioris ævi exscriptoribus, qui velut indubia habebant ea, quæ de Francorum origine venditabantur. Forte hæc ab aliis primum scripta in margine, aliorum subinde arbitrio, vel incuria irrepsere in textum. Quod idem fatum Chronicon illud Prosperi quoad alia quoque passum est. Et re vera, quæ de Francorum Regibus in vulgato Prosperi Chronico occurrunt, in quibusdam vetustis Codicibus desiderantur, & præsertim, Henschenio teste (2), in uno Antverpiensi, exarato anno Christi DCXXIII.

Ex his autem rationes dubitandi de Faramundi regno depromere possumus, quæ gravius adhuc acquirunt pondus ex eo, quod celeberrimi rerum Francicarum Scriptores, Gregorius nempe Turonensis, & Fredegarius, *Faramundum* Regem Francorum minime agnoverint.

Quod si Faramundi regnum in dubium vertere licet, dubitare & licebit de tempore conditæ Legis Salicæ, quod laudatus Auctor de Gestis Francorum, seu alius ejusdem furfuris quispiam, ac Sigebertus Gemblacensis, qui multo serius scripsit, nobis obtrudunt.

Et sane in ipsius Legis Prologo neque Faramundi illius, neque alterius summi Imperantis dictatæ legis tempore ulla fit mentio, sed tantum delectorum Procerum quatuor. Ex quo haud obscure colligitur Legem dictatam fuisse, antequam Francica gens supremum Regem agnosceret; dum scilicet adhuc sub Regulis, seu Dynastis, ex antiquo more, regeretur.

Haud semel equidem in Lege Salica mentio fit Regis; sed illud perpendendum est, quod in memorato Prologo legitur; videlicet, quod *ubi Deo favente Clodovæus comatus, & pulcher, & inclytus Rex Francorum primus, suscepit Catholicum baptismum, quidquid minus in Pacto* (hoc est in Lege) *habebatur idoneum, per præcelsos Reges Clodovæum, & Childebertum & Hlotarium fuit lucidius emendatum.*

Clodovæus namque, postquam sacri baptismatis unda ablutus fuit, Salicam Legem emendavit, & refudit, & auxit, & pæne suam fecit; unde & ille quasi auctor Legis Salicæ habetur in Epilogo, quem legere est post Decretionem Childeberti apud Lindenbrogium & Eccardum. *Expliciunt* (hæc ibi) *Legis Salicæ Libri III. quam Clodovæus Rex Francorum statuit, & postea una cum Francis pertractavit, ut ad titulos aliquid amplius adderet &c.* Paria & in calce Guelpherbytani Codicis occurrunt: *Primus Rex Francorum* (Clodovæum certe hic intelliges, qui, ut supra vidimus, etiam in Legis Prologo appellatur *Rex Francorum primus*), *statuit a primo titulo usque LXII. disposuit judicare; postmodo autem tempus cum obtimatis suis a LXIII. titulum usque ad LXXVIII. addedit.*

Omis-

(1) Sigebert. Gembl. in Chron. ad an. CCCCXXII.
(2) Henschenius in Exegesi de Episcopatu Tungrensi, & Trajectensi præfixa Tom. IV. Act. SS. Mensis Maji Edit. Ven. cap. 10.

Omissis ergo inextricabilibus disceptationibus de tempore conditi corporis juris, cujus primævus codex vel amplius non existit, vel ita interpolatus existit, ut novam penitus faciem induerit, satius, tutiusque est, Legis Salicæ, quæ nunc exstat, epocham repetere a Clodovæo Rege Christianæ religioni jam adscripto; adeoque ea referri potest in definentem circiter sæculum V. Subinde vero Lex ipsa tum ex eodem Clodovæo, tum versus finem sæculi VI. ex Childeberto II. atque Chlotario II. additamenta suscepit, quæ in Parisiensi, & Guelpherbytano Codicibus veluti Salicæ Legis partes allegata leguntur (1).

Haud facilior occurrit disceptatio de lingua, qua primum scripta fuit Salica Lex, Francicane, vel Latina. Inter cæteros, qui hac de re agunt, doctissimus Eccardus (2) pro certo habet Latine scriptam fuisse; quod Proceres Franci ex arcto cum Romanis commercio Latinam linguam sibi familiarem reddidissent; aliunde vero usque ad Carolina tempora fere lingua propria scribere non callerent; quod ex Otfridi testimonio evincere ratus est.

At vero ex Otfrido (3) colligo quidem, Francos expolitæ scripturæ usum minime habuisse, virosque doctos in scribendo uti haud consuevisse patria lingua; sed non colligo, illos ignorasse artem linguæ ipsius redigendæ in scripturam. Supersunt adhuc vetustiora monumenta Barbaricis linguis conscripta, inter quæ, veluti inter sydera sol, emicant Evangelia Gothica scripta ab Ulfila, qui Christiano sæculo IV. florebat. Demus, Francicam linguam fuisse Barbaricarum omnium facile lubricissimam. Sed quæcumque tandem fuerit pronuntiationis, atque syntaxeos inconstantia, certis orthographiæ regulis non coercita; attamen vix sibi quisquam persuadere poterit, gentem nequivisse scriptis tradere sermonem proprium, quæ potuisset alienum. Francicæ, seu Malbergicæ voces, quæ in Lege Salica ubivis occurrunt, nonne sunt in scripturam redactæ? Nonne aliæ occurrunt scriptæ voces, vel omnino Barbaræ, vel desinentia tantum latina donatæ? Quid ergo prohibuerat patria lingua & cætera scribere?

Neque e converso mordicus oppositam tuendam esse sententiam reor; præsertim cum certo constet alias Barbarorum leges, quæ ineunte vix sæculo VI. scriptis traditæ fuerunt, latine concinnatas fuisse. Verumtamen arbitror, Francos, antequam legem latine conscriptam haberent, aliam antiquiorem Francicam habuisse, sive hæc scripta fuerit, sive tantum memoriæ tradita; & legem ipsam appellatam fuisse *Malberg*; atque ad eam provocari in omnibus textus latini locis, in quibus *Malberg* allegatur.

Superiore Volumine in præfatione generali diximus, antiquos Barbaros sancitis legibus minime caruisse, priusquam scripturæ traderentur, easque tunc sola memoria, & usu ab ipsis servatas esse; neque maxima probabilitate carere, juvandæ memoriæ gratia illas concinnatas fuisse carminibus, quorum frequentissimus usus, imo unicum apud hasce gentes memoriæ & annalium genus erat.

Id & obtinuisse inter Francos ante sæculum V., cui vulgo adscribuntur scriptæ legis initia, peculiariter innuit Libanius, qui de Francis disserens ait (4), *insanæ pervicacitatis præmia, & audaciæ honores, legibus apud ipsos sancitis*, obtinere. Sive autem ejusmodi legum complexum, sive scriptum codicem latino antiquiorem appellatum fuisse *Malberg*, valde probabile est.

Novi vocem *Malberg* juxta magis receptam a Glossographis interpretationem, proprie significare *collem judicii*, sive *comitiorum* (5); quod veteres in collibus vel naturalibus, vel ex aggesta terra manufactis comitia & judicia pluries celebrare consuescerent. Sed novi quoque ex ipsamet Salica Lege, vocem illam antonomastice ad ipsa quoque comitia, & judicia significanda referri (6); imo & ad leges, quæ in comitiis edicebantur; quo sensu pariter vocem hanc acci-

 pien-

(1) Vide etiam Epilog. apud Lindenbrog. post Childeberti Decretionem, quem & nos suo loco allegabimus.
(2) Eccard. Not. ad Leibnit. de Orig. Franc. art. 18.
(3) Otfridi Epist. ad Liutbertum Archiep. Moguntinum præfixa Paraphrasi Evang.
(4) Libanius in Basilico.
(5) Vide Cangium, & Wachter. hac voce, & Eccardum in notis ad Pactum Leg. Sal. Tit. II. leg. I.
(6) Pact. Leg. Sal. Tit. LXXVI. & alibi.

piendam esse ipse Salicus Codex nos edocet, quotiescumque Francicæ voci præponitur. Etenim haud semel (1) occurrit dictio: *Malberg*, *sive Landoueuas*. Porro *Landoueuas*, seu *Landeuua* liquido idem est ac *Lex terra*, *Lex patria*, atque, ut Italice dicimus, *la Legge del paese*. Hoc idem ergo & vocabulo *Malberg* significabatur.

Igitur dum in Salica Lege occurrunt ( & frequentissime sane occurrunt ) Francica vocabula præmissa voce *Malberg*, ut ex. gr. *Malb. Turnichalt*, *Malb. Turpha falchio*, *Malb. Saldeban* &c., facile intelligitur in antiqua lege patria, quæ Francice efferebatur, voces illas extitisse, quæ a Latino Scriptore in sua originali puritate relictæ sunt, ut populo Francorum, cui vetus lex adhuc oblivioni non erat, præberet clariorem Latini codicis intelligentiam.

Et hæc equidem hucusque non infirmo fundamento innituntur. Sed in obscuriori argumento liceat mihi & conjecturis indulgere. Suspicor namque, Malbergicis hisce vocibus parallelas leges, quæ prius Francica lingua traditæ fuerant, per initialia earundem verba in Codice latine scripto allegatas fuisse. Quam profecto allegandi methodum sequioribus ævis usitatissimam ipsa commendat natura rei, præsertim dum leges ipsæ numeris aut titulis singillatim distinctæ non essent, per quos possent allegari.

Inde vero clare intelligitur, cur una, aut duo voces Malbergicæ tantum singulis in legibus allegentur; ut scilicet per illas uti per initialia verba indicetur, quæ prius recolebatur, parallela Francica stropha: sic dum legimus v. g. *Malberg Frioblito*, continuo deprehendimus parallelam legem, seu legis stropham, quæ Francica lingua habebatur, a voce *Frioblito* initium duxisse. Intelligitur etiam cur eadem Francica vox nonnunquam pluribus in legibus repetatur; cum scilicet cunctæ leges illæ ab eademmet voce initium sumpsisse facillime potuerint. Intelligitur itidem, cur quandoque duo sejunctim Francica vocabula, quasi duo diversa legum initia allegentur; ut *Brarecho Malberg*, *& in alia mente Babene: Malberg Abtica*, *& in alia mente Arbatbeus*. Cum enim antiqui Franci sub pluribus Dynastis constituti essent, & per Provincias divisi, facile erat variantia in canendis legum strophis induci, adeo ut non ab eodem vocabulo earundem initium ubique repeteretur. Eadem & de Francicis vocibus in variis codicibus variantibus causa afferri posset. Sed vocabula illa temporum injuria, atque exscriptorum incuria adeo male acta sunt, ut qui in causas ejusmodi variationum inquirat, oleum & operam perdere videatur.

Meræ equidem hæ sunt conjecturæ: sed hac in re quid ultra conjecturas afferri potest? Ego illas protuli, quoniam harum ope simplicissime explanari reor causam, qua voces illæ Malbergicæ textui Latino intermixtæ sint. Et aliunde extricandæ rei perplexæ, & difficultatibus plenæ meliorem viam non invenio.

Quæ Francice tradita appellabatur *Malberg*, Latine scripta appellata fuit *Lex Salica*. De causa inditi nominis iterum sententiarum discrimen. Eccardus noster rem definire, nodumque solvere ratus est, judicem potius agens, quam causæ patronum. Ejus sententiam audiamus. In Legis Salicæ Prologo tres memorantur pagi, seu terrarum tractus, in quibus Lex lata fuit, Salagheve, Bodogheve, & Windogheve. *Post Childericum autem*, inquit vir ille celeberrimus (2), *ex pagis*, *qui legem primum condiderant*, *nullus remansit Francis præter pagum Salicum*, ( scilicet Salagheve, qui ab ipso constituitur inter Salam Franconicum & Mœnum ); *unde non mirum legem illam cum a Clodovæo etiam ex Salica gente orto emendaretur*, *augeretur*, *ac veluti renovaretur*, *speciali nomine Salicam in posterum vocatam. Reliquæ enim hujus nominis rationes ab aliis allatæ ne hilum quidem valent.*

Verum enim vero perpendendum erat erudito viro, quod cum Barbarorum Leges personales potius essent, quam territoriales, non a loco, in quo latæ erant, sed a populo, cui edicebantur, nomen suum sortiri consueverant.

Nota res est eruditis, nobilem Francorum partem *Saliorum* nomine donatam fuisse

(1) Tit. XIX. l. 1. Tit. XX. l. 1. Tit. XXI. l. 1. Tit. XXXI. l. 2. 4.
(2) Eccard. not. ad Leibnitii Differt. de Orig. Franc. art. 18.

fuisse ante tempora, quæ vulgo assignari solent origini scriptæ Salicæ Legis. Etenim certe *Salios* memoravit Julianus (1); & Ammianus de Juliano scribens (2) memorat *Francos, eos videlicet, quos consuetudo Salios appellavit.* Unde vero, & quando, *Saliorum* nomen sortita fuerit pars illa Francorum, in rem incompertam non perquiram. Sed quod ad rem nostram attinet, illud mihi certum videtur, legem ab eodem populo, cui lata fuit, *Salicam* appellatam fuisse, hoc est, *Legem Saliorum*, prout Wisigothorum Lex appellari quondam consuevit Lex *Gothica*, Langobardorum *Lombarda*. Dicta simpliciter non fuit *Lex Francorum*, quia non omnibus Francis, sed proprie Francis Saliis edicta fuerat: & præcipue cum altera Francorum pars, qui *Ripuarii* nuncupati sunt, alia regerentur lege, quæ subinde scriptis tradita, a gente, cui sancita erat, appellata fuit *Lex Ripuariorum*.

At nulla in re tam vehementer exagitati sunt Eruditorum animi, quam in perquirendo Legis Salicæ natali solo. *Non minus acriter*, ut verbis utar Heinecii (3), *de natali solo celeberrimæ hujus legis, quam olim de Homeri patria, integræ Provinciæ contendunt. Quemadmodum enim hunc ob insignem nominis celebritatem etiam post mortem civem expetebant Colophonii, Chii, Salaminii, & Smyrnæi (4); ita Legem Salicam Belgæ apud se natam dicunt, Francones tamquam suam sibi vindicant, Alamanni, & Rhenani repetunt, Galli vero suam esse confirmant, & in ipsa lege terram Salicam inter Ligerim, & Sylvam Carbonariam (5) designari urgent.* Ferendo ea de re judicio prænosse oporteret tempus conditæ legis, & loca, in quibus eo tunc consederant Franci. Qui in vetere Germania legis natalia quærunt, hi palmam referre videntur. Cæterum quoniam nos Italiæ nostræ eam adscribere nullatenus possumus, Germanos, Gallos, Belgas, hanc sibi gloriam disputare sinamus.

Pacti Salici, de quo hactenus verba fecimus, forensis usus viguit usque ad reformationem Legis Salicæ, quæ Carolo Magno refertur accepta. Eo tunc enim, & quidem versus VIII. sæculi fines legem hanc emendatam, reformatamque prodiisse probant verba eidem reformatæ legi præfixa, quæ a Baluzio ut emendatiora sic efferuntur (6): *Anno ab Incarnatione D. N. I. C. DCCXCVIII. Indictione VI. Domnus Karolus Rex Francorum inclitus hunc libellum tractatus Legis Salicæ scribere jussit.* Hanc autem ab antiquiore non uno in loco diversam esse, qui utramque conferant, perspicue cernent.

Ex quo igitur reformata lege Franci uti cœperunt, Pactum veterem exolevisse res ipsa suadet (7). Quod notatum velim, ut dignoscamus, Codicem Salicæ Legis, cujus in Italia nostra inde a Carolo M. frequentissimus extitit usus, non antiquiorem illum fuisse, sed eum, qui emendatus prodierat.

Lege autem Salica *vetustate abolita*, ait Hieronymus Bignonius (8), *Juris Francici præcipua capita in locum ejus, nomenque immigrarunt; præcipue illud decantatissimum, quod regni nostri velut tutelam continet*; hoc est, ut arbitror, quod de successione masculina in Regno Francorum, exclusis feminis, decantant omnes.

Et egregie quidem vir doctissimus *decantatissimum* illud jus ab antiquis gentis consuetudinibus, atque institutis, quæ Legis Salicæ nomen obtinuere, desumpsit, non ab ipsa Salica Lege, ex qua profecto illud desumi nequit, nisi forte ex constructione juris; quod scilicet ex jure civili jus politicum constructum fuerit. Certe Lex Salica feminas extantibus masculis ab hæreditate excludens, mere civilis est *de alodibus* agens (9), non proprie de jure politico successionis in Regno.

Pactum Legis Salicæ antiquiorem, Barbaricæ antiquitatis monumentum pretiosissimum, edo juxta exemplar omnium optimum, quod e codicibus Fuldensibus primus edidit Basilius Johannes Heroldus, Gotofredus Wendelinus recudit,

(1) Julianus Ep. ad S. P. Q. Athen.
(2) Ammian. Hist. lib. XVII.
(3) Heinec. Præf. ad Corp. Jur. Germ. Ant.
(4) Cicero pro Archia Poeta.
(5) Pact. Leg. Sal. Tit. L.
(6) Baluz. Capitul. Tom. I. pag. 281.
(7) Vide Baluz. Not. ad Capitul. in Leg. Sal.
(8) Bignon. not. ad Leg. Sal. in Tit.
(9) V. Pact. Leg. Sal. Tit. LXII.

dit, Jo. Georgius Eccardus denuo prodire jussit; & tandem Petrus Georgischus suæ collectioni interseruit.

Addo ex Baluzio Regum Childeberti & Chlotarii Decretiones, e quibus, ut supra dictum est, Salica Lex incrementa suscepit. Quas a vetustis Doctoribus potius ut partes, quam ut appendices habitas fuisse ostendit antiqua rubrica, quæ in calce Decretionis Childeberti infra exhibebitur; cui fere consonat haud absimilis alia ab Eccardo (1) publici juris facta ex Codice Guelpherbytano, quem ante hos mille annos scriptum fuisse asserit Eccardus ipse. Ex quo constat Decretiones ipsas ex antiquissimo jam tempore censitas esse, atque ideo merito censeri posse, ut Legis Salicæ partes integrales.

Veterem Pactum excipiet Lex Salica reformata, prout illam e Francisci Pithœi exemplari Lindenbrogius, Bignonius, Eccardus, & Georgischus edidere. Huic accedent ex Baluzio & Eccardo deprompta Capitularia ejusdem Caroli Magni, atque Ludovici Pii, quæ ut additiones, vel interpretationes Legis Salicæ habitæ sunt.

Ex Baluzio item exhibeo Marculfi Formulas, quæ num ad Salicam, an ad Burgundicam, an vero ad aliam legem proprie pertineant, aliis discutiendum relinquo. Illud certo scio, plures ex Legibus Germanici instituti, præcipue vero ex iis, quæ in Salico Codice occurrunt, probe adeo, dilucideque ex Formulis illis explicari, ut tutior meliorque interpres haberi non possit.

Eadem de causa superaddo & Formulas veteres incerti Auctoris, quæ velut *Appendix Formularum Marculfi* ipsis subjectæ sunt: nec non & illas, quæ e veteri codice a Marculfinis sejunctæ in lucem editæ sunt a Hieronymo Bignonio.

Adverto autem, Baluzium ad veterum codicum fidem emendatas, & impuriori, seu, ut verius dicam, puriori rusticæ antiquitati restitutas iterum protulisse Formulas Marculfi, atque illas, quæ in appendice continentur. Quod notandum est, ut dum Lector verba in Bignonianis notis scripta ab illis, quæ in textu extant, aliquantisper variare deprehendat, id variatæ editioni tribuendum esse dignoscat.

Omnia Bignonii, & Eccardi notis illustrantur; ita videlicet ut Pactus antiquior, & Capitularia Caroli, & Ludovici ex Eccardo; Formulæ omnes ex Bignonio; reliqua excerptis ex utroque animadversionibus lucem accipiant.

Agmen claudit Francisci Pithœi Glossarium, quo Legis Salicæ reformatæ obscuriora verba explicantur.

---

(1) Eccard. Pact. Leg. ex Ms. Guelpherbytano in fine.

PA-

# PACTUS
# LEGIS SALICÆ
## ANTIQUIOR
### *CUM NOTIS JO. GEORGII ECCARDI.*

---

### PROLOGUS SEU PRÆFATIO.

GEns Francorum inclyta, auctore Deo condita, fortis in armis, firma Pacis fœdere (1), profunda in consilio, corpore nobilis (2) & incolumis, candore (3) & forma egregia, audax, velox & aspera, nuper ad Catholicam Fidem conversa (4), im-

---

(1) *Firma pacis fœdere.*) Codex Capitularium Gothanus legit: *fortis in armis, profunda in consilio, firma pacis fœdere.* Fœdus autem Pacis, per quod gens Francorum firmata, illud interpretor, quod Chlodoveus primum cum Anastasio Imperatore pepigit, cujus nempe vigore, postquam Gothos ad Pyrenæos usque montes Gallia ejecisset, ac devicisset, ex voluntate etiam Imperatorum a Gothis sibi metuentium, eosque ob Arianam hæresin detestantium, imperium Galliarum adeptus est, anno Christi DVIII. *Consul* & *Augustus* solenniter appellatus. Merentur ea de re Gregorii Turonensis verba referri. Scribit is Lib. II. Cap. XXXVIII. *Igitur Chlodovechus ab Anastasio Imperatore codicillos de consulatu accepit, & in basilica beati Martini tunica blatea indutus est & chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc ascenso equo aureum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrii basilicæ beati Martini & ecclesiam civitatis est, præsentibus populis manu propria spargens, voluntate benignissima erogavit, & ab ea die tanquam Consul aut Augustus est vocitatus. Egressus autem a Turonis Parisios venit: ibique cathedram regni constituit.* Cointius putat, indicari, Chlodoveum in consortium Imperatoriæ dignitatis ab Anastasio fuisse admissum, cum a Justiniani tempore idem fuerit esse Consulem & Imperatorem. Sed rectius Valesius Lib. VI. Rer. Franc. per *Consulis* nomen hic intelligi autumat *Patriciatus* dignitatem. Favetque huic sententiæ titulus Capitis in Indice vetustissimorum Codicum, qui Ruinarto teste, sic habet: *De Patriciatu Chlodovei.* Aimoinus quoque lib. I. c. XXII. meminit literarum Anastasii Imp. quibus contentum fuerit: *quod complacuerit sibi & senatoribus, eum esse amicum Imperatorum, patriciorumque* (leg. *patriciumque*) *Romanorum.* Conspiciuntur adhuc in Basilicæ S. Germani a Pratis janua majori veteres aliquot Regum primæ stirpis statuæ, quæ sub Chlodovei nepotibus sculptæ fuerunt; inter quas exstat una, Chlodoveum vestimentis consularibus redimitum, & cum baculo hypatico in dextra, sistens. Augusti tamen nomen, quod nec Cæsaribus sive Imperatoribus designatis dabatur, non Legatis præsentibus, sed in populi acclamatione tributum conjicio; & fama vel interpretatione rei postea etiam aliquando Francorum Principes Augustorum titulum in nummis sumsere, tanquam qui Imperii partem tenerent. Nec tamen, ut Procopius Belli Goth. lib. III. c. 33. indicat, Franci in Gallias universas tutum, mansurumque jus sibi, nisi ex Imperatoris auctoritate, sperabant. Unde gavisi sunt filii Chlodovei, quod Justinianus earum possessionem ipsis, tabulis signatis, confirmasset, & indulsisset, ut moneta eorum aurea in imperio reciperetur. Hoc autem præcipue *fœdus Pacis* in hoc Legis Salicæ Præfamine indicari existimo.

(2) *Corpore nobilis & incolumis.*) Editio Lindenbrogiana hic scribit: *Corporea nobilis & incolumna &c.* Codex Gothanus habet: *corporea, candore, forma egregia*, pro quo legendum puto: *corpore, candore, forma egregia.*

(3) *Candore.*) Candorem cutis in Germanis veteribus & speciatim Francis laudari notum est. Hieronymus in Vita S. Hilarionis: *Candidatus Constantii Imperatoris, rutilus coma, candore corporis indicans provinciam. Inter Saxones quippe & Alemannos gens ejus non tam lata, quam valida, apud historicos Germania, nunc vero Francia vocatur,*

(4) *Nuper ad Catholicam Fidem conversa.*) Baptizatus est Chlodoveus a S. Remigio anno Christi CCCCXCVI. ipso natali Domini die, ut Cointius & Pagius argumentis solidis ostendunt; & Anastasius II. Papa, qui eodem anno Gelasio Papæ successerat, epistola scripta illi gratulatus est, quod nomen Christo dederit. Dacherius Spicileg. Tom. V. pag. 582. eam publicavit; unde eandem huc transferre placet. Est autem hæc: *Glorioso & Illustri Filio Cludoecho Anastasius Episcopus. Tuum, gloriose fili, in Christiana fide cum exordio nostro in Pontificatu contigisse gratulamur. Quippe sedes Petri in tanta occasione non potest non lætari, cum plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, & per temporum spatia repleri sagenam, quam in altum jussus est mittere idem piscator hominum, & cœlestis Jerusalem beatus Claviger. Quod serenitati tuæ insinuare voluimus per EVMERIVM Presbyterum, ut cum audiveris lætitiam patris, crescas in bonis operibus, impleas gaudium nostrum, & sis corona nostra, gaudeatque mater Ecclesia de tan-*
*ti*

immunis ab hæresi (1), dum adhuc teneretur barbarie (2), inspirante Deo inquirens scientiæ clavem, juxta morem suorum qualitatum (3) desiderans justitiam, custodiens pietatem, dictaverunt (4) SALICAM LEGEM Proceres ipsius Gentis, qui tunc temporis apud eandem erant Rectores (5). Sunt autem electi de pluribus viri quatuor (6), his nominibus, WISOGAST, BODOGAST, SALOGAST, & WINDOGAST (7) in locis quibus nomen SA-

---

*ti Regis, quem nuper Deo peperit, profectu. Lætifica ergo, gloriose & illustris ~~Fili~~, matrem tuam, & esto illi in columnam ferream. Nam refrigescit caritas multorum, & malorum hominum versutia navicula nostra feris fluctibus agitatur, & despumantibus undis pertunditur. Sed speramus in spem contra spem, & Dominum collaudamus, qui eruit te de potestate tenebrarum, & in tanto Principe providit Ecclesiæ, qui possit eam tueri, & contra occurrentes pestiferorum conatus galeam salutis induere. Perge igitur, dilecte & gloriose Fili, ut Deus omnipotens serenitatem tuam, & Regnum protectione cælesti prosequatur, & Angelis suis mandet ut custodiant te in omnibus viis tuis, & det tibi in circuitu de inimicis suis victoriam.* Eodem Christi natali die de exercitu Chlodovei baptizati sunt amplius tria millia, exceptis parvulis & mulieribus. His adde sorores Chlodovei, Albofledem & Lantechildem. Pagius annotat, post Chlodovei Regis conversionem, usum istum, baptizandi in natalitiis Domini, perseverasse apud Francos. Et Guntramnus Francorum Rex apud Turonensem lib. VIII. cap. IX. queritur, dilatum esse nepotis sui baptismum ultra Natalis Domini solemnitatem.

(1) *Immunis ab hæresi.*) Scilicet *Ariana*, quam profitebantur Reges Gothorum, Catholicæ fidei osores acerrimi.

(2) *Dum adhuc teneretur barbarie.*) Codex Gothanus: *dum adhuc ritu detineretur barbaro.* Eodem modo etiam Pithœi exemplar habuit, quod Lindenbrogius secutus est. Nota autem hic *barbariem* vel *ritum barbarum* pro *Gentilismo* adhiberi.

(3) *Juxta morem suorum qualitatum.*) Rectius Codex Gothanus: *juxta morum suorum qualitatem.*

(4) *Dictaverunt.*) Codex Gothanus & Lindenbrogii editio: *dictavit*. Verbum vero *dictare* hic adhibetur, pro *componere* & *in scripta referre*, vel *conscribere*, quia veteres, cum librum, carmen aut epistolam componerent, in scribendo librariis utebantur, quibus ipsi sua dictabant. Vid. Joh. Frid. Gronovii Observat. in Script. Ecclesiast. cap. 23. Apollinaris sæpius hoc verbo eo sensu utitur, de quo Savaro ad lib. VIII. Ep. 6. evolvendus. Marculfus in Epistola ad Formularum lib. I. *Viros eloquentissimos ac rhetores & ad dictandum peritos.* Anselmus Cantuariensis in Epistola ad Anselmum nepotem: *Dictare quotidie assuesce, & maxime in prosa: & ne multum ames difficile dictare, sed plane & rationabiliter.* Aldhelmus de Laudibus Virginitatis in prosa: *A Cassiano Massilensis parochiæ Archimandrita peculiariter dictandi facundia prædito.* Et postea: *Stylus finem flagitat, & dictandi tenor terminandus est.* In Versibus idem:

*Talia sed timidus dictator tela pavescat.*

Donnizo in Vita Mathildis Ducatricis lib. II. cap. 3.

*Cumque daret tumba Sancti miracula multa,*
*Proderet ut multis post nos per secla futuris*
*Justitiæ cultrix, ea partim fingere jussit,*
*Quæ simul & vitam Capellani sibi dictant;*
*Tertius existens ab eo Lucensis & ille*
*Rangerius Rector dictavit eam sibi metro,*
*Dictavit pulchrum nuper librumque secundum,*
*Qui batuli litem diffinit* &c.

Idem lib. II. c. 12. de morte Guiberti Antipapæ agens canit:

*Dictator quidam de quo metra protulit ista:*
*Fletibus & lacrymis esses, Guiberte, dolendus* &c.

Ægidius Parisinus in Carolino Ms. de libris suis ita loquitur:

*Quatuor ex illis metrico modulamine pergunt,*
*Tres alii gaudent liberiore prosa.*
*Comica descripsi metrice satyrasque, simulque*
*Cum Sancti vita Gallica gesta docent:*
*Qui tenuere prosam, quædam moralia tradunt*
*Et dictatoris versificique modum.*

Inde *dichten*, carmen facere, & *dichter* poeta. Engelhusius in Vocabulario Saxonico Ms. *Dichten, fingere, dictare*. Teutonista: *Gedicht of lyet intgemeyn, dictamen, carmen, poema; dictatura, fictio. Dichten, dictare, componere, dictitare, fingere, confingere. Dichter, dictator, compositor, confictor, Poeta.* Vocabularius anonymi seculo XV. impressus: *Prosator, ein tichter on versch, est artifex faciens dictamina neque metricis neque rhythmicis legibus coarctata.* In genere autem *dictamen* pro *stylo* sive *modo scribendi* præsertim epistolari sumitur medii ævi auctoribus. Habentur in Bibliothecis Ms. *Guillelmi de Mandagoto, postmodum Cardinalis liber Dictaminum*, quo variarum Epistolarum formulæ continentur; *Magistri Matthæi dictamina* seu *ars dictatoria*; Liber *de Stylo Romani dictaminis*, qui adscribitur Gregorio VIII. PP. & alius *Magistri Transmundi de Arte dictandi*. In Guelferbytanæ Bibliothecæ Codice membranaceo habentur *Bennonis Misnensis Episcopi Rationes dictandi prosaice ex multorum gestis in unum corpus collectæ*, in quo libello meminit quoque Benno *Dictaminum Alberici Monachi*. Verba ejus sunt: *Sic enim Alberici Monachi, viri eloquentissimi, librum vituperant, qui etsi plene per singula dictaminis documenta non scriberet, in epistolis tamen scribendis & dictandis privilegiis non injuria creditur ceteros excellere.* Idem Benno adducit *Aginulfi* & *Abbatis Samaritani* scripta ejusdem argumenti, in quibus tamen *temeritatem & indisciplinatæ doctrinæ novitatem* culpat. In eadem Bibliotheca Guelferbytana extat & *Henrici Francigenæ* libellus *de arte dictandi*, ut alios jam prætermittam.

(5) *Rectores.*) Per *Rectores* hic Duces Comitesque, sive provinciarum rectores & judices intelliguntur.

(6) *De pluribus viri quatuor.*) Dictum est de *Rectoribus* gentis Francorum, sive Ducibus & Comitibus; unde sequitur indicari ex pluribus his Rectoribus majorum scilicet pagorum, sive provinciarum Francicarum, electos esse quatuor viros, qui reliquos ætate, sapientia ac natalium splendore antecellerent. Ad hæc enim majores nostri præcipue respiciebant.

(7) *WISOGAST, BODOGAST, SALOGAST, & WINDOGAST.*) Cum statim addatur, hos viros sive hos Rectores constitutos fuisse in *Salagheve*, *Bodogheve* & *Windogheve* (ubi *gheve* idem est ac *gau*, pagus, provincia, regio), hinc ego concludo, terminationem *gast* compositam esse ex *gau* vel *ga* & *ist*, est; ac significare, *eum qui est ex provincia*, sive *provincialem* aut *provinciæ incolam*. *Gau* autem olim & *ga* scriptum fuisse, vel ex iis patet, quæ Christ. Franciscus Paullinus de Pagis ex Va-

SALAGHEVE (1), BODOGHEVE (2), & WINDOGHEVE (3). Qui per tres Mal-

Valeſio, Meibomio & aliis collegit. Occurrunt ibi *Almenga* in Paderbornenſi diœceſi; *Ambraga* in eadem; *Amphinga* in Palatinatu Rheni; *Aſtringa* in Friſia; *Auga* in diœceſi Paderbornenſi; *Chirwalacha* in Rhætia; *Emiſga* in Friſia; *Eſſega* in Weſtphalia prope Eſſendiam; *Federitga* in Friſia; *Fivilga* in eadem Friſia (vid. Altfridi vita S. Ludgeri lib. I. c. 9.); *Grainga* in Weſtphalia; *Herolga* in Friſia; *Heſſiga* in Haſſia; *Lainga* & *Laginga* in Ducatu Brunſvicenſi; *Niverga* & *Netega* in Weſtphalia ad Dymelam fluvium; *Oſtracha* in Friſia; *Patherga* in diœceſi Paderbornenſi; *Retega* vel *Rittega* in eadem Paderbornenſi diœceſi; *Treveresga* ad Treviros; *Vaizauvaga* in Weſtphalia; *Walpinga* in Friſia; *Weſſega* in Weſtphalia; ut alia omittamus. A *ga* itaque omnino eſt *gaſt*, provincialis; hocque olim in nominibus propriis virorum admodum uſitatum fuit. Sic *Segeſtes*, Cheruſcorum apud Strabonem Dux, *maritimum provincialem*, ſive aliquem, qui in vicinia maris habitat; *Conigaſtus*, cujus Boethius Conſolat. Philoſoph. lib. I. proſ. 4. meminit, *audacem provincialem*; *Arbogaſtes*, magnus ille Imperii ſub Valentiniano Juniore e Francica gente moderator, *ex pago Arbga oriundum*; *Laniogaiſus* apud Ammianum Marcellinum lib. XV. *regionis ad Lanum incolam*; *Nebogaſtus*, in Eunapii Excerptis de Legationibus, *regionis ad Nabum incolam*; *Suabgaſt* in Necrologio Fuldenſi Ms. *Suevi e incolam*, denotant. Et eadem ex ratione *Wiſogaſt* erit provincialis vel incola regionis ad Wiſam, ſive, ut emendandum putamus, Wirram, aut Werram; *Bodogaſt* incola regionis ad Bodam; *Salogaſt* incola regionis ad Salam; *Windogaſt* incola regionis ad Windam. In Codice Gothano nomina hæc Rectorum Franciæ corruptius paulo proferuntur hoc modo: *Dictavit Salicam Legem proceres ipſius gentis, qui tunc ejuſdem aderant Rectores, id eſt, Wiſogaſte, Salegaſte, & Widogaſte, Arogaſte, Bedogaſte, Virovade.*

(1) SALAGHEVE.) Notus eſt pagus *Salageve*, a quibus Francis *Saliis* nomen. Chriſtianus Junckerus eum in Geographia medii ævi ex Traditionibus Fuldenſibus a Piſtorio editis curatius deſcripſit; quibus tamen plura addi poſſent ex Traditionibus ejuſdem monaſterii nondum typis excuſis. Conſtat autem hinc, pagum hunc ſitum fuiſſe inter Salam Franconicum & Mœnum. Palatium Salæ Carolo M. adamatum in eo conſpicuum fuit prope Neoſtadium: & rudera exinde adhuc reſtant. Inter proceres nominatur *Wiſogaſt*; pagus tamen, unde ortus fuit, *Wiſogeva* librarii negligentia, dubio procul omiſſus eſt. Ut Francorum ditio a Sala Franconico ad Bodam continuetur, neceſſe eſt, pagum hunc Werræ adſitum fuiſſe, qui olim *Wirraba* ſcribebatur. Sed ita pro *Wiſogaſt* ponendum *Wirogaſt*; quomodo etiam olim ſcriptum fuiſſe *Virovade* illud inde corruptum, & in Codice Gothano extans, indicat. Et facilis in veteribus Manuſcriptis Codicibus eſt confuſio *r* & *s* literarum. *Wirogeve* autem pagus extenſus fuerit inter SaloghEve & Windogheve in utraque Werræ ripa, ubi poſtea partim Comitatus Hennebergicus exſurrexit. Finibus Thuringiæ comprehenſum fuiſſe veroſimile eſt. In eodem hoc pago, ut & hoc obiter addam, *Diſpargum* Clodionis Regis ſedem, a Gregorio Turonenſi commemoratam, ſtetiſſe conjicias. Iis enim, qui apud Turonenſem pro Thoringia, *Tongriam* legunt, vetuſtiſſimi Codices repugnant, a Ruinarto conſulti. Unde neque *Dieſta* vel *Dieſthemium* Brabantiæ, neque *Duisburgum* Cliviæ, neque *Doesburgum* Zutphaniæ, multo minus *Deſenberga* Weſtphaliæ huc quadrant, licet magni nominis auctores in ea loca inclinaverint apud Sagittarium in Antiquitat. Regni Thuringici lib. II. cap. 2. videndi. Browerus etiam nullis argumentis juvatur, dum *Dietesburgum* ſylvæ Buchoniæ olim Diſpargum fuiſſe conjicit. Gregorius dicit, illud ſitum fuiſſe *in termino Thoringorum*, hoc eſt, fuiſſe finibus Thuringorum incluſum. Ita enim vocem *termini* in inferioris Latinitatis auctoribus uſurpatam eſſe, vel ex locis a Cangio adductis apparet. *Wirogeve* autem ſive *Werrogau*, ut diximus, ad Thuringiam pertinuit. Et invenit in ejus tractu Joh. Wilh. Dietmarus notabilia admodum Diſpargi veſtigia, quæ in Programmate anno MDCCIX. publicato eruditis indicavit. *Si*, inquit, *& mihi conjicere licitum eſt, dicerem, apud Turonenſem intelligi Diſpargum die Diſpurg in Hennebergia ſitum. Eſt mons altiſſimus longe lateque conſpicuus, in cacumine magnam planitiem raris arboribus continet, lateribus inhærent nemora, radices circumjacent agri culti cum vicis & pagis Helmershauſen, Wolmuthauſen, Erbenhauſen, Aſchenhauſen, Oberkatza. A ſylva Thuringiaca diſtat tertio lapide interjectis urbibus Schmalcaldia, Waſunga, aliiſque & amne Vierra. Hunc montem caſtello ornatum fuiſſe probabile reddit non tam rumor accolentium, ex quibus quidam ſecundum majorum tradita locum putei monſtrare volunt, quam genus vocis: non enim vocatur der Dieſperg, ſed die Dieſpurg. Conſilio autem, non ſermonis vitio in fœminino genere pronunciatur; nam alii montes illius regionis vocantur, der Hirſchberg, der Windsberg, der Wolfsberg &c. contra montes, ubi arces vel olim fuerunt, vel hodie ſunt, dicuntur v. g. in Oberkatza, die burg, die Helmerswart, & haud procul ab Oſtheim die Lichtenburg.* Huic autem ſententiæ, cum nomen & ſitus congruant, ego meum calculum lubens adjicio.

(2) BODOGHEVE.) Ex præcedentibus clarum eſt, hac voce denotari regionem ad Bodam fluvium, qui ex Harticis noſtris montibus ortus in Albim delabitur. Cum autem Heroldus notet, pro *Bodogaſt* alibi lectum Arogaſt, idemque & in ſequenti Legis Inſcriptione inveniatur; hinc ſuſpicor, ſcriptum fuiſſe *Artgaſt*, & pagum *Bodogheve* alias ita dictum; quemadmodum & poſterioribus temporibus in Diplomatibus variis frequens pagi *Hartegau* mentio occurrit. Complexus enim eſt pagus Bodogheve Harticorum montanorum diſtrictum & quicquid inter Bodam & Unſtrutum jacet.

(3) WINDOGHEVE.) Si a Sala Franconico, ſuperato Werra ad Bodam pergas, *Unſtrut* fluvius occurrit, quam *Windam* olim dictam fuiſſe putes. *Strut* enim alveum ſive curſum fluminis, atque idem fere, ac alias *ache*, denotat. *Winden* veteribus eſt *deficere*, unde *erwinden*, carere, deeſſe, reſtat. Et *Windſchecf* Saxonicum, pro eo quod non eſt æquale, quia illi aliquid deeſt, ſive quod ob defectum quendam eſt inæquale, adhibetur. *Wan* hinc *defectus*, & Anglo-Saxonibus *wana*, deficiens, carens. Apud Keronem *wan weſen* exponitur *deeſſe*, & *wan iſt*, deeſt. Inde pariter venit *wenig*, cui aliquid deeſt, paucus, parcus, parum. Uti autem ex hoc *wan* in compoſitione vulgo fit *un*; atque exempli gratia, id quod Teutoniſta *wangunſt* effert, nobis communiter *Ungunſt* dicitur; ita etiam rationi conſentaneum eſt, fluvium, qui prius *windacha* vel *Windaſtrut* dictus fuit, poſtea *Unſtrut* appellatum fuiſſe. Et convenit nomen hoc cum natura fluvii; ubi enim pauliſper ex pluvia

Mallos (1) convenientes, omnes cauſſarum origines ſollicite diſcurrendo (2); tractantes de ſingulis, judicium decreverunt hoc modo. At ubi Deo favente CLODOVEUS Comatus (3) & pulcher, & inclytus Rex Francorum primus, recepit Catholicum Baptiſmum, quidquid minus in PACTO (4) habebatur idoneum, per præcelſos Reges Clodoveum, & Childebertum & Hlotarium (5) fuit lucidius (6) emendatum, & procuratum decre-

tum

---

pluvia intumuit, præſertim in Valle, quam vocant, Thuringica, *incerti admodum eſt curſus*, ſive *defectum in curſu habet*, & circumſita pleraque ita inundat, ut ubi alveus ejus ſit, vix ſcias. Ex *Windacha* itaque ſive *Windaſtrut* factum eſt regionis adſitæ nomen *Windagheve*, quo *regio Unſtruti* deſignatur. Eam ab ortu fluminis, hoc eſt, a confiniis pagi Wirogeve ſive Werrogeve ad Hartica uſque montana & pagi Bodagheve terminos pertigiſſe, veroſimile eſt. Cum enim terræ recenter occupatæ nondum confertius habitarentur, pagi majores erant, qui poſtea in plures minores abierunt. Sic Saxones tribus tantum pagis habitabant, & in Oſtphalos, Angrivarios & Weſtphalos olim ſolummodo diſtinguebantur; cum tamen circa Ottonum Imp. tempora vel centum, & quod ſuperat, pagi minores apud eos inveniantur. Valeat itaque Wendelinus, qui *Gevas* ſive regiones aut provincias expreſſe hic nominatas in villas vel pagos Taxandriæ vicinas, *Zelhem*, *Wintershoven*, & *Bogenhoven* commutat. Nec felicior eſt Conringius, qui veſtigia Bodeheimi, Windeheimi, & Saleheimi, ut in præfatione Pithœana vocantur, circa Moguntiam & Oppenheimium inveniſſe ſibi viſus eſt in Epiſtola ad Baluzium ſcripta: aut vir eruditus, qui nuper in Wormsgavia ſimilia ſe loca detexiſſe credidit. Neque enim de villis aut pagis, (quanquam ita jam geſta Francorum apud Freherum, Chronicon Moiſſiacenſe, Sigebertus Gemblacenſis & recentiores alii interpretati ſint, vocis *heim* dubio ſenſu decepti), ſed de integris provinciis, quas inferior Latinitas etiam *pagos* vocabat, hic agi vox *geve* oſtendit, quæ eadem ac *gau* eſt, ac de *provincia* ſolum, nunquam vero de *villa* uſurpatur. Exterruit hæc vox adeo interpretes omnes, ut ea omiſſa, ex Lindenbrogianæ editionis prologo potius nomina locorum horum in *heim* exeuntia ſolum protulerint. Ibi enim *Saleheim*, *Bodohaim* & *Windohaim* nominata extant, quomodo & Sigebertus ad annum Chriſti 422. ſcripſit; quanquam Wendelinus teſtetur, in aliis exemplaribus legi: *Salegeve*, *Bodegeve*, *Windogeve*; ac rurſum in alio: *Salehove*, *Bodehove*, *Windeshove*. Ubi *hove*, ut *chove* vel *gove* enuntiandum eſt. Geſta Francorum Anonymi, qui circa annum 720. vixit, a Frehero edita, *Bodecheim*, *Salecheim*, *Widecheim* corruptius nominant; & vitioſius adhuc alia apud Quercetanum lectio habet: *Salegagme in Bothagam & Wiſogagme in Wiſegam*. Anonymus, cujus verba ex Ms. Cameracenſi profert Wendelinus, ſcripſit: *Wibothagin*, *Salechagin* & *Widechagin*. Omnium corruptiſſime Chronographus Moiſſiacenſis: *Idsleo*, *Jubothagin & Windigatin*. Codex Gothanus etiam non emendate ponit: *in loco cognominante Salechamne*, *Bodecamne & Widocamne*. Unde omnino ſtandum eſt emendatiore Pithœani Prologi lectione, quod & cæteri viri eruditi agnoverunt, Interim ex variis his lectionibus notabile eſt, terminationem *heim* etiam *hagin* ſcribi; quod indicat, ex *hagin* hoc, *hain* ſive *haim* contractum eſſe, *Hagen* autem & *hain* proprie *indaginem* notat, qua & villæ & provinciæ contra inimicorum ſubitos inſultus & irruptiones olim muniebantur. Convenit itaque vox *heim* villæ ſimul atque provinciæ; unde etiam *patria* in genere *heim* adhuc vocatur. In villarum nominibus terminatio hæc frequenter occurrit. Olim tamen & de provinciis integris uſurpatam & ſynonymam vocis *gau* vel *geve* fuiſſe, certum eſt. Sic *Bojohemum* de integra Bojorum regione apud Strabonem adhibetur, & *Sigambri* neceſſario a *Sigham* vel *Sigheim*, ſive *regione ad Sigam fluvium*, ita audierunt; ut vel hoc ſaltem moneam.

(1) *Per tres Mallos.*) *Mallum* denotare *judicium certo loco & tempore indictum*, infra oſtendemus. Interim cum materia de legibus in tribus Mallis agitata fuerit, patet inde, omnia mature deliberata atque agitata fuiſſe.

(2) *Diſcurrendo.*) Ex prologo Pithœano hic reſtituendum: *diſcutiendo*.

(3) *Comatus.*) Obſervari meretur Agathiæ, Græci hominis, locus de regia capillorum apud Francos cura. Habet is libro I. hæc: *Solemne eſt Francorum regibus nunquam tonderi .... Cæſaries tota decenter eis in humeros propendet, anterior coma e fronte diſcriminata, in utrumque latus deflexa. Neque vero, quemadmodum Turcis & Barbaris, [illegible] iis & ſqualida ſordidaque eſt coma, vel complicatione indecenter cirrata, ſed ſmigmata varia ipſi ſibi adhibent, diligenterque curant, idque velut inſigne quoddam eximiaque honoris prærogativa regio generi apud eos tribuitur. Subditi enim orbiculatim tondentur, neque eis prolixiorem comam alere facile permittitur.* Capita Regum Merovingicorum in ſigillis a Mabillonio producta, & effigies Regum quorundam in Porta Eccleſiæ S. Germani de Pratis formam capillitii regii nobis ob oculos ſiſtunt. Gregorius Turonenſis ejus non una vice meminit Lib. III. c. 18. Lib. VI. c. 24. Lib. VIII. c. 10. &c. De jure regalis capillitii Hotomannus Franco-Galliæ cap. 11. egit. Nos infra quoque de capillorum honore ad Tit. XXVIII. leg. 2. quædam proferimus. His addantur Savaronis & Sirmondi notæ in Epiſt. Apollinaris Sidonii lib. I. Epiſt. 2.

(4) *In* PACTO.) Vides, Leges conſenſu gentis unanimi primum latas *Pactum* vocatas fuiſſe. Unde & in Pithœano prologo formula: *Placuit atque convenit*. Quemadmodum etiam in exemplari *pactionis* Andelaenſis inter Reges Guntchramnum & Childebertum Reginamque Brunichildem ap. Gregor. Turon. lib. IX. c. 20. ſtatim ab initio eadem verba *complacuit atque convenit*, extant. Conventiones autem hujuſmodi cum ex beneplacito leges fierent, ſecundum quas judicaretur, inde vox *Pacti* pro *judicio*, vel *Decreto & Codice Legum* in uſum venit. Baluzius in Notis ad Capitularia p. 994. ſq. oſtendit, apud Rheginonem *Legem Ripuariorum* vocari *Pactum Francorum*. Idem adducit vetus Bibliothecæ Regiæ Gloſſarium, in quo legitur: *Decretum*, *pactum*, *judicium*. Lex Alamannorum eodem teſte, in Codice Corbionenſi inſcribitur: *Incipit pactus Alamannorum*. Lex Romana *pactum* quoque vocatur in Teſtamento Heccardi Comitis a Steph. Perardo in Monumentis Hiſt. Burgund. p. 26. edito, ubi legitur: *Pacto Romano libro*: Conſtitutio Arichiſi Principis Beneventani apud Camillum Peregrinum Tom. I. Hiſt. Princ. Longobard. pag. 319. *Incipit Pactum, quod conſtituit Dominus Arechiſi glorioſus princeps* &c. Quod Wendelinus adjicit in Gloſſario Salico, ex voce *pacti* prodiiſſe noſtrum *buch*, liber, vix conſtare ſibi poterit, ob cauſas alibi proferendas.

(5) *Childebertum & Hlotarium.*) Non nominatur hic Theodoricus Rex, fratrum ſenior, quia is ex veteri Salica Lege pro ſuis ſubditis Legem Ripuariorum condidit, una cum Legibus Alamannorum & Bajoariorum.

(6) *Lucidius.*) Cod. Goth. *lucide*.

tum (1) hoc. VIVAT QUI FRANCOS DILIGIT CHRISTUS (2), EORUM REGNUM CUSTODIAT, ET RECTORES DE LUMINE SUÆ GRATIÆ REPLEAT, EXERCITUM PROTEGAT, FIDEI MONUMENTA (3) TRIBUAT, PACIS GAUDIA ET FELICITATEM, TEMPORA (4) DOMINANTIUM DOMINUS CHRISTUS JESUS PIETATE CONDUCAT (5). Hæc est enim Gens (6), quæ fortis dum esset, & robore valida, Romanorum jugum duriffimum de suis cervicibus excussit pugnando; atque post agnitionem Baptismi, sanctorum Martyrum corpora (quæ Romani igne cremaverunt, vel ferro trucidaverunt, truncaverunt, aut bestiis laceranda projecerunt) sumptuose auro & lapidibus pretiosis exornavit (7).

## DE LEGUM INVENTORIBUS (8) ET EARUM RATIONE (9).

MOYSES Genti Hebrææ primus omnium divinas Leges sacris litteris explicavit. Phoronacus Rex Græcis primus leges & judicia constituit. Mercurius Trismegistus primus leges Ægyptiis tradidit. Solon primus leges Athenienfibus dedit. Lycurgus primus Lacedæmoniis jura ex Apollinis auctoritate confinxit. Numa Pompilius, qui Romulo successit in regnum, primus leges Romanis edidit. Deinde, cum populus magistratus seditiosos ferre non posset, Decemviros legibus scribendis creavit, qui leges ex Solonis in latinum sermonem translatas XII. tabulis exposuerunt: fuerunt autem hi, App. Claudius Sabinus, T. L. Genutius, P. Sestius Vaticanus, T. Veturius Cicurinus, C. Julius Tullus, A. Manilius, P. Sulpitius Camerinus, Sp. Posthumius Albus, P. Horatius Pulvillus, T. Romilius Vaticanus. Hi Decemviri legum conscribendarum electi sunt. Leges autem redigere in libros primus Consul Pompejus instituere voluit, sed non perseveravit obtrectatorum metu. Deinde Cæsar cœpit id facere, sed ante interfectus est. Paullatim antiquæ leges vetustate & incuria exoleverunt; quarum etsi nullus jam usus est, notitia tamen necessaria videtur. Leges novæ a Constantino cœperunt Cæsare, & reliquis succedentibus; erantque permixtæ & inordinatæ. Postea Theodosius minor Augustus ad similitudinem Gregoriani & Hermogeniani codicem factum Constitutionum a Constantini temporibus sub proprio cujusque Imperatoris titulo disposuit; quem a suo nomine Theodosianum vocavit. Deinde unaquæque Gens propriam sibi ex consuetudine elegit legem. Longa enim consuetudo pro lege habetur. Lex autem est constitutio scripta. Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scripta: nam lex a legendo vocata, quia scripta est. Mos autem est consuetudo longa de moribus tracta tantumdem. Consuetudo autem est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur. Lex erit omne quod jam ratione constiterit, quod disciplinæ conveniet, quod saluti proficiat. Vocata autem consuetudo, quia in communi usu est.

Theodoricus Rex Francorum, cum esset Cathalaunis (10), elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant; ipso autem dictante (11), jussit conscribere Legem Francorum (12), Alamannorum & Bajoariorum; & unicuique Genti, quæ in ejus pote-



(1) *Et procuratum decretum.*) Cod. Goth. *percurrente decretum.*

(2) VIVAT QUI FRANCOS DILIGIT CHRISTUS *&c.*) Hæc fine dubio ex *Laudibus*, quæ Franci cecinere in Ecclesia, deprompta sunt. Cum tamen in iis Regni quidem & Rectorum, non tamen Regis nomen habeatur, hinc evidens fit, antiquissimas illas fuisse.

(3) MONUMENTA.) Cod. Goth. melius *munimina.*

(4) ET FELICITATEM, TEMPORA.) Cod. Gothanus: *& felicitatis tempora.* An restituendum: *& felicitatem temporum?* Hæc enim formula loquendi in nummis horum temporum frequentissima est.

(5) PIETATE CONDUCAT.) Cod. Gothanus & aliud exemplar Heroldi: *propitiante pietate concedat.*

(6) *Hæc est enim Gens* &c.) Hæc & sequentia Codex Gothanus hoc modo profert: *Hæc enim est gens, quæ parva dum esset numero, fortis robore, validum Romanorum jugum durissimumque de suis cervicibus* &c.

(7) *Sumptuose* &c.) Cod. Goth. *Franti reperta super aurum & lapides pretiosos ornaverunt.*

(8) *De Legum inventoribus.*) Sequentia fere omnia ex Isidoro desumta sunt, quæ, quoniam clara satis, & ad nostras præterea antiquitates non pertinent, jam non exponimus.

(9) Alter Prologus, qui item exstat apud Lindenbrogium, omittitur, quia idem fere est, ac ille qui Pacto veteri præpositus est integro priori articulo, usque *De legum inventoribus.* (Nota Collect.

(10) *Cum esset Cathalaunis.*) Cathalaunum duplex est, unum ad Matronam, alterum ad Ararim. De priori intelligendum puto nostrum hunc locum. Matrona enim terminus Regni Theodorici fuisse videtur, cujus metropolis civitas Rhemorum erat. Wendelinus Theodoricum anno DXII. de Legibus solicitum fuisse existimat, quando nempe patri successisset.

(11) *Ipso autem dictante.*) Legendum, aut certe intelligendum: *ipsis autem dictantibus*; quod idem est, ac *ipsis suadentibus*, vel *ex ingenio suggerentibus.*

(12) *Legem Francorum.*) Habebat sub se speciatim Theodoricus *Ripuarios*. Unde statuo, *Legem Francorum* hic de *Ripuaria* intelligendam esse, eamque Theodoricum condidisse, cum fratres ejus in Salicam legem curas suas converterent. Neque enim hæc solum; sed & Lex Ripuaria *Pactum* sive Lex *Francorum*, ut paulo ante vidimus, vocata est. Jo. Sichardus & Jo. Tilius suæ editioni præscripserunt: *Ripuariorum Leges a Theodorico Rege Francorum latæ*, quod fine dubio in Codicibus, quibus usi sunt, Ms. invenerunt. Et præfationem, in quam commenta-

poteſtate erat, ſecundum conſuetudinem ſuam; addiditque addenda, & improviſa & incompoſita reſecavit; & quæ erant ſecundum conſuetudinem Paganorum, mutavit ſecundum legem Chriſtianorum. Et quidquid Theodoricus Rex propter vetuſtiſſimam Paganorum conſuetudinem emendare non potuit, poſthæc Childebertus Rex inchoavit corrigere; ſed Chlotharius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex glorioſiſſimus per viros illuſtres Claudio (1), Chadoin, Domagno (2), & Agilloſo (3) renovavit; & omnia veterum legum

---

tamur, Baluzius Capitul. Tom. I. p. 25. 26. non Legi Salicæ, ſed Legibus Ripuariorum, Alamannorum & Bajoariorum præpoſuit, eamque hoc modo collocatam etiam in veteribus Codicibus reperit. Poſt obitum Theodorici fratres ſuperſtites Childebertus & Clotharius amplius eaſdem quoque Leges emendaſſe & auxiſſe, veteri præfaminis auctori libenter credo. Poſt ipſos vero Dagobertus I. Rex eaſdem auctas, tales promulgavit ac conſtituit, quales etiamnum leguntur.

(1) *Claudio.*) Baluzii editio: *Claudium*. Tres vero viri nominantur, qui tres Leges diſtinctas ſeparatim emendaſſe videntur. *Claudius* itaque Francorum Legibus curam impendit. Suſpicor ferme, eum eſſe eundem cum illo *Claudio*, qui Maior-domus Burgundiæ ſub Theodorico II. & quidem anno DCVI. factus eſt. Potuit is quietis amantior dignitatem hanc reliquiſſe, & Ducis charactere contentus ſibi vixiſſe, uſque dum a Clothario Legum emendandarum cura ipſi demandaretur. Elogium, quo a Fredegario cap. 28. mactatur, facit, ut hoc ita omnino eſſe credam. Verba ejus ſunt: *Anno XI. regni Theuderici ſubrogatur Major-domus Claudius, genere Romanus, homo prudens, jucundus in fabulis, ſtrenuus in cunctis, patientiæ deditus, plenitudine conſilii abundans, literarum ſtudiis eruditus, fide plenus, amicitiam cum omnibus ſectans, Priorum exempla metuens, lenem ſe & patientem hujus gradus aſcenſu oſtendit. Sed hoc tantum impedimentum habebat, quod ſagina eſſet corporis adgravatus.* Ubi notandum, Gregorium eos appellare Romanos, qui genere Franci non erant, ſed ex antiquis Galliarum familiis, quæ ante Francorum ſtabilitum in Galliis Imperium Romanis erant ſubjectæ. Id quod Ruinartus h. l. annotavit. Ipſius Caroli M. familia talis fuiſſe a Buchetio & Sanmarthanis perhibetur.

(2) *Chadoin, Domagno.*) Baluz. *Chaudum, Indomagnum*. Corruptiſſimum locum eſſe quilibet videt. Unum nomen in duo corruptum eſſe ſuſpicor, quod forte *Chadoindomannus* fuit, diminutivum nempe ex *Chadoindus* factum, uti adhuc pro *Hinrici* nomine *Hinnermann*, blandientes alicui, pronunciamus. Fuit anno DCXIII. quo Theodoricus II. obiit, *Chadoindus* Procerum Alemannorum unus, legatus ad Clotharium a Brunechilde Regina miſſus. Fredegarius illius cap. 40. meminit his verbis: *Cumque* (Clotharius) *Antonnacum acceſſiſſet, & Brunichildis cum filiis Theuderici Warmaciæ reſideret; legatos his nominibus, Chadoindum & Herponem ad Chlotharium direxit, conteſtans ei, ut ſe de regno Theuderici, quod filiis reliquerat, removeret* &c. Aliqui Codices nomen viri *Caduinus* ſcribunt, ut Ruinartus annotat. Nec video, cur non Chadoindus hic Alamannus uſque ad Dagoberti tempora vixiſſe & leges Alamannorum compoſuiſſe potuerit? Cum tamen tribus his Legislatoribus ſub Dagoberto *virorum illuſtrium* nomen attribuatur; & certum ſit Agilulfum Bavarum, Ducem fuiſſe, idemque de Claudio quoque appareat; ſuſpicio oritur, unumquemque ex his tribus Ducem apud ſuos fuiſſe. Alibi oſtendimus, Duces hujus temporis Sueviæ ſive Alemanniæ ex vetuſtiſſima familia Guelfica fuiſſe, Ducatum autem Alamanniæ a patre in filium ſemper tranſiiſſe, niſi is apertis adverſus Regem criminibus commiſſis ſucceſſione indignum ſe feciſſet, ex ipſa Lege Alamannorum apparet. Hinc vero ſequitur, & *Chadoindum* aut *Caduinum* vel *Chadoindomannum* Ducem Alemanniæ, atque ex familia Guelfica fuiſſe. Nec improbabile plane eſt, ipſum hoc nomen ex *Catulinus* corruptum. *Welfonis* enim nomen Latine *Catulus* reddebatur, ut vel ex Anonymo Weingartenſi clarum. Ipſam vero *Catuli* vocem ignotiorem mire diſtorquebant, eam modo *Catilus* (unde fabula apud Weingartenſem Guelfos a Katilina fœmina neſcio qua, ortos), modo *Cathicus* (ut in Boboleni Vita S. Germani factum), modo *Caticho* (ut Necrologium Fuldenſe Ms. habet), modo *Catelus* (unde *Catelmundi* nomen apud eundem Bobolenum compoſitum) efferentes. *Catulinus* igitur vel corruptum *Caduinus* idem eſt, ac *Welfingus*, & *Chadoindomagnus* vel *Chadoindomannus* etiam idem, ac *vir ex Welfingis* ſive *ex ſtirpe Welforum*. Circa annum DLXXXVIII. *Gunzo* vel *Cuncellenus* (pro quo Fredegarius corrupte *Uncelenus*) quod nomen idem eſt ac *Conradus*, Dux Alemanniæ fuiſſe cernitur in Theodori Vita S. Magnoaldi, Radberti libro de Caſibus S. Galli, & Walefridi Strabonis vita S. Galli. Poſt hæc Gundonium Ducem circa annum DCLXVI. deceſſiſſe ex Vita S. Germani a Boboleno conſcripta obſervatur. Tempora autem inter hos duos Duces extenſa neceſſario adhuc intermedium quendam requirunt. Fuit itaque hoc modo *Chadoindus* vel *Caduinus* ſive *Catulinus* aut *Chadoindomagnus* filius *Gunzonis* & pater *Gundonii*, avus vero *Bonifacii* vel *Cathici*, Alemanniæ Ducum. *Bonifacius* hic, cujus & hoc nomine *Welfonis* illud exprimitur (*wel* enim *bonum*, & *fo* provincialibus *facio* eſt), fratrem habuiſſe videtur *Cathelmundum*, qui una cum Bonifacio monaſterio Grandivallenſi gravis fuit, cauſamque illius & ſuam fecit. Dicitur in Vita S. Germani, Cathelmundum a partibus Aquilonis, Bonifacium vero vel Cathicum ab alia parte cum exercitu in Grandivallenſes veniſſe. *Cathelmundus* ergo ex Alſatia venit, & *Bonifacius* ex Rhætia Alemanniæ & Bajoariæ vicina. Ubique Guelfi bona habuerunt. Concluderes tamen hinc, a *Cathelmundo* propagatos eſſe Guelfos Alemanniæ, (quorum in Alſatia bona ex parte ſita fuiſſe, certum eſt), a *Bonifacio* vero alios, qui ſe inter Bajoarios computarunt, & Bonifacios poſtea, Tuſciæ Marchiones, Italiæ dederunt, integram licet perſonarum connexionem in iſta temporum obſcuritate detegere nondum poſſimus. Sed de his alibi plura dabimus.

(3) *Agilloſo.*) Baluz. emendatius *Agilulfo*. Agilulfum hunc Ducem Bajoariæ fuiſſe certum eſt ex ipſa Bajoariorum Lege. In ea enim Tit. II. cap. XX. leg. 1. 2. & 3. mentio fit Ducum ex *Agilolfingis*. Lex ibi tertia hæc eſt: *Dux vero, qui præeſt populo, ille ſemper de genere Agilolfingorum fuit, & debet eſſe; quia ſic Reges anteceſſores noſtri conceſſerunt eis, ut qui de genere illorum fidelis Regi erat & prudens, ipſum conſtituerent Ducem ad regendum populum illum.* Lege vero prima principes Bajoariorum familiæ poſt Agilolfingos in editione Lindenbrogii recenſentur hoc modo: *De genealogia,* qui

legum in melius transtulit; unicuique quoque (1) Genti scriptam tradidit (2). Factæ autem sunt leges, ut earum metu humana coerceretur nequitia, tutaque sit inter improbos innocentia; & in ipsis improbis formido suppliciorum; & ut refrænentur nocendi facultates,

Hoc (3) decretum est apud regem & principes ejus & apud cunctum populum Christianum, qui infra regnum Merwungorum (4) consistunt.

---

*qui vocantur Hosidra, Ozza* (Baluz. *Huosi, Throzza*, Ms. *Husidrochba*) *Sagana*, *Habilingua* (Baluz. *Habilinga*, Ms. *Babilingua*) *Anniena* (Baluz. *Aennion*, Ms. *Annona*), *isti sunt quasi primi post Agilolfingos, qui sunt de genere Ducali*. Ubi obiter noto, primam familiam, quæ nominatur *Huosithrozza*, a quodam *Hastroz* vocato dictam. *Sagana* mihi ignotior est. *Habilinga* illud forte in *Chatilinga* mutandum est, ut *Catulinga* sive *Guelfica* familia indicetur. Ea enim & Alemanniæ & Bajoariæ indigenatu gaudebat. Et Welfus Judithæ Imperatricis pater, cum in Suevia degeret, nihilominus Thegano *de nobilissima stirpe Bavarorum fuisse* dicitur. *Anniénam* stirpem interpretor *Arnulfingam*, a qua Electores nostri temporis Bavaros & Palatinos descendere mihi constat. Nominis *Arnulfi* contractio vulgaris est *Arno* & *Anno*; unde *Anniena* idem est ac *Arnulfinga*.

(1) *Unicuique quoque.*) Baluz. *& unicuique*.

(2) *Tradidit.*) Baluzius: *tradidit, quæ usque hodie perseverant*. Et in his verbis prologus Baluzianus finit.

(3) *Hoc decretum* &c.) Sequentia Baluzius, in Ms. Codice, prologo huic subscripta invenit.

(4) *Merwungorum.*) Chlodoveum Francorum Regem & posteros ex Merovingica familia fuisse sive a Meroveo Rege descendisse, notissimum est. *Merovingorum ergo regnum* idem est ac *Regnum Francorum*.



# INDEX
## TITULORUM
## PACTUS
## LEGIS SALICÆ.



I N

# IN CHRISTI NOMINE.
## INCIPIT
# PACTUS LEGIS SALICÆ.

Hi autem ſunt qui Legem Salicam tractaverunt (1); Wiſogaſt, Arogaſt, Salegaſt, Windogaſt; in Bodham, Saleham, & Widham.

### Titulus I.
*De Mannire* (2).

I. SI quis ad Mallum (3) legibus dominicis mannitus fuerit, & non venerit, ſi eum Sumis (4) non detinuerit, ſolidorum quindecim culpabilis judicetur, qui faciunt denarios ſexingentos (5).

II. Ille vero qui alium mannit, & ipſe non venerit, ſi eum Sumis non detinuerit, ei qui manibit ſimiliter DC. den. qui faciunt ſoli-



(1) *Legem Salicam tractaverunt.*) Verbum *tractare* in medii ævi ſcriptoribus pro *ſententiam in commune proferre*, *comportare*, *proponere*, *conſulere* uſurpatum eſt. Apud Caſſiodorum Lib. VIII. Epiſt. 10. *tractatus* pro *conſilio* occurrit. *Defenſorem*, inquit, *omnium ſuis tractatibus adjuvabat, & miniſtrando conſilium regebat ipſe rectorem*. Eidem *tractator* eſt *conſiliarius* Lib. VIII. Epiſt. 8. Idem Epiſt. 12. *Decet enim tractatores habere doctiſſimos, quibus ſumma poteſtas committitur*. In ſacris quoque Concilia & Synodi *tractatus* vocantur, in quibus nempe de Eccleſiæ rebus conſulitur. Sed hæc fuſe apud Cangium exponuntur. Habet aliquid commune cum hoc *tractare* noſtrum verbum *tragen*, ferre, (unde *trachten*, animo ferri), & *vortragen*, proferre; a quo *vortrag*, votum, ſententia, ſive quicquid in publico conſilio dicitur. A *tragen* porro eſt *tracht*, quod fertur, vel profertur, & inde barbarum illud *tractare* deductum eſſe potuit; quamquam & latinum *tractare* non a *traho*, ſed a noſtro *tragen* eſſe putaverim.

(2) *Mannire.*) Rectius in Codice Guelferbytano eſt *manire*, quod eſt noſtrum *manen*, monere, commonefacere debiti, poſtulare; in Lege Salica vero *citare ad mallum*, *ſive judicium*. Heroldus etiam in Lege prima *manit* pro *mannit* in alio exemplari legit. Quomodo *mannire* & *bannire* differant, intelligas ex Capit. Caroli M. lib. IV. c. 25. ubi dicitur: *Si quis de ſtatu ſuo, id eſt, de libertate vel hereditate compellandus eſt, juxta legis conſtitutionem manniatur; de cæteris vero cauſis, unde quis rationem eſt redditurus, non manniatur, ſed per Comitem banniatur*. Cangius, apud quem plura auctorum exempla extant, dicit apud Arvernos adhuc *manio* uſurpari pro *lite agere*, *placitare*. In Lege Salica al. Lindenbrog. Tit. LII. leg. 2. *manita*; & *mannitio* in Cap. 3. Lud. Pii eſt *ſubmonitio*, *citatio*. Gall. *ajournement*. Apud Hincmarum opuſc. XV. c. 15. *mannina* occurrit pro *compoſitione manitionis*, ſive pro pecunia, quam adverſario ſolvebat, qui manitus ſive vocatus ad placitum, ſine juſta excuſatione, non comparuerat.

(3) *Ad Mallum.*) Mallus, publicus conventus, judicium civile, placitum, forum cauſarum, atque item illud, quod noſtro more efferimus *das landgerichte*. Videatur Pithœus in Gloſſar. ad Capitular. Cangius, Lindenbrogius, Voſſius, & Hier. Bignonius ad Form. Marculfi ed. Baluz. p. 954. Hinc *mallare*, *admallare*, citare, in jus vel judicium vocare. Omnia hæc deſcendunt a noſtro verbo *mahlen*, quod proprie eſt *deſignare*; unde & nobis adhuc de pingendi arte in uſu eſt, de qua & Galli ſuum *deſſiner* uſurpant. *Mahl* inde eſt *ſignum*. Et *deſignatio quæ fit per verba*, ſive *loquela*, Septentrionalibus etiam *maal* audit; ac *Danſchmaal*, *Suenſmaal*, *Norſchmaal*, ipſis *Danicum*, *Suecicum*, *Norwegicum ſermonem* denotat. Nos ex hoc fonte habemus noſtrum *melden*, dicere, annunciare, quod a *mahl*, ſignum, & *thun*, facere, proprie eſt *ſignum facere*, ſive *ſignificare* alicui aliquid. Locus deſignatus, qui veteribus *mallus*, nobis adhuc dicitur *mahlſtat*. Judicii Provinc. Svevici ordinat. fol. 13. *Von ieder ladung, verkundigung, verbiethsbrief, und andern landgerichts-proceſſen von der malſtat des Landgerichts aus an geborige ort zu antworten* &c. Caroli V. Ordinat. Judicii Criminalis §. 215. *Sollen auf beſtimte zeit und mahlſtat erſcheinen.*

(4) *Sumis.*) Alibi ſcribitur *ſunnis*, *ſunnia*, *ſonia*, *ſoinus*, *ſonius*, *esſonia*, *esſonium*, *esſoinus*, *exonia*, *exonium*. Gall. *eſſoine*, & eſt Sax. *ſumnis*, Germ. *ſeumnis*, mora, impedimentum. V. Lindenbrogium, Voſſium & Cangium. Legitima autem impedimenta, quæ a comparitione in mallo excuſent, Lex Salica Tit. XIX. leg. 6. *infirmitatem*, *ambaſciam*, ſive *negotium dominicum* (hoc eſt *regium*) & *mortem amici de proximis in domo* eſſe pronunciat.

(5) *Solidorum quindecim .... qui faciunt denarios ſexingentos.*) Cujus pretii apud Francos *ſolidus* & *denarius* fuerit, edocet nos Wendelinus in Gloſſario Salico; *Denarius*, inquiens, cujus per omnes paragraphos eſt mentio, nummus fuit argenteus, non quidem ejus ponderis aut bonitatis, cujus fuerunt denarii Romani (& cujuſmodi cudebantur ſepteni ex unciis,

ſolidos xv. ( 1 ) componat.

III. Ille autem, qui alium mannit, cum teſtibus ad domum illius ambulare debet, & ſic eum mannire debet, aut uxorem illius, vel quemcunque de familia illius, ut ei faciat notum, quomodo ab illo mannitus

---

ciis, quorum etiam XXV. æquabant æſtimatione ſolidum aureum Romanum ); ſed hic nummus eſt iſtiuſmodi, quorum XL. æquabant ſolidum Francicum, ſeu ( ut in Gallia jam exiſtentibus illis ) Gallicum. A cognitione ergo ſolidi Gallici cognitio pendet denarii Salici. Et *ſolidus* quidem aureus nummus primis Reip. & Imperatorum temporibus *quarta pars unciæ*, planiſſime reſpondens Nobili Roſato tam pondere, quam metalli bonitate: ita in unciam veniebant denarii veteres Romani centum, hoc eſt, in libram auri denarii Romani 1200. Temporibus vero Theodoſii ac Pharamundi, quando Leges iſtæ latæ ſunt, ſolidus erat *ſexta pars unciæ* tantum, uti conſtat ex nummis ipſis & Imperatorum conſtitutionibus; qui jam paſſim notæ ſunt. Sed erat ſolidus Gallicus minoris pretii, quam Romanus, propter metalli vilitatem: quod docet Novella Majoriani lib. IV. Tit. 1. *Nullus ſolidum integri ponderis calumnioſæ adprobationis obtentu recuſet exactor, EXCEPTO EO GALLICO, cujus aurum minore taxatione æſtimatur*: quibus verbis Francorum Regum ſolidos deſignat. Hinc ergo affirmare poſſumus, ſolidum Francicum metalli ſui bonitate non æquaſſe vel octavam partem in auro obryzo. Jam vero ſolidus iſte permutabatur denariis XL. In unciam ergo auri puri veniebant ſaltem denarii tales CCCXX. ac plures etiam, ſi ſolidorum ( ut docui ) bonitas minor etiam fuerit. Unde conficio, debuiſſe permutari unciam auri obryzi puriſſimi talibus denariis Romanis c̄. ipſis, ſicut jam diximus. Unus ergo denarius Romanus ſuperabat quatuor denarios Francicos Salicos, eratque denarius Salicus quinta circiter pars denarii Romani, hoc eſt ipſiſſimus ferme ſeſtertius nummus, quadrans drachmæ ſcilicet argenteæ, cui fuit æqualis quam proxime. Qui ergo intelligit in ſua civitate pretium drachmæ argenteæ, idem intelligit, quid ſint quinque denarii Salici, ac proin, quid denarius unus. Atque, ut hoc loco rem obſcuriſſimam ſemel illuſtrem, certum habeto, Salicos noſtros Legislatores per ſolidos ac denarios ita loqui, quomodo tunc loquebantur ipſi Romani; quorum pecunias, uti formis & nominibus imitati ſunt, ita quibus ad eos commercia pertulerunt, iiſdem acceperunt. Jam vero per illa tempora in ore atque uſu utriuſque Imperii ſubditis *Pholles*, Φόλλεις, ſic dicti quod inſtar ſquamæ vel ſerpentium vel piſcium cuderentur: quod fit hodieque ad Rhenum, & per Germaniam reliquam. Hunc Phollem Suidas vocat *Obolum;* Euſtathius quoque φόλλεις, ὀβολοὺς πεταλώδεις, *Obolos bracteales*, leviſſimos ſcilicet, interpretatur. Teſtis eſt Auguſtinus Civitatis lib. XXII. cap. 8. *Caſulam* ( vile ſagulum ) *tegendo nudo emi ſolitam* 50. *follibus*; &, *Piſcem magnum* ( thynnum puta in illo mari ) *venditum tricenis* ( non trecentis ) *follibus*. Moſchus quoque Cap. CXXXIV. prati ſui, *diurnam mercedem Foſſoris ſe oblocantis fuiſſe* πέντε φόλλεις, *quinque folles*: quos Interpres reddidit *X. minuta* ( etſi IX. librarius ſcripſit; ) nam & Epiphanius *Phollem* teſtatur fuiſſe *duo minuta denariſmi*. Hi ergo FOLLES ſunt DENARII SALICI, cujuſmodi denariorum ſex millia imputabantur in libram auri ſolidam, teſte Caſſiodoro Variarum libro I. cap. X. quodque eodem ferme redit, in libram argenti folles veniebant 500. Cod. Theodoſ. lib. VI. Tit. IV. l. V. eademque ratione XX. millia follium, quæ conferebantur a Prætoribus in editionem munerum, Gratianus Imp. taxavit XL. libris argenti. Unde SALICI DENARII æſtimatio fugere nos deinceps nequit. In unciam enim argenti computantur folles 41 $\frac{1}{3}$ ac proin drachma conſtat follibus 5 $\frac{1}{5}$ ferme. Maneat ergo platico numero, *in drachmam argenteam imputandos quinque denarios Salicos*. Poſterius factum eſt, diſſipato in tot partes Romano Imperio, cum non amplius ex toto terrarum orbe in unum iſtud caput confluerent pecuniæ ( velut in unum caſtellum aquæductus, ) ut exareſceret auri argentique lacus, nomina ſolidorum denariorumque manerent. Quod ergo neceſſe fuit ſequi, cudi cœperunt ex ære, & quidem XX. ex uncia; hoc eſt CCXL. ex libris: ut ſolidi quoque non jam ex auro amplius, ſed ex argento, & quidem ſubærato procuderentur: ita ut ſolidus ejus jam eſſet vilitatis, qua XII. denarii ſolidum conſtituerent. Paullatim deinde ita eſt imminuta bonitas ac pondus ſolidi, ut auri drachma permutaretur ſolidis duobus, tribus, quatuor, ac deinceps: itaque anno MCCCCXII. drachma auri æſtimabatur ſolidis 12. anno MCCCCLXXV. drachma aurea permutabatur ſolidis 16. Idem aureus nummus anno MD. æſtimabatur ſolidis 20. atque ita ſolidorum decrevit æſtimatio, ut nunc aurea drachma permutetur alibi 75. alibi 100. aut pluribus nummis, quos vocant ſolidos: quo nomine cuduntur æreoli leviter argentati; & quorum intrinſecus valor ( ut vocant ) tam eſt contemptæ vilitatis, ut ſi æſtimes materiam, aurea drachma permutari debeat mille ducentis & amplius iſtiuſmodi quiſquiliis. Hæc Wendelinus.

( 1 ) *Qui faciunt ſolidos XV.* ) De Solido jam actum eſt ad legem præcedentem. Interim & hic Wendelini verba addere placet: Solidus quid ſit, ſatis dictum in voce DENARIVS. Fuit nimirum temporibus Conſulum atque Imperatorum uſque ad Heliogabalum aureus nummus auri obryzi ac puri; plane cujuſmodi eſt bonitas & pondus Nobilis Roſati; ut ex unciis cuderentur quaterni, permutarenturque denariis argenteis vicenis quinis; tota vero auri obryzi uncia permutaretur denariis centum; quæ ſunt unciæ 14 $\frac{2}{7}$. Poſteriores deinde Imperatores metalli temperaturam extenuarunt, ac denique & pondus imminuerunt; ita ut ex unciis cuderentur ſeni ſolidi; qui ſi permutarentur denariis item centum, jam in ſolidum veniebant denarii Romani 16 $\frac{2}{3}$. At vero qui cudebantur in Gallia ſolidi, quoniam deterioris erant auri, etſi conſtaret pondus, Conſtitutione Majorani Imp. rejecti ſunt, ſicut diximus item ſupra: tales fuerunt, quos primi Francorum Reges cuderunt, & exſtant aliquot ſine inſcripto nomine: unus etiam aliquis ſupereſt cum hac epigraphe, THEVDEMER REX, cujus circa annum CCCCXV. a Chriſto, paullo ante Pharamundum. Atque hi ſolidi tam viles ac reprobi ( ut credam eos non æquaſſe bonitate denarios decem, hoc eſt ſcutum Francicum hodiernum, ad ſummum nec drachmam auri boni ) permutabantur denariis Salicis XL. qui fuerunt totidem *Folles*, ſicut ſupra docui, ubi *denarium* explicavi. Re-

ve-

ꝉus eſt: nam ſi in dominica Ambaſcia (1) fuerit occupatus, manniri non poteſt: ſi vero intra pagum (2) in ſua ratione (3) fuerit, poteſt manniri, ſicut ſuperius dictum eſt.

TITULUS II.

*De furtis porcorum.*

I. SI quis porcellum lactantem (4) furaverit de rhanne prima (5), aut media-

---

vera igitur, quod nos docet Legg. Saxon. Titulus ultimus, *Solidus eſt duplex: unus habet duos tremiſſes, alter ſolidus tres tremiſſes. Majori ſolido aliæ compoſitiones, minori homicidia componuntur.* Unde colligo, etiam ipſum tremiſſem tandem induiſſe nomen ſolidi, qui XL. tantum Follibus permutaretur, valeretque unciam argenti, Solidus ergo Salicus ejuſdem fuit valoris cum *Floreno Rhenenſi*, ut videri poſſit iſtiuſdem nummi uſus jam inde ad hoc ævum perſtitiſſe. Utique autem, cum apud Romanos in uſu eſſent tremiſſes, hoc eſt nummi aurei, tertiam ſolidi antiqui partem conſtituentes, eorumque frequens exſtet mentio in Scriptoribus medii ævi, Legibuſque Wiſigothicis, Longobardicis, Alamannicis; quantum ego quidem colligere valeo, *ſolidus Salicus fuit tremiſſis*, valuitque Follibus XL. ſicut ſolidus Romanus denariis antiquis XXV. hoc eſt, Follibus CXXV. Hæc Wendelinus. Ad Caroli M. Capitula ex Lege Longobardorum excerpta, ubi §.15. dicitur, per duodecim denarios ſolvi debere ſolidum per totam Legem Salicam, Gloſſa interlinearis Codicis Regii a Baluzio citata addidit: *Per Salicam enim Legem conſtitutum fuerat, ut ſolidi ſemper ſolverentur quadraginta denariis.* Hincmarus in Vita S. Remigii: *In teſtamento a B. Remigio condito lector attendat, quia ſolidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur, ſicut tunc ſolidi agebantur, & in Francorum Lege Salica continentur, & generaliter in ſolutione uſque ad tempora Karoli perduravit, velut in ejus Capitulis continetur.* De cætero notandum eſt, Pipinum ſui temporis pauperie & miſeria dubio procul permotum reduxiſſe ſolidum hunc ad XII. denariorum valorem, atque ita pro aureo argenteum conſtituiſſe. Synodus Rem. c. 41. *Ut domnus Imperator ſecundum ſtatutum b. m. Pipini, miſericordiam faciat, ne ſolidi, qui in lege habentur, per 40. denarios diſcurrant, quoniam propter eos multa perjuria multaque falſa teſtimonia reperiuntur.* Carolus M. lib. IV. Capitul. c. 75. firmavit, *ut omnis ſolutio, atque compoſitio, quæ in Lege Salica continetur, inter Francos per 12. denariorum ſolidos componatur: excepto ubi contentio inter Saxones & Friſiones exorta fuerit*, ibi voluit, *ut 40. denariorum quantitatem ſolidus habeat.* Plura dabunt Pithœus, Lindenbrogius, Spelmannus, & Cangius. Poſterioribus temporibus ex voce *ſolidi* factum eſt *ſcholidus, ſcholigus, ſcolingus, ſcellingus*, & tandem *ſchillingus*. Atque cum ſolidus ille in duodecim partes, & denarius in totidem quoque divideretur, factum eſt, ut ille ſolidus *major*, hic *minor* vocaretur. Statuta Goslarienſia Tit. van Vrede brake leg. LV. *We ſtelet, dat vif ſcillinghe uuert is, de vorſchuld des Galgen.* Ubi Gloſſa MSta addit: *viff ſcillinghe das ſindt funf gulden.* Unde intelligas *ſolidum* hic *majorem* intelligi. Et *minores ſolidi* in iiſdem ſtatutis ſæpius occurrunt, vocanturque paſſim *luttighe ſchillinghe & ſcillinghe luttiker penninghe.* In Juris Svevici Ms. Ambroſiano ad lib. 1. c. 20. Schilterus gloſſam hanc invenit: *Und wo dis buch von ſchilling ſaget, das ſind ſchilling der je zwolff ein ſchilling iſt.* Atque ita hic *minores* deſignantur. Evolvatur Schilterus Prax. Juris Rom. in Foro Germ. Tom. II. pag. 189. Teutoniſta etiam de minoribus ſolidis intelligendus eſt, quando ſcribit: *twelf ſchillyng, ferto, marca.*

(1) *Ambaſcia.*) Miniſterium, officium, negotium, legatio, juſſio. Regula S. Columbani Cap. 10. *Qui præſumit facere ambaſciam, non permittente eo, qui præeſt, libera & effrenata proceſſione abſque neceſſitate, quinquaginta plagis inhibeatur.* Gloſſæ Keronis: *officium, ambahti; officia, ambaht.* Anglo-Saxonibus *miniſterium, embeht.* Gloſſæ Lipſii: *ambachtman, miniſtri.* Tatianus LXIV. 3. *oftiga ambaht*; frequens miniſterium. Otfridus lib. I. c. 25. *wio mag ih biuuanen mih, Theiz ſi min ambaht ubar thih.* In Evangeliis Gothicis *andbahts*, miniſter, & *andbahtgan*, miniſtrare, dicitur. Vide pluribus ibi Junium; & de voce *Ambacti* adde Voſſium, Lindenbrogium, Cangium, Pontanum in Gloſſario Celtico, Cluverium Germ. Ant. lib. I. c. 8. 13. Wendelinum in Gloſſario Salico, Pithœum lib. I. Adverſar. c. 8. & Palthenium in Not. ad Tatianum pag. 276. Varias & miras vocis originationes ab aliis excogitatas jam prætermitto; & ſolummodo indico, videri mihi, per *ambaſciam* deſignari proprie *miniſterium honoratius*, quod in *annuntiatione voluntatis dominicæ* conſiſtit, & deſcendere ab *ant, ent* & *beden, bieten*, a quo adhuc habemus *entbieten*, Sax. *entbeden*, annunciare, mandare, jubere. Etymologiam hanc confirmat, quod in alia Legis hujus editione verba *in dominica ambaſcia* redduntur *in juſſione regis.*

(2) *Intra pagum.*) H. e. patriam, regionem, vel diſtrictum. Gallis hinc *pays* dicitur, uti pernotum eſt.

(3) *In ſua ratione.*) H. e. *in ſuo jure, in ſuis propriis; in ſeinem recht.* Recurrit hoc ſenſu Tit. LXIII. *Ratio* itaque hic non eſt Latinum, ſed ex Germanico *recht* prodiit.

(4) *Lactantem.*) *Lactare* alias apud Scriptores Latinos ſignificat *lac præbere* & *lactere*, ſugere. Sed hic utrumque confunditur, & *lactare* pro *ſugere* uſurpatur.

(5) *De rhanne prima.*) Putat Pithœus vocem commune quid habere cum Campanico *rhan*, quod in formula loquendi *mettre les porcs en rhan* occurrit, & quo nos Germani quoque *cremorem lactis* nominamus. Wendelinus a *renne*, quo *gregem porcorum* Antwerpianis denotari dicit, derivat. Cangius *ranne* noſtrum ex *hara* formatum putat. Cum tamen Lex neque de porcis pinguefaciendis, neque de gregariis mentionem faciat, ſed tantum de *porcello lactente* & quidem *diverſæ conditionis* loquatur; exinde clarum eſt, eos a ſcopo aberraſſe. Ego exiſtimo vocem eſſe Germanicam, jam quidem obſoletam, olim tamen non infrequentem. Nos verbum *lauffen*, currere, de ſcrofa pruriſcente, & cum verre coeunte uſurpamus. Ejus vero ſynonymum eſt *rennen*; unde & ſcrofa apud Saxones vulgo *eine Range* dicitur, quæ vox deinde ad pueros immoderate in plateis laſcivientes, & diſcurrentes translata eſt, ut *Straſſen-rangen* vulgo audiant. Notabile autem eſt, a *rennen* hoc ſenſu uſurpato etiam *equum coitorem* ſive *admiſſarium*, quem Gloſſæ erronee *emiſſarium* ſcribunt, *reino* olim vocatum. Gloſſæ Ratisbonenſes Ms. *Warannio, Reinno.* Gloſſæ Florentinæ Ms. *Emiſſarius, reino.* Gloſſarium Rabani Mauri Ms. *Emiſſariis, reinneo.* Quodſi itaque a *rennen*, pro *coire* ſumto, ſubſtantivum formes, erit id *rann*, Latinaque terminatione *ran-*

diana (1), & ei fuerit adprobatum, (MALBERG. (2) *rhannechala lerechala* (3), hoc eſt unum *abelepte*) CXX. denariis, qui faciunt ſolid. III. (4) culpabilis judicetur, ex-

cepto

---

*rannis*, & *coitum* denotabit. Porcellus igitur *de rhanne prima* aut *mediana* ſive *altera* eſt porcellus ex primo vel ſecundo coitu ſcrofæ ortus; multo autem minori pretio hic redimitur, quam is, qui *in tertia rhanne*, ſive coitu conceptus eſt. Notum enim eſt patribusfamilias, porcellos, quos primo & ſecundo partu enituntur ſcrofæ, viliores; qui vero tertio jactu eduntur, cæteris præſtantiores eſſe.

(1) *Mediana*, *Medianus* pro eo, quod in medio eſt, apud Vitruvium lib. III. Cap. 1. occurrit. Hic reſpectu tertii pro *ſecundo* adhibetur.

(2) MALBERG, ) Propriè *locum judicii*, & deinde ipſum *judicium*, ac etiam *populum ad judicium congregatum* notat, a *mahl* & *berg* compoſitum. Notum enim eſt, judicia olim in collibus, etiam humana opera factis, & ſub dio, habita fuiſſe, ut judices nempe ab omni populo conſpici poſſent. Reſtant colles hujuſmodi in villis ſeu pagis noſtris, & in medio tiliam plerumque aut alius generis arborem habent, tegumentum pluvio cœlo. In Saxonia vulgo *Ty* vocantur, voce ex *tide*, populus, corrupta, & *berg* ſubintellecto, quo *populi mons*, ſive *mons*, *in quo populus congregatur*, indicatur. Ubi autem in Lege noſtra vocibus barbaris vocabulum *Malberg* præponitur, hoc indicat, in Malbergo ſive judicio, pro quo *Malbergii* vox infra etiam Tit. LVII. leg. 4. uſurpata eſt, voces Legis Latinas talibus Germanicis expreſſas fuiſſe. Gloſſæ enim ſunt, quæ primo textui ſuperſcriptæ, deinde vero a ſcriba indocto in ipſum contextum relatæ, & corruptiſſime exaratæ fuerunt. Belius de cætero Malberg male *locum tectum* interpretatur, Carolus enim Magnus demum juſſit, ut malli locus ſub tecto eſſet, Capitular. lib. III. cap. 57. & lib. IV. cap. 28. Unde *la cour de Maubergeau*, quæ Pictavis eſt, poſt ea tempora condita fuiſſe debet; quia ante Carolum malla ſub dio habebantur.

(3) *Rhannechala lerechala*, ) Scriba, qui in textu *rhanne* poſitum obſervarat, idem etiam in Gloſſa expreſſit. Ego tamen, cum de *porcello lactente* agatur, qui nobis *ſpan-verken* dicitur ab antiquo, conjicio, ſcriptum primo fuiſſe: *Spanneverc chalt*. Scriba *chalte*, quod in Lege ſequenti melius *chalteo* expreſſum eſt, in *chala* corrupit; quia veterum *a* literæ *t* non abſimile eſt. Ita in Mss. Taciti duobus Bibliothecæ Florentinæ pluteo LXVIII. num. 26. & 27. quæ quadringentorum circiter annorum ætatem habent, legitur *ludis cetaſtis*; in alio vero vetuſtiſſimo ibidem num. 28. ſcribitur eadem vox; ſed ita ut littera *a* ſit fere ſimilis litteræ *t*. Longiorem deinde vocem *Spanneverc* idem ſcriba diſrupit, & pro duabus habuit; unde ſingulis *chala* adjecit, *ſpanne* ſimul in *rhanne*, & *verc* in *lere* corrupto. Nec mirum, tot in una voce vitia commiſſa. Rudiſſimi illo ævo ſcribæ erant, apices literarum vix norant, & ex lingua parum admodum intelligebant; unde non poterant non ubique aut cæſpitare, aut errare. Quod ad ultimam hic Malbergi vocem *chalt* attinet, recurrit illa ſæpius hac eadem in Lege. Hoc ipſo in Titulo ſtatim ſequitur *Rhannechalteo*, *Scagnechalte*, *Varachalt*, *Focichalta*, *Texachalt*, *Soniſchalt*, *Dracechalt*. Tit. XIV. *Changichaldo*, & Tit. XVII. *Turnichalt* invenimus. Unde apparet, illud rectius *chalt* vel *chald* ſcriptum, *compoſitionem*, *compenſationem* ſive *præſtationem*, item, *quod pro crimine commiſſo præſtatur*, ſive *mulctam* ſignificare, idemque eſſe cum noſtro *gelt*, a verbo *gelten*, componere, compenſare, ſolvere, derivato. In aliis monumentis veteribus *gelt* & *gild* ſcribitur. Ita in Lege Langobardorum *Launegild*, *Widrigild*, *Octogild*, in Lege Alamannorum *Taudragil*, in Lege Friſiorum *Werigeldum* occurrunt. Alia exempla Cangius & reliqui Gloſſographi dabunt. Anglo-Saxonibus *agealdan* & *ageldan* eſt reddere, reſtituere, compenſare; *geldan*, *gildan*, ſolvere; *gild*, ſolutio, præſtatio, vectigal, tributum. Keroni quoque *keltan*, reddere. Leges Adelſtani Regis §. 2. *Etſi furetur poſtmodum Wera ſua, gildet eum vel reddat ſimiliter incarceratum*. Charta Edredi R. apud Ingulfum: *Et volo, quod dicti monachi ſint quieti & ſoluti ab omni* [illegible], *geldo*, *auxiliis Vicecomitum* &c. Tomo II. Monaſt. Anglic. p. 809. *geldabiles terræ* occurrunt pro *penſitationi obnoxiis*. Rudolph von Nuwenburg Poeta Ms.

*Truren* [illegible] *mit frouden gildet* (h. e. *compenſat*)
*Dem der wol biten kan*.

Winsbekius §. 20.

*Gedenke an reiner wibeblick*,
*Der grus man je mit dienſte galt*.

*Gulte* in noſtris Legibus Chartiſque eſt *præſtatio*, vid. Schilteri Prax. J. R. in Foro Germ. T. I. p. 200. *gelt* eſt proprie *componens*, *ſolvens*, ſive quo aliquid componi vel ſolvi aut emi poteſt, hoc eſt, *pecunia*. Deſcendit autem *gelten* a *ge*, & *leten* (quod jam inuſitatum) formato a *legen*, *ponere*; atque ita verbotenus & pro[illegible]ſſime *comp*[illegible] den[illegible] *Spanneverc chalt* igitur hic ſignificat *porcelli lactantis compoſitionem*, ſive *eam*, *quæ pro porcello lactante furato ſolvitur*; quæ conſtitit ſolidis tribus aut ſolidis quindecim, pro porcelli conditione atque ætate.

(4) *Hoc eſt unum* ahelepte, cxx. *denariis*, *qui faciunt ſolid. III.* ) Infra Tit. LXXX. leg. 1. ſcribitur: *Unum Thoalaſthi ſolid. III. culpabilis judicetur*. Wendelinus utrumque locum egregie emendavit atque expoſuit. Dum enim par numerus ſolidorum utrobique eſt, putat ille utrumque locum eandem rem dicere, atque in ultimo pro *thoalaſthi*, diſtincte legi debere *tho alaſthi*, quod vocabulum in primo loco *abelepte* ſcriptum erat, vocula *tho* per errorem omiſſa: *tho* vero eſſe *duo* nobis jam *zwo*, & *abelepte*, vel *alaſthi* ipſum noſtrum *helfte*, dimidium, ut *tho alaſthi* vel *tho abelepte* ſignificet *duo cum dimidio*. Cum enim Tit. LXXX. de centenis denariorum agatur, quorum 40. ſolidum faciunt, evidens eſt ad unum centenarium conficiendum requiri bis quadraginta denarios & dimidiam partem quadraginta denariorum, hoc eſt viginti

40
40
20
———
100

quæ faciunt *duos ſolidos cum dimidio*. Ut ergo in ſequentibus Tituli LXXX. verbis 600. denarii ſolidos XV., 700. ſolidos XVII. & dimidium, 1200. ſolidos XXX. faciunt; ita hic per voculam *unum* una centena exprimitur. Numerum tamen rotundum *ſolid. III.* pro *ſol. IIS* ſive $2\frac{1}{2}$ aut *duobus cum dimidio* errans librarius expreſſit. Poterit interim quoque in uſu fuiſſe, ut in pœnis imponendis aut exigendis ſolidus, quamvis centenam pars ejus ſuperaret, non dimidiaretur, vel divideretur. Sic

eo-

cepto capitale (1) & delatura (2).

II. Si vero in tertia rhanne furaverit * (3) (MALB. *rhanne chalteo*) (4), DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis porcellum de Sutenn (5) furaverit, & clavem habuerit, MDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis porcellum de intro (6) porcos, ipso porcario (7) custodiente **, furaverit, (MALB. *Soagne chalte*) (8), in DC. denar. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis porcellum furaverit, qui sine matre vivere possit, (MALB. *Ymnisfith*, sive *thertesun*) (9), in XL. denar. qui faciunt solidum unum, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis Scrovam subbapatit (10) in furtum, (MALB. *varachalt*) (11), in CCLX. denar. qui faciunt sol. VII. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si quis Scrovam cum porcellis furaverit, (MALB. *Fociohalta*) (12), in DCC. den. qui

* Al. *priserit*, ** Al. *attendente*,

eodem Tit. LXXX. 700. denarii faciunt quidem solidos septendecim & semissem; sed exprimuntur tantum *sol. XVII.* Franci autem illam per *duo cum dimidio* vel *duo & semissem* numerandi rationem didicerunt a Romanis, qui pecuniam suam pari modo numerabant per *sestertios*, h. e. *asses duos & semissem*, qui primus sestertii valor fuit, cum postea quatuor assibus veniret. Unde etiam in veteribus libris pro *sestertiis* IIS vel HS scribitur. Nam duæ lineolæ *asses binos*, S autem *semissem* notat. *Abelepte* de cetero, vel, ut inferius legi debet, *alafthi*, est, uti jam dixi, nostrum *helfte*, dimidium, semissis. Compositum autem est ex veteri *an*, *ein*, unum, & antiquato *leiben*, manere; & proprie significat, *unum*, *quod ex duobus manet*, vel *restat*. *N* euphonias gratia in particula *an* elisum est. Ex *aleibt* porro postea *aleift*, *alaft*, *haleft*, & *helft* sponte prodiit,

(1) *Capitale.*) Est ipsa res, quæ restitui petitur, vel ejus æstimatio.

(2) *Delatura.*) Sunt illi sumtus, qui fiunt in causæ prosecutione, dum inficiando lis crescit. Proprie *delatura* est idem, quod *dilatura*, hoc est *mora*, *sua cuilibet nociva*. Sic quoque ex *dilatio* Gallicum *delay* factum est. Sumtus, qui causæ impenduntur, Gallis *frais* dicuntur a *fredo*, de quo infra. Unde Glossa vetus *delaturam* exposuit *fredo*.

(3) *Furaverit*, alias *Priserit*,) Hoc est, *ceperit*, *abstulerit*; formatum id est a *prendo* Latinorum. Hinc Lat. barbarum *prisa*, Gall. *prise*, captio, quod capitur; *priso*, Gall. *prison*, carcer; *prisonnare*, *imprisonnare*, Gall. *emprisoner*, Ital. *imprigionare*, incarcerare, &c. Ab eodem verbo est nostra locutio *etwas preiss machen*, h. e. facere, ut quilibet aliquid capere vel sibi attribuere possit,

(4) *Rhanne chalteo.*) Iterum restitue: *Spanneverc chalteo*. Ita bene est.

(5) *Sutenn.*) Edit. Heroldi *Sutten*. Saxonibus *Su*, Germanis superioribus *sau*, *sus* & *budde* Saxonibus, *butte* vero Germanis, est *domuncula*, *tuguriolum*. Inde fit *Subudde* & contracte *sutte* vel *sude*, Latinaque terminatione addita *sudes*; unde iterum Gallo-Francicum *sou*, hara, contractum est. *Sudis* vox Tit. XVIII. leg. 3. editionis Lindenbrogianæ recurrit. Liber Proportionum arithm. Gerberto adscriptus: *Paterfamilias stabilivit curtem novam quadrangulam, in qua posuit scrofam, quæ peperit porcellos septem in media suda.*

(6) *De intro.*) Significat *intra* & ex barbara hac locutione factum & Italicum *dentro*. Ita dixere *deante*, (unde Ital. *dianzi*), *de retro*, (unde Ital. *dietro*), *de mane*, (unde Ital. *domane*), *de ipso* vel *de isso*, unde Ital. *desso*.

(7) *Porcario*,) Custode suum. Ex *Porcarius* Itali *Porcajo* fecerunt; unde familiæ *Porcacchiorum* in Italia celebris cognomen derivatum.

(8) *Soagne chalte.*) In Guelferbytano Codice *suane calte* scribitur, ubi vocem *swein*, *schwein*, sus, crasse pronunciatam putes. Esset ergo *suane chalte*, *furatæ suis mulcta*. Sed ego iterum hic corruptionem vocis *Spanneverc* suspicor. Prior enim vocis pars facile in *suane* & *suagne* mutari potuit. Agitur hic de porcello lactente, quamvis adultiore: & mulcta eadem est, quæ supra fuit,

(9) *Ymnisfith*, *sive thertesun.*) Corruptissimus librarii oscitantia locus est; nos tamen illum feliciter restituimus, & legimus: *ymnis* sive *fithther tehun*. Sic omnia bene se habent. *Ymnis* enim vel rectius *ynnis*, nostroque more *eynnis*, unitatem denotat, Germanice *eins* dictam: *Fithther* vero *quater* significat, & infra Tit. LXXX. *fitter* scribitur. Aspiratio in vulgi pronunciatione vel errore scribæ accessit. Precopenses adhuc, Busbequio teste, a veteribus sine dubio Gothis retinuerunt idem suum *fydor*: & Osci conveniens *petora* habuerunt. Sequens *tesun*, sive, ut correximus, *tehun* est *decem*; & in Evangeliis Ulfilæ *taihun* effertur; Saxones *tehne* & *teine* dicunt. Unde conjunctim *fithther tehun* exponendum venit *quaterdecem*, hoc est, *quadraginta* sc. denarii, qui in lege hic statim etiam nominantur, & faciunt *ymnis*, *eins*, *unicum*, sive *unum solidum*. Quando itaque lex dicit *ymnis sive fithther tehun*, hoc idem est, ac si posuisset: condemnetur in *unum* sc. solidum, sive *in 40. denarios*.

(10) *Subbapatit.*) Alias legitur *subbatit*, & exponitur, *porcellos a matre subtrahit*. Nobis autem *zuppen*, *zupfen* adhuc hodie est vellere, prensare, trahere, rapere; unde frequentativum *zubbeten*, *subbaten*, *subbatere* fieri potuit. Verbum tamen hoc jam Carolinis temporibus non est intellectum; sed a *battere*, *batuere*, ferire, erronee derivatum. Unde Recapitulatio Legis Salicæ §. 9. *Si quis*, ait, *scrofam alterius subbatit, ut porcellos non habeat* &c. Et vetus Glossa: *Subbattit porcellos, in ventre matris occidit*. Qui tamen Legis sensus non est.

(11) *Varachalt.*) Lex lata est contra eum, *qui porcellos a matre subtrahat*. *Chalt* vero *mulctam* denotare vidimus. Et *Vara*, *fara*, *phara* veteribus est *progenies*, *generatio*, ac, si de hominibus usurpetur, *familia*. Vide pluribus Cangium in *Fara*. Otfridus Evang. lib. VI.

*Furista auch in wara*
*Thera armilichun fara.*

Hinc concludo *varachalt* esse *mulctam abstractæ progeniei suillæ*, sive *porcellorum*. A *vara* descendit *verc*, *værcken*, *ferkel*, progenies suilla, porculus minutulus, porcellus. Anglo-Saxonibus *færh* & Anglis *farrow*, *varrow* itidem est *porcellus*.

(12) *Focichalta.*) Legendum *folcichalta* vel *folcihalta*; ut verbotenus *mulcta furatæ scrofæ cum porcellis* exprimatur. *Folc* enim hoc sensu no-

qui faciunt ſol. XVII. (1) culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VIII. Si quis porcum anniculum (2) furaverit, (MALB. *in Zymis ethatia* *) (3), CXX. den. qui faciunt ſol. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IX. Si quis bimum porcum furaverit, (MALB. *in Zymis ſoagni*) (4), DC. den. qui faciunt ſolidos XV. excepto capitale & delatura.

X. Si quis tres porcos aut amplius furaverit, uſque ad ſex capita, (MALB. *in Zymis exachalt, & cepto tua ſeptun chunna*) (5), denar. MCCCC. qui faciunt ſol. XXXV. excepto capitale & delatura.

XI. Si quis viginti quinque porcos furaverit, ubi amplius in grege illo non fuerint, (MALB. *ſonis chalt* (6) *tua Zymis fit miba chunna*), M. M. D. denar. qui faciunt ſol. LXVII. (7) cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XII. Si vero quis viginti quinque porcos furaverit, & adhuc aliqui remanſerunt, (MALB. *texachalt*) (8), M. CCCC. den. qui faciunt ſolid. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XIII.

* Al. *Zymis ſengano*.

---

nobis uſurpatur: & *ein volck rebbuner* eſt perdicum caterva, *da die alten und jungen beyſammen ſeyn, die alten mit den jungen.*

(1 *Sol. XVII.*) Reſtituendum: *Sol. XVII. & dimidium.*

(2) *Anniculum.*) Unius anni. Optimæ latinitatis vox eſt.

(3) *In Zymis ethatia.*) Corruptus locus, quo iterum quantitas denariorum pro mulcta iniunctorum indicatur, quæ, cum ſit *CXX. denariorum*, mihi legendum omnino videtur: *in Zymis ſehſatia*. Vocula *in* hoc loco eſt præpoſitio noſtra *in*. *Zymis* idem eſt ac *zuuymis*, duplum & duplex, a *zuuey, zuuy*, duo, formatum. *Sehſatia* vel *ſechſatia* compoſitum eſt ex *ſechs*, ſex, & *tia*, decem, quod ſupra etiam *tehun*, nobis Saxonibus *tein*, Germanis cæteris *zehn* effertur, unde *ſexaginta* deſignat. Hac ratione *in zymis ſehſatia* erit *in duplo ſexaginta*, Germanice, *Zweymahl ſechzig*: bis enim ſexaginta denarii faciunt CXX. qui in Lege nominantur.

(4) *In Zymis ſoagni.*) Quid *in* ſit, vidimus; vidimus etiam *zymis*, duplum, & *ſoagni*, ſuem vel porcum ſignificare. Formula ergo laudata reddi & verti debet, *bimus porcus, ein doppelt, oder zwey-jæhrig Schwein.*

(5) *In Zymis exachalt, & cepto tua ſeptun chunna.* Iterum his quantitas pœnæ pecuniariæ indicatur, & poſteriora verba Tit. LXXX. redduntur *thue ſepten chunna ſol. XXXV.* Bis autem ſeptingenti ſunt *bis mille & quadringenti denarii*, ſive *XXXV. ſolidi* in Lege commemorati. Jam ad priora nos convertimus, ubi pro *in zymis exachalt* legendum *in zymis ſeptachalt*, h. e. dupla ſeptenaria mulcta. Hoc enim vocabulo mulcta bis ſeptingentorum denariorum veniſſe videtur. Et leg. 12. hujus Tituli ea repetitur, quanquam & ibi vitioſe *Texagalt* pro *Septagalt* ſit ſcriptum. Reſtat in textu noſtro vox media, *& cepto*, quæ ſenſum plane nullum habet. Unde puto ab oſcitante ſcriba vocem *excepto*, quæ in altera ſtatim linea ſequitur, vitioſe huc translatam, cum ejus loco particula *&* vel *aut*, vel forte vetus Germanicum *eddo*, vel, ſive, ſolummodo poni debuerit, quæ indicet *ſeptagalt* tantundem eſſe, ac *tua ſeptun chunna*.

(6) *Sonis chalt.*) Eſt mulcta furati integri gregis. *Sone* eſt grex. Hinc verres, dux gregis, in Lege Longobardorum Lib. I. Tit. XXV. leg. 47. dicitur *ſanopair*. Lex Angl. & Werin. Tit. VII. leg. 2. *Qui ſcrofas ſex cum verre, quod dicunt ſon* (h. e. gregem) *furatus eſt, in triplum componat*. Alibi loco *Sonis chalt*, quod in Salica Lege Tit. III. leg. 12. & 13. recurrit, ponitur *Soniſta* & *Soneſti*, quo itidem *grex, congregatio, multitudo*, denotatur. Ita ipſa Lex Salica Tit. XLI. *Si quis admiſſarium cum grege, hoc eſt cum VII. aut XII. equabus furaverit, Malberg. hriće ſoniſta*. Lex Ripuar. Tit. XVIII. qui *Soneſti* inſcribitur: *Quodſi ingenuus ſoneſti, id eſt 12. equas cum admiſſario, aut 6. ſcrofas cum verre, vel 12. vaccas cum tauro furatus fuerit*. Pithœus in Gloſſ. Leg. Sal. notat *Sennetem* & *Sente*, armenta, & hinc *ſeniſcalcum*, armentorum miniſtrum ſignificare. Certe in Lege Alemann. Tit. LXXIX. leg. 3. *ſeniſcalci* nomen hoc ſenſu occurrit. Atque in Helvetia adhuc *ſente* gregem, & *Senne* gregis cuſtodem deſignat. Videatur Stumpfius Chron. Helvet. lib. IV. c. 6. & Scheuchzerus Hiſt. Natural. Helvet. parte I. p. 30. ſqq. *Son* proprie eſt *congregatio, collectio* quævis, a *ſomen*, *ſamen* inuſitato, (unde *ſamlen*, colligere) derivatum. Hinc *ſende*, *geſinde* etiam pro *familia dominica*, & *Seniſcalcus* pro *inſpectore familiæ*, ſive *eo, cui domus cura incumbit*, frequentiſſime uſurpatur. Cum voce *ſon* unum idemque nomen eſt *zana*, quod in Lege Longobardorum Lib. I. Tit. XVIII. leg. 2. obvium ſit, & *adunatio* exponitur. *Soneſti* de cætero a citato *ſamen* formatur, ut ab *ankommen* veteribus *ankumſt, ankunſt*. Quemadmodum vero hujus loco jam dicimus *ankunft*, ita etiam ex *ſoneſti* factum eſt noſtrum *zunft*, congregatio.

(7) *Tua Zymis fit miba chunna, M. M. D. den. qui faciunt ſol. LXVII.*) Poſtquam nomen mulctæ Gloſſator Salicus per vocem *Sonis chalt* indicaverat, voluit etiam quantitatem illius determinare, quæ *bis mille & quingentorum denariorum eſt*. Sed hæc non LXVII. ſolidos, ſed ſaltem LXII. cum dimidio efficit, quæ ſumma etiam Tit. LXXX. per verba *tho toſondi* (leg. *tuſondi*, *weth* (l. *wiſo*) *chunna ſol. LXII. & dimidio* rectiſſime exprimitur. Unde patet locum noſtrum eſſe corruptiſſimum, & *tua tuſondi fif chunna M. M. D. den. qui faciunt ſol. LXII. cum dimidio* legi debere, quod etiam Wendelinus obſervavit. *Tua* eſt noſtrum *zwey*, duo: *tuſondi, tauſent*, mille; *fif*, quinque, & *chunna, hundert*, Sax. *hunnert*, centum. Interim illud *zymis fit miba* non plane ſuperfluum puto; ſed cum Gloſſator *Sonisgalt* ſive gregis furatæ mulctam nominaverit, videtur ſtatim addidiſſe numeri qui gregem conſtituebat, germanicum nomen. Numerus in lege exprimitur *viginti quinque*. Notum autem eſt, majores noſtros ultra denarium numerare non potuiſſe: unde viginti per *bis decem, zwantzig* reddidere. Si itaque ex *miba* facias *tiba* vel *teba*, hoc eſt *decem*, & legas: *Zymis tiba fif*, habebis: *dupliciter*, ſive *bis decem & quinque*, id eſt, *viginti quinque* in Lege expreſſa. Cum deinde ſtatim ſequeretur mulctæ quantitas jam expoſita *Tua tuſondi fif chunna* &c. ſcriba inſulſiſſimus omnia hæc confudit, & miſerrime detruncavit, ac trajecit.

(8) *Texachalt.*) Leg. *Septachalt*, quod paulo ante declaravimus.

XIII. Si vero quinquaginta porcos furaverit, ubi amplius non habuerit, ( MALB. *Sonischalt* ), M. M. D. den. qui faciunt solid. LXII. * & dimidium, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XIV. Si quis porcellum tertussum (1) usque ad annicolatum (2) furaverit, ( MALB. *Dracechalt* ) (3), CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XV. Post anniculatum vero qui eum furaverit, ( MALB. *Dracechalt* ) DC. den. qui faciunt sol. XV. excepto capitale & delatura.

XVI. Si quis verrem furaverit, ( MALB. *christiao* ) (4), DCC. den. qui faciunt sol. XVII. cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XVII. Si quis scrovam ** ducariam (5) furaverit, ( MALB. *chredunia* ) (6), DCC. den. qui faciunt sol. XVII. & dimidium, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XVIII. Si quis majalem (7) sacrisum

( I )

* Herold. sed forte minus recte: *LXX.*

** Eccard. *Scrofam*.

---

(1) *Tertussum.* ) In Codice Guelpherbytano legitur *certussum*; sed communis lectio præferenda videtur; siquidem Wendelinus nos non fallit, qui apud Taxandros adhuc *tratsen* vocari affirmat porcellos, cum in tantum adoleverunt, ut cum matre prodire possint. Ex hoc *tratse*, a *treden*, *treten*, ire, prodire, formato, facili flexu fit *tartse*, *tertse*, *tertese*, *tertusse*, *tertussus*. Ut tamen verum fatear, *tertussus* mihi contractum videtur ex *tertia sus*, & significare *suem tertio jactu editam*. Cum enim hæ præstantiores cæteris essent, & ad propagandum gregem conservarentur, majori quam cæteræ pretio redimendæ erant.

(2) *Usque ad annicolatum.* ) Hoc est, usque dum annuus vel anniculus est.

(3) *Dracechalt.* ) Mulcta furati talis porcelli, qui *drace*, vel *tratse* aut *tertussus*, hoc est, talis ætatis est, ut cum matre prodire in pascua possit. Poterit tamen *drace* vel *tratse* etiam dici a *treken*, *ducere*, ut sit porcellus, qui a matre in pascua ducitur, vel qui cum matre in pascua it; dicimus enim in Saxonia *wohin trecken* & *vertrecken*, aliquo proficisci, quod proprie est *quasi ducere se in aliquem locum*. Ita *mas anas* Saxonibus *drake*, hoc est *ductor* in genere, & superioribus Germanis *antrecht*, quasi *anatum ductor* vocatur. Ex *drace* itidem fit *dracese*, *dracse*, *dratse*, *tratse*, *tartse*, *tertse*, *tertese*, *tertussus*. Recurrit vox *Dracechalt* Lege statim sequenti. Interim, licet ingenio non careant hæ de vocis *drace* significatione conjecturæ, eas tamen non tantopere probo, quam si illam quis a Saxonico nostro *drede*, vel *derde*, Germ. *dritte*, tertius, deducat; ut cum voce *tertussus* conveniat. Sed ita pro *drace* omnino *drate* restituendum erit, & *a* Anglorum more enunciandum.

(4) *Christiao.* ) Codex Guelferbytanus *christiau* habet. Si quid tamen video, legendum est, *Cheristiag*, vel *herdistog*, ut sit *gregis porcinæ dux*, hoc est, *verres*. *C* enim Francis fere semper ab initio nominibus præpositum est; dicebant illi *Chlotarius*, *Clodovic*, *Chinric*, pro *Lotharius*, *Lodovic*, *Hinric* &c. Nos simili modo compositum habemus *heeristog*, Sax. *hertog*, superioribus Germ. *hertzog*, quo gregis virilis sive *exercitus dux* denotatur. Verres vero talis Catoni c. 150. *sectarius porcus*, & Glossis Græco-Latinis *Ductarius*, ἀγωγεὺς audit. Silius Italicus Bojorum Ducem, qui Flaminium Consulem anno CCXV. ante Christum natum in pugna occidit, *Ducarium* vocat; sed cum hoc nomen Latinum sit, ego illum sua lingua *Herzog* vel *Hertog* dictum fuisse conjicio. Qui postea ex Italia in Græciam ivere, Galatasque vel Gallo-Græcos in Asia stabiliverunt Celtæ, inter cæteros Ducem habebant *Ortiagon*, Suida teste, cujus nomen etiam nostrum *Hertzog* exprimit. Notes autem ultimam syllabam *tog* hoc in nomine etiam *tiag* scriptam, ut hic quoque in Lege Salica factum esse videtur. Derivatur autem illa a Germ. *ziehen*, Sax. *tehen*, *ducere*.

(5) *Scrofam ducariam.* ) Wendelinus & Cangius *de scrofa aliarum scrofarum ductrice* exponunt. Eadem vox in Leg. Alemann. tit. 99. §. 14. occurrit. In Lege Bajuariorum tit. 12. §. 14. pro illa *ductrix* positum est.

(6) *Chredunia.* ) Lex loquitur de *Scrofa ducaria*, seu de ea, quæ porcellos ducit. Porcellum *vara* & *verc* dictum fuisse, vidimus paulo ante. Unde suspicor *Chre* illud irrepsisse scribæ oscitanti pro *vere* vel *verc*, & *dunia* corruptum esse ex *dugia*, vel *toge*, de quo etiam ante aliquid memoratum. Integra ergo vox *verectugia* porcellorum ductricem, sive *scrofam ducariam* denotavit. Et forte Saxonicum *soege* pro *scrova ducaria* usitatum ab hoc *toge* corruptum est. Inconvenientius enim a *saugen*, *sugere*, derivatur.

(7) *Majalem.* ) Wendelinus hanc vocem a *Majo* mense deducit, ut sit porcus studiose nutritus & saginatus ad solemnem lætitiam *Majumæ*: quod epulum Franci Reges cum *Maji campum* sive conventum populi universi mense Majo haberent, publice instruxerunt. Et Glossator, qui Francica Malbergi verba apposuit, aut ipse confecit, eandem opinionem fovit, quando *majalis* vocem vertit per *barco anomeo*, sive *porcum ad Majum*, scilicet *destinatum*. Ex quo colligimus Glossas has post Pipini demum & circa Caroli M. tempora confectas esse. Pipinus enim primus, Fredegario teste, *campum Maji*, pro *campo Martii*, qui antea consuetus erat, instituit, & quidem anno 755. ut Annales Francici a Quercetano & Labbeo editi confitentur. Hinc vero clarum est, in Salica Lege, cujus Titulus, qui de majali porco loquitur, diu ante Pipinum latus est, ad Maji campum hoc loco respici non potuisse. Glossæ Isidori *Majalem* ita dictum putarunt *porcum pinguem*, *quod Deæ Majæ sacrificaretur*. Sed & hæ errant. *Majalis* enim est *porcus exsectus*. Glossæ Gr. Lat. δίλφαξ, *porcellus majalis*. Aliæ: *Majalis*, Τομίας. Gloss. Gr. Lat. Τομίας χοῖρος, *majalis*. Glossæ Florentinæ Theotiscæ Mss. *Magalis*, *porcus castratus*, *id est parz*. Ugutio: *Nefrendis dicitur porcus domesticus carens testiculis*, *sic dictus*, *quia non frendet dentibus*. *Hic alio nomine dicitur majalis* &c. In Charta Tabularii S. Remigii Remensis a Cangio citata contradistinguitur verribus & scrofis hoc modo: *Summa porcorum*, *verri* 10. *majales* 100. *scrofæ* 165. *genal.* 140. *sunt simul capita* 415. Nomen autem *Majalis* descendit a *mahen*, *maien*, *meyen*, *mehen*, *exscindere*, *secare*, *metere*, quod Suecis est *maa*, & *asmaa*. Hinc *Megst*, sive, ut nunc Saxones pronunciant, *mest*, Marchianis *Metzer*, & Germanis superioribus *Messer*, est *instrumentum sectorium* sive *culter*; *Steinmetze*, *dissector lapidum*

dum

(1) furaverit, & cum teſtibus, quod ſacriſus fuiſſet, potuiſſet ille, qui perdidit, approbare, (Malb. *barco* (2) *anomeo* (3) *anitheotha*) (4), dcc. den. qui faciunt ſol. xvii. cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XIX. Alium vero majalem, qui ſacriſus non fuerit, ſi quis furaverit, (*Bravecho* (5) Malb., & in alia mente, *Babene*) (6), dc. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

Titulus III.

*De furtis animalium* (7).

I. SI quis vitulum lactantem furaverit, (Malb. *pedero*, aut *freodo*) (8), cxx. denar. qui faciunt ſolid. iii. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis anniculum animal furaverit, (Mal-

---

*dum ſive cæmentarius*; *metzger*, *ſciſſor carnium*, *ſive lanio* &c. *Maitan* in Evangeliis Gothicis itidem eſt *ſcindere*, *præſecare*; & Anglo-Saxones hoc ſenſu habent *mawan*. Quodſi jam a noſtro *majen* formes frequentativum *majeln*, *ſecare*; participium inde præteriti temporis erit *majelt*, *ſectus*, *exſectus*, unde regulariter latina terminatione adſumta *majaldis*, aut *majalis*, deſcendit.

(1) *Sacriſum*.) Eſt *ſacer factus*, ſive *conſecratus*. *Fontes & arbores ſacriſi* apud Audoenum l. 2. Vitæ S. Eligii c. 15. & in Concilio Antiſiodor. can. 3. occurrunt. In Concilio Nannetenſi c. 20. tales *arbores conſecratæ* nominantur. Hic autem *majalis ſacriſus* eſt porcus ex *voto* ſacrificiis, ſive rei ſacræ deſtinatus; quomodo *pecora votiva* Gregorius Turonenſis l. 2. de Mirac. c. 3. vocavit. Unde legem hanc ethniciſmo florente latam fuiſſe videmus. Retenta eſt a Chriſtianis, quia & hi viris ſacra tractantibus porcina donaria ſubinde deſtinabant.

(2) *Barco anomeo*.) Dixi jam, legendum *barco ano meo*, ut ſit *porcus ad Majum ſive ad feſtivitatem Maji menſis deſtinatus*. *Barco*, & in codice Guelferbytano *barch*, eſt ipſum noſtrum *borch*, *borchſchwein*, quo nomine *porcum caſtratum* vulgo inſignimus. *Barch* vero vel *borch* eſt a verbo jam inuſitato *bargen*, ſcindere, ſecare; unde tamen, Skinnero teſte, Angli adhuc habent derivatum *to bard*, vel *beardweoll*, extremitates vellerum recidere, tondere. Nobis *barte* itidem hinc eſt *inſtrumentum ſectorium*, *aſcia*, *ſecuris minor*. Ab eodem verbo eſt *bord*, *abſciſſum*, ſive *littus*, item tranſpoſita littera *r*, *bret*, *tabula ſectilis*. Videtur etiam Latina vox *porci* proprie olim de caſtrata ſue uſurpata, &, quoniam plerumque exſecantur & verres & ſues, ut pinguiores fiant, a ſpecie tandem ad genus translata fuiſſe. *Porca*, terra, quæ vomere elata eſt inter duos ſulcos, pariter derivanda eſt ab antiquato *bargen*, exſecare, & ſic erit *terra vomere exſecta*. Nugantur, qui ex *porrecta* vel *projecta* derivant, & radicem vocis apud nos reliquam in Latio quærunt. *Porrum* Græce ab Athenæo l. 9. πράσον appellatur a κείρεσθαι, ſecari, quia in plura tunicæ involucra ſectum eſt quaſi, ſive diſtinguitur. Columella in Horto *ſectum* hinc vocat, & Scriptor Moreti:

. . . . *ſectique famem domat area porri*.

Juvenalis:

. . . . *Quis ſectile porrum*,
*Quis tecum elixi vervecis labra comedit?*

Apud Martialem etiam vulgo legitur: *In quibus eſt lactuca ſedens & ſectile porrum*. Alia Mss. hic *tonſile* ponunt, quod idem eſt. *Cum caput immenſa pexum porrigine ningit* (ut Serenus Sammonicus canit;) *porrigo*, inquam, eodem ex fonte deſcendit, & *ſectionem*, *diviſionem*, vel *reſolutionem cutis in ſquammas* deſignat. Saxonibus *ſchinn* pariter a *ſcheen*, *ſcheden*, ſcindere, ſeparare, derivatur.

(3) *Anomeo*.) *Ano* hic eſt *ant*, *an*, ad, uti hoc ſenſu hæc particula ſæpius in verbis præſertim derivatis in Evangeliis Gothicis & reliquis veteribus monumentis occurrit. *Meo* eſt noſtrum *Mey*, *meymonaht*, menſis *Majus*.

(4) *Autheotha*.) Corruptum hoc eſt, & legendum forte *mit theotha*; quod ſonat, *cum populo*, ſive, ut ipſa Legis verba Latina habent, *cum teſtibus*. *Theota* eſt populus, Gothis *thiuda*, Anglo-Saxonibus *theoda*, Alamannis *thiota*; Otfrido *lantthiot*, populares. Tatiani Harmonia CXCV. 3. *thin thiota*, tua gens. Kero: *deota*, plebs &c. Vid. Junii Gloſſ. Goth. p. 348. & 349. Nos ſimili modo dicimus *mit leuten beweiſen*, cum teſtibus approbare. Interim tamen malim hic pro *anitheotha* legi *mittheoga*, *mit Zeugen*, Sax. *mit tuygen*, h.e. *cum teſtibus*. Hæc lectio nihil coacti habet.

(5) *Bravecho*. Legendum *barecho* ſive *barcho*, quemadmodum & codex Guelferbytanus expreſſe præfert, Et eſt noſtrum *borch*, majalis.

(6) *Babene*.) Scribendum eſt diſtincte *baben ne*, ut illud *ſacriſus non* in textu exprimatur. Et vides *ſacriſum* hic dici, viris religioſis ſive Presbyteris deſtinatum. Jam *babe* vox Presbyterum denotat, qui communiter *pater* & vulgariter Saxonibus *pape*, Germanis ſuperioribus *pfaffe* ſimili ſenſu vocatur. Vid. Junius in Not. ad Willeramum p. 282. *Ne* eſt particula negativa *non*, quæ Gothis *ni* & *niu*, Græcis νὴ & νὶ enunciabatur. *Babene* igitur porcum ad *papatem* ſive *presbyterum non* pertinentem ſignificat. A *Babe* de cætero hic conſpicuo vocatus eſt locus *Babeberga*, nunc *Bamberga*, ubi Henricus Imp. Sanctus deinde Epiſcopatum condidit. Fabula enim eſt a *Baba* Henrici Aucupis ſorore dictum.

(7) *Animalium*.) Animalia hic pecora majora dicuntur, quæ & Gallis inde *aumailles* vocantur. Errant enim Cangius, qui vocem hanc non ab *animalia*, ſed a *manualia*, hoc eſt, *manſueta*; & Menagius, qui a fictitio *almellus*, deflectunt. Petrus Pithœus in Gallico libro *Réiglement pour le Bailliage de Tonnerre* dicto Artic. XXXVI. ſub titulo *de la Police*: *Il eſt enjoint a chacun Boucher de cette Ville & Fauxbourgs, ſelon ſa faculté & puiſſance, tuer par chacune ſemaine aumailles, moutons & autres beſtiaux, en telle quantité, qu' il conviendra* &c. Nos animalia hoc ſenſu accepta *das rindvieh* vocamus. Juvenci in Breviario rerum Fiſcalium Caroli M. *animalia minora* dicuntur in verbis, quæ pag. 319. Tomi II. Collect. Etymol. Leibnitii extant: *Boves XXVI. vaccas XX. taurum I. animalia minora LXVI. vitulos V. vervices LXXXVII.* &c. Ibidem pag. 330. legitur: *Boves XX. aſinos II. vaccas cum vitulis XXX. tauros III. alia animalia X.* &c. Ibidem pag. 331. *Boves XXIII. vaccas cum vitulis VI. alia animalia V.* &c.

(8) *Pedero aut freodo*.) Vox *pedero* ex Vaſconum & Hiſpanorum confiniis in Legem Salicam delata eſt. Tolosana enim lingua *vitulus* dicitur *bedèl*, Hiſpanica *bezerro*; ſi litteram initialem paulo durius pronuncies, ipſum *pedero* facile hic habebis. Codex Guelferb.

pro-

( Malb. *ochsaiora* ) ( 1 ), DC. den. qui faciunt sol. xv. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis bimum animal furaverit, ( Malb. *Zymis pedero malia* ) ( 2 ), M. CCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. ( 3 ) culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis vaccam cum vitulo furaverit, ( Malb. *Zymis pedero malia* ) ( 4 ), M. CCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis vaccam sine vitulo furaverit, ( Malb. *Mala* ) ( 5 ), M. CC. den. qui faciunt sol. xxx. culpabilis judicetur, excepto * capitale & delatura.

VI. Si quis vaccam domitam ( 6 ) furaverit, ( Malb. *Abazym pedero* ) ( 7 ), M. CCCC. den. qui faciunt solid. xxxv. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si quis taurum, qui gregem ( 8 ) regit ( 9 ), & numquam vinctus fuit, furaverit, ( Malb. *cherecheto* ) ( 10 ), M. DCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VIII. Si quis bimum taurum furaverit, ( Malb. *Traslo* ) ( 11 ), MCCCC. den. qui faciunt sol. xxxv, excepto capitale & delatura.

IX. Si quis taurum furaverit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit, hoc est,



* Herold *& excepto*.

*protero* scribit, quæ vox forte eadem est cum *freodo* Heroldinæ editionis. Nisi tamen ea a *brut*, *pullus*, *progenies* formata sit, quid sibi illa velit, nescio.

( 1 ) *Ochsaiora*. ) Distincte lege *ochsa jora*, & habebis nomen *animalis anniculi*; corruptum autem omnino locum puto, & pro *ochsa* legendum *Quecbca*. C enim & S literæ apud Gallos sæpe permutantur, etiam in hac ipsa Salica Lege. *Quec* autem proprie *vivum* & deinde *animal* designat, id quod demonstravimus pluribus in Commentatione ad Catechesin Theotiscam pag. 136. sq. Glossæ Lipsianæ: *Quiccafe*, *animalia*. Ubi distincte legendum: *Quicca*, *fe*. Vetera Statuta Goslariensia Tit. *van gerichte und klage* l. 64. *Dyt ein wagen scaden eder tred he ein queck men magh den wagen upholden*.

( 2 ) *Zymis pedero malia*. ) Ex paulo ante dictis constat *Zymis pedero* esse *bimum vitulum* sive *animal*, *ein zweiicht oder zweyjahrig Kalb*. Hoc porro *malia* dicitur, hoc est *vacca*. Bimum enim animal taurum admittit & vacca fit, *Malia* sive ut §. 5. scriptum est, *mala*, alias *smala* cum aspiratione effertur. Colloquium Christi cum Samaritana a Lambecio editum, atque a Stadenio suppletum: *Er brunnan tranc eran, Joh sina man, siniu smale, er Trunson fon themo wazzer*. Apud Suecos veteres est *busmali*, armenta; & *smalamadur*, custos armentorum, *ein Kuhhirte*. Apud nos *schmal-zehnten* est *decima ex pecoribus*, in quibus vaccæ eminent, & inde reliquis nomen communicant. *Schmalthier* dicimus *cervam*, *une biche*. Et *schmal* hoc sensu, aut Salicum *malia* denotat proprie fœminam *desponsatam*, atque ab homine ad vaccas translatum est. *Mahlen* enim, *mahlen*, *vermahlen* est *matrimonio conjungere*, sive proprie *ad matrimonium designare*; *mahl*, *gemahl*, *conjux*, *uxor*. Videantur Grotius in Explicat. Nominum Goth. Vand. & Longob. Stilerus in Thesauro linguæ Germ. sub voce *mahl*, Cangius sub voce *Gamales* &c. Simili modo *Kuh* & Sax. *quuee*, *quuene*, *vacca*, ejusdem originis est cum *quine* & *queene*, quibus vocibus olim septentrionales *uxorem*, sive *fœminam liberis concipiendis aptam* in genere designarunt, cum Anglis nostris κατ' ἐξοχὴν sola Regina *queene* dicatur. De cetero Codex Guelferbytanus *bimum animal* Francice *scedo* dictum asserit, quo nomine puto venisse animal utriusque sexus, quamdiu ob ætatem nondum cum vacca coiverit, aut vice versa nondum tauro patiendo aptum, separatim, & tauro non conjunctum vixerit. *Scedo* hoc formatum a *scheiden*, separare, *animal separatum*, sive *nondum conjunctum* significabit. Et nos pariter jam a verbo antiquato *reen*, *rechen*, *discernere*, *separare*, vocem *rind* derivatam habemus, atque de tali animali usurpamus.

( 3 ) *M CCCC. den. qui faciunt sol. XXXV.* ) Eadem compositionis summa in paragrapho sequenti illi imponitur, qui *vaccam cum vitulo furaverit*, & mox is qui vaccam sine vitulo furaverit, condemnatur in mulctam *MCC. denariorum*. Cum vero *vacca* majori pretio venire debeat, quam *animal bimum*; & minoris etiam valoris sit *animal bimum*, quam *vacca cum vitulo*; inde conjicio, locum hic corruptum, & verba Malbergi Francica una cum determinatione mulctæ ab oscitante scriba ex sequenti paragrapho in hunc relata esse. Confirmor hac in sententia ex Codice Guelferbytano, qui *bimi animalis* furati compositionem *denariis DC.* ( *faciunt sol. XV.* ) æstimat. Legendum ideo etiam in nostra Lege est: *DC. den. qui faciunt sol. XV.*

( 4 ) *Zymis pedero malia*. ) Hoc est, *duplex* vel *ambo*, *vitulum* & *vaccam*, ut ex ante dictis liquet.

( 5 ) *Mala*. ) Vide ad Legem III. modo dicta.

( 6 ) *Vaccam domitam*. ) Hæc *vacca jugo domita*, & *vacca junctoria*, quæ nempe ad aratrum jungitur, Legis Longobardorum libro II. tit. 21. §. 6, 7. audit, quod Bignonium ad h. l. non observasse miror.

( 7 ) *Abazym pedero*. ) *Pedero* est *vitulus*, sed hic quidem *bimus*, qualis Lege III. denotabatur, jugo ferendo aptus, quem nos *ein rind* vocamus, Lex vero Salica *vaccam* etiam appellat. *Abazym* corruptum credo ex *jocazym*; sic enim verbotenus *jugo domitam* exprimit. *Joch*, uti omnibus notum, *jugum* designat. *Zym* est *domitus*, & secundum nostrum pronunciandi modum *zam* scribitur, atque a verbo *zamen*, *domare*, descendit.

( 8 ) *Gregem*. ) *Grex* hic pro *armento* ponitur, quod etiam factum jam est ab JCtis veteribus l. 2. §. 2. D. ad leg. Aquil. l. 22. de leg. 1.

( 9 ) *Regit*. ) Claudianus de IV. Coss. Honorii:

*. . . . Sic pascua parvus*
*Vindicat & nondum firmatis cornibus audax*
*Jam regit armentum vitulus*.

( 10 ) *Cherecheto*. ) *Chere* est nostrum *heer*, *herde*, grex. Sed *Cheto* illud corruptum est. In Guelferbytano codice scribitur corruptius *chariocito*. Pronum est conjicere, pro *cheto* poni debere inversis syllabis *toche*, vel *toge*; ita *cheretoge* vel *hertoge* iterum prodibit, h. e. taurus *qui gregem regit*, vel *ducit*.

( 11 ) *Traslo*. ) Significat *bimum taurum*, juven-

est, tres-bellio (1), (MALB. *Chami* (2) *theuto*) (3), MDCCCC. den. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

X. Si quis taurum Regis furaverit, (MALB. *Chamuteuo*) (4), M. M. M. D. C. qui faciunt solid. XC. excepto capitale & delatura.

XI. Si quis bovem furaverit, (MALB. *Ohseno*) (5), M. CCCC. den. qui faciunt solid. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XII. Si quis duodecim animalia furaverit, ut neque unum exinde remaneat, (MALB. *Sonischalt*), M. M. D. den. qui faciunt sol. XLV. (6) cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XIII. Si vero de pluribus viginti quinque furaverit, & adhuc aliqua remaneant, quæ non fuerunt juncta, (MALB. *Sonischalt*) M. M. D. qui faciunt sol. LXII. & dimidium, excepto capitale & delatura.

XIV. Si quis duodecim animalia furaverit, ut ex eis aliqua remaneant, (MALB.) MCCCC. den. qui faciunt solid. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

## TITULUS IV.

### *De furtis ovium.*

I. SI quis agnum lactantem furaverit, (MALB. *Lem*) (7), VII. denariis cul-

---

*vencum*, ut textus latinus indicat; & videtur monstrosa vox *traslo* mihi omnino depravata esse ex *farro*. *Farre* enim est *taurus*, *juvencus*, qualis hic designatur. Occurrit in Versione Bibliorum a Luthero confecta. Belgis *verse*, *juvenca* dicitur. Megiserus in Dictionario polyglotto vocem *taurus* per *stier*, *farr*, *hagen* Germanice, & per *stier*, *varing*, *varre*, *bulle* Belgice exponit. *Parah* Hebræis etiam *juvencus* est, & cum nostro *farre* convenit. Nec tamen repugnaverim, si quis ex Aremorica Galliæ dialecto *tarw* exponeret. Cambris enim & Aremoricis *tarw* est *taurus* & *lo vitulus*. Ita verbotenus *tarslo* aut *traslo* denotaret *juvencum* sive *vitulum taurinum*.

(1) *Tres-bellio.*) Dicitur quasi *tres-villio*, trium villarum taurus, ita ut a *villa* derivetur, quæ sententia Wendelino & Cangio placet. Sed cum Cangius falso asserat, nec exemplum adsit, villam Germanis *bell* dici; hinc melius, puto, deduci potest a *tres*, *drey*, & *bulle*, quo nomine *taurum* indigitamus. Hac enim itidem ratione *trium* sc. villarum *taurus* accurate exprimitur. Fuisse autem moris olim, ut tres villæ vel pagi taurum conjunctim alerent, pulchre apparet ex recentiori etiam Consuetudine Britanniæ Gallicæ, ex cujus art. 420. Cangius hæc verba adducit: *En trois villages peut avoir un taureau, qui ne peut estre empesché d'aller a jeu: & pour i celui quelque part qu'il soit trouvé, ne doit estre payé amende, desdommage, ou assise*. Quamquam autem convenientia *bellionis* cum *bolle*, *bulle*, clara sit, non repugnaverim tamen iis, qui *tres-bellio*, per *trium tintinnabulorum* taurum, *de trois clochers*, ut Consuetudinarii loquuntur, exponunt. *Belle* enim est *tintinnabulum* Anglosaxonibus, Glossæ: *Clocca*, *belle*. *Cloccarium* vel *lucar*, *bell-bus*. Teschenmacherus Annal. Cliv. part. II. p. 265. narrat, Adolphum Clivensem, cum filius Johannes ex Aula Burgundica peregrino fastu tumidus rediisset, excanduisse & dixisse sua dialecto: *Da komt Johenneken mit den bellen*, sive, hic *filius meus Johannes cum tintinnabulis*. Belgis quoque adhuc *belle* significat *tintinnabulum*. Et forte *bolle* & *bulle* dictus est in genere *taurus a tintinnabulo, quod olim tauris appendi mos fuit*, uti ex Lege Wisigoth. l. 7. tit. 2. §. 11. & Lege Bajoar. tit. 8. §. 11. apparet. Sic *vervecem sectarium*, *den leit-hamel*, eodem modo ab appenso tintinnabulo etiam nos una cum Belgis *den bellhamel* vocamus. Et Stadenius a *schelle* sive *tintinnabulo* ex collo dependente, *Schellhengst*, pro *equo admissario* dici credidit. Taurum autem hic descriptum in trium villarum signum etiam tria tintinnabula gestasse vero est simile.

(2) *Chami theuto.*) Uti ex *hagen*, sepes, contrahitur *ham*; ita etiam *chami*, quod hic legitur, idem est ac nostrum *hagen*, quo bovem designant adhuc Suevi veterum rituum & sermonis tenaces. Megiserus in Dictionario polyglotto taurum germanice *Stier*, *farr*, *hagen*, nominari dicit. *C* vocibus ab *H* & *L* incipientibus Germani veteres plerumque præponebant; exemplum modo habuimus in *chereage*.

(3) *Theuto.*) Est idem ac *theotu* sive *theoda*, *populus*, *plebs*, ut paulo ante id exposuimus. Erit ergo *chami theuto*, taurus populi; *der gemeine ochse*.

(4) *Chamuteuo.*) *Chamu* est *taurus*, ut vidimus modo; *Teuo* autem hic in *teot* mutari debet. Hoc enim veteribus *Regem* designavit. Apud Gothos veteres Rex item *thiudan* & *thiudan* dictus est, ut pluribus Glossaria Gothica Junii & Stiernhielmii docebunt. Convenit cum hoc vocabulo nomen *Dei* & Græcum Διός. Nec differt ab hoc nomen genitoris *Theotiscorum*, quem Galli *Ditem* & *Teutatem*, Tacitus *Tuistonem* vocat. Unde adhuc dies Martis ei dicatus, Septentrionalibus *Thisdag*, *Thiusdag*, Anglis *Tuesdag*, nobis (olim *Diustag*, & nunc *indito n*) *Dingstag*. *Dispargum* nomen sedis Regum Francorum veterum, sine dubio etiam *Regis mons* interpretandum est. Proprie vero vox *Teot*, *thiudan*, *theodan* (ut & plebejum apud nos *teite*, pater) denotat *altorem*, *educatorem*, *ducem*, & *rectorem*, a veteri verbo *teen*, Sax. *tehen*, pro quo superiores Germani dicunt *ziehen*, quod est *trahere*, *ducere*, *alere*, *informare*, *educare*, *gubernare*. Ab eodem formatum est *theota*, *theuto*, *teit*, item *diet*, Sax. *tudde*, *populus*, *plebs*, qui scilicet *ducitur*, *alitur*, *enutritur*, & *gubernatur*. Unde apparet, populos olim suos Reges non tyrannorum, sed patrum instar considerasse.

(5) *Ohseno.*) Hoc nostram vocem *ochsen*, qua bovem designamus, clarissime exprimit. *C* ante *h* in Francorum scriptis olim fere semper omittebatur; id quod mihi ex inspectione vel centum veterum Codicum constat.

(6) *Sol. XLV.*) Corrige: *sol. LXII. cum dimidio. Par error irrepserat & in lege sequenti, qui tamen correctus fuit*. (Add. Collect.)

(7) *Lem*,) Est *agnus lactens*, quem nos adhuc *lam* appellamus. Codex Guelferbytanus *Lap* omisso *m* vitiose scribit, qui tamen paragrapho secundo & tertio rectius *lampse* posuit. *Lem* autem in Heroldino exemplari scriptum est secundum veterem & Anglis adhuc usitatam pronunciationem, qua *a* sonum vocali *e* vicinum habet.

culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis anniculum vel bimum vervecem furaverit, (MALB. *in Zymis*) (1), den. CXX. qui faciunt solid. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Certe, si tres aut amplius verveces (2) fuerint, qui furati sunt (MALB. *feisfecho* (3) & *fetischefo*) (4), M. CCCC. den. qui faciunt solid. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis quinquaginta verveces furaverit, aut amplius, (MALB. *Sonischalt*), M. M. D. den. qui faciunt sol. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

TITULUS V.

*De furtis caprarum.*

I. SI quis capram unam, duas, vel tres furaverit, (MALB. *Lamp* *) (5), CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si vero supra tres capras furaverit, (MALB. *Chrenecruda*) (6), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

TITULUS VI.

*De furtis canum.*

I. SI quis canem segusium (7) magistro suo furaverit, (MALB. *Leodasdi* **) (8), DC.



* Al. *Afres, sive Lamphebros, vel pectis.*

** Al. *Troci Wisbier cunni.*

(1) *In Zymis.*) Hoc loco secundum nostram pronunciationem est *ein zweims*, sive *bimus*, id est, *vervex*. Nisi legendum fuerit, *in zymis sebsatia*, ut supra Tit. II. §. 8. Hic enim eodem modo, ac ibi factum fuit, *bis sexaginta*; sive *CXX. den.* mulctæ loco dictantur.

(2) *Verveces.*) In alio exemplari pro *vervece* scribitur *berbix*, pro more Latinitatis inferioris. Glossæ Gr. Lat. Πρόβατον ἐκτομίας, *verbella*, *ovis*, *berbix*. Ugutio: *berbex & berbicus*, *aries castratus*. Hinc Gallicum *brebis*.

(3) *Feisfecho.*) *Feis* est nostrum *feist*, *pinguis*, *bene pastus*, *nutritus*, a veteri verbo, quod est in Evangeliis Gothicis, *fodan*, Anglosaxonibus *afedan*, *fædan*, Anglis *feed*, Belgis *voeden*, veteribus Germanis *fuaten*, *fuotiren* & *fuotren*. Exempla Junius in Glossario Gothico dabit. A *foden* fit *fet*, *nutritus*, & per consequentiam *pinguis*, quod in Evangel. Goth. Luc. IV. 19. *fodith* enunciatur. Ab hoc porro *fet* superlativus fit *fetest*, *optime nutritus*, qui contractus in *feist* mutatur; olim & *feizt* scribebatur. Kero: *Crassum*, *feiztas*. Rabani Mauri Glossarium Ms. *Pinguescit*, *feiztet*. Notkeri Psalterium Ms. Ps. CXLIII. 13. *Crassæ*, *feizte*. Altera pars vocis est *fecho*, pecus. In Evangeliis Gothicis *faihu*, Anglosaxonibus *feo*, Theotisce *fio* & *fihu* scribitur; nec tantum *pecus*, sed & *pecuniam* & *opes*, quæ apud veteres in numero pecudum consistebant, denotat. Grotius in Eplicat. nom. Goth. Vand. & Longobard. *Feh*, inquit, *olim pecus*, *postea res omnis mobilis*, *ut pecunia Latinis*. Hinc sequitur *feisfecho* esse *pecora pinguia*, sive *verveces*; qui cæteris ovibus pinguiores.

(4) *Fetischefo.*) *Feisfecho* synonymo redditur *fetischefo*; quæ locutio distincte nostrum *fette schafe*, *pingues oves*, enunciat, nec ulteriori disquisitione eget.

(5) *Lamp.*) Hæc vox *hædum* & *agnum* denotat. Alia Legis Salicæ exemplaria, quæ Heroldus vidit, verba Malbergi sequenti modo expresserunt; *Afres* sive *Lamphebros* vel *pectis*. Hæc autem ab homine in provincia nato sive Romano accessisse puto. Vox enim *afres*, rectius scribenda *cafres*, ex *capra* corrupta est; unde & Galli suum *chevre* sumserunt. In altero *Lamphebros c* ante *h* omissum est, quod si reponatur, & *ch*, more Gallico, pronuncietur, habebis *Lamp chebros*, quod est *hædus capræ*, Gall. *un chevrotin*. Tertium *pectis* dubio procul ex Germanica voce, qua *capram* nominamus, detortum, & legendum est *geatis*, paululum mutato literarum tractu. *Geit*, *geet*, Belgis *capra*, eadem Anglis *goate*, Norwegis *gete*, Germanis *gaiss*, *geisse*, in veteri Historia Passionis Domini J. C. Germanica *kuetze*, Polonis *koza* dicitur. In Glossis Ratisbonensibus Mss. *albix* redditur *steinkeiz*. Codex Guelferbytanus mirum hic vocabulum *lausmata* profert, & in sequenti paragrapho idem *roscimada* scribit. Sed certus sum, utroque loco corruptum hoc esse ex *tres* vel *trene geata*, ut exponantur Legis illa verba *tres capras*. Quemadmodum enim *tvene* Germ. *zwene*, sunt *duo*; ita & *trene* erunt *tres*.

(6) *Chrenecruda.*) Quid *chrenecruda* fuerit, ad Tit. LXI. docebimus. Interim tamen notamus, illam ejus vocis significationem huc plane non quadrare. Et si curatius sensum nostræ Legis & tractum literarum barbaræ vocis consideramus, perspicue apparet, hoc *chrenecruda* a scriba linguæ Germanicæ rudi, & literarum paulo negligentius scriptarum tractus genuinos non assecuto, ex *threne ceada*, vel, ut paulo ante scripsimus, *trene geata*, quo *tres capras* glossator reddidit, deflexum esse.

(7) *Segusium.*) *Segusii*, *seusi*, *seugii*, *seuces*, *suses*, *siugii*, *sugii*, *suegii*, *canes* in legibus veteribus & chartis sæpius occurrunt. Canes ἐγουσίας, a Gallica gente Xenophon junior sive Arrianus Atheniensis Lib. de Venat. c. 3. dictos putat. Fuere quidem Segusii in Alpibus siti populi, sed his *segusios* canes appellationem suam debere, vix credo. Nomen tamen hoc Gallicum, aut Germanicum esse, certus sum. In Gloss. vet. *suses* sunt *magni canes*. In Leg. Bajoar. Tit. 19. §. 1. *Canis seuces* vocatur *Leitihunt*. Et ibidem §. 2. *seuces doctus*, *triphunt*; paragrapho vero tertio *seuces qui in ligamine vestigium tenet*, *Spurihunt* audit. Ex hisce apparet *segusium* nominari canem *investigatorem*; investigare autem nobis adhuc *suchen*, & Sax. *seuken*, dicitur: unde *sucher*, *seuker* investigator, &, Latina terminatione data, *suchius*, *seucius*, *seugius*, *secusius*, *segusius* &c. prodit, *ein such* vel *spurhunt* nobis jam appellatus.

(8) *Leodasdi.*) Vox hæc rectius *Leodardi* & *Leudasdi* scribitur, recurritque ita leg. 5. & Titulis X. leg. 1. 4. 5. 8. XI. leg. 3. XII. 1. XXVI. leg. 1. XXVII. leg. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 17. 18. XXVIII. leg. 1. XXXIII. leg. 6. XXXVI. leg. 1. XXXVII. leg. 1. 2. XL. leg. 17. LXVI. leg. 3. 4. LXVIII. leg. 1. Omnia hæc exempla si curatius consideres, intelliges sem-

DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis segusium magistrum (1) canem furaverit, (MALB. *Trovvidovvano tuene chunne*) (2), M.DCCC. den. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis canem, qui ligamen noverit, post solis occasum occiderit, (MALB. *Theophano* *) (3), DC. den. qui faciunt solid. XV. componat, excepto capitale & delatura.

IV.

* Al. *Reppophano*.

---

semper de *actione dolosa*, sive *dolo malo*, eam adhiberi, & crimen a furto vel latrocinio distinctum denotare. Nos habemus *los* pro *doloso*, & *loter* antiquatum pro *dolo*; unde *lotterbube* est *puer dolosus*, *nequam*. Extat illud *loter* in Psalterio Ms. Notkeri, & Psalmo XXXV. 4. verba illa: *Verba oris ejus iniquitas & dolus*, Theotisce redduntur: *Sines mundes uuort sint unreht unde loter*. Psalmo XVII. 33. *Siniu gechose sint in fiure irsuochet*, *dar neist nehein loter ana*, h. e. Electi ejus in igne sunt probati, in iis nihil est dolosi, vel quod fraudem habeat. Psalmo CXVIII. 39. *Das ih sie mines loteris ne cihe*; ut ipsis, quod malitiosum in me est, non imputem. Hugonis Trymbergensis Rennerus in Codice Helmstadiensi idem vocabulum aliquoties usurpasse videtur. Alicubi canit:

*Rouen*, *morden*, *bernen*, *steken*,
*Drawen*, *spotten*, *obilspreken*,
*Luoder*, *wiz unde loddercheit*,
*An drincken*, *an spise unmeticheit*,
*Toubern*, *goukeln*, *leghen*, *drigen*,
*Vloyken*, *sweren*, *schelden*, *krighen*
*Dit sint des houardes ingesinde*.

In ejusdem Renneri editione Francofurtensi fol. 85. Presbyter fraudulentus *ein Lotter-Pfaffe* vocatur. Ms. exemplar alibi habet:

*Truwe*, *trucht unde warheit*,
*Demoit*, *schaeme unde eyntfeldicheit*,
*Kusche unde mate sint verdrieuen*
*Tzu houe*, *unde an ir stat sint bleuen*
*Leigen*, *driegen*, *ribaldie*,
*Louder*, *vour unde bouerye*.

Quamquam hoc loco *louder* alium quoque sensum habere potest. Ut vero ex *loter* fit *loterheit* a Rennero usitatum, ita ex vetustiori *leodar*, pro *loter* adhibito, etiam prodit, addita in vocalem terminatione, *leodarheti* & contractius *leodardi*, quo proprie *actio malitiosa* vel *dolosa*, *dolositas*, aut *malitia aliis damnosa* exprimitur. Omnia Legis Salicæ loca, ubi *Leodardi* hoc comparet, hunc sensum postulant. Et licet Titulo LXVI. *de homicidio* accipi videatur, notandum tamen est, ibi hanc vocem pro *Leude* sive compositione *hominis occisi*, errore scribæ irrepsisse. In alio exemplari pro voce *leodardi*, quæ, ut monuimus, doli Legibus prohibiti nomen generale est, legitur *troci withier cunni MDCCC. den. qui faciunt sol. XLV.* Summa hæc mulctæ Tit. LXXX. *theu nuenet chunna*, sive, *bis novem chunnæ* vocatur. Unde suspicor scribam supinum in veteri Exemplari exaratum invenisse *troci*, *withier*, *thue nuene chunna*; ita ut nomen canis, duplici nomine expressum, cum quantitate mulctæ fuerit conjunctum. *Troci* certe nomen *segusii* sive *canis investigatoris* Gallicum, & idem esse potest, quod *canis trassans* in Regiam Majestatem l. 4. c. 32. Gallis vero nostris *trace* & *trasse* significat vestigium, *die spur*, & *tracer*, perquirere vestigiis insistendo, *spuren*; a nostro *tratze*, *trit*, vestigium, ut hoc a *treten*, pedem figere, ire. *Withier* itidem *canis investigatoris* nomen esse conjicio. *Wittern* enim venatoribus nostris est odorari; *erwittern*, indagare, *die witterung*, res vel esca odorem habens, qua feræ alliciuntur ad locum capturæ destinatum. Verbum ipsum *wittern* ex odorare corruptum videtur hoc modo: *odoran*, *odern*, *wodern*, *widern*, *wittern*. Hinc *withier* vel *witter*, sc. *hund*, erit *canis index*, *qui odorisequa nare spelæa ferarum & diverticula deprehendit*, ut verbis Wilhelmi Malmesburiensis l. 6. de Gest. Angl. c. 6. utar.

(1) *Segusium magistrum*.) Cangius observat, eundem, qui hic *magister* audit, in Lege Alemann. Tit. LXXIX. §. 1. *canem doctum* vocari. Gallis idem est *un chien dressè*, nobis *ein abgerichteter hund*.

(2) *Trovvidovvano tuene chunne*.) Legendum: *trouuidouuano tue nuene chunne*. Sic nomen canis, cujus furtum prohibetur, & pœna non observatæ prohibitionis indicatur. Ut *trouuidouuano* intelligatur, observandum est primo, terminationem vocis *uuano* in sequentibus paragraphis recurrentem in *theophano*, *reppophano*, *chunnovano*, *theoprano*, videri corruptam ex *hund*, sive protractiori *huand*, *canis*, Anglosaxonibus *hunde*, Belgis *honde*. Minsevus & Fr. Junius illud a Græco κύων, κυνὸς deducunt; sed ego cum Skinnero esse puto a verbo apud Anglosaxones reliquo *hentan*, perquirere, prosequi, persequi, pro quo Angli jam *hunt* dicunt, & unde Anglosaxones *hunta*, venator, & *huntian*, venari, habent. Ad explicationem deinde vocis *trouuido* notandum, infra Tit. XXXVI. redire *trouuidio*, *throuuido*, *trochwido*, *trovandio*, & usurpari pro *cervo domestico*, & *ad venationem faciendam mansuefacto*. *Treue*, *true*, & *trüe*, ac pro more veteri scriptum *troue*, vel *trouue*, est *fidelis*, *cui fidi potest*. Inde *trouuen*, *fidelem reddere*, & præteritum hinc *trouuet*, sive *trouuido*, *fidelis factus*, *mansuefactus*, *adsuetus alicui rei redditus*, *domitus*, *doctus*, formari potest; & *trouuidouuano* persequendis & investigandis feris *adsuetum*, sive *doctum canem* designabit. Et apposite talis, qualem descripsimus, ut jam ante indicavimus, *canis doctus* in Lege Alemann. Tit. LXXIX. §. 1. vocatur. In Lege Bajoariorum Tit. XIX. §. 2. scriptum est: *Si autem seucem doctum*, quem *triphunt vocant*, *furaverint* &c. Quibus in verbis *seuces*, sive canis, *doctus* clare dicitur *triphunt*, sive, secundum nostrum scribendi modum, *truve*, *truwhund*, quod idem est plane ac Francicum *trouuidouuano*. Sequentibus vero secundum emendationem nostram verbis *tue nuene chunne*, pœna bis novem centenariorum, sive mille octingentorum denariorum, qui faciunt solidos XLV. exprimitur.

(3) *Theophano*.) Ita *canis* audiit, *qui ligamen novit*. *Thoeven* & *theuven* Saxonibus est *expectare*, *moram facere*; an hinc *Theophano* dictus est canis, qui fune alligatus circumducitur, & *exspectat*, moramque facit, donec venatori, ut feræ immittatur, placeat? Crediderim ferme, nisi in alio Legis Salicæ codice pro *theophano* legeretur *Reppophano*. Jam vero in Evangeliis Gothicis Marci I. 7. *raip*, corrigia, vinculum; apud Anglosaxones *rap*; apud Cambrobritannos *rhaff*; apud Danos *reb*, apud Islandos *reip*; apud Anglos *rope*; apud Belgas *reep* & *roop*; apud Saxones nostros *rep*, & apud superiores Germanos *reif*, est *restis*, *funis*; atque inde *ein reiffschlæger*, Sax. *repschlæger*, *restiarius*. Ut ita ab antiquissima hac voce derivatum *reppoprano* sit idem ac *rephound*, *canis*, qui *resti vel corrigiæ alligatus ducitur*, vel *qui ligamen novit*. Atque ex hoc *reppophano* illud *theophano* corruptum, & rectius *reophano* scribendum erit.

IV. Si vero agutarito (1) furaverit (Malb. *Chunnovano*) (2), dc. den. qui faciunt solid. xv. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis pastoralem canem occiderit, aut furaverit, (Malb. *Leosdasdi* * (3) sive *Theoprano*) (4), cxx. den. qui faciunt sol. iii. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

## Titulus VII.
### *De furtis avium.*

I. Si quis accipitrem furaverit de arbore (Malb. *Ortfocla*) (5), cxx. den. qui faciunt solidos iii. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis de pertica accipitrem furaverit, (Malb. *Weiano* (6) sive *Ortfocla* **), dc. den. qui faciunt solid. xv. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis accipitrem de intro clavem repositum furaverit, (Malb. *Ortfocla* sive *Weiano pandete*) (7), m. dccc. qui faciunt solid. xlv. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis Sparvarium (8) furaverit, (Malb.



* Al. *Leodardi*. ** Al. *Weiano arthefocla*, *Weiano anthedio*.

(1) *Agutarito.*) Lex Salica ex editione Lindenbrogii, & Baluzii hoc loco habet: *Si quis veltrem leporarium, qui & argutaritus dicitur* &c. Cangius putat, designari hic canem, qui arguto suo clamore feras insequitur. Sed Salmasius ad Capitolinum notat *argutarios* in Lege Salica dici pro *acutariis*; hos vero esse ὀξύποδες, veteribus Latinis *acupedes*, h. e. minuto, citatoque gradu currentes. In veteribus Glossis Mss. *argutus* exponitur *velox*; sed forte legendum *acutus*. Ego Salmasio assentior, & *agutaritum* de *vertraha* interpretor, qui *ocyor affectu mentis, pinnaque cucurrit.*

(2) *Chunnovano.*) Est hoc Germanicum, sed corruptum *vertrahæ* sive *vertagi* nomen, quod secundum Skinnerum a *vertendo* deducendum est. Angli eundem *tumbler* vocant a Saxonico *dumlen*, *tummeln*, *vertere*, *circumagere*, *festinare*. Jam *wenden* nobis, & Saxonice *wennen*, est itidem *vertere*, unde analogice *winn* vel *windhunt*, aut *windspiel*, vertagus, formatur. Glossæ Florentinæ Mss. *Veltra*, *uuindt*. Eædem: *Spartus*, *canis velox*, *uuint*. Glossæ Ratisbonenses Mss. *Feltrices*, *uuinda*. Galli, qui litera w carent, illam semper per *g*, aut *ch* exprimunt; ita pro *werre*, *guerre*; pro *wacht*, *guet*; pro *wams*, *gambasia*, & sic porro dixerunt. Iisdem *u*, ut *i* nostrum obscurum, sonat; unde ex *windhund* factum est *chindohund*, *chinnohund*, *chunnohund*, *chunnohuand*, *chunnouand*, & tandem *chunnouano*.

(3) *Leosdasdi.*) Leg. *Leodardi*, ut etiam aliud exemplar habuit. Expositionem supra dedimus.

(4) *Theoprano.*) Leg. *theophano*, vel potius *rheopuano*, ut indicetur *canis*, qui *fune* prope gregem alligatus, clamore lupos & fures, gregi accedentes, prodit. Etymon vocis paulo ante dedimus. Nisi *scheopr huano* legendum sit: quod magis probo. Ita enim exprimitur nostrum *schæferhund*, Sax. *schæperhund*, quod, ut notum, *canem pastoralem*, qui oves custodit, designat.

(5) *Ortfocla.*) In Codice Guelferbytano leg. 1. hujus Tituli *horhut*, & leg. 2. *marahoda*, ubique corrupte, scribitur. Ego in omnibus istis locis reponendum censeo *aro* aut *arn*-vel *orn-focla*, quod idem est ac vulgare *ar-vogel* vel *arn-vogel*, avis, accipiter, sive aquila. Veteribus Septentrionalibus is *aurn*, Anglosaxonibus *earn*, *Germanis arn*, dicitur; unde *Arnstadium* aquilam in insignibus habet, & *Arnonis* Salzburgensis Episcopi nomen jam ab Alcuino Epistola 66. & 104. in illud *Aquilæ* commutatum est. Quod si attendissent Browerus & alii auctores nostri ævi, ex Arnone & Aquila Episcopos duos non confinxissent. Reinmar der Alte Cantico VI. Ms.

*Als der falke in fluge tut,*
*Und der are in schweime.*

Chronicon Sax: rhythmicum num. 34. *Sin banner schwevet alse ein arn.* Lutherus Levit. XI. 13. *haliæetum* reddidit *fischaar*. Cl. Frischius in Origine quarund. vocum Germ. (Miscellan. Acad. Berolinensis p. 60. sq.) indicat, se reperisse in scriptis Germanicis *wannenaar*, *falkahr*, *Meussar*, *Stossar*. Colerus Lib. 15. Oeconomiæ c. 14. milvii genus *ahrweihe* appellat. Hinc deinde *aquila* etiam vocatus est *adler*, quasi dicas *adel ar*, hoc est, *nobilis accipiter*, vel *accipitrum præstantissimus*, id quod Cl. Frischius l. c. demonstravit. Nec vocabulum *ar* novitium est. Paraphrasis Cantici Mosis Notkeriana in Ms. Cæsareo vers. 15. *Also der aro lochit uzir neste sine jungen*, h. e. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos*. Ibidem v. 16. *Also der aro tuot*, h. e. *ut aquila consuevit*. Notkerus Psalm. CII. 5. *Geniuuot uuirt din jugent also dero arinne*; h. e. *Renovabitur, ut aquilæ, juventus tua.*

(6) *Weiano.*) Nos accipitrem adhuc *weihen* nuncupamus, ἱέραξ illud vel ἴρηξ a Græco ἱερός esse putantes. *Weihen* enim adhuc nobis ἱερεῖν, sacrum facere, denotat. In aliis exemplaribus Malbergo verba attribuuntur *urthe focla*, quod cum *arafocla* idem est; & *weiano anthedio*, quo designatur *accipitris surreptio*. *Ohn*, & Sax. *ane*, est *sine*, *absque*; hinc *entwenden* & contracte *anten* poterit esse *alienare*, *facere, ut aliqua re careamus*, *auferre*; & *antheit*, vel latina terminatione data *antedio* vel *anthedio*, ablatio, alienatio, surreptio. In Misnia *ahnt* est *alienum*; & *es thut mir ahnt*, significat *alienum mihi est*, *miror*. *Ander* communiter significat *alius*, *alienus*, quod infra scribitur *ande*: Occurrit certe Tit. IX. & Tit. XII. *antidio*, Tit. XXV. *authedio*, rectius *anthedio*, Tit. XXVII. *anthedi*, & semper quidem, si quid ego video, hoc eodem sensu.

(7) *Weiano pandete.*) Germanice redduntur hic illa verba Legis: *accipitrem de intro clavem repositum*, sive *vinculo alligatum*. Nam *pandete* significat vinctum. *Bande* est *vinculum* a *binden* & *banden*, *vincire*, *constringere*, *fasciare*. Hinc Galli *bander* & Itali *bendare* habent. In Evangeliis Gothicis *bindan* ejusdem significationis est; & *bandi*, vinculum, *bandga*, captivus, vinctus, exponitur. Hinc *pannen* & *pfanden*, nobis est *captivare*, Gall. *arreter*, quod infra Tit. X. *includere* & *inclaudere* redditur. In Codice Guelferbytano hic invenias *naobfocla*, sed Germanis patebit, legendum esse *raobfocla*, hoc est *raubvogel*, avis rapax.

(8) *Sparvarium.*) Varia in veteribus Francorum monumentis loca occurrunt, ex quibus apparet, venationem cum sparvario, quem aliqui *accipitrem minimum*, *fringillarium*, Vossius *nisum*, Riderus *accipitrem merularium*, *humipetam* dicunt, fuisse frequentissimam. Cangius

(Malb. *Sucelin*) (1), cxx. den. qui faciunt ſolid. iii. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis gallum furaverit, (Malb. *Chanaswido*) (2), cxx. denariis, qui faciunt ſol. iii. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis anſerem aut annatam domeſticam furaverit, (Malb. *Sundleno*) (3), cxx. * den. qui faciunt ſol. iii. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si quis gallinam furaverit, (Malb. *Solampinam*) (4), cxx. den. qui faciunt ſol. iii. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VIII. Si quis gruem aut cygnum furaverit domeſticum, (Malb. *Ortfocla*) (5), cxx. den. qui faciunt ſolid. iii. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IX. Si quis turturem (6) de trappa (7) fura-

* Herold. ſed forte minus recte *CCXX*.

---

gius interim Lege Salica vetuſtius teſtimonium, in quo ejus mentio fiat, non adducit, Voſſius de Vit. ſerm. *l.* 2. c. 17. putat vocatum eſſe quaſi *ſpar-var*, h. e. procul ſeu longe ſpargentem pennas ſuas. Sed quia Anglis idem audit *ſpar-hawk*, Ælfrico vero Anglo-Saxoni *ſpearhafoc* dictus eſt, & in Evangeliis Gothicis *ſparwa*, Anglo-Saxonibus *ſpeara*, *ſpearva*, Anglis *ſparrow*, Danis *ſpurre*, Germanis *ſpare* & *ſperling*, *paſſerem* ſignificet; hinc *ſparvarium* credo, rectius derivari ab hoc *ſpare*, *ſparwa* & *ar*, ut denotet proprie *accipitrem paſſeritium*, quia, tanquam avium rapacium minimus, paſſeres præcipue, & aves minores inſectatur,

(1) *Sucelin.*) Hoc nomen noſtra in lingua deperditum eſt, ſed ex ea dubio procul Slavonicæ illatum, ibi reſtat; & Bohemis Poloniſque *ſokol* adhuc *accipitrem fringillarium*, ſive *ſparvarium* vulgo denotat. Nec alius originis eſſe puto Gallicum & Hiſpanicum *ſacre* & Anglicum *ſaker*, quo certam *accipitris ſpeciem* deſignant, quoque nomine etiam *hominem voracem* & *helluonem* Galli noſtri vocant. Ex *ſacre* vero *ſacel*, *ſocol*, & *ſucel*, & diminutivum *ſucelin*, *ſuceling* facillime prodit.

(2) *Chanaſwido.*) *Chana* eſt noſtrum *hahn*, *gallus gallinaceus*. Apud Ulfilam & Anglosaxones etiam *hana* exaratum eſt: *Swido* vel *ſwithe*, ut Anglo-Saxones ſcribunt, ſignificat *magnum*. Inde *ſwithmod*, magnanimus; *ſwith*, potius; *ſwithian*, prævalere, pollere, præſtare; *ſwithrian*, invaleſcere; *ſwithelang*, prælongus, valde longus. Hinc *chanaſwido* eſt *gallus juſtæ magnitudinis*, *gallus major*, ut de pullo forte gallinaceo interpretari non poſſit.

(3) *Sundleno.*) In Codice Guelferbytano ſcribitur *ſundoleno*. Si quid ego comprehendo, vox corrupta eſt, & ponendum; *gunta l. eno* ſive *ganta vel eno*, ut *anſerem aut anatem* expreſſam in textu Latino habeamus. Anſer nobis jam *ganſs*; ſed Plinio *ganta* ſecundum meliores codices vocata eſt. In Gloſſis legitur; *Ganta*, χηναλώπηξ. Leges Bajuar. Tit. XX. §. 2. habent *acceptorem*, *qui ganshapich dicitur*, *id eſt*, *qui anſeres mordet*. Vita S. Waldeberti n. 5. *Anſeres agreſtes*, *quos a candore & ſonitu vocis ruſtice gantas vocamus*. Vita S. Wereburgæ n. 9. *Agros infinita aucarum indomitarum*, *quas gantas vocant*, *depopulabatur multitudo*. Alia exempla Cangius dabit. *Eno* rectius ſcriberetur *end*; ſic in Gloſſis *aneta*, *ened* interpretatur. Ol. Uredius Flandr. Ethn. p. 243. *anetham* vocem Gallicam, atque inde Latinum *anas* eſſe putat. In veteri formula apud Pithœum in Gloſſ. Leg. Salicæ: *Similiter & porcellos habent*, *& unam vaccam*, *& duas anethas a cæteris ſeparat*, *& dat illis quotidie abundanter*. In Lege Bajoar. Tit. XX. *anethapich* pro *accipitre anates capere docto* occurrit. Anatis de cætero nomen a ſono, quem avis hæc edit, formatum puto.

(4) *Solampinam.*) Poſteriores ſyllabæ *bunam*, *binam* (*u* Gallice ut *i* pronunciato), vel *hennam*, *eine henne*, hoc eſt gallinam exhibere videntur. In aliquibus tamen Galliæ provinciis *geline* eadem nominatur, voce hac ex barbaro *galina* facta. Hinc dicerem ferme, primam vocis partem corruptam eſſe, *g* ſecundum ſonum pronunciationis Gallicæ in *s* mutato, reliquiſque literis in Codice, unde deſcriptio facta, perperam lectis. Prima vice forte ſcriptum fuit *galine huna*, una Gallica, altera Germanica voce; ex quibus monſtroſum *ſolampinam* poſtea prodiit. Aliam medelam corruptiſſimo loco afferre nequeo. A *geline* Gallis re[illegible] *gelenotte* pro pullo pinguefacto aut gallina ſylveſtri. Vid. Dictionarium Academiæ Gallicæ Tom. III. p. m. 484.

(5) *Ortfocla*). Hoc vitioſe hic poſitum eſt; Neque enim de *accipitre* ſive *ar-vogel*, ſed de *grue* aut *cygno* ſermo eſt. Niſi gloſſator voluerit indicare gruis aut cygni furati eandem eſſe compoſitionem, quam leg. 1, accipitris de arbore ſublati. Vel deſcriptor invenit forte vocem *elbfocla*, compoſitam ab *olb*, *elb*, ſive *elbiz* & *fogel*. Prius *elbez*, vel *elbiz* in Gloſſis Mss. Florentinis, & Lindenbrogianis, *cygnum* ſive *olorem* denotat. Rabano Mauro in Gloſſario Ms. *alpiz* idem ſignificat. Pictorio in Dictionario Helvetico *elbſch* ſcribitur. Ita *Olbfocla* eſſet *avis cygnus*. *Cygnus* tamen cum non tam domeſtica, quam aquatica avis ſit, corrupte hic poſitus videtur. Codex Legum veterum membranaceus, qui in Sereniſſimi Ducis Saxo-Gothani Bibliotheca ſervatur, atque Ottonis II. Imp. tempore conſcriptus eſt, hoc Legis Salicæ loco legit: *Si quis ciconum*, *aut gruum furaverit*. Codex alter Legis Salicæ Carolino ævo conſcriptus, qui Guelferbyti aſſervatur, hic habet: *Si quis gallum aut gallinam aut cicinum*, *vel gruam domeſticam furaverit*. Unde conjicio, noſtri exemplaris Legem reſtituendam eſſe: *Si quis gruem aut ciconium furaverit domeſticum*; ciconio nempe barbare pro *ciconia* poſito. Ciconia vero Germanice *ſtorch*, Sax. *ſtorc* audit. Gloſſæ Mss. Lindenbrogianæ: *Ciconia*, *ſtorc*. Unde vocem Malbergi *ortfocla* hic neque *arofocla* neque *olbfocla*, ſed verius *Storcfocla*, h. e. *ciconia avis*, legendam ſtatuo. Ciconiæ apud plebem ſunt boni ominis aves, & domeſticæ fiunt. Veneratio autem ipſarum plebeja ex remotiſſimo majorum noſtrorum gentiliſmo repetenda eſt. Unde non mirum, etiam furtum ipſorum Lege prohibitum fuiſſe,

(6) *Turturem*). Turtures tenſis retibus non capiuntur; unde hic *turturem* cum *turdo* confundi clarum eſt, cujus ſpecies etiam *Turdela*, communiter vero *merula* dicitur. Vetus Vocabularium: *turdela*, *troſtel*. Gallis *merula* eſt *tourette*, Anglis *truſh*, Angloſaxonibus *throſtle*, & *thriſc*, Danis *drotzel*, & Ælfrico *throſle*. Engelhuſii vocabularium Saxon. Ms. *merula avis*, *Teut. droſele*. Vox *droſſel*, ex *turdela*, *t[illegible]dela*, *trodela*, *drozela* formata eſt.

(7) *Trappa.*) Gallis *trappe*, decipula avium, item muſcipula, & *attraper*, capere, decipere, irre-

furaverit, (MALB. *Acfalla*) (1), DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

### TITULUS VIII.

### *De furtis arborum,*

I. SI quis vero pomarium (2) domesticum aut perarium (3) de intus (4) curte (5), aut

---

irretire. Pro verbis *turturem de trappa* Lindenbrogiana Legis Sal. editio habet *turturem de reti*. *Trappa* autem proprie est *tensum*, *extensum* sc. ad capiendas aves. Descendit a veteri *drepen* aut *treffen*, quod *tendere* olim significavit, Willeramus p. 26. *Irther drephet; vos qui tenditis vel itis*. Eadem loquendi formula pag. 93. 104. & 149. obvia est. Pagina vero 113. Willeramus habet: *sie selvon drephent, ipsæ tendunt*; p. 103. *thas draph; hoc tendebat* &c. Hinc nostrum *ubertreffen*, ulterius tendere quam cæteri, h. e. *superare*, *præcellere*. Et *einen treffen* nobis est proprie *tensione facta aliquem contingere*, aut *ferire*. Convenit itaque cum verbo *trecken*, quod Saxonibus etiam est *tendere*.

(1) *Acfalla*). Francicum hoc *trappæ* nomen significat verbotenus *avium decipulam*. *Ac*, *volucris* aut *avis* denominatio vetus est. Glossæ veteres: *auca*, πτηνόν. Hinc Gasconibus adhuc *ausel* cujuscunque generis aves sunt. In Glossis etiam *aucellus* στρουθίον audit; στρουθία autem πάντα τὰ μικρὰ τῶν ὀρνίθων Græci, teste Moschop. περὶ σχεδ. vocabant. Nec aliunde est Italorum *augello* & *uccello*, Gallicumque *oiseau*. Vox *Auca* deinde, genere speciei applicato, nomen commune *anseris* apud Gallos Italosque devenit. *Falla* denotat *decipulam*; & vetusta, nobisque cum veteribus Latinis communis vox, restat in *mausefalle*. Nonius Marcellus: *Fallam pro fallaciam*, *Novius Decumis*. Fallere, *decipere*; & nostrum *falsch* est *deceptorius*, *fraudulentus*.

(2) *Pomarium*). Pomarius, *malus arbor*, Gall. *pomier*.

(3) *Perarium*). *Perarius* & pirarius, Gall. *poirier*, pirus. Saxones *berbom*, Germ. *birnbaum* dicunt.

(4) *De intus*). Ut supra *de intro* pro *intra*, ita hic *de intus* pro *intus* ponitur.

(5) *Curte*). Fragmentum Breviarii rerum Fiscalium Caroli M. a nobis Tomo II. Collectaneorum Leibnitii Etymologicorum editum pag. 319. *Invenimus in eodem loco curtem & casam indominicatam cum cæteris ædificiis ad eandem ecclesiam respicientem. Pertinent ad eandem curtem de terra arabili jurnales DCCXL. de pratis, unde colligi possunt de fœno carrades DCX. &c.* Ibidem pag. 325. *Invenimus in Asnapio fisco dominico . . . . . . . . curtem tunimo strenue munitam cum porta lapidea & desuper solarium ad dispensandum. Curticulam similiter tunimo interclusam, ordinabiliter dispositam, diversique generis plantatam arboribus*. Ibidem pag. 327. *In Grisione villa invenimus mansioniles dominicatas, ubi habet scuras III. & curtem sepe circumdatam. Habet ibi hortum I. cum arboribus; aucas X. anates VIII. pullos XXX. casas & curtem sepe munitam. In alia villa reperimus mansioniles dominicatas & infra scuras III. vineam aripenn. I. hortum cum arboribus I. curtem sepe munitam*. Ibidem pag. 330. *Invenimus in illo fisco dominico casam regalem . . . . alias infra curtem casas ligneas II. spicaria IIII. horrea II. stabulum I. coquinam I. pistrinum I. curtem sepe munitam cum portis ligneis II. & desuper solaria*. Ex quibus & aliis ejusdem Breviarii locis apparet, curtem esse aream clausam, qua villici casa, hortus, horrea, spicaria, stabula & cetera continentur; nos curtem ejusmodi *den hoff* vocamus. Eodem sensu in Lege Salica adhibetur. Addi potest Lex Salica editionis Lindenbrogianæ, quæ Tit. VI. leg. 3. habet: *Si quis canem custodem domus sive curtis . . . furaverit*. Hic in Lege Alemannorum, *qui curtem defendit*, dicitur. Appendix ad Formulas Marculfi cap. XLIV. *Ut nullus judex publicus in curtes vel villas ipsius monasterii nullum debeat habere introitum*. Curtis hic a villa distinguitur tanquam pars a toto. Villa enim agros prataque, & quicquid ad prædium rusticum etiam extra curtem spectat, suo nomine comprehendit. Traditiones Fuldenses lib. II. *jugerum curtiferum* nominant, hoc est, in quo curtis. In nostra Lege illa verba *de intus curte aut latus curte* in ed. Lindenbrogiana & aliis exemplaribus Mss., quæ vidi, redduntur *infra clausuram*, aut *extra clausuram*. Ex quo iterum apparet, *curtem* proprie esse *clausuram* sive locum sepe vel muro incinctum, in quo ædificia rustica. Et Dani adhuc verbo *gerde* pro *sepire* & *sepimento* utuntur, Apud Olaum Wormium Monument. Danic. pag. 111. *eag gerdi* est, *ego sepimento incinxi*. Nobis *gerte* est virgultum flexile, quod ad sepem texendam adhiberi potest, & *gurten*, cingere. Convenit *hurde*, crates, qua oves includuntur vel incinguntur, ne discurrant. Sensu autem, quem indicavimus, *curtis* vox apud veteres frequenter occurrit. Jornandes Rer. Get. lib. IV. *Area vero curtis ingenti ambitu cingebatur, ut amplitudo ipsa regiam aulam ostenderet*. Lex Alemann. Tit. LXXXI. §. 2. *Si quis domum infra curtem incenderit*. Eadem Lex Tit. X. *Si quis curtem Episcopi contra legem armatus intraverit*. Add. Leg. Wisigoth. Lib. VIII. tit. 1. leg. 4. & alia loca plura. In Legis Longobard. Tit. XXXIX. leg. 1. *curtis regia* iterum non de aula, sed de clauso Regis prædio interpretari debet. Et simili modo in Lege Alemannorum Tit. XXXI. legitur *in curte Regis*, & *in curte Ducis*. Glossæ Lindenbrogianæ, quæ Hamburgi Mss. asservantur: *Curtis*, *Selehoff*; id quod *domus clausuram* verbotenus reddas. *Sele* enim aut *sal* veteribus est *domus*, ut infra patebit, & *hoff* spatium muro vel sepe inclusum, quo domus & ambitus ejus continetur. Cum postea Reges & Principes in villis suis plerumque residerent, vox *curtis*, It. *corte*, Gall. *court* vel *cour*, pro Regis vel Principis sede sive aula acceptum est. Exemplum præbet jam Synodus Confluentina anni 860. ubi legitur: *In hostem, & ad placitum sive ad curtem veniens* &c. Asser Menevensis in vita R. Alfredi: *In curte Regis nutriti*, Et quando Reges Galliæ vel Parliamentum, apud Regem residens, literas emittebant, iis semper suppositum erat; datum *in Curti nostra*; unde nomen *la cour du Parlement*. Vide Scaligerana secunda. Apud nos Germanos similiter vox *hoff* pro *aula*; & *hoffling* pro *aulico*, in usum venit. Litera autem *t* paulatim in fine omissa, existimatum est vocem *cour* non a *curte*, sed a Latino *curia* descendere, & aula Latine *curia* reddita. Nota sunt Cantici Natalitii *In dulci jubilo* verba: *wo die schellen klingen*, *in Regis curia*, hoc est, *in aula*. Labbeus apud Menagium Orig. Gall. p. 227. adducit hos Episcopi Gallicani, qui ante DC. & quod supererat, annos vixisse fertur, versus:

*Cu-*

aut latus (1) curte furaverit, aut capulaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur.

II. Si vero pomarium aut quamlibet arborem domesticam exciderit, aut furatus fuerit in horto, similiter DC. denariis culpabilis judicetur, qui faciunt solid. XV.

III. Hanc quoque legem & de viribus furatis (2) observare jussimus.

IV. Si quis in sylva alterius *materiamen* * (3) furatus fuerit, aut incenderit, vel concapulaverit (4), aut ligna alterius furaverit, DC. den. culpabilis judicetur, qui faciunt solid. XV. excepto capitale & delatura.

## TITULUS IX.

### *De furtis apium.*

I. SI quis apem (5) de intro clavem (6) furaverit, & tectum desuper habuerit, (MALB. *Antidio Olethardis*) (7), M. DCCC. denar. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis unam apem, hoc est, uno vascello, furaverit de sub tecto (8), & sub clave, ubi amplius non fuerint, M. DCCC. denariis culpabilis judicetur, qui faciunt sol. XLV. excepto capitale & delatura.

III. Si vero septem aut amplius furaverit, & aliqui remaneant, & retro clavem fuerint, (MALB. *Texara* (9) *antidio alethar-*

* Al. *Materiam.*

*Curia dat curas, Ergo si tu bene curas*
*Vivere secure, non sit tibi curia curæ.*
*Curia curarum genitrix nutrixque malarum.*

Ita Mindæ locus, qui in veteribus Chartis *post Curiam* vocatus est, hodie vulgo *Hintern Curian* dicitur. Reliquas vocis *curtis* significationes, tanquam huc non pertinentes, omitto, & solummodo noto, ex rationibus, quas attulimus, non minus erroris convinci, qui eam vel a Græco χόρτος, vel a Latino *cohors*, detorserunt. Si quid autem video, & Græcum illud & Latinum vocabulum, nec non voces *hortus* & *garte* ab uno fonte atque e nostra lingua sunt derivanda.

(1) *Latus.*) Hoc est *juxta*. In variis Consuetudinibus Galliæ apud Cangium redditur *lez & coste*. Germanice *seit*, *seits* pari sensu dicimus.

(2 *De vitibus furatis.*) Hæc Lex, ut etiam ex verbo *jussimus* elucet, addita est a quodam Rege Francorum, qui jam Rhenum transierat cum Francis suis. *Cis-Rhenanos* enim Francos vites olim coluisse vel ideo dubites, quia in Partitione Regnorum Ludovici Pii, cum Ludovico Germanico anno 843. cis Rhenum omnia attributa essent, trans Rhenum eidem adderentur *Spira*, *Wormatia* & *Moguntia cum adjacentibus pagis*, ut Rhegino notanter addit, *propter vini copiam*.

(3, *Materiamen.*) Lignum ad fabricandum & ad exstructionem ædificiorum aptum, Galli *bois marmentau*, & alicubi *marmau* & *mairan* vocant.

(4) *Concapulaverit.*) *Capulare* est cædere, incidere. Franco-Galli inde olim habuerunt *chapler* & *chapleyer*, unum post alium ictum alicui gladio infligere. Radix apud Saxones & Belgas reliqua est *kappen*, Anglis *choppe*, conscindere minutim, incidere, resecare. Nec novitium verbum; sed jam in Græcorum sermone obvium est κέω, findo; atque apud Latinos *capo*, Glossis κάπων, *Gallus castratus*, vocabulum a nostro illo derivatum. Fallitur enim Menagius a *capus*, quod est accipitris species & digitis incurvis, idem derivans. Glossæ Helmstadienses vetustissimæ: *concapulavit; id est, concidit.*

(5) *Apem.*) *Apis* hic pro alveari apibus referto sumitur, & in alio exemplari *vas apium*, inferius vero *vas cum apibus* appellatur. Notandum autem est in Codice Guelferbytano pro *apis* scribi *abis*, secundum vulgi nostri pronunciationem, qua ex *apis*, *abis*, & paulatim *abi*, *bie*, *biene* factum est. Unde conjicias apum cultum a Romanis ad Germanos venisse.

(6) *Clavem.*) Clavis hic pro loco clauso vel clausura ponitur.

(7) *Antidio Olethardis.*) *Ablatio* sive *furtum alvearis*. *Antidio* supra expositum est ad Tituli VII. leg. 2. *Olethardis* paulo post corruptius scribitur *alethardis*. Terminatio *hardis* mihi hic videtur genitivus casus ab *hard*, *horde* aut *hurde*, crates, quod notum est. Cratitio enim opere alvearia fiunt & texuntur. Nos jam alveare *bienenkorb* vocamus, hoc est, *corbem apiarium*. Suevos vero *corbem* in sua dialecto *kraten*, a Latino *crates* nempe, nominasse, vel centies, cum in aula Principis Zollerani Hechingæ olim per aliquot tempus commorarer, audivi. Unde patet, ex eadem ratione, qua alveari *corbis* nomen datur, idem & *horde* appellari potuisse. Jam vero præcedens *olet* ego ex *onec* seu *honec* corruptum iterum statuo. In Glossis Keronis *mella* redduntur *honec*. Fragmentum Isidori a Palthenio editum: *honec endi miluh springant; melle & lacte manantem*. In Harmonia Tatiani duabus vicibus *honug* scribitur. *Honechard* vel *honechord* igitur proprie est *mellis corbis* sive alveare.

(8) *De sub tecto.*) *De sub* hic pro *sub* ponitur, & inde oritur Gallicum *dessous*. Eadem particula jam Reg. IV. 14. 27. occurrit, ubi legitur: *Nec locutus est Dominus, ut deleret nomen Israel de sub cœlo*. Innocentius Agrimentor Spartiani ævo clarus, in libello de Casibus literarum: *Delatus se alveum, & in valle duas aquas vivas habet, de sub se campum extensum.* Florus lib. II. cap. 3. *Jam Ligures, jam Insubres Galli, nec non & Illyrii lacessebant, scilicet de sub Alpibus, id est, de sub ipsis Italiæ faucibus, gentes, deo quodam assidue incitante, ne rubiginem ac situm arma sentirent.* Ita optimæ aliquando Latinitatis fuere, quæ nos barbariei aliquando incusamus.

(9) *Texara*). Legendum & hic & Tit. XI. leg. 6. *Texaca*, quemadmodum hoc quoque modo Tit. XI. leg. 8. Tit. XII. leg. 2. Tit. XXVII. leg. 14. obviam est. In Guelferbytano Codice alicubi scribitur *tacxaga*. Vossius dicit, ab aliquibus *nundinationem* explicari; sed me quidem judice illi falluntur. Glossæ Pithœanæ *texaca* exponunt *infra tecta*, sed nec hæ satisfaciunt. Wendelinus apposite satis de furto *tecto* & non manifesto interpretatur. Non tamen opus est, ut ad Latinorum verbum *tegere* in origine quærenda cum ipso confugiamus, qui domi habemus *decken*, *occultare*, a quo descendit *dachs*, animal perpetuo fere abditum, & meatibus suis subterraneis occultatum; & *tasche* marsupium, proprie *conditorium*. Ab eodem fonte hoc modo formari potuit *texaga*, quod pariter vi originis *occultum*, *clanculum*, *non manifestum* significat. Hoc certum est, ea voce semper *fur-*

*thardis*) M. DCCC. denariis, qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis unum vas cum apibus inter alia vasa sub tecto, aut sub clave furaverit, causam superius comprehensam convenit observare, excepto capitale & delatura.

V. Si vero unum vas cum apibus foris tecto (1), ubi amplius non fuerit, furaverit, causam superius comprehensam componat, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis ex plurimis usque ad sex vasa foris tecto furaverit, DC. denar. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si autem septem aut amplius furaverit, ita ut nulla remaneant, M. DCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

### TITULUS X.

*Si damnum in messe (2), vel in qualibet clausura (3) illatum fuerit.*

I. SI quis animal, aut caballum, vel quodlibet pecus in messe sua invenerit, penitus eum vastare (4) non debet; quod si fecerit, & confessus fuerit, capitale loco restituat, ipse vero debilem ad se recipiat; si vero confessus non fuerit, & ei fuerit adprobatum, (MALB. *Leodardi*) DC. denar. qui faciunt solid. XV. excepto capitale & delatura.

II. Si quis vero animal, caballum, vel jumentum, in furtum (5) pinxerit (6) (MALB. *Stalacha*) (7), DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis in messe sua pecora aliena invenerit, quæ pastorem non habeant, & ea incluserit, ut nulli penitus innotescat, & aliqua ex ipsis pecoribus perierint, (MALB. *Texaca*) (8), MCCCC. den. qui faciunt solid. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis animal, aut quodlibet pecus per suam negligentiam nocuerit, & confessus fuerit, capitale in loco restituat: si vero negaverit, sed tamen victus fuerit, (MALB. *Leodardi*) DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si alicujus porci, aut quodlibet pecus, pastore illud custodiente, in messem alienam cucurrerit, & ipso negante, si ei fuerit adprobatum (9), (MALB. *Leodardi* sive *An-*

---

*tum clandestinum & occultum* exprimi. Lex Ripuar. Tit. LXIII. *Si quis hominem in hoste interfecerit, triplici weregildo culpabilis judicetur. De texaga similiter*. Ubi editio Heroldina habet *de furto similiter*. Et Stephanus Baluzius jam observavit Codices Legis Ripuariæ Tit. XIIX. §. 1. Tit. LXXXII. §. 1. & alibi, *texagam* præferre, ubi alii *furtum* habent. Lex Alemann. Tit. XCIX. §. 25. *Si quis servum mulinarium involaverit, alium cum ipso reddat, & solvat sol. 6. in texaga, cujus fuerit*. Hoc loco particula *in* tanquam *propter* interpretanda videtur, ut sensus sit: *solvat sol. 6. propter furtum ei, cujus ille servus involatus fuerit*. Formula obnoxiationis vetus: *Quod ego caballum ab homine aliquo in texaga subduxi, unde de ipso furto victus apparui*. Hoc vocabulum deinde lenius enunciatum, mutatum est in *texegam*, *tescegam*, sive, ut communiter in veteribus monumentis scriptum reperitur, *tescejam*. Unde fallitur Cangius, qui *testejam* scribi debere contendit; neque is hac ratione sensum vocis agnoscere potuit, quem tamen potuisset exsculpere ex Capit. Caroli C. Tit. XXXIX. cap. 3. ubi *tesceia* per *latrocinium*, tanquam synonymum, explicatur. Verba Capituli sunt: *De illis hominibus, qui infames vel clamodici sunt de testeiis* (scribe hic & alibi *tesceiis*) *vel latrociniis & rapacitatibus & assalturis*. Et infra: *Juret ... quod testeiiam vel latrocinium aut rapinam non fecerit*. In iisdem Caroli Calvi Capitularibus Tit. XII. c. 13. legitur: *Istud juramentum jurabunt franci homines. Ego ill. adsalituram, illud malum quod schach vocant, vel testeiam non faciam* &c. ut alia loca jam prætermittam.

(1) *Foris tecto.*) Ex *foris*, pro *extra* usitato, eodem sensu Gallicum *hors*, & ex *deforis*, quod Tit. XII. leg. 1. & alibi occurrit, *dehors* factum est.

(2) *In messe.*) *Messis* hoc in titulo pro *segete* sive *frumento*, *quando est in herba ante messem*, ponitur. Nostris rusticis hæc *seges* vocatur *blading* vel *blaje*, ab *herba* sive *foliis*, quæ, ne insolentius crescant, vel falce in pabulum jumentorum demetuntur, vel equis depascuntur. In specie autem *blaje* (unde Latinum *bladium*, Ital. *biada*, & Gallicum *ble*) de *triticea segete*, & deinde de ipso *tritico* sive *frumento* usurpatur, utpote quæ sola fere demetitur, aut depascitur. Imo tandem pro *omnis generis farre* apud Germanos, Italos, Gallos & Slavos quoque positum est. Megiserus enim observat Slavoniis *plod*, esse *fructum*: Anglosaxonibus quoque *blada* & *blæda* omnem fructum significat. *Messis* de cætero pro *segete* obviam quoque nobis fit in Lege Burgund. Tit. XXIII. §. 4. *Si*, ait illa, *cujuscumque porci damnum faciunt in vineis, pratis, aut in messibus cultis & silvis glandiferis* &c.

(3) *Clausura.*) Locus clausus, e. gr. curtis, ager, campus, pratum.

(4) *Vastare.*) Hoc est inutilem ad usum reddere, verberibus conficere. Alia Exemplaria *lædere* pro *vastare* ponunt.

(5) *In furtum.*) Hoc est propter furtum, vel ut furari commodius possit.

(6) *Pinxerit.*) Hoc est, *notam suam adpinxerit animali*. Moris enim est, ut animalia, sues, equos, boves in pascua dimittentes, nota certa inusta vel picta insigniamus, quo eos dignoscere ab aliis possimus; quæ consuetudo, ut ex hoc loco apparet, ab antiquo ad nos propagata est.

(7) *Stalacha.*) Legendum *malatha*, ut illud *pinxerit* interpretetur. *Mahlen* enim nobis *signo distinguere*, *signare*, *designare* & *pingere* significat, uti hoc omnibus est notissimum.

(8) *Texaca.*) Vides hic *texaca* usurpari de *ablatione* vel *inclusione* pecorum facta *clam* atque *ut nulli penitus innotuerit*.

(9) *Et ipso negante, si ei fuerit adprobatum.*) Repetitio horum verborum hac in periodo delenda est tanquam superflua.

*Andeſitto* ) ( 1 ), ipſo negante ſi adprobatum fuerit, DC. den. faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si cujus pecora de damno ( 2 ), cum alios labores ( 3 ) vaſtantur, aut inclaudantur, aut in domum minantur ( 4 ), & ea quivis expellere aut excutere præſumpſerit, ( MALB. *Schoto* ) ( 5 ), DC. den. qui faciunt ſolidos XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si vero pecora de damno inclauſa fuerint, ille, cujus pecora ſunt, æſtimatum reddat, inſuper X. denar. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VIII. Si quis autem per inimicitiam, aut per ſuperbiam ( 6 ) ſepem alienam ruperit, & in meſſem, aut in pratum, vel in quemlibet laborem pecora miſerit, ille, cujus eſt labor, teſtibus eum convincat, ei reputetur damnum, & æſtimatum reddet, ( MALB. *Leodardi* ), M. CC. denar. qui faciunt ſolidos XXX. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

## TITULUS XI.

### *De ſervis mancipiis furatis.*

I. SI quis ſervus aut ancilla ( 7 ) caballum aut jumentum ( 8 ) alterius furaverit, ( MALB. *Theuta texaca* ) ( 9 ), M. CCCC. denar. qui faciunt ſol. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis ſervum alienum furaverit, aut occiderit, aut vendiderit, aut ingenuum dimi-

---

( 1 ) *Andeſitto.* ) *Ander* nobis *alienus* eſt. In Evangeliis Gothicis *anthar*, Theotiſce *anther*, *ander*, Danice *anden*, Islandice *annar*, Saxonice *ander*, & *anner*, Gallice *autre*, Latine *alter*, Græce ἕτερος effertur. Græcum tamen, Latinumque ex Germanico, antiquiſſimo ævo, depravatum videtur. Ratio enim ſignificationis in hoc ſolummodo apparet, dum *ander*, ab *ant*, *adverſus*, derivatum, ſignificat proprie *oppoſitum*, ſive *differens ab alio*. *Sitto* corruptum eſt ex *ſiato* vel *ſato*, quod nos jam *ſaat* efferimus. *Sat* vox vetuſta eſt, & non *ſemen* ſolum, ſed & *ſegetem herbeſcentem* adhuc denotat, quæ in Lege Salica *meſſis* dicitur. Verbis itaque *ande ſitto* Malbergum *meſſem alienam* explicavit.

( 2 ) *De damno.* ) Id eſt, *propter damnum*, *von ſchadens wegen*.

( 3 ) *Alios labores.* ) *Labor* hic dicitur *agricultura*: & alienos labores pecora vaſtant, cum alienum fundum ac culturam depaſcunt.

( 4 ) *Minantur.* ) Vide infra ad tit. XL. notata.

( 5 ) *Schoto.* ) Codex Guelferbytanus habet *ſcuto* & *excuto*, Gallico more, qui ab initio ſemper *e* ante noſtrum *ſch* & Latinorum *ſc* ponunt. Ita pro *ſchif* illi *eſquif*; pro *ſchœppe*, *eſchevin*; pro *ſchacht*, *eſchec*; pro *ſchoppe*, *eſchoppe*; pro *ſcutum*, *eſcu* ſcribunt. *Schoto* autem & ſcuto pro *ſchato* ſive *ſchade* poſitum eſt, & *damnum* denotat, formaturque a *ſchaden*, nocere. In Evangeliis Gothicis hoc *ſchatgan*, Angl ſaxonibus *ſcathan*. Belgis *ſcaeden* effertur. Gloſſæ veteres Theotiſcæ Junii: *Damnum*, *ſcatun*. Gloſſæ Lipſianæ: *Scathan ſal*, *damnabit*.

( 6 ) *Superbiam.* ) Recurrit infra Tit. XXXV. leg. 5. atque ut hic & Tit. XLI. leg. 16. *inimicitiæ*, ita ibi *virtuti* ſive *vi* opponitur. Lex Longobardorum lib. I. Tit. XVI. §. 5. *Si quis doloſe* ( Herold. *malitioſe* ) *aut per ſuperbiam... mulierem percutere præſumſerit*. Capitulare Pipini Regis Italiæ c. 36. *Et ſi fuerit aliquis, qui per ingenium fugitando de Comitatu ad alium Comitatum ſe propter iſtum ſacramentum diſtulerit, aut per ſuperbiam jurare noluerint ſemoti &c.* Superbiam hic loci eſſe idem ac *dolum*, *fraudem*, Cangius annotavit. Qui autem huic vocabulo hunc ſenſum primum dedere, videntur crediſſe, illud deſcendere a *superviare*, hoc eſt, *in via prævenire*, *viam alicujus præoccupare*. Hoc autem non vi plerumque, ſed aſtu fit; unde vox *ſuperbia* ipſis de *actione aſtuta*, *doloſaque* adhibita eſt. Provinciales illam tandem in *ſuperchie* corrupiſſe, atque inde hodie ejuſdem ſenſus vocabulum adhuc uſitatum *ſupercherie* formaſſe videntur, quod Menagium non obſervaſſe miror.

( 7 ) *Si quis ſervus aut ancilla.* ) Legi debet, ut etiam eſt in Guelferbytano Ms. *Si quis ſervum & ancillam* &c. Ita & cæteri Codices ibi extantes habent. Venerunt itaque mancipia, equi & jumenta pari pretio.

( 8 ) *Jumentum.* ) Ut Gallis *jument*, ita & *jumentum* hic pro *equa* ſumitur. Vid. alia in Cangio exempla. Judicium ſuper hominem ob equam furatam accuſatum legitur in Formulis Andegavenſibus cap. XI. *Veniens homo*, ibi legitur, *nomen illi Andecavis civetate, ante illo agente vel reliquis, qui cum eo aderant, interpellabat aliquo homine, nomen illo, quaſi jumento ſuo ad furtis conditionis abuiſſit: & ipſi illi una cum genetore ſuo ibidem aderat, & hoc fortiter denegabat, quod ipſo jumento numquam habuiſſet. Sic viſum fuit ipſo agente, qui cum ipſo aderunt, ut genitor ſuos illi pro filio ſuo illo, quia & ipſe genitor apud homines tantus ipſi illi in baſileca domni illius in noctis tantus pro filio ſuo excuſare deberit, ſe hoc facere potebat, ipſi illi contra ipſo illo compaſcere deberit. Sin autem non potuerit, hoc contra ipſo emendare ſtodiat.* Adde, quæ infra ad Tit. XLI. leg. 13. dicimus.

( 9 ) *Theuta texaca.* ) Vox quæ hic *theuta* ſcribitur, ſub eodem hoc Titulo recurrere videtur in *Theutexaca* leg. 2. in *theulaſina* leg. 4. in *theucatexara* leg. 6. & in *thenca texaca* leg. 8. Jam notandum eſt *theue* veteribus *ſervam* denotaſſe. Idem apud Angloſaxones deſignat *theow* & *thiow*; & *theowa* aut *thiwa* eſt *ancilla*. Belgis *teeuwe*, homo vilis, ſervilis conditionis. Apud Otfridum lib. V. 129. Tatianum cap. III. 9. IV. 5. & 6. alioſque veteres *thiu* pro *ancilla* occurrit. Gloſſæ Lipſianæ: *Thuwe*, *ancillæ*. Hinc *zofe* pro *pediſſequa* in Saxonia ſuperiore uſitatum, prodiit. In Evangeliis Gothicis Luc. XVI. 13. *thiwe*, famulus, & Johan. XVIII. 17. *thiwi*, ancilla vocatur. Quod in Lege noſtra vocem *theu* excipit *tha*, ego ex *mar* corruptum vel ex *maracha* detruncatum exiſtimo. *Mar* enim & in Lege Alamannorum *marah*, quod *marach* pronunciandum eſt, *equum* ſive caballum deſignat: *ch* ſæpius in *tha* corruptum invenitur. Vide quæ ſub Titulo præſenti ad legem 6. & ad Tit. XXVI. leg. 1. afferimus. *Texaca* porro *furtum* ſive *ablationem occultam* ſignificare ſupra ad Tit. IX. leg. 3. oſtendimus. Hinc illo *theu*, *maracha*, *texaca* interpretantur verba leg. *Servum aut ancillam, caballum aut jumentum furaverit*. Quod in Guelferbytano Codice eſt *teoducco* & *teodocco*, corruptum eſt a *teof tucco* vel *tocco*. Saxonibus enim *tocken*, Germ. *zucken*, eſt *abſtrahere*, *rapere*, *furari*. Vide dicta ad Tit. XXIV. leg. 3. Et hoc modo *teof tucco* vel *tocco* itidem ſignificabit: *ſervum furaverit*

miserit, & ei fuerit adprobatum, (MALB. *Theu texaca*) (1), M. CCCC. denar. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura: De ancilla vero solidos XXX.

III. Si quis servus aut ancilla cum homine ingenuo (2), de rebus domini sui aliquid deportaverit, (MALB. *Leudardi*) DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV, Si quis homo ingenuus in texaca secum duxerit (3), aut aliquid cum eo negotiaverit, (MALB. *Theu lasina*) (4), DC. denar. qui faciunt solidos XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis servum puledrum (5) furaverit, (MALB. *Usu dredo*) (6), M. DCCC. denar. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis Majorem (7), Infestorem (8), Scantionem (9), Mariscalcum (10), Stratorem (11), Fabrum ferrarium, Aurificem,

---

(1) *Theu texaca.*) Ex præcedentibus liquet, reddi Germanice verba: *servum furaverit.*

(2) *Ingenuo.*) Ingenuus hic denotat *liberum*, sive *in libertate natum*. Titulo XLIII. Leg. 3. *homo ingenuus* sive *Francus*, tanquam synonyma ponuntur, ut intelligas eos, qui non Franci ab antiquo nati, aut pro talibus declarati fuerunt, *colonos* aut *servos* fuisse; quamquam interdum etiam melioris generis servi sive coloni, sub Francica lege viventes, *Franci* vocentur. Qui autem *ingenuus* declarabatur, is liber & immunis a tributis erat. Gregorius Turonensis l. 7. c. 15. *Multos de Francis, qui tempore Childeberti Regis senioris ingenui fuerant, publico tributo subegit*. In Capitulari Caroli M. de partibus Saxoniæ triplex hominum conditio statuitur, *nobilium* scilicet, *ingenuorum* & *litorum* sive *Lazorum*. Eadem inter Saxones divisio valuit, teste Nithardo l. 4. ubi, *Sunt*, inquit, *inter illos, qui Edhilingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua hoc sunt Nobiles, Ingenuiles atque serviles. Ingenui* iidem sunt, qui nostro tempore *barones* & *nobiles* sic dicti: *Nobiles* vero veterum sunt *Principes* nostri; sed de hoc alibi.

(3) *In texaca secum duxerit.*) H. e. *in furtum* vel *furtive secum duxerit*.

(4) *Theu lasina.*) Duæ sunt voces *theue* & *lase*. *Theue* servum, ut vidimus, designat. *Lasina* quoque sive *lase*, aut, nostro more scriptum, *lasse*, est *servus*, *mancipium*, *homo proprius*, vel etiam *serva*, *ancilla*. Inde restat nobis formula *eigen oder lass seyn*, h. e. *servilis conditionis, hominem proprium vel servum esse*. Saxonum dialecto hi *lassi*, & secundum Nithardum *lazzi*, sibilo in medio sublato, *Leti*, *læti*, *liti* & *lidi* vocantur. Vide plura de iis in notis nostris ad Catechesin Theotiscam, pag. 140. sqq. In Lege Salica Tit. XXIX. leg. 1. *ancilla* vocatur *lasina*, & ibidem leg. 2. recurrit *theu*, *lasina*, ut & Tit. XLII. Verborum contextum inspicienti hoc clarum est, licet Wendelinus ea verba mulctæ, nescio cujus, denominationem esse somniaverit.

(5) *Servum puledrum.*) *Puledrus* & *poledrus* semper fere apud authores medii ævi de *pullo equino* usurpantur, ut ex allatis a Cangio exemplis, & Legis nostræ Tit. XLI. leg. 8. sq. patet. Ælfrici Glossæ Anglosaxonicæ: *Poledrus*, *fola*. Wendelinus tamen auctor est, pullum etiam asininum vocari *un poultre*. Origo vocis Græca est a πωλαριον, πωλάριον, unde etiam *poltron* Gallis vocatur *homo timidus*, instar scilicet pulli equini. In nostro tamen textu rectius aliud exemplar pro *puledro* hic *puerum* habere observo.

(6) *Usu dredo.*) In re obscura si conjicere licet, putaverim locum depravatum restituendum *theu dredo*. Sic *servus puer* vel *gerulus* exprimitur. *Tragen* Sax. *dregen* est *gerere*, atque inde *puella* in Glossis Theotiscis Junii *diorno*, *trāga*, *gerula* dicitur. A *tragen* tertia persona est *traget*, quod, rusticorum Germaniæ superioris ore prolatum, *dret* sonat. Hinc *dredo* formatum proprie *geruli*, speciatim vero *pueri, arma domini post ipsum portantis*, nomen esse potest. Armigeri enim tales, qui Plauto *scutigeruli* sunt, Germanice alias etiam *knapen* hoc est *pueri* κατ' ἐξοχὴν vocabantur.

(7) *Majorem.*) Primus ex famulis, sive servis melioris conditionis; *Major* sc. *domus*; qui domui seu famulis præest, Gallis *maitre d'hotel*. Stumpfius l. 2. Chron. Helvet. c. 13. Germanice *hausmeyer* reddit. In Ordinatione Judicii inferioris Trevirensis fol. 5. a. legas: *Und sollen die geordnete fu sprecher und redner diesen nachfolgenden eydt unserem amtman, schultheissen, meyer, vogt oder andern, der von unserntwegen ein haupt und oberster des gerichts ist, schweren* &c. Hinc & nostri villici *Meyer* audiunt, quod nomen non ex *major*, sed ex Germanico *mehr*, magis, plus, una cum ipsa Latina voce, deducendum est, ut significet proprie aliquem, *qui plus est, quam ceteri*, sive *præstantior*, vel *qui reliquis præest*. Gregorius Turonensis lib. IX. c. 36. *Cui comitibus, domesticis, majoribus atque nutritiis, & omnibus, qui ad exercendum servitium regale erant necessarii, delegatis* &c.

(8) *Infestorem.*) Lege *infertorem*. Glossæ Philoxeni: *Infertor*, παραθέτης, qui dapes infert, Dapifer. Glossæ Chifletianæ ante annos nongentos jam Wendelini ætate scriptæ: *infertat*, *importat*, *ministrat*. Utitur eodem & interpres Juvenalis Sat. V. De Dapiferis de cetero monui quædam in Not. ad Catechesin Theotiscam pag. 131. sqq.

(9) *Scantionem.*) Papias: *Pincerna*, *scantio*. Gallis idem est *eschançon*. Visegothis *scancia* dicitur locus, unde potus distribuebatur, unde is in Concilio Toletano, & alibi *Comes Scanciarum* dictus, qui nobis *der oberschenck* esset. Glossæ Junianæ: *scinko*, *pincerna*. *Scinkevaz*, *pinacium*. Otfridus l. 2. c. 8. v. 99. *skenkit allan then dag*, infundit totum diem. Idem ibid. v. 81. *thie man thoh, thie dar scanktun*.

(10) *Mariscalcum.*) *Mariscalcus* hic propriissime *Equisonem*, *curatorem*, vel *præfectum equorum* denotat, qualis in Lege Alemann. Tit. LXXIX. leg. 4. occurrit, ubi dicitur: *Si mariscalcus, qui super 12. caballos est, occiditur, XL. solidis componatur*. Equus olim *mar* (unde nobis *mere*, equa, restat), & *schalk*, servus, dicebatur. Quomodo vero *Marescalci* vox deinde varie usurpata sit de iis, qui exercitibus, copiis, aulę, curięque pręerant, hoc ex Cangio, Spelmanno & Vossio discere licet; neque enim nobis lubet alios exscribere, & agere acta.

(11) *Stratorem.*) Hunc Salica Lex distinguit a *Mariscalco*, ut intelligamus hunc fuisse, cui omnium equorum cura commissa; *Stratorem* vero *sternendis* tantum *equis* & domino adducendis præfuisse. Differunt itaque, ut nostrum *Stal-*

cem, five Carpentarium (1), Vinitorem (2), vel Porcarium, vel Minifterialem (3) furaverit, aut occiderit, vel vendiderit valentem fol. xxv. ( MALB. *Theuca texara* ) (4), M. CCCC. den. qui faciunt fol. xxxv. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VII. Si vero majoriffam (5) aut ancillam minifterialem valentem fol. xxv. fuperiorem caufam convenit obfervare.

VIII. In alio pacto dicit, de ipfis ( MALB. *Thenca* (6) *texaca*, *ifmala texaca* (7), *am-*

---

*Stalmeifter* & *Sattelknecht*. Papias : *Stratones*, *compofitores regiæ fellæ*. Paullus Diaconus l. 2. de Geftis Longobardorum c. 27. *Equus ejus in portæ medio concidens, quamvis calcaribus ftimulatus, quamvis hinc inde ab ftratore verberibus cæfus, non poterat elevari*, Longobardis is *marpahis* dicebatur. Paullus Diaconus l. c. lib. 2. c. 9. *Qui eidem ftrator erat, quem lingua propria marpahis* appellant. Eadem locutio apud eundem L. 6. c. 6. occurrit.

(1) *Aurificem, five Carpentarium*, ) Wendelinus hæc tanquam fynonyma accipit, & *aurificem* ab antiquo *aura*, unde & *auriga*, deducit; ut idem fit, ac *carpentarius*. Cangius tamen particulam *five* crebro pro conjunctiva ufurpari afferit, quemadmodum hoc ex hac ipfa lege in editione Pithœna apparet, ubi legitur : *aut fabrum five vinitorem aut carpentarium five venatorem*. Quamquam autem *aurificis* vox neque in Pithœana five Lindenbrogiana editione, neque in Mss. duobus Guelferbytanis hic occurrat, retineo tamen vulgarem lectionem. Principes enim in minifterio fuo aliquando & *aurifices* aluiffe non improbabile eft. Et confirmor per Capitulare de Villis, ubi §. 45. iidem nominantur, quando miniftri villæ ita recenfentur : *Ut unufquifque judex in fuo minifterio bonos habeat artifices, id eft, fabros ferrarios, & aurifices vel argentarios, futores, tornatores, carpentarios, fcutatores, precatores, accipitares, id eft, aucellatores, faponarios, ficeratores, id eft qui cervifiam vel pomatium five piratium, vel aliud quodcumque liquamen ad bibendum aptum fuerit, facere fciant, piftores, qui fimilas ad opus noftrum faciant, retiarios, qui retia facere bene fciant, jam ad venandum, nec non & reliquos minifteriales, quos ad numerandum longum eft*. Breviarium rerum fifcalium Caroli M. Capitulari de Villis præfixum : *Minifteriales non invenimus aurifices, neque argentarios, ferrarios, neque ad venandum, neque in reliquis obfequiis*. *Carpentarius* autem hic non carpentorum folum, aut vehiculorum fabrum denotat, fed *fabrum lignarium* in genere. Ita Gallice *bois de charpente* de lignis afcia præparatis ad ædificandi ufum adhibetur, & *charpentier* eft faber lignarius. Atque hæc vox jam ab antiquo ita in ufu fuit. Ugutio : *Omnis faber lignarius carpentarius dicitur*. I. Paralip. IX. 15. eodem modo occurrit; & recte ibi Lutherus vertit : *Bakbakar der Zimmermann*; male vero Ulenbergius : *Bacbacar der Wagener*, vocabulo *carpentarii* non intellecto. Ætherius & Beatus lib. II. adverfus Elipandum Toletanum : *Carpentarius quislibet facit fibi domum, in qua habitat*. Exodi XXXV. 33. *Opus Carpentarium* Græce eft ἔργον ἀρχιτεκτονίας, Plura Cangius. Fragmentum chartæ Hilduini Abbatis S. Dionyfii apud Felibienum Hift. S. Dionyf. Probat. pag. 51. *Et ad Abbatis cellarium per vindemias de circulis carra decem, & dum colliguntur vindemiæ, carpentarios duos & manoperarios octo*. Ubi ego carpentarii vocem ferme pro *vietore* acceptam dicerem. Ad circulos enim accommodandos vietor requiritur.

(2) *Vinitorem*. ) Vineæ curator. Inde prodiit noftrum *wintzer*, atque indicat, fi vel hiftorici tacuiffent, nos vites colendi rationem a Romanis didiciffe.

(3) *Vel Minifterialem*. ) Scil. alium hujus generis. Omnes enim ii, qui in villis domini fui minifteriis vacabant, ut Major, Infertor, Scantio, Marifcalcus, Strator, Faber ferrarius, Carpentarius, Vinitor, Paftor, Coquus, Piftor, *minifteriales* dicebantur, ceteris mancipiis honoratiores. Vide de iis Valefium rer. Francic. lib. XI. & Ruinartii adnotationem ad Gregor. Turon. pag. 321.

(4) *Theuca texara*. ) Emendandum, ut jam docuimus, in *theua texaca*, quod eft *miniftrorum furreptio*.

(5) *Majoriffam*. ) *Die meyerin*, five, ut Saxones pronunciant, *de meyerfche*, quæ ancillis domus rufticæ majoris præeft.

(6) *Thenca*. ) Lege *theua*, ut dictum jam eft.

(7) *Ifmala texaca*. ) Dixi jam fupra Italos & Gallos folere *e* præfigere literæ *f* initiali, & alii confonanti præpofitæ; fed jam notandum illud fæpius etiam per *i* efferri. Ita *ifmerlus* pro *fmerilione* ave, qui Alberto M. *mirle* eft, dicitur Petro de Crefcentiis. *S* ipfum in initio dictionum, & quidem ante confonantem plerumque ex craffiore pronunciatione acceffit, id quod jam olim acutiffimus Claubergius in peculiari de fibilo Germanorum veterum tractatu demonftrare conftituerat. Hoc vero modo *ifmala* nobis enuntiandum effet *fmala*, & purius *mala*. *Mala* hoc porro erit *fervitio domini certo pacto addictum* vel *addictam*, *miniftrum* vel *miniftram*. Nam *mahlen*, ut fupra vidimus, eft *defignare*, *loqui*; idem verbum etiam fignificat *pacifci*, quod Latinitas inferior etiam per *fabulare* reddit. Gloffarium vetus : *Fabula, id eft, pactum conditionis*. Sic in Lege Longobardica lib. II. Tit. LV. leg. 7. *gamales, id eft, confabulati* dicuntur, cum quibus pactum initum eft. *Gemahela* Willeramo p. 34. 69. & paffim, *fponfam* denotat; utpote quæ *nuptiali pacto addicta*, five, ut barbare loquar, *confabulata eft* fponfo. Goldaftus Germanorum *malman* & *mahelman*, fideles ecclefiarum & *minifteriales* interpretatur. Charta, quæ Carolo M. in monumentis Paderbonenfibus falfo tribuitur : *Omne regale & feculare judicium fuper fuos fervos & liddones & liberos, malman & mundman, & omnes utriusque fexus homines* &c. Vides hic *malman* homines a lidonibus five colonis diftinctos, & conjungi cum *mundman*, five cum iis, qui fe tutelæ & defenfioni alicujus commiferunt, ut indicetur, *malmannos* effe homines certa conditione & pacto cuidam addictos. Famulos autem, five certa fervitia præftantes, eos fuiffe, clarius apparet ex diplomate Ottonis M. in Chronico Mindenfi p. 734. extante, ubi Imperator, *Hominibus quoque*, inquit, *famulatum ejufdem monafterii facientibus, qui Saxonice malman dicuntur, prædictam mundeburdam & tuitionem noftram conftituimus*. Charta Henrici III. Imperatoris in eodem Chronico: *Homines ipfius Ecclefiæ francos, liberos & ecclefiafticos litones, maalman vel fervos cujuslibet conditionis*. Hic *maalman* iterum videntur vocari *homines ecclefiæ*, qui certo pacto obftricti erant eidem. Eft igitur *mala* five *ifmala texaca* in Lege noftra *famuli certo pacto conducti furreptio*.

*amba texaca* (1), *amba othonia*) (2), præcia hæc solid. in summa LXXXV. qui faciunt den. MMMCC. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

### TITULUS XII.

*De furtis ingenuorum vel effracturis.*

I. SI quis vero ingenuus de foris casa (3) quod valent duo denarii furaverit, (MALB. *Leudardi*) DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis vero de foris casa quod valet den. XL. furaverit, (MALB. *Texaca*) M. CCCC. denar. qui faciunt solid. XXXV. * culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si vero ingenuus de intus casa furaverit, aut fregerit quod valent duo den. (MALB. *Antidio*) (4), M. DCCC. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis vero supra quinque denarios furaverit de intro clavem, M. CCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si vero ingenuus clavem effregerit, aut adulteraverit, & sic domum ingressus fuerit, & per furtum aliquid tulerit (MALB. *Antidio*) M. DCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VI. Si vero effregerit, & nihil tulerit, & fugiens evadit, propter effracturam tantum M. CC. denar. qui faciunt sol. XXX. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

### TITULUS XIII.

*De furtis servorum, vel effracturis.*

I. SI quis servus foris casa quod valent duo denarii furaverit, & ei fuerit adprobatum, aut centum viginti ictus accipiat, aut CXX. den. qui faciunt solid. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si vero furaverit quod valent XL. denarii; aut castretur, aut CCXL. den. qui faciunt sol. VI. reddat; dominus vero servi ejus qui furtum fecerit, capitale & delaturam in loco restituat.

III. Quicunque alienam domum violenter disturbaverit **, & domus si pro firmamento (5) Iberus (6) habuisse probatur, qui hoc fecerit MDCCC. denariis culpabilis judicetur. Et si de ipsa domo proinde cum carro aliquid trahere præsumserit, excepto superiore numero MCC. denar. qui faciunt sol. XXX. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

### TITULUS XIV.

*De ingenuis hominibus, qui mulieres ingenuas rapiunt.*

I. SI qui tres homines ingenuam puellam de casa, aut de screona (7) rapuerint,



* Al. *M. CC. den. qui faciunt sol. XXX.*

** Al. *Destruxerit.*

(1) *Amba texaca.*) Est *ministri vel ministerialis surreptio*, sive *clandestina ablatio*. *Amba* autem rectius in Glossis Lipsii & Keronis, atque in Otfridi paraphrasi Evangeliorum aliisque *ambaht* scribitur, & ministerialem vel *ministrum* denotat, ut supra ad Tit. I. leg. 3. ostensum.

(2) *Amba othonia.*) Videtur hoc una voce efferendum *ambaothonia*, sive correctius *ambacthonia*, vel potius *ambacthinne*, ut *ancilla ministerialis* indicetur.

(3) *Casa.*) Quod vocabulum hic, & sæpe alias obvium fit, bonis authoribus *tugurium* significat; quoniam vero majores nostri extra tuguria sua domos nullas habebant, ab iis deinde, cum cultiores fierent, & domus quævis casa est appellata. Notes tamen & Latinam vocem origine Germanicam videri. Saxonica enim plebs tugurium adhuc vulgo *kate* vocare solet. Ex Latino autem *casa* nostrum *hauss* Sax. *hus*, domus, deinde corruptum, atque ita aliunde repetitum, quod domi nobis natum erat.

(4) *Antidio.*) Vide ad Tit. VII. leg. 2.

(5) *Si pro firmamento.*) *Firmamentum* hic est *tectum*. Tectum enim domuum lignearum postes continet, complectitur & firmat. Unde & cœlum, simili ab ædificio sumto, *firmamentum* vulgo vocatur, quod idem est, ac si *orbis tectum* diceretur.

(6) *Iberus.*) Wendelinus *summum tignum* seu *culmen* interpretatur. Sed verbotenus *superior domus* reddi debet; quemadmodum & in Decretione Clotarii, quam nos infra ex Guelferbytano Codice producimus, pro *iberus* positum est barbare *domus superius*. *Uber*, quod vulgo sicut *iber* fere pronunciatur, Sax. *oever*, est *superior*, ab *oben*, *supra*. *Haus* & Sax. *hus* denotat *domum*. Sensus itaque Legis est: *Si domus destructa, loco tecti, quod alias infimæ & uni tantum contignationi incumbebat, præter illam adhuc aliam contignationem superimpositam (ein oberhaus) haberet, mulctam 1800. denariorum solvi debere.*

(7) *Screona.*) Recurrit hæc vox in Lege Salica Tit. XXVII. leg. 16. & 17. In Lege Frisionum Tit. XXII. est: *qui screonem effregerit.* Capitulare de villis c. 49. *Ut genitia nostra bene sint ordinata, id est de casis, pislis & tuguriis, id est screones, & sepes bonas in circuitu habeant, & portas firmas* &c. Lex Burgund. Tit. XXIX. leg. 3. *Effractores omnes, qui aut domos aut scrinia expoliant.* Ubi, Lindenbrogio teste, Mss. Codices habent *screunias*. Atque his ex locis patet, *screonam* fuisse tugurioli speciem. In Lege Burgundionum enim cum domo conjungitur, & in Capitulari de Villis tugurii vox per illam *screonas* interpretatur. Pithœus vero ad Leg. Sal. ait, etiamnum suo tempore Campanis *escrenes* dictas fuisse cameras illas demersas in humum, multo insuper fimo oneratas, in quibus hyeme puellæ simul convenientes pervigilent ad mediam noctem. Quod jam olim Germanis in usu fuisse Bignonius ex Tacito ostendit, qui de Moribus Germanorum differens, *Solent*, in-

rint, ( MALB. *Authumia* ) ( 1 ), MCC. den. qui faciunt ſol. XXX. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Illi vero qui ſuper tres fuerint ( 2 ), CC. den. qui faciunt ſol. V. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Qui cum ſagittis fuerint ( 3 ), unuſquiſque illorum CXX. den, qui faciunt ſolid. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Raptor vero MMD. den. qui faciunt ſolid. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si vero puella, quæ trahitur ( 4 ), in ver-

---

inquit, *& ſubterraneos ſpecus aperire ; eoſque multo inſuper fimo onerant, ſuffugium hiemi & receptaculum frugibus : quia rigorem frigorum ejuſmodi locis molliunt*. Et quoniam in tali receptaculo puellæ fila trahentes tempus ſermonibus, ſæpe etiam jocoſis, fallunt, hinc *Dominicus des-Accords* libro Rothomagi edito, in quo joco-ſeria quædam tractabantur, titulum *Eſcraignes Dijonnoiſes* ſive *ſcreonarum Divionenſium* dedit. Nos talem locum *eine ſpinnſtube* vocaremus. Habemus autem vocem *ſchranne*, & litera *r* tranſpoſita *ſcharren*, quæ *tuguriolum* ſive *locum tectum* vel *tegumen*, *ſub quo aliquid venum exponitur*, denotat. Et dicimus *brot-ſcharren*, *brot-ſcherne*, & *ſchranne*, fulcrum panarium : *fleiſch-ſcharren*, macellum. Stikerus, qui ſub Serotini ( des Spaten ) nomine notus eſt, a *ſcharren*, fodere, derivat: ſed ego a *ſchrae*, *ſchrage* Sax. *ſchrat*, obliquus, tranſverſus eſſe, atque a tecti forma nomen accepiſſe puto. Tectum enim Screonæ ex perticis oblique vel transverſim poſitis & colligatis, ( qui mos in ruſticorum noſtrorum domunculis adhuc cernitur ) cui deinde fimus injectus, contectum fuit: & obſervat Wendelinus *ſchrane* Taxandris ſuis adhuc ſignificare tugurium hoc modo opere ſubitario in metam acuminatum, condendis frugibus vel fœno. Apud nos ob ligna hac ratione tranſverſim locata & juncta, *ein holzſchranne* vel *ſchragen*, feretrum lignorum ſerra diſſecandorum, *tiſchſchragen*, fulcrum menſarium, *zimmerſchragen*, cantherius, dicitur. Quia item olim ſcamna & fulcra ruditer fabricabantur, quatuor pedibus varicatim ſive tranſverſim junctis & defixis in planum axem, hinc apud Keronem *ſcamna ſchrannon* audiunt, unde adhuc apud Italos vox *ſcranna*, ſcamnum, & *ciſcranna* de *ſella plicatili* uſurpatur. *Schrancken* nobis ſunt *clauſuræ*, *repagula*, *clathra*, quæ ex lignis vel ferro tranſverſim juncto, & ſe invicem quaſi diſſecante fabrefacta ſunt. Sibrando Siccamæ, qui *ſcreonam* ſcrinium eſſe putavit, recte a Wendelino contradictum.

( 1 ) *Authumia.* ) Uti ſupra pro *ambacht* ſcriptum erat *amba*, ita hic pro *authumacht* vel *authilmagd* poſitum eſt *authumia*. *Magd* nobis, Thuringis *maht*, Theotiſce *magad*, Ulfilæ *magath*, Angloſaxonibus *mæden*, Anglis *maid*, Suecis *moeæ* & *mey*, Danis *møe* eſt *puella*, *virgo* ; unde *Magdeburgum* Græce redditur *Parthenopolis*. Teutoniſta ; *Maghet*, *die jonffer*, *virgo*, *puella*, *puera* ; *maeghdoem*, *junfferſcap*. In Tatiani harmonia c. VIII. §. 9. *magadheiti*, *virginitas* exponitur. Alia exempla videas in *Stadenii Ex[illegible] Germanica vocabulorum difficiliorum, quæ in Lutheri verſione Bibliorum occurrunt* pag. 106. Prior pars vocis *authumia* eſt *authu*, vel, ut re vera ſcriptum puto, *authil*, quæ *ingenuam*, *nobilem* denotat. *Aut*, *ot*, *at*, veteribus Francis *poſſeſſionem* ſignificavit. Apud Anglo-ſaxones *æth*, & apud Suecos veteres *aud*, *audoe* idem denotavit. Hinc in Ulfila *audags*, in Otfrido *otage*, in LL. Canuti R. Angl. *eadig* eſt *beatus*, *felix*, *dives*. Videantur Junius & Stiernhielmius in Gloſſariis Gothicis. Hinc *alode* iterum eſt *avita poſſeſſio*, ab *ale*, *ole*, *alt*, *olt*, vetus, avitus, & *ode*, poſſeſſio. In Gallia & quidem in Comitatu Bajocacinſe fuit *pagellus Otlinga Saxonica* ſive *poſſeſſiuncula Saxonum* dicta, cujus mentio fit in Præcepto Caroli Calvi atque in Capitularibus Reg. Franc. Tit. XIV. c. 7. Commemoratio de Manſionibus & novalibus S. Salvatoris Cenomanenſis *Autlinguam* vocat. *Au* enim Gallis, ut noſtrum *o* pronunciatur. Quia vero bona hereditaria, paterna, ſive aviatica vel propria, & nullius juriſdictioni obnoxia, ſive proprietates, olim ſolummodo nobilem & ingenuum efficiebant, inde factum eſt, ut *othelman*, *atelman*, ſive, pro noſtra pronunciandi ratione, *edelman*, quod proprie *poſſeſſionarium* ſive *bonis gaudentem* aut *poſſeſſorem* denotat, in *ingenui & nobilis* titulum abierit, & *adel* nobis *nobilitatem* vel *ingenuitatem* deſignet. Notabilis eſt locus Legis Salicæ Tit. XLIV. leg. 15. *Si quis Romanus homo poſſeſſor, id eſt, qui res in pago, ubi remanet, proprias poſſidet, occiſus fuerit*. Ubi *poſſeſſor* expreſſe dicitur, qui nobis *edelman* ſive *ingenuus* eſt. Idem locus amplius illuſtratur ex Gregorio Turonenſi l. 3. de Mirac. S. Martini c. 23. ubi: *Erant enim*, inquit, *ingenui, & poſſeſſionem propriam poſſidentes*. Ex quibus clarum eſt, in Lege noſtra *authilmagd*, & corrupte *authumia* hic ſignificare *ingenuam puellam*.

( 2 ) *Qui ſuper tres fuerint.* ) Cur ii, qui ſuper tres raptum puellæ fecerunt, mitius tractentur, ratio eſſe videtur, quod, ut adjutores tantum, non ut authores raptus conſiderentur.

( 3 ) *Qui cum ſagittis fuerint.* ) Quid hic ſagittæ ſibi velint, nemo obſervavit. Ego vero hoc hic non arundinem acuminatam, qua jaculatur, deſignari puto: quia non de occiſione, ſed de raptu mulierum Lex agit. Nec arcus ſagittæque adeo frequentes erant in uſu Francorum. Veroſimilius itaque videtur, per *ſagittam* hic intelligi navigii minoris, ſed velocis ſpeciem ad fugam aptam, quod ſub hoc nomine a ſeculo duodecimo magis, præcipue in Italia, innotuit. Acariſius ſic dictam opinatur, quod velox ſit. Otto Friſingenſis de Geſt. Frid. l. 1, c. 33. *Aptatis triremibus & biremibus, quas modo Galeas & Sagittas vulgo dicere ſolent, aliiſque navibus bellicis onerariis* &c. Plura exempla vide apud Cangium. Verba igitur, *qui cum ſagittis fuerint*, exponenda ſunt, ut intelligantur, *qui navigia velocia ſecum habuerint, ad transferendam alio raptam puellam*. Conjecerim hinc Legem hanc ad magnum flumen, qualis Rhenus, latam fuiſſe.

( 4 ) *Trahitur.* ) *Trahere* hoc loco idem eſt, ac *inſidioſe decipere*, *turpiter fallere*, *doloſe ſeducere*, quo ſenſu Galli ſuum *trahir* uſurpant, a *trahere* formatum, metaphora, credo, ab aucupibus deſumta, a quibus aves allectæ improviſo retibus attractis capiuntur. Recurrit verbum hoc ſtatim in Lege ſequenti. Marculfus lib. II. Form. 16. *Si aliquis puellam invitam traxerit*. Form. 29. *Si ſervus ingenuam trahit*. Synodus Turonenſ. II. cap. 21. *Ut nullus ingenuam puellam abſque parentum voluntate trahere aut accipere præſumat*. *Bedriegen* Sax. *bedregen* & *betrecken* apud nos ſimili modo a *trecken*, trahere, derivata, de fraudulenta actione adhibentur.

verbo Regis (1) fuerit, propter fredum (2), MMD. den. qui faciunt ſol. LXII. & dimidium, cogatur perſolvere, excepto capitale & delatura.

VI. Si quis puer Regis (3), vel Lidus (4), ingenuam feminam traxerit, de vita componat (5).

VII. Si vero ingenua femina, aliquemcunque de illis, ſua voluntate ſecuta fuerit, ingenuitatem ſuam perdat (6).

VIII. Si quis puellam ſponſatam tulerit, & ſibi in conjugium ſociaverit, (MALB. *Anaſtheo*) (7), MMD. den. qui faciunt ſol. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur.

IX. Sponſo autem ejus DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

X. Si quis puellam ſponſatam druthe (8) ducente ad maritum (9) & eam in via aliquis adſallierit (10), & cum ipſa violenter mœchatus fuerit, (MALB. *Changichaldo*) (11), VIIIM. den. qui faciunt ſolid. CC. culpabilis judicetur.

XI. Si quis ingenuus ancillam alienam ſibi in conjugium ſociaverit *, (MALB. *Honomo* *)



* Al. *Triſerit* ; al. *capulaverit*,

(1) *In verbo Regis*.) H. e. *in tuitione*, tutela, barbare *mundiburdium* dicta. Sic infra Tit. LIX. leg. 1. *Rex* (eum) *extra ſermonem ponet*. Ubi Pithœi Gloſſæ addunt: *Extra mundeburdem*. Gregor. Turonenſis l. 9. c. 19. *Brunichildis graviter accepiſſet, eo quod in ejus verbo Sicharius poſitus taliter fuerit interfectus*. Et alibi apud eundem: *Præceptionem tribui juſſit, ut in verbo ſuo poſita a nullo unquam parentum defuncti illius in aliquo moleſtiam pateretur*. Marculfus in Formula de Mundeburde Regis: *Sub ſermone noſtro & mundeburde quietus reſideat*. Et alibi: *Sub ſermone tuitionis noſtræ viſi fuimus recepiſſe, ut ſub mundeburde vel defenſione ... quietus debeat reſidere*. Videatur Bignonius ad hunc locum.

(2) *Fredum*.) Fredum hoc & aliis locis eſt *compoſitio fiſco debita*, qua *pax* ſive *ſecuritas* a Rege obtineatur. Vid. Wendelinus ad h. l. Cangius, Spelmannus, Lindenbrogius in Gloſſariis, & Bignonius in Form. Marculfi ed. Baluz. p. 880. Ex loco vero, in quem commentamur, patet, *fredum* diverſum fuiſſe a *delatura*, ſive litis impenſis. Sed deinde cum iis confuſum eſt, unde Gloſſæ Pithœanæ *delaturam* jam per *fredo* exponunt, & noſtri Galli Practici *frais de procez* pro cauſſarum & litium ſumtibus ponunt. Hæcque vox *frais* tandem etiam generaliter pro *quibuslibet impenſis* in uſum venit.

(3) *Puer Regis*.) H. e. famulus, ſervulus cujuſvis ætatis. Sic in Suevia homo non maritatus uſque ad trigeſimum, & quod ſuperat, annum, *bue* ſive *bube* vocatur, quod idem eſt ac *puer*. Ambroſius de Abraham lib. 1. c. 9. *pueros dicimus, quando ſervulos ſignificamus, non ætatem exprimentes, ſed conditionem*. Atque hoc ſenſu frequentiſſime in Legibus & Auctoribus inferioris Latinitatis recurrit. Non tamen de ſervo nato ſive mancipio, ſed ſolummodo de eo uſurpatur, qui ante matrimonium initum domino cuidam certis conditionibus per tempus aliquod operam collocavit, cæterum ſui juris eſſe poteſt.

(4) *Lidus*.) Lidus e contrario ſolum de ſubdito vel colono dicitur. Unde Gloſſæ interlineares Thuaneæ ſynonymo illud reddunt *fiſcalinus vel ſanctuarius*, ut indicent *lidos* vel ad domini ſecularis proprietatem & fiſcum, vel ad eccleſiam pertinere. *Lidus* autem idem eſt ac craſſius pronunciatum *Lazus*, *laſſe*, de quo ſupra ad Tit. XI. leg. 4. & infra ad Tit. XV. leg. 4.

(5) *De vita componat*.) Ut familiarum tamen dedecus tegeretur, aliquando hæc pœna remiſſa, & conceſſum, ut procreatio filiorum, e tali conjugio orta, in integra ingenuitate permaneret. Videatur *Charta de agnatione ſi ſervus ingenuam trahit* ap. Marculfum lib. II. c. 29.

(6) *Ingenuitatem ſuam perdat*.) Et hæc tamen pro voluntate parentum puellæ mitigata aliquando fuerunt, & liberi pro ingenuis declarati. Vide Chartas hujus rei teſtes apud Marculfum lib. II. c. 29. in Formulis veteribus incerti authoris apud Bignonium c. XIX. edit. Lindenbrog. XXCVI. in Formulis Andegavenſibus a Mabillonio publicatis cap. LVIII.

(7) *Anaſtheo*.) Legendum *anas treo*, ita omnia bene habent. Quæ enim in noſtro textu *puella ſponſata*, & in alio exemplari *ſponſa aliena* nominatur, illa hic eſt *anas treo*. Vox *anas*, rectius *anars* ſcribenda, ſignificat *alius*. Saxonibus *anner*, Germanis reliquis *ander*, Cimbris & Islandis *annar*, Gothis veteribus *anthar* eſt *alius*. Illud *treo* vero *ſponſam ſponſatam*, *fidelem*, *dilectam* deſignat. *Treu* nobis adhuc *fidelis*: Anglo-ſaxonibus olim *treowe* idem erat, quemadmodum & Dani *tro*, Islandi *trur*, Angli *true*, Belgæ *trouw* pro *fido* uſurpant. In Ulfilæ Codice *triggwai*, fideles, nominantur. Hoc ipſo in Titulo lege 10. *drubte* eſt *ſponſata*, quæ nobis adhuc *traute*. Dani, Pontano teſte, *huſtra* vocant *uxorem*. Apud Otfridum II. 13. 20. & III. 23. 28. *drutinna*, dilecta, & apud eundem IV. 9. 60. *drutſcaf*, amicitia. Willeramus *drut* aliquoties loco *dilecti* ponit. Gallis olim *drue*, amica, ſponſa, & *druerie*, amicitia audiit, ex Francico fonte hac voce depromta. V. Cangius in *Drudaria* & *Drudes*.

(8) *Druthe*.) Virgo pacta, deſponſata, quæ fidem ſponſo dedit, ut ex modo dictis patet. Codex Guelferbytanus unus ſcribit: *quæ druchthe ducitur ad maritum*. Codex alter: *quæ de drucht ducitur*. Editio Lindenbrogii: *quæ druchte ducitur*.

(9) *Puellam ſponſatam druthe ducente ad maritum*.) H. e. puellam ſponſatam vulgo druthe, ducentem ad maritum. *Ducere* hic ponitur, ut noſtrum *ziehen*, quando dicimus *ausziehen*, abire ex aliquo loco cum rebus ſuis, emigrare, *wohin ziehen*, cum rebus ſuis ſe conferre aliquo. Mei Saxones *tochen* eodem ſenſu dicunt. Subintelligitur in Germanica & Latina hac phraſi pronomen *ſich*, *ſe*, ut, e. gr. quaſi *ſich wohin ziehen*, ducere ſe aliquo, dicatur.

(10) *Adſallierit*.) Invaſerit, adortus ſit. Germani ſimili ſenſu dicunt: *einen anſprengen*, quod eſt quaſi equo concitato in aliquem invehi. Galli hinc ſuum *aſſaillir*, & *aſſaut*, adſultus, impetus, habent.

(11) *Changichaldo*.) *Chaldo* eſt *compoſitio*, *mulcta*. Vide ſupra ad Tit. II. notata. *Changi* porro, Gallico more, cum ſibilo pronunciatum, Germanice ſcribendum eſſet *ſchangi*. Jam nobis obvium eſt verbum *ſchanden*, quod communiter *infamare*, *turpitudine notare*, *temerare*, *violare*, *contaminare*, & tandem *ſtuprare* denotat. *Changichaldo* igitur *ſtuprationis compoſitionem* ſignificabit, quæ VIIIM. den. ſive CC. ſolidis ſolvebatur.

*mo* * ) ( 1 ), ipſe cum ea in ſervitium inclinetur **.

XII. Si quis ſororem ( 2 ), aut fratris filiam, aut certe alterius gradus conſobrinam ( 3 ), aut fratris uxorem, aut avunculi, ſceleratis nuptiis ( 4 ) ſibi junxerit, huic pœnæ ſubjaceat, ut a tali conſortio ſeparetur; atque etiam, ſi filios habuerint, non habeantur legitimi heredes, ſed infamia ſunt notati.


XIII.

* *Al. Onemo.* ** *Al. Cum ipſa in ſervitio permaneat.*

( 1 ) *Honomo.* ) Alius Codex habuit *onemo*. Utrobique corrupte. Forte reſtituendum *ane nemo*, ut exprimantur verba, *alienam in conjugium ſociaverit*. Sociare enim in conjugium, nobis redditur *nehmen*; uxorem ducere, *eine frau nehmen*; viro nubere, *einen mann nehmen*. Si *honemo* legatur, *h* facile ex *n* prodiit, ut & alibi factum, atque ita ab initio ſolum *a* omiſſum.

( 2 ) *XII. Si quis ſororem.* ) Bignonius notat, hanc legem, licet in quibuſdam Mss. reperiatur, a pleriſque tamen Codicibus abeſſe, & non Salicum, ſed Romanum quid redolere. Vide, quæ eam in rem docte congeſſit. Neque enim ea exſcribere animus eſt. Addimus ſaltem, eandem legem non extare in vetuſtiſſimo Codice Guelferbytano, in reliquis vero duobus adeſſe.

( 3 ) *Conſobrinam.* ) Accurate olim in matrimoniis gradus cognationis obſervabantur, & in Conciliis ſæpius de diſſolutis ideo conjugiis agitur. Inter Formulas Alſaticas c. 17. extat charta Epiſcopi ad Archiepiſcopum ſcripta, qua ei denuntiat, quod *quoſdam conjuges, quos injuſte & contra Chriſtianæ diſciplinæ regulam conjunctos audiverit, ad ſe evocari fecerit: hos autem, quia fuerint nobiles, de principibus populi multos ſibi complices adunantes contra eccleſiaſticam normam jurata bella ſuſcepiſſe*. Pergit: *Cum diœceſim meam circuirem, deveni ad locum, ubi memorati homines habitabant, & ibi didici a majoribus vici illius, quia iidem conjuges ita ſibimet conſanguinitate juncti eſſent, ut de uno parente in quinta & de altero in quarta generatione mutuam ducerent propagationem.* Conrado Carentanorum Duci & Comiti Veronenſium ſeculo undecimo ob conſanguinitatem cum uxore Mathilde controverſiam moverunt ſimiliter Epiſcopi. Lubet ex vita Adalberonis Ep. Metenſis ipſa huc pertinentia verba repetere. Ea hæc ſunt: *Dominus Otto Dux pater iſtius venerabilis Conradi Ducis nobis conſedentis natus ex filia Magni Ottonis eſt, cujus ſoror Giſbergia dedit filiam ſuam Conrado Burgundionum Regi. Ex Conradi autem filia nata eſt domina Mathildis hujus Conradi aſſidentis uxor. Hoc ergo genealogiæ ordine, quia fratres ſororque in ſupputatione non admittuntur, conſanguinitas horum non plus quam ſecundo loco elongari prævalet. Hæc beato viro* ( Adalberone ) *retexente, tantæ iræ tantæque ſimultates in ipſa ſynodo exſurgere cœpere, ut niſi eſſet ea nobilitas, qua cælo, terra, marique, ultraque inclytus effulgebat, Conradus Dux, de quo res agebatur, & quicunque ſuæ partis erant, neque Deum, neque regiam Majeſtatem reverentes, neque ſacerdotibus, quorum maxima & honeſtiſſima multitudo præſens aderat, aliquid honoris exhibentes, arma furoremque corripuiſſent, & ad inſaniam exſatiandam quicquid mali manus, roburque inferre poſſet, non omiſiſſet. Aderat huic magis ſeditioni quam ſynodo dominus Theodoricus, frater quidem hujus domini noſtri Adalberonis Pontificis; Dux autem eorum, qui cis citræque Moſam, Moſellamque reſident, & hæc quæ agebantur, quæque juſte diſponebantur, ſua auctoritate firmabat, atque corroborabat, nuptiasque inlicitas cum reliquis Ducibus Comitibuſque & quod majus eſt ſacerdotibus Deo & rectitudini ac regiæ juſtitiæ faventibus damnans & humanas iras non formidans, æquitatis lance, quæ Dei erant, liberrime decernebat &c.* Hæc vero ex ſchemate ſubjecto clariora evadunt:




Non alia autem de cauſſa Principes, puto, judicia Epiſcoporum refugerunt, quam quia non eos, ſed Reges in cauſſis matrimonialibus judices adhuc agnoſcerent: licet hic ſibi aliquid Epiſcopi jam a Ludovici Pii temporibus afferuiſſent. Sub Carolo M. certe & anteceſſoribus Regibus ex Merovinga ſtirpe ſoli Reges de gradibus prohibitis, & aliis matrimonialibus judicarunt, Lege Salica etiam hoc prodente. Illuſtria exempla congeſſit, atque idem jus ſuis Regibus noſtri temporis aſſeruit doctiſſimo *de Regia in matrimonium poteſtate* tractatu *Joannes Launojus*, Galliæ quondam ſuæ decus, qui recudi aliquando meretur. ( Additio Collect. ) *Cl. Eccardus in hoc ſibi conſtans non eſt; dum in notis ad Decretionem Childeberti Regis anno ( ut creditur ) DVC. conſtitutam, quæ adverſus matrimonia inter affines agit, hæc ſcribit:* Vides hic originem Epiſcopalis in matrimonia poteſtatis. *Sed altiorem quoque originem agnoſcere debuerat vir eruditiſſimus, cum antiquiores extent Canones, qui hæc eadem prohibent; quos legere eſt apud Burchardum, Ivonem, & Gratianum. Neque apud Barbaros inſuetum fuit, leges ſuas quandoque ex Canonibus Eccleſiaſticis excerpere, ut illis vim etiam legis Regiæ tribuerent, & auxilio, ut ajunt, brachii ſecularis ejus exſecutionem roborarent.*

( 4 ) *Sceleratis nuptiis.* ) Per Leges ſcilicet Chriſtianas prohibitis.

XIII. Si quis ingenuam feminam, aut puellam, contubernio facto (1), seu in itinere, aut quolibet loco adsalierit, & vim illi inferre præsumpserit, tam unus quam plurimi, qui in ipsa violentia fuerint admixti, CC. solid. unusquisque ipsorum culpabilis judicetur. Et si adhuc de illo contubernio remanserint, qui scelus istud non admisisse noscuntur, & tamen ibidem fuerint, si plures aut minori numero quam tres fuerint, eorum quilibet pro ipsis XLV. sol. culpabilis judicetur.

TITULUS XV. *
*De eo qui uxorem tulerit* (2) *alienam, vivo marito.*

I. SI quis uxorem alienam vivo marito tulerit, (MALB. *Abtica*) (3), & in alia mente, (*Arba theus en lanthamo*) (4), VIIIM. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur.

II. Si quis cum puella per virtutem mœchatus fuerit, (MALB. *Theurora*) (5), MMD. denar. qui faciunt sol. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur.

III. Si quis cum ingenua puella, & spontanea voluntate ambarum ** partium coiverit, & in occulto mœchatus fuerit, (MALB. *Friolasia*) (6), M.DCCC. den. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur.

IV. Si quis lidam (7) alienam in conjugium sociaverit, M. CC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis judicetur.



* Herold. XVI. ** Herold. *amborum*.

(1) *Contubernio facto.*) *Contubernium* Glossis Græco-Latinis ἀνδρῶν σύστημα. Apud Tacticos *contubernium* decem aut minoris muneri militibus constitisse dicitur. Occurrit etiam Leg. Sal. Tit. XLV. leg. 1. & significat *associationem & congregationem quorundam*. Hinc verius derivatur, prioribus duabus syllabis rejectis, Gallicum *bernage*, quam a *baronagio*, ut Menagius & Borellus statuerunt. Neque enim Baronum congregationem unquam notavit: sed quicquid se ex familia Principi vel domino, ubi opus est, associat, sive quicquid eum sequitur; Gall. *l'equipagge*.

(2) *Tulerit.*) Tollere hic idem est ac *in uxorem assumere, ducere*. Sic apud nos *nehmen* proprie denotat *tollere*, deinde vero etiam *in uxorem assumere*, ut vidimus Tit. præced. leg. 11. & statim post hæc aliud adhuc hujus significationis exemplum occurret.

(3) *Abtica.*) Si conjecturæ locus esset, dicerem *abtica* exprimere verbum *tulerit*. *Abtige*, Sax. *aftoege*, vulgo *abzoege* est *abstraxerit*, a verbo *abziehen* Sax. *aftehen*, quod denotat *abstrahere*, *tollere*. In Codice Guelferbytano legitur: *affalthecha*, & in exemplari nostro forte hinc *abtica* corruptum est. *Affalthen* vero, sive Saxon. *affhalten*, Germ. *abhalten* est *impedire*. Sequens *echa* idem est ac nostrum *ehe* matrimonium. Integrum inde *affalthecha* idem significat, atque *matrimonium impediverit*, seu, ut lex loquitur, *uxorem tulerit*.

(4) *Arba theus en lanthamo.*) Corruptus, si quisquam, locus. Ego restituo: *charla lheveent tus, charl*. Septentrionalibus *karl* & nobis *kerl* adhuc *virum* designat. *Lheveent*, veteri more scriptum, est idem ac nostrum *lebent*, vivens, vivus, a *leben*, Saxonice *leven*, vivere. Glossæ Keronis: *Vivat, lebee. Viventes, lebente*. Sequens *antar* scriptum sine dubio fuit *ant* cum virgula incurva prope superiorem partem literæ *t*, ut solet. Hoc autem, ut apparet, descriptor neglexit, & *ant* solummodo posuit. *Namo* ipsi in *hamo* transmutatum est. Significat id *tulerit* a *nehmen*, *næmen*, auferre, tollere. Glossæ Mss. Rabani Mauri: *Tolli, neman*. Kero: *capias, nemes*. *Nehmen* vero hoc jam Tituli antecedentis Lege 11. eodem pene sensu habuimus. Illud igitur *charla lheveent anter namo* distincte nobis exponit verba: *marito vivo alienam tulerit*.

(5) *Theurora.*) Germanis superioribus *dirne*, Saxonibus *deren* est *puella*. Teutonista: *Derne, maget, ancilla*. Glossæ Lipsianæ: *thierno, juvencularum*. Glossæ Junianæ Oxonii asservatæ: *diorno, traga, gerula*. Aliæ ejusdem: *thiarna, puerpera*. Ubi nota restituendum esse *puerula* vel *puella*. Tatianus V. 9. *Seno nu thiorna in reve habet*; Ecce virgo in utero habet. Harmonia Evangeliorum Cottoniana: *Thera helagun thiernuno maritum*, Sanctæ virginis Mariæ. Eadem de Herodiade loquens: *it thar thero thiornun forgab*; illud adolescentulæ tradebat. Eadem Harmonia: *mia thiu godesbarnu endi mid thero guodun thiornan*; cum Dei filio & bona virgine. Otfridus lib. 1. cap. 5. *Heil magad zieri, Thiarna so sconi*; Ave virgo gratiosa, puella pulcherrima. Idem ibidem: *Thiu thiarna filu scono, Sprah zi boton frono*; Virgo pulcherrima respondit nuntio Domini Et inferius ibidem: *Ih scal thir sagen thiarna Racha filu dougna*; Dicam tibi, Virgo, rem valde secretam. Gassarus hic in Glossario *thiarna, diern, junkfraw* & *thiarniduam, junkfrawschafft* interpretatur. Adde Junii Annotationes in Willeramum pag. 113. & Palthenii notas in Tatianum pag. 295. Si itaque in nostro *theurora* ultimam literam *r* in *n* mutes, habebis *theurona*, quod crassius quidem paullo pronunciatum est: ceterum cum nostro *theren* vel *deren* exacte convenit, & Francice reddit vocem *puellam* in textu Legis conspicuam.

(6) *Friolasia.*) Proprie est *liberta*, *in libertatem missa*, a *frey*, Sax. *fri*, liber & *lassen* Sax. *laten*, dimittere, sinere. Nos item dicimus *libertam*, *freygelassene*, quæ ideo ingenuæ conditionis facta est. Lex Bajoar. Tit. VII. cap. 10. *Si cum manumissa, quam Frilazin vulgo vocant & maritum habuerit* &c. Ejusdem legis editio Heroldina leg. 6. *De liberis, qui per manum dimissi sunt liberi, quod Frilaiz vocant*.

(7) *Lidam.*) Id est *colonam*. De *litis*, qui, voce crassius pronunciata, etiam *lazi* audiunt, egimus in Notis ad Catechesin Theotiscam pag. 140. & sequentibus, & supra quoque ad Tit. XI. leg. 4. & Tit. XIV. leg. 6. Hic solummodo notamus cum Wendelino, *Litos* fuisse conditionis mediæ inter libertos & servos, sive mancipia. Hinc Lex Frisionum Tit. XV. *Compositio hominis nobilis, libræ XI. Compositio liberi libræ V. & dimidia. Compositio Liti libræ II. & unciæ IX. Compositio servi libra I. & unciæ IVS.* in Charta Gorziensi Chrodegangi donantur varia *cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, litis, libertis, conlibertis* &c. Sibrandus Siccama bene monet, eandem esse rationem inter litum & servum, quæ est inter nobilem & li-

## TITULUS XVI. *

*De superventis* (1).

I. SI quis hominem ingenuum superventum expoliaverit, (MALB. *Mosedo*) (2), MMD. den. qui faciunt sol. LXII. cum dimidio **, culpabilis judicetur.

II. Si vero Romanus (3), Barbarus (1),

* Herold. XVII. *De superventis & expoliationibus.*

** Herold. sed minus recte LXXX.

---

& liberum. Et apparet Litos de illorum servorum numero esse, quos Tacitus his verbis commemorat: *Servis non in nostrum morem descriptis, per familiam ministeriis utuntur: suamque quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum Dominus aut pecoris aut vestis, ut colono, injungit: & servus hactenus paret. Liberti non multum supra servos sunt*. Mancipiorum rationem & usum a Romanis Francos deinde didicisse credas. Nos Saxones *servam* adhuc *ein lüd* vocamus.

(1) *De superventis.*) Id est, de *invasionibus* aut *aggressionibus animo latrocinandi*. Quod hic *superventus* est, nos *überfall* simili ratione efferimus. Et dicimus eodem modo etiam *über einen kommen* i. e. *venire super aliquem, improviso aliquem subigere, castigare, opprimere*. Hoc obiter observo, in editione Tiliana Titulum hunc inscribi: *De eo qui hominem ingenuum expoliaverit*, & cum sequenti Titulo connecti.

(2) *Mosedo.*) In Codice Guelferbytano & hic & alibi pro *mosedo* semper *murdo* ponitur. Notandum vero est *mosedo* hoc aut *murdo* hic & in Titulo sequenti non de *homicidio* sed de *exspoliatione* tantum *clandestine facta* sive de *latrocinio* usurpari; cum e contrario inferius Tit. XLIV. leg. 5. & leg. 12. pro *homicidio* & quidem *clandestino*, sed *meditato* sumatur. Titulo autem XXXVIII. leg. 2. 5. & 6. *de exspoliatione & homicidio* simul adhibitum esse videtur. De homicidio clandestino tamen solum legitur in Legibus veteribus ceterorum Regnorum. Lex Bajoar. Tit. XIIX. c. 2. §. 1. *Siquis liberum hominem occiderit furtivo modo, & in flumen ejecerit, vel in talem locum, ut cadaver redire non quiverit, quod Bajuarii murdridam dicunt*. Lex Frisionum Tit. XX. *Si quis hominem occiderit & absconderit, quod mordritum vocant*. Lex Ripuariorum in capit. 15. *De homine mordrido. Si quis ingenuus ingenuum Ripuarium interfecerit, & cum ramo cooperuerit, vel in puteo, seu in quocunque libet loco celare voluerit, quod dicitur mordridus* &c. Edictum Rotharis *de moroth* inscriptum: *Si quis homicidium in absconso perpetraverit, in barone, libero, servo* &c. Lex Alamannorum Tit. XLIX. leg. 1. *Si quis hominem occiderit, quod Alemanni mortraudo dicunt*, &c. Eadem lex Alaman. Tit. LXXVI. *Si quis mortaudit barum aut fœminam*. Pœnitentiale Romanum ex Concil. Moguntino: *Per fraudem & avaritiam hominem innoxium occidunt, quod morchidum vocant* &c. Ubi Lindenbrogius recte *morthidum* ponendum esse monet: atque sic etiam eandem vocem restitui debere in Epistola Rabani Mauri ad Heribaldum c. 20. author est Baluzius, quem in notis ad Reginonem p. 586. & in Notis ad Capitularia p. 1005. vide. Ulfilæ *homicidium*, *maurthr* redditur. Idem verba, *non* [illegible] Marci. V. v. 21. vertit [illegible] *gais*. In Confessione Ms. Notkerianæ Psalterii paraphrasi subiunctà pœnitens confitetur inter cetera se peccasse: *in bestumbelenne, in zepliuuenne, in manslahte, mit getate iob mit willen, in manigemo mortode, in firgiste, in grimichete* &c. Ut dicam, quod res est, nostrum *morden* ego puto descendere ab antiquissima radice, quæ apud Cambro-Britannos superest. Iis enim *murnio* dicitur *occultare, insidiari* & hinc *murn*, *murndwm*, homicidium occultum. Unde pro *occulte spoliare*, & *occulte occidere* sive *latrocinari*: & inde *mord* pro *latrocinio* sive in bonis sive in corpore hominis committatur, sumi potuit. In textu nostro pro *mosedo* itaque restituendum *moredo*.

(3) *Romanus,*) h. e. *Gallus origine*, sive *Provincialis*. Notandum enim Romanos, postquam per decennium Gallias devicerat Julius Cæsar, eum statim linguam suam una cum moribus & imperio in illas invexisse. Testis est Cicero; qui in Oratione pro Fontejo, *Audacter*, inquit, *hoc dico, Judices, non temere confirmo, referta Gallia negotiantium est, plena civium Romanorum: nemo Gallorum sine cive Romano quidquam negotii gerit, nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commovetur*. Dio quoque author est *Galliam Italiæ legibus atque institutis formatam fuisse*: & Cicero in libro de Oratore non aliam differentiam invenit inter orationem Gallorum & Romanorum Oratorum, quam quod hi urbanius illis loquerentur. *Id*, pergit Cicero, *tu, Brute, jam intelliges, cum in Galliam veneris, Audies tu quidem etiam verba quædam non trita Romæ; sed hæc mutari dediscique possunt*, Commendat deinde T. Tincæ Placentini ex Gallia Togata hominis facetissimi eloquentiam; sub cujus nomine libellum de Origine Placentiæ, Historiæ Ecclesiasticæ suæ Placentinæ apposuit Franc. Maria Campius, quem tamen supposititium esse vel cœcus persentiret. Svetonius de Clar. Grammat. nec Grammaticos Galliæ defuisse docet. Juvenalis vero, quando canit, *Gallia caussidicos docuit facunda Britannos*, hoc ipso indicat, etiam in jure Romano Gallos fuisse admodum peritos. Et præviderat Horatius, quando lib. II. od. 2. vaticinatur: *me peritus discet Iber Rhodanique potor*. Martialis lib. VII. Epigr. 72. gaudet Viennam Galliæ urbem ad Rhodanum celeberrimam libellos suos inter delitias æstimare; Arelatemque, ad eundem Rhodanum urbem, ob Romanorum ibi degentium & virorum in literis præstantium frequentiam *Gallulam Romam* vocat. Ob usitatum autem hunc in Gallia sermonem Romanum, moresque & politiam cum Romanis eandem, & ob datam denique universæ Galliæ civitatem Romanam, illa non solum pars orbis Romani, ut per legem Antonini etiam ceteræ Romanis subditæ provinciæ, sed etiam peculiari vocabulo *Romania* nominata fuit, posterioribus præsertim temporibus, ut discrimen foret inter hanc & illas Galliæ partes, quæ Germaniam versus porrectæ Germanicam sive Teutonicam linguam loquebantur. Venantius Fortunatus Chilperico Regi accinit: *Hinc tibi barbaries, illinc Romania plaudit*. Ubi *barbariem* vocat illam Regni partem, quæ Theotisca lingua utebatur, & *Romaniam*, quæ Romanam loquebatur, Omnes enim Galliæ incolæ tum præcipue distinguebantur in Romanos & Francos. Marculfus L. I. c. 40. *Tam Francos, Romanos, quam reliqua natione degentibus*. Idem l. c. c. 8. *Omnes populi ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, & reliquæ nationes*. In Fragmentis Fredegarii apud Ruinartium pag. 707. legitur: *Et* [illegible] *resedissent, per legatos invitati a Romanis vel Gallis, qui Lugdu-*

du-

(1), Salecum Francum (2) expoliaverit, causam (3) superius comprehensam convenit observare.

III. Si vero Francus Romanum expoliaverit, (Malb. *Mosedo*) M. CC. denar. qui faciunt solid. XXX. culpabilis judicetur.

IV. Si quis hominem, qui alicubi migrare disponit, & dirigere habet præceptum Regis, & si aliunde ierit in Mallum publicum, & aliquis extra ordinationem Regis restare eum facit (4), aut adsalire præsumpserit, (Malb. *Alacfacis* (5), *via lacina*)

---

*dunensium provinciam & Gallea Comata & Gallea Cisalpina manebant*. Loquitur autem de Burgundis, quando ad Rhenum consedissent. S. Uldaricus in Consuetud. Cluniacensibus: *Ego autem certus sum illam te radicem funditus exstirpasse, ex qua sola præcipue omnia sunt monasteria destructa, quæ destructa sunt vel in Theutonica vel in Romana lingua*. Sub Francis autem Regibus veteres Galliæ incolæ plerique infimæ conditionis fiebant, ita ut, cum cædes Franci aut Barbari CC. solidis lueretur, Romani hominis occisio solidis saltem XLV. componeretur. Et licet quidam in aulam Regiam admitterentur, ut ex Tit. XLIV. leg. 6. patet, ubi *Romanus homo conviva Regis* occurrit, in ea tamen solus tunc vigebat sermo Theotiscus, sive Germanicus, & veterum illa Gallorum, jam ad rura sua colenda solummodo ablegatorum lingua, *rustica* & *Romana* appellabatur. Canon. XVIII. Concilii Turonensis anno 817. habiti: *Visum est unanimitati nostræ . . . ut easdem homilias quisque transferre studeat in Rusticam Romanam linguam aut Theotiscam quo facilius cuncti possint intelligere, quæ dicuntur*. Helgaldus Floriacensis in vita Regis Roberti: *Ornamentum, quod erat in sex unciis auri dependens a genibus, & quod nos lingua rustica labellos vocamus*. Alibi idem: *Exuens se vestimento purpureo, quod lingua rustica dicitur rochus*. Rhegino Prumiensis in Chronico ad an. 814. *Hæc quæ supra expressa sunt in quodam libro reperi plebejo & rusticano sermone composita, quæ ex parte ad Latinam regulam correxi*. Quando vero post obitum Ludovici Pii Imperatoris eæ provinciæ, in quibus Romana hæc dialectus obtinebat, a cetera Germania sejunctæ Carolo Calvo parere inciperent, illa ex rure in aulam, inque curias revocata est, & Carolus Calvus ipse *lingua Romana* in Fœdere, cum fratre Ludovico Germanico inito, usus est, uti apud Nithardum l. 3. Hist. poterit videri. In Caroli Calvi Capitularibus Tit. XX. eadem *sermo apertus*, h. e. qui ab omnibus intelligatur, dicitur. Eodem sensu Jaufredus Pradel, vetus poeta provincialis, dialectum, qua utitur, *planam linguam Romanam* vocat. Et quamquam a temporibus Calvi ea hoc modo in Gallia principatum obtinuerit, integri tamen libri Romane ante seculi XII. initium non videntur conscripti fuisse. Falchetus, qui eruditum libellum de lingua & Poesi Gallorum recentiorum publicavit, primum poetam Romanum h. e. Gallicum nominat *Magistrum Eustachium*, qui circa annum 1155. vixisse probatur ex hoc illius tetrasticho;

*Puisque Dieu incarnation*
*Mil cent cinquante cincqans*
*Prit pour nostre redemtion*
*Fist mettre Wistache cet Romans*.

Eodem seculo, Alberico ad annum 1177. teste, *Magister Lambertus Leodiensis de S. Christophoro* obiit, qui *multos libros & maxime vitas Sanctorum & Actus Apostolorum de latino vertit in Romanum*. Nec Cl. Gallandus, qui nuper de Poetis Gallicis a Falcheto ignoratis in Academia elegantiorum Literarum Regia Parisiis quædam disseruit, antiquiores produxit. Post hæc autem Historiæ, Fabulæ & Poemata, quæ hac lingua exarabantur, a dialecto sua Romana *Romantica* vocabantur. Romancier hinc *in linguam Romanam vertere*, & *enromancer*, *historiam lingua eadem conscribere* erat. Tandem vox *Romant* in specie pro *historia amatoria & fabulosa* sumta est, & nostra quoque ætate ita usurpatur. Elegans de Fabularum harum Romanensium origine Tractatus Petri Danielis Huetii notus est.

(1) *Barbarus*.) Legerem ferme *barbarum*, ut sensus sit: *Si quis Romanus Barbarum aut Salecum Francum expoliaverit* &c. Nam Barbari in Lege Salica Francis adjunguntur, & æquiparantur, ut ex Tit. XLIV. videre licet. *Barbari* autem hic sunt, qui non linguam Romanam, sed *Theotiscam* locuti sunt. Hinc Venantius in loco supra citato *barbariem* & *Romaniam* plausisse dicit Chilperico, ubi Germaniam, sive Franciam intelligit. Idem lib. 9. Poem. 1. canit:

*Chilperice potens, si interpres barbarus adsit,*
*Adjutor fortis, hoc quoque nomen habet.*

Walafridus Strabus lib. I. de Vita S. Galli in Prologo: *Priori nomine nos appellant circumscriptæ gentes, quæ Latinum habent sermonem, sequenti usus nos nuncupat Barbarorum*. Idem de Rebus Eccles. c. 7. *Dicam tamen secundum etiam nostram barbariem, quæ est Theotisca, quo nomine domus Dei appellatur*. Idem Walafridus Strabus cum nomina Latina & Germanica de partibus humani corporis, ex Rabani Mauri ore excerpta, scripto exprimeret, inscripsit ea, *Glossas Latino-barbaricas*. Keronis quoque Glossæ Latino-Theotiscæ audiunt; *interpretatio vocabulorum barbaricorum in Regulam S. Benedicti*. Notkeri versio Alamannica Psalterii Davidici in veteri Exemplari Domini de la Loubere, quo Schilterus usus est, inscribitur; *Translatio barbarica Psalterii Notkeri tertii*: ut cetera, quæ Cangius affert, jam prætermittam. Observari meretur, quod Romanus, barbarum aut Salicum Francum spolians, solidis LXII. Francus vero Romanum spolians XXX. tantum solidis culpabilis judicetur. Infra quoque Tit. XLIV. cædes Franci & Barbari, & hominis lege Salica viventis, æquantur. Jam cum Barbarus Germanum designet, hinc elucet, Germanos ceteros, Bavaros, Thuringos, Alamannosque, licet a Francis fuerint subacti, sua tamen quosvis lege vixisse, & non subditos, sed Francis pares habitos fuisse; quemadmodum & Saxones devicti secundum Poetam Saxonem:

*Hoc sunt postremo sociati fœdere Francis,*
*Ut gens & populus fieret concorditer unus;*
*At semper Regi parens æqualiter uni.*

Non miror JCtos, qui plerumque historiam ignorant; sed miror etiam celeberrimum Schurzfleischium in contrariam sententiam abiisse, & putavisse, Alemannos & Bavaros impari conditione in Francorum civitatem adscriptos fuisse. Centum enim argumenta illi opponere possem, siquidem hic locus esset.

(2) *Salecum Francum*.) h. e. Francum *Salica lege* viventem; alii enim erant Franci, qui *Ripuariam legem* sequebantur.

(3) *Causam*.) Causa hic & in ceteris Legis locis convenit cum Gall. *chose* & Ital. *cosa* & *hoc*, *id quod*, vel *rem* designat.

(4) *Restare facit*,) h. e. sistit, Gall. *arrete*.

(5) *Alacfacis*.) Eadem vox Tit. XVIII. leg. 1. *Alacfalthio*, & leg. 2. *falchio*; Titulo vero

*na*) (1), VIIIM. den. qui faciunt ſolid. CC. culpabilis judicetur.

### TITULUS XVII.
### *De exſpoliationibus* *.

I. (V.) SI quis hominem mortuum antequam in terram mittatur in furtum expoliaverit, (MALB. *Chreo mosdo*) (2), M. DCCC. den. qui faciunt ſolid. XLV. & in alia ſententia, MMD. denar. qui faciunt ſol. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur.

II. (VI.) Si quis hominem mortuum exfodierit, & expoliaverit (3), (MALB. *Thur-*

* Ap. Herold. annexus eſt hic Titulus præcedenti *De ſuperventis.*

---

vero XLV. leg. 4. *alathfaltheo* ſcribitur, atque ſemper de *adſalitione*, ſive *invaſione violenta* dicitur. Nos habemus verbum *anfallen*, quo utimur pro Latino *violenter aſſilire*, *adoriri*, *invadere*, *impetere*. Hinc *anafalchio* reddet verbum *adſalierit*, vel *adſalire præſumſerit*. Atque ſecundum hanc noſtram reſtitutionem omnes reliquæ Legis Salicæ in hoc verbo commiſſæ corruptiones emendandæ erunt. A ſimplici *fallen* pro *ruere* vel *irruere*, *adſalire* etiam uſurpato, poterit nomen eſſe *falconi*, avi rapaci, cujus præcipua virtus eſt, ſubito in ardeam irruere, eamque roſtro acuto ferire. Poſt literam *l* in medio vocum poſitam, vocali ſequente, olim lubenter *g* inſerebatur. Sic apud Ulfilam *walgan* pro *wahlen*; *falgan* pro *fellen*; *malgan* pro *mahlen*, & reliqua occurrunt. Exemplar Gvelferbytanum hic reliquis corruptius eſt, & *alachtaco* ſcribit.

(1) *Via Lacina*.) Eadem locutio obvia eſt Tit. XXV. & Tit. XXXIV. leg. 2. qui etiam *de via lacina* inſcribitur, ubi editio Lindebrogii legit *de viæ lacina*, ut & Lex Ripuariorum Tit. LXXXII. apud Heroldum. Sed Editio Lindenbrogiana Tit. LXXX. ibidem habet *de via lacinia*. Ubique agitur de *obſtaculo*, ſive *impedimento in via facto*. Et commode in Lege, quam jam exponimus, ubi Heroldus habet, *rapiare eum facit*, *aut adſalire præſumſerit*, Lindenbrogii editio præfert: *adſalire vel viæ lacinam ei facere præſumſerit*. Id quod vetus interpres Legis Longobardicæ, Salmaſio teſte, ὁδοςχισμὸς vertit. Et *lacinoſa veſtis* eidem eſt ἐσχισμένα, barbare ſatis. Cum autem ſignificatio pateat, de voculis duabus videndum, quales demum ſint. *Via* eſt ipſum Latinorum *via*, Gallorum *voye*, noſtrum *weg*. *Lacina*, litera *c*, ut *k* vel *ch* vel *g*, pronunciata, ſonabit *lakina*, *lachina*, *lagina*, & commode in Concilio Toloſano a *lacina* formati *lachinones* occurrunt. Verba illius apud Dacherium ſunt: *Nullus etiam latrones, ruptarios, vel lachinones recipiat, ſed ab omnibus abjiciantur*. Certe enim hic *lachinones* ſunt *latrones, qui in viis publicis tranſeuntibus inſidias ſtruunt*. *Lachina* vero vel *lacina* idem eſt ac *laging* vel *legung*, poſitio, impedimentum, a *legen*, ponere, impedire. Sic dicimus *das handwerck legen*, id eſt, *obſtaculum ponere, impedire profeſſionem*. *Lagen* ſunt *poſitiones*, *inſidiæ*. Hinricks van Alkmer Reyneke Voſs l. 1. c. 4.

*Wo waken ghynk he umme de muren by nachte*
*Un leyde uns laghe myt groter achte.*

Idem paullo poſt:

*Wente Reynke hadde uns gelacht ſyne laghe*, &c.

In Kiliani Dictionario Etymologico Belgico *wegh-laeghe*, *inſidiæ*, & *weghlaeghen* inſidiari, ſc. in via publica, olim denotaſſe dicitur. Vocabularium Saxonicum anno 1421. ſcriptum, quod eſt in Bibliotheca Julia: *Inſidiæ*, *laginghe*. *Inſidiari*, *anlagen*. *Inſidioſus*, *lagenhaftich*. Hinc porro in eodem Vocabulario *oſtentus. m. q.* redditur, *belaginghe*. Unde clarum eſt, debere illam vocem derivari ab *oſtare*, *obſtare*. Paraphraſis Pſalterii Saxonica vetus Pſ. IX. *He laghet den armen mit dreghene, up-dat he ene gripe*: inſidiatur, ut rapiat pauperem. *Belegen* veteribus eſt *obſidere*. Reyneke Voſs lib. I. c. 14.

*Kone gy nicht, gy nue den belacht:*
*Wente de Koninck wert komen myt macht,*
*Unde umm belegen yuwe huſſ,*
*Dat ſulve Kaſtel Malepertus.*

Notkerus Pſalm. XVI. 12. Verba, *Sicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis, habitans in abditis*, ita exponit: *alſo der uarigo leuuo, der in uueida get, unde alſo ſin iungo, der ueborgen liget unde laget*. Ubi *laget* eſt idem ac *inſidiatur*. In Confeſſione peccatorum Notkeriana pœnitens dolet, quod peccaverit *in fluochen, in geſebida, in lagonne, in drouunga, in racha* &c. Ab hoc igitur verbo *legen*, vel veteri *lagan*, ſenſu impediendi, obſidendi, vel inſidiandi uſurpato, deſumta eſt formula poſterioris temporis *wegelagern*, *tranſeuntibus in via publica obſtaculum facere*, *vias obſidere*, & *in tranſeuntes impetum facere*, ſive *viæ lacinam facere*, vel *inſidiari*. Wicbildum Saxonicum art. 37. *Noth und weglagerung umb eines mannes ſtraff und hausſuchung und ungericht, das an eines mannes leib gehet, die ſol man in handhaftiger that klagen* &c. Gloſſa Speculi Saxonici art. 50: *Doch ſoltu wiſſen, daſs vier ſachen ſint, umb welche ein man den andern wol mag ſchlagen oder tödten und bleilt ſein ohne wandel. Die erſte iſt, als ob einer jemandes wege lagerte oder ſonſt auf ihn zuſprünge ihn zu beſchädigen*. In Handhabung des Landfriedens Wormatiæ 1495. compoſita titulus eſt; *Von nachrylen auf friſcher that und feldlagern*; ubi verba huc ſpectantia hæc ſunt: *Ob aber feldlægers, uberzugs, tæglichs handels oder ander gewaltiger that gegen den friedbrechern und ungehorſamen von noten ſeyn wird* &c. Hic *feldlæger* eſt *obſeſſio campi*, ſive quando malefico, qui in campum ſe recipit, ubique obſtacula ponuntur, ne elabi poſſit. Vides in his *weglagern* & *feldlagern* idem eſſe, quod Francorum *via lacina*: & *lagern* eſt verbum frequentativum a *legen*.

(2) *Chreo moſdo*.) Eadem vox reperitur Tit. LVIII. leg. 1. quamquam ibi *cheomosdo* corrupte legatur. Pro *mosdo* autem ubique ſcribi debet *mordo*, quod *clandeſtine exſpoliaverit* denotat: & *chreo* eſt *cadaver*, *corpus mortuum*. Gloſſæ Rabani Mauri MStæ: *Cadaver*, *hrao*. Legis Salicæ Tit. LXXIV. inſcribitur *de Chreodiba*, & de *combuſtione cadaverum* agit. Anglo-Saxonibus *cadaver* itidem *hreaw* (vid. Benſonii Vocabularium) & Saxonibus *reef* idem ſignificat. Kiliano *reuwen* eſt *cadavera curare*, *pollincere*; & *reuwer*, *pollinctor*, qui cadavera lavat, *pabolanus*. Forte *corvum* hinc *rabe* appellamus, a cadaveribus ſcil. quibus veſcitur fere ſolis. Pro *chreo mordo* Codex Gvelferbytanus habet *norebrer*, ubi forte legendum, *chreo rebero*, ut *cadaveris exſpoliator* Latine reddatur. *Rauben* enim, Sax. *roven* eſt *exſpoliare*; & *rauber*, *ræver*, *exſpoliator*.

(3) *Exfodierit & expoliaverit*.) Demortuos Franci cum ornamentis ſepeliebant. Gregorius Turonenſis lib. VI. c. ult. *Ablutumque veſtimen-*

*Thurnichalt*) (1), IIIIM. qui faciunt folid. c. culpabilis judicetur.

III. (VII.) Et poftea parentes (2) defuncti, judicem rogare debent ut inter homines non habitet auctor fceleris; & qui ei hofpitium dederit, antequam parentibus fatisfaciat, DC. den. qui faciunt folid. XV. culpabilis judicetur.

IV. (VIII.) Si quis mortuum hominem aut in offo * (3), aut in petra (4), quæ vafa (5) ex ufu, farcophagi dicuntur, fuper alium miferit, MMD. den. qui faciunt folid. LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

V. (IX.) Si quis Ariftatonem (6) fuper hominem mortuum capulaverit, de unoquoque DC. den. qui faciunt folid. XV. culpabilis judicetur.

VI.

* Al. *In aufa*.

---

*mentis melioribus induit*: Idem Gregorius lib. VIII. c. 21. *Sepulta eft cum grandibus ornamentis & multo auro*. Et paullo poft: *Detexerunt fepulchrum, tollentes & auferentes omnia ornamenta corporis defuncti*. Cum majores noftri adhuc gentiles effent, quæcunque ipfis cara erant, cum iifdem condebantur. Nummi etiam & alia pretiofa addebantur. Ita in tumulo Childerici Regis prope Tornacum centum nummi aurei, ducenti argentei, caput bovinum aureum, trecentæ apes aureæ, annulus & filamenta aúrea &c. inventa fuerunt. V. Chiffletii Anaftafis Childerici, & Mabillonii Differtatio de antiquis Regum Francorum fepulcris in Memoriis Academicis elegantiorum litterarum Parifien. Tomo II.

(1) *Thurnichalt*.) Guelferbytanus Codex habet *turnicale*. Infra Tit. LVIII. *thurnichale* & *turnichalis* fcribitur. *Chalt* & *chale*, compofitionem defignat. *Turni* vox Gallis & Germanis communis eft, & *monticulum, collem cacuminatum & rotundum*, quales fepulcrales etiam effe folent, denotat. P. Gaffendus in Notitia Ecclefiæ Dinienfis p. 18. Chartam affert, in qua legitur: *Quod poffit emere feu acquirere hofpitium five locum ad ædificandum, ubicunque voluerit, in civitate Dignenfi, dummodo extra torum feu montem* vel *fortalitium*. Anaftafius in Hift. Ecclef. p. 148. Theophanis verba πάντας τὴν παραλίαν ἐκτὸς vertit; *Omnes maritimos toros* id eft *aggeres, colles ac monticulos*. Apud Guil. Tyrium, Jacobum de Vitriaco, Matthæum Parifienfem & alios vox *toro*, *toronus*, *tyronus* pro colle & monte fæpius occurrit, & Cangius exempla in medium profert, quæ non exfcribimus. *Taurifci* populi olim & *Taurini* hinc dicti videntur, montofam regionem incolentes. Et in Stiria, quæ eft regio veterum Taurifcorum, plurima loca in *taurn* exeuntia adhuc cernuntur. Chaldæis quoque tefte Petro della Valle T. II. Ep. 1. *tor* mons audit, unde *Tauri* montis in Afia celeberrimi nomen. *Turnichalt* ergo eft *compofitio monticuli fepulcralis*, five *tumuli* disjecti & exfpoliati. Super mortuos enim tumulos & monticulos aggeftos fuiffe olim, infra docebimus. Monticulorum autem loco, cum cultiores & ditiores fierent Franci, *turres*, aut potius *turriculas* vel *pyramides* fuper fepulcra conftruxerunt. Gregor. Turonenfis de Gloria Martyr. T. I. c. 72. *Alius fuper fepulcrum fanctum* (Dionyfii) *calcare non metuens, dum columbam auream lancea quærit elidere, elapfifque pedibus ab utraque parte, quia turritus erat tumulus, compreffis tefticulis, lancea in latera defixa, exanimis inventus eft*. Chrifti fepulcrum, in veteri Miffali tempore Conradi Salici Imp. defcripto & picto, Helmftadii turriforme delineatum quoque me vidiffe memini. Eft ergo *turnichalt* proprie *compofitio tumuli*.

(2) *Parentes*.) Parentes, Gall. *parens*, funt fanguine proximi, agnati, cognati, qua voce jam Salluftius hoc fenfu ufus eft.

(3) *In offo*.) Tiliana & Pithœana editio habent *in noffo*, ut & Mss. noftra. Titulo vero LVIII. legitur *in naufo*. Gloffæ Pithœanæ: *naufo, farcofago ligneo*. Bignonius farcophagum Gallis fuis *nau* & *noue* dici afferit. Gregorius Turonenfis de Gloria Confefforum Sancta corpora pallis ac naufis exornata commemorat. Quamquam hic nec vulgo male legatur *palliis* & *mappis*. *Noffo* fcribitur in Leg. Henrici I. Regis Angl. c. 83. Dictus autem ita videtur farcophagus a fimilitudine cymbæ, quæ a Gallis aliquando *nau*, a Burgundionibus *nay* vocatur.

(4) *In petra*.) H. e. in *farcophago lapideo*.

(5) *Vafa*.) *Vas* medii ævi authoribus pro *farcophago* ufurpatum eft. Gregorius Turonenfis lib. I. Mirac. c. 89. *Factum eft autem, ut impletis diebus in Bafilica S. Vincentii fepeliretur, in qua ipfe fibi vivens vas depofuerat*.

(6) *Ariftatonem*.) Plerique commentatores hoc vocabulum de pallis, palliis & ftragulis, defunctorum tumbis & monumentis impofitis, exponunt. Sed errant; quod enim additur verbum *capulaverit*, hoc indicio mihi eft, *ariftatonem* ex ligno fabricatum, & ftructuram fepulcro impofitam fuiffe. Lex Salica editionis Lindenbrogianæ vel Pithœanæ Tit. LVII. leg. 3. habet: *Si quis Ariftatonem, id eft, ftapulum fuper hominem mortuum capulaverit*. Heroldi vero editio, quam nos hic explicamus, Tit. LVIII. leg. 4. hoc loco ponit: *Si quis Cheriftaduna fuper hominem mortuum capulaverit*. Jam *ftaplum*, quod tanquam fynonymum *ariftatonis* affertur, fignificat *erectum*, *ftatutum*, *conftitutum*, *ftatuam*, ut infra fufius exponemus. Et *richten* itidem apud nos eft *erigere*; dicimufque *ein haus richten*, erigere ædificium vel domum. Inde derivatur vetus *riftan*, *riften*, erigere, quod præcipue de lapidibus fupra fepulcra erectis in Monumentis Danicis apud Wormium ufurpatur. Sic e. gr. Lapis Tirftedenfis incipit *Asradr auk Hiltuur rifthu ftein thenfi* &c. h. e. *Asraderus & Hilturus erexerunt lapidem hunc*. In pronunciatione autem vulgo olim *a* præponebatur vocibus ab *r* incipientibus. Sic Anglo-Saxones *arethan* pro *richten*, erigere; *arifan* pro *rifan*, *rifen*, furgere, apud Benfonium, dicunt. Nos etiam *errichten* pro *erigere* habemus, quod olim *arrihtan* fcriptum fuit. Tatiani Harm. Evangelica c. IV. 14. *Inti arrihta horn heili uns*; & *erexit cornu falutis nobis*. Ab hujus præterito *arrichtet* vel *ariftet*, Latina terminatione data, prodit *ariftatum* & fubftantivum *ariftato*, quod eft *erectum*, *conftitutum*, *ftatua*, *monumentum*, *ftaplus*. Scio Wendelinum *ariftatonem* interpretari *Eereftaet*, h. e. *honorarium decus*; fed moribus fimplicibus veterum adverfatur hæc locutio. Longobardi multum ex moribus Francorum tenebant, ab uno populo, Germanis nempe, orti. De horum fepultura, quæ Paullus Diaconus lib. V. cap. 34. habet, non parum noftrum hunc locum illuftrant. Verba ejus funt: *Ad Perticas autem locus ipfe dictus eft, quia ibi olim perticæ, id eft, trabes erectæ fteterant, quæ ob hanc cauffam juxta morem Langobardorum poni folebant. Si quis enim in ali-*

quam

VI. (X.) Si quis hominem * dormientem expoliaverit, (MALB. *Chreo mosdo*) (1), IIIIM. den. qui faciunt solid. C. culpabilis judicetur.

TITULUS XVIII.

*De eo qui villam alienam adſalierit* (2).

I. SI quis villam alienam adſalierit, (MALB. *Alac Falthio*) (3), M. CC. den. qui faciunt ſolidos XXX. culpabilis judicetur.

II. Si quis villam adſalierit alienam, & ibidem oſtia fregerit, canes occiſerit, aut hominem plagaverit (4), vel in carro aliquid exinde duxerit, (MALB. *Turpha falchio*) (5), VIIIM. den. qui faciunt ſol. CC. culpabilis judicetur.

III. Et quidquid inde abſtulit, in locum reſtituat, & quicumque in ejus contubernio fuiſſe convicti ** fuerint, unuſquiſque eorum MMD. denar. qui faciunt ſolid. LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

TITULUS XIX.

*De incendiis.*

I. SI quis caſam quamlibet, intus dormientibus hominibus incenderit, ei cujus caſa eſt, (MALB. *Andebau*) (6), MMD. (7) den. qui faciunt ſolid. LXII. & dimidium, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Illi vero qui exinde evaſerint, unuſquiſque ex ipſis eum mallare debent, per Malberg ſeu Landeyevas (8);
&

* Al. *Ingenuum hominem furtu.* ** Al. *Supervenel.*

*quam partem, aut in bello aut quomodocunque extinctus fuiſſet, conſanguinei ejus intra ſepulchra ſua perticam figebant, in cujus ſummitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc verſa eſſet, ubi illorum dilectus obiiſſet; ſcilicet, ut ſciri poſſet, in quam partem is, qui defunctus fuerat, quieſceret.* Ita apud Francos quoque auream columbam in ſepulchro S. Dionyſii apud Gregorium Turonenſem lib. I. c.72. invenimus. Teſtamentum Perpetui Ep. Turonenſis apud Dacherium Tom. V. *columbæ argenteæ ad repoſitorium* meminit. Nota præterea, infra pro *ariſtatone* legi *cheriſtaduna*, de quo ſuo loco.

(1) *Chreo moſdo.*) Leg. *Chreo morda*, quod paullo ante expoſitum eſt. Quamquam hæc locutio huc non pertineat, niſi dormientem, tanquam corpus mortuum conſideratum dicere velit, cujus & ſpoliatio eadem mulcta luitur.

(2) *Adſalierit.*) Vide ſupra ad Tit. XIV. leg. 10. dicta. Adſalitio hujuſmodi violenta frequens fuiſſe videtur apud Francos. Unde & qui inimicos habuerant, cum iis aliquando paciſcebantur, ut ab adſalitione eorum tuti eſſent; ſibique etiam ſcripto ſecuritatem confirmari faciebant. Formula inter Andegavenſes quinta *ſecuritatem de ſuperſallicione*, ut vocat, hanc proponit; *Dum non eſt incognetum, qualiter aliquis homo, nomen illi, aliquo homine, nomen illo, mallavit de res ſuas, & ipſe illi male ei exinde numquam feciſſit. Proinde ipſi illi ante bonis hominibus convenit, ut hanc epiſtolam facere deberit, ut nullo umquam tempore contra ipſo agere non præſumat. Quod ſi illi, aut aliqua perſona ad vicem ſuam ipſa cauſa reſultare præſumpſerit, ſoledus tantus inter tibi & fiſco componere debiat, & quod repetit vindicare non valeat, & hæc ſecuritas firma permaneat.*

(3) *Alac Falthio.*) Lege *anafalchio*, & vide ſupra Tit. XVI. leg. 4. explicationem, quam dedimus.

(4) *Plagaverit.*) H. e. verberaverit vel vulneraverit. Vid. Cangius. Hinc Gall. *playe*, vulnus.

(5) *Turpha falchio.*) Hoc itidem redduntur verba, *villam adſalierit*, ut Tit. XVI. demonſtravimus. Prius illud *turpha* eſt ipſa vox noſtra *dorf*, *villa*, *pagus*. Menagius plura Normannicarum villarum nomina in *torp* exeuntia oſtendit, quæ Huetius a Saxonibus illata putat; ſed poſſunt etiam a Normannis, imo & a Francis orta eſſe. Omnes enim *dorf* pro *villa* apud ſe habuerunt. Tatiani Harmonia Cap. CLXXX. 1. *Tho quam ther Heilant in thas thorf, thas thar giquethan iſt Getſemane*; Tunc venit Jeſus in villam, quæ dicitur Getſemane. Idem Cap. CC. 5. *Quementan fon thorf*; venientem de villa.

(6) *Andebau.*) De incenſione domus hic agitur, uti leg. 7. ubi *Saldeban* ponitur, de incenſione ſpicarii; & leg. 8. ubi eſt *Saldeba* & *leosdeba*, de incenſione ſcuriæ & haræ. Titulus LXXI. de baſilicæ incenſione tractat, & ibi quoque *tibio* extat. Nam ita legendum eſt pro *tidio*. Titulus LXXIV. de *Chreodiba* inſcribitur, & de incenſione cadaveris agit. Unde concludo, *deba*, *diba*, *dibio*, *debau* & *deban* reddere verbum Legis *incenderit*. Nos ſibilo præfixo verbum habemus *ſtœven*, accendere, calefacere: unde *ſtube*, *hypocauſtum* formatum, cujus nomen jam Palladio notum fuit. Idem occurrit in Leg. Alamann. c. 81. §. 3. ubi Codices Metenſis & Corbionenſis *tubam* loco vulgari *ſtuba* ponunt. Bohemis *topiti* itidem *calefacere*, unde *Toplicenſibus* thermis appellatio. Apud Græcos etiam τύφειν pro *accendere* reſtat. Nos itaque & verbum *deban* pro *incendere* olim habuiſſe concludo. *An*, quid eſſe debeat, ex Codice Gvelferbytano apparet, ubi hic legitur: *Sel ane effefa*, & mox: *Sel ane effa*. Non dubito enim *effefa* & *effa* ex *deba* vel *deffa* corrupta eſſe. *Sel ane* autem clariſſime *domum quamlibet* nobis reddit. Paullo poſt *ſal* & *ſel* denotare *domum* demonſtrabimus. Et *ane* eſt noſtrum *ein*, *quilibet*, quod *an* olim elatum vel mille exemplis, ſi opus eſſet, probari poſſet. Verbotenus itaque verba, *caſam quamlibet incenderit*, reddita ſunt in Malbergo: *Sel* vel *Sal ane deba*. Cum hæc ſcriberet amanuenſis ſtupidus, *andedam* vel *andeuam* forte in mente habuit, quod fuit majoribus noſtris inſtrumentum ferreum ad commodius incendenda ligna. Ælfricus: *Andena vel tripes, brandiſen*. Plura apud Cangium. Occurrit in Capitulari de villis, & præfixo ei Breviario, ubi *andeda* ſcribitur. Sed ego, ut verum fatear, vocabulum hoc ex *andeba* Germanico a non intelligentibus corruptum puto. Si enim ſic ſcribitur, inſtrumentum *incenſorium* proprie nobis reddit, & res rei convenit.

(7) Alias *MMDC. den.*) Recte a Wendelino emendatum eſt: *MMD. den.*

(8) *Landevevas.*) Tit. XX. & XXI. invenitur *Landovevas*. *Land* eſt *terra*, *patria*, *regio*, *regnum*, unde apud Paullum Diaconum l. 1. c. 19. *Rugiland* interpretatur *Rugorum patria*
*tria*

& IIIIM. denar. qui faciunt ſolid. C. culpabilis judicetur unicuique eorum.

II. Et quidquid ibi perdiderint, in locum reſtituatur.

III. Si aliqui ibidem remanſerint (1), (MALB. *Leudi*) (2), IIIIM. den. qui faciunt ſol. C. culpabilis judicetur.

IV. Et ille qui incendium miſit, parentibus uniuſcujuſque defuncti VIIIM. den. qui faciunt ſolid. CC. culpabilis judicetur.

V. Secundum Legem Salicam hoc convenit obſervare, ut quicunque domum alienam arſerit (3), & is res, quas liberaverit, non habuerit ubi reponat.

VI. Si in Mallum vocatus fuerit, & is qui vocatus eſt non venit, ſi eum aut infirmitas aut Ambaſcia dominica detinuerit, vel forte aliquem de proximis mortuum intra domum ſuam habuerit, per iſtas Sumis ſe poterit homo excuſare; alias de vita componat, aut CC. ſol. culpabilis judicetur.

VII. Si quis Spicarium (4) aut Machalum (5) cum annona incenderit, (MALB. *Saldeban*) (6), MMD. denar. qui faciunt ſol.

---

*tria*, atque in Adnunciatione Caroli Calvi c. 5. *regni invaſio* dicitur *lantweri*. *Eva* porro *legem* deſignat. Capitulare de Partibus Saxoniæ c. 7. *Omnia tripliciter faciant reſtaurare, & ſecundum eorum euva componere*. Ibidem c. 10. *de malefactoribus, qui vitæ periculum ſecundum euva Saxonum incurrere debent*. Eadem vox *euva* pro *lege* in Legibus Bajoariorum, Alamannorum, Longobardorum, & Capitularibus Caroli M. occurrit. Vid. Lindenbrogii Gloſſarium, Sirmondi Notas ad Capitul. Edit. Baluz. p. 776. & ipſius Baluzii notas ad eadem Capitular. p. 1186. Goldaſtum item in Notis ad Parænetica. Gloſſæ Rabani Mauri Mss. *teſtamento, euu*. Gloſſæ Lipſianæ; *Euua, lex*. *Euun, lege*. *Euuenlari, legislatorem*. Gloſſæ Keronis: *lex, ewv*. Lege *evv*. Compoſitum hinc *Landeveva* vel potius *Landeseva* denotat *Legem patriam*, quam nos ſimili modo *landrecht* vocamus.

(1) *Si aliqui ibidem remanſerint.*) Germaniſmus eſt. Latine exprimendum eſſet: *Si aliqui ibidem mortui fuerint*: nos enim verbo *bleiben*, manere, remanere, utimur de mortuis in incendio, aqua, vel bello.

(2) *Leudi.*) Locutio hæc extat etiam hujus Tituli leg. 9. item Tit. XXII. leg. 1. & Tit. XLIV. leg. 1. & 6. Ubique *compoſitionem pro homine occiſo* notat. Obſerves autem *Leudes* apud veteres eſſe eos, qui ſub Principis cujuſdam juriſdictione ſunt, ſive, qui ductum Principis cujuſdam ſequuntur. Unde a noſtro *leiten* vocem hanc derivatam apparet. Gregorius Turonenſis lib. IX. c. 20. *Leudes illi qui domno Guntchranno poſt tranſitum domni Chlotarii ſacramenta præbuerunt*. Appendix Gregorii cap. LIV. *Chlotarius cum proceribus & leudibus Burgundiæ Trecaſſinis conjungitur*. Eadem cap. XLI. *Burgundiæ barones vero tam Epiſcopi, quam cæteri leudes timentes Brunichildem*. Geſta Regum Francorum cap. 13. *Vivat Rex, qui tales habet leodes*. Charta Dagoberti Regis apud Browerum lib. VII. Annal. Trevirenſium; *Manu id propria cum luidis noſtris ſubter firmavimus*. Plura alia loca prætereo apud Gloſſographos videnda. Nobis vulgo *leute*, olim *liuteo*, & Angloſaxonice *leoth* denotat *populum*. Kero: *populi, liuteo*. Gloſſæ Rabani Mauri Mss. *Tyri, liuti*. Eædem: *Argivi, liuti*; ſpecie ſcilicet pro genere poſita. In Iſidori fragmento ſimiliter *liudi* pro populo ponitur pag. 246. 247. 258. 269. & in Notkeri Pſalterio Pſalm. XIII. 4. & 5. Gloſſæ Junianæ: *Liutkiſemine, cœtu*. Eædem *Liutpaga, heimſtrit, ſeditio*. *Liutſtal, heriuuahta, ſtationes*. *Liutzorahto, publice*. Hymnus Francicus XXI. 5. *Liutkaëlilentot*; plebs captivata. Hymnus XVII. 2. *Inallemo liute*; in univerſo populo. Idem vocabulum deinde pro *homine* in genere adhibitum eſt. Otfridus lib. IV. c. 5. *Thio fordoron liuti*; homines qui ante erant. Ibidem: *Gab antuuurti ther liutſcar, reſpondebat multitudo populi ſive hominum*. Idem lib. III. c. 12. & lib. IV. c. 8. *liutſtam* pro *hominibus* uſurpat, & nobis *leute* ſunt *homines*. Hinc & *leudis* & *leudum* adhibetur pro *compoſitione hominis occiſi*, quæ alias & *werigildum* dicitur. Veteres Gloſſæ apud Cangium: *Leudum, compoſitio ſive Widrigild*. Gloſſæ Helmſtadienſes: *Leudus ejus jacet finitus, id eſt weregildus*. Lex noſtra Tit. XXXIX. *leudem*, & Tit. XLV. leg. 16. *leodem* vocat. Lex Anglorum Tit. VI. leg. 5. *Ad quemcunque hæreditas terræ pervenerit, ad iſtum veſtis bellica, id eſt, lorica, & ultio proximi, & ſolutio leudis debet pertinere*. Lex Salica edit. Lindenbrogianæ Tit. XXXVII. leg. 8. *Si ſervus ingenuum hominem occiderit, ipſe homicida pro medietate compoſitionis hominis parentibus tradatur, aliam medietatem dominus ſervi ſe noverit ſoluturum, aut ſi legem intellexerit, potuerit ſe obmallare, ut leudem non ſolvat*. Eodem plane modo ibidem Tit. XLIII. leg. 11. & Tit. LV. 6. 7. Capitulare triplex anni 808. c. 2. *Et ſi de morte evaſerit, ipſe ipſam liudem recipiat, & liber poſtea remaneat*. Plura exempla non congero, cum apud Cangium evolvi poſſint.

(3) *Arſerit.*) I. e. fecerit, ut ardeat, vel incenderit.

(4) *Spicarium.*) Belgis *Spiicker*, nobis *ſpeicher*, *olim horreum* ſive locus recondendis ſegetibus deſtinatus, atque a *ſpicis* dictus. Pithœus ex veteribus Gloſſis *ſpicarium* horreum cum tecto, *macholum* vero horreum ſine tecto interpretatur. In Ms. uno Guelferbytano *Spigarium* exaratum eſt. Jam ſignificat quamcumque *cellam penariam, armamentarium, granarium, horreum*. Belgis *ſoutſpiicker*, cella ſalaria, ſalina.. Vox hæc in Breviario rerum fiſcalium Caroli M. & apud alios veteres frequenter obvia eſt.

(5) *Machalum.*) Pithœo *horreum ſine tecto*. Campanis in Gallia *machau*. Reliquæ editiones hic *macholum* ſcribunt, & unum ex Mss. Guelferbytanis *moſſolum*.

(6) *Saldeban.*) *Sal* eſt domus vel ædes curtis præcipua. Lex Alemann. c. 81. *Si quis ſuper aliquem focum in nocte miſerit, ut domum ejus incendat ſeu ſalam, XL. ſolidis componat. Si enim domum infra curtem incenderit, XII. ſolidis componat*. Lex Longobard. lib. I. Tit. XI. *Si quis ſervum alienum bubulcum de ſala occiderit, componat ſolidis XX. Si quis ſervum alienum ruſticanum, qui ſub maſſario eſt, occiderit, componat ſolidis XVI.* Ibidem notanter legitur; *Si quis Porcarium, aut caprarium ſeu armentarium occiderit, magiſtrum tamen, componat ſolidis XX. De illis vero Paſtoribus dicimus, qui apud liberos homines ſervierunt, de ſala propria exierunt*. Ex quibus clarum, *ſala* deſignari liberi hominis vel domini habitationem. Synodus Ravennatenſis anni 877. c. 17. *Cortes, maſſas, & ſalas*. Ottonis Imperatoris diploma apud Ughell. Ital. Sacr. T. VII. p. 1294.

ſol. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur.

VIII. Si quis Sudenn (1) cum porcis, ſcuriam (2) cum animalibus, vel fœnile incenderit, (MALB. *Saldeba* (3) *leosdeba*) (4), MMD. denar. qui faciunt ſolidos LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

IX. Et ſi aliquid non remanſerit ibidem, (MALB. *Leudi*) VIIIM. denar. qui faciunt ſolid. CC. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

X. Si quis cuncida (5) alienam capulaverit, (MALB. *Bila*) (6), DC. denar. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis judicetur.

XI. Si quis vero cuncida, vel ſepe incenderit, (MALB. *Bica* *) DC. den. qui faciunt ſolidos XV. culpabilis judicetur.

T i-

* Al. *Bicha, bitcheo.*

---

1294. *Hæc ſupra dicta petia de terra cum caſa, quod eſt ſala*. Plura exempla Cangius habet. In Decreto Taſſilonis §. 14. *ſaliſu.hen* interpretatur *domiſcrutinium*. Notat Rudbeckius Joh. XI. v. 23. *porticum Salomonis* in Codice Ulfilæ verti *ubizali*, pro quo Junius & Stiernhielmius erronee legerunt *ubizvai*. Pro *domo Dei* ſive templo occurrit ſæpius in Notkeri Paraphraſi Pſalterii, Pſ. X. 4. *Diu glougibiſela iſt gotes ſal*; anima fidelis eſt Dei domus vel templum. Pſ. XLVII. 10. *Die gotes ſal heizent*; qui Dei templum audiunt. Pſ. XXXIV. 8. *Diſer ſprah., ih zeſtore daz gottes ſal, unde in drin tagen uuidir zimberon ibiz*; Hic ait, me deſtruere hoc Dei templum, & tribus diebus idem me reædificare. Pſ. XVII. 8. *Unde fone demo ſinemo heiligen ſali uernam er mina ſtimma*; Et exaudivit de templo ſuo vocem meam. Pſalm. XXVIII. 2. *Petet in ſinemo ſala*; adorate in atrio eius. Ut hic pro principe ædis parte *ſal* accipitur, ita idem Notkerus alibi diminutivum *ſelida* pro *quavis manſione*, quod & Otfridus facit, uſurpat. Pſ. XXX. 21. *Ze eigenen ſeledon*; ad propriam habitationem. Pſ. XXXII. 14. *Fone ſinero ſelida, die er gareta, ſah er*; de præparato habitaculo ſuo reſpexit. Pſ. CXVII. 16. *da dere rehten ſelida ſint*; in tabernaculis juſtorum. Pſ. CVI. 7. *Zuo dero burc dero euuigun ſelidon.*; in civitatem æternæ habitationis. In Gloſſis quoque Lipſianis *Salethu* eſt *tabernaculum*; unde nos *zelt* potius quam a *tenta* feciſſe ſtatuo. Apud Tatianum pro *manſione* etiam reperitur: cap. CLXII. 1. legitur: *In mines faters huſe manag ſelida ſint*; In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Cap. LI. 2. apud eundem pro *nido* adhibetur in his verbis: *Fohun habent loh, intihimiles fugala ſelida*; vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos. *Selida* autem hoc cum ceteris diminutivum a *ſal*, domus; *ſal* vero ipſum, ſibilo ſolum præpoſito idem cum *al*, quo pro *domo Dei* antiquiſſima Harmonia Cottoniana, atque etiam Lex Salica inferius utitur, mihi eſſe videtur. Derivandum ergo eſſet ab *holen*, *halen* veteri & Saxonico, quod Germani *halten* enunciant, & vulgo iis continere, ſervare, ſignificat; ut eſſet proprie locus, qui continere, atque ab injuriis aeris & tempeſtatum tutos ſervare homines poteſt. Deinde pro *domo majori* ſive *æde Principali* vel *Regali* in uſum venit. Ita legitur in Breviario rer. Fiſcal. Caroli M. *Invenimus in Aſnapio fiſco dominico ſalam regalem ex lapide factam optime, Cameras III. ſolariis totam caſam circumdatam, cum piſilibus XI. infra cellarium I. porticos II. Alias caſas infra curtem ex ligno factas XVII.* Ampliſſime igitur jam demonſtratum eſt, *ſal* eſſe *domum herilem* ſive *præcipuam in curte*. *Saldeba* ergo, quod & hujus Tituli leg. 8. pro *ſalbeba* reſtituendum eſt, erit idem *ac domum vel manſionem incenderit*. Ultima locutionis pars *deba* poterit & *debo* ſcribi; unde hic in leg. 1. cernitur *debau*, Gallico more *au* pro *o* poſito. Ultimum vero *u* ab amanuenſi oſcitanter inverſum atque in *n* mutatum *deban* illud, quod in lege præſenti legitur, peperit. Reſtituendum ergo & hic eſt *ſaldebau* vel *ſaldebo*.

(1) *Sudenn*.) Haram. V. ſupra ad Tit. II. leg. 3

(2) *Scuriam*.) Stabulum; unde Galli ſuum *ecurie* de ſtabulo equorum uſitatum habent. Proprie eſt *locus tectus*. *Schur* enim Saxonibus adhuc audit quivis locus, ubi aliquid ab injuria aeris defendi & tegi poteſt. In Lege Alemannorum *ſcuria* & *granea* tanquam cognata ponuntur. Nobis adhuc *ſcheure* & corruptius *ſcheune* eſt *horreum*. Apud Teſchenmacherum in Annal. Clivenſibus occurrit *Gerardus Schurerius* alias *ab Horreo* dictus, Adolphi & Joannis Cliviæ Ducum Secretarius, qui Chronicon ſcripſit, in quo Principum Clivenſium & Markenſium originem & ſucceſſionem uſque ad annum 1452. deduxit; idem Dictionarium Latino-Germanicum & Germanico-Latinum confecit, quod *Teutoniſtam* inſcripſit, aliquoties & in hoc opere a nobis citatum. Nec incongrue de ſtabulo & horreo una vox adhibetur, utriuſque enim uſum habet, & cum in ſuperiori ſua parte contineat fruges & fœnum, in inferiori animalia adhuc collocantur. Gloſſarium Lindenbrogianum, *Scuria, ubi manipuli vel fœnum reponitur, ſcura*.

(3) *Saldeba*.) Videtur hoc ex præcedenti periodo huc translatum fuiſſe, atque ita alieno loco ſtare.

(4) *Leoſdeba*.) Cum in Suevia agerem, ſæpius audivi *ſuem* ibi *laos* dici. Megiſerus in Dictionario Polyglotto: *Sus* Germ. *ſchwein*, *ſauw*, *moor*, *loos*. Pictorius in Dictionario Helvetico-Latino: *Loos*, porca, *ein mutter-ſchwein*, *mor*, *ſcropha*. Unde clarum eſt per *Leosdeba* reddi Germanice: *porcos incenderit*.

(5 *Cuncida*.) Hic eſt, ut recte Wendelinus exponit, *ſepimentum*, quod fit circum agros ac fundos, cum leviter ſemicæſa virgulta proclinantur, implicanturque invicem perpetua textura, eaque interim ſuccreſcente, quod firmiſſimum eſt ſepium genus. Nos talem concidam in Saxonia *knick*, ab infractione, & incurvatione virgultorum, & alio nomine *Hecke*, *hagen*, *hayn* ab *hauen* vel *hacken* ſive *incidendo* vocamus. Alia exemplaria habent: *conciſam vel ſepem* (quod & leg. ſeq. extat) atque ita explicationem addunt. Monachus S. Gallenſis in Vita Caroli M. lib. II. c. 2. *Inter quorum confinia plantabantur arbuſculæ, quæ ut cernere ſolemus, abſciſſæ atque projectæ comas caudicum foliorumque proferunt*. *Concides* interim & *conciſa* etiam apud veteres uſurpantur de arborum everſarum ſtrage, itineri præcludendo, quod nos *ein verhau* nominamus.

(6) *Bila*.) Sequenti paragrapho idem ſcribitur *Bica*: & Heroldus in aliis exemplaribus *Bicha* & *Biggeo* invenit. Ego vero ubique *bica*, *hicha*, *higgeo*, legendum omnino cenſeo. *Indago* enim ſive *concida*, quæ nobis *hegge*, *hecke*, *hage* dicitur, olim etiam *hege* vocata fuit, uti ex nomine fluminis *Hegidoræ* apud Rheginonem videmus, quod proprie *indaginis portam* ſignificat, & flumini inditum eſt a tranſitu per indaginem, quæ illi prætenſa a Danis erat. Indagines enim eo tempore muro-

## Titulus XX.

### *De Vulneribus.*

I. SI quis alterum voluerit occidere, & colpus (1) præterfallierit, (Malb. seu *Landovevas*), MMD. den. qui faciunt sol. LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

II. Si quis alterum de sagitta toxicata (2) percutere voluerit, similiter (Malb.) & causam superius convenit observare.

III. Si quis hominem plagaverit (3), & sanguis ad terram cadit, & ei fuerit adprobatum, (Malb. *Charfrido* (4) *) (5), DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur.

IV. Si quis hominem in capite plagaverit, & exinde ossa exierint, (Malb. *Charfrido*) MCC. den. qui faciunt solid. XXX. culpabilis judicetur.

V. Si quis hominem ita plagaverit, ut cerebrum appareat, & tria ossa desuper cerebro exierint, (Malb. *Aude afenus*) (6), MDCCC. denar. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur.

VI. Si vero intra costas aut in ventrem, ita ut vulnus ad interanea (7) pervenerit, & sem-



* Al. *Leodardi*.

rorum & vallorum loco ponebantur. Ex *hege* factum est *higa* & reliqua, quibus Malbergus *sepem* & *concidam* Germanice appellavit.

(1) *Colpus.*) Gloss. ictus, & restat hoc sensu apud Italos *colpo*, & apud Gallos *coup*. Hispani dicunt *golpel*, & Græci recentes corruptius κόρπος. Pithœus & Bignonius a *colaphus* derivant. Sed errant, Germanicum enim est. Habemus nos verbum *kloppen*, *klopfen*, acriter ferire; inde venit *kolbe*, clava, fustis major, & barbarum *colpus*, ictus. Recurrit sub hoc Titulo leg. 7. Formulæ veteres apud Bignonium c. 29. *Hic juro .... quod homo aliquis ... cum armis suis super me venit & colpus super me misit, & sic mibi dominus directum dedit: ego ipsum de armis meis percussi, & tales colpus ei dedi, pro quibus mortuus est.* In Formula Andegavensi VI. corruptissime hæc vox *cobebus* pro *colebus*, *colpus*, scripta est. Verba ejus ita habent: *Dum non est incognitum, quia ante hos dies aliquos homo nomen illi, litem in via publica aput illo ei habuit & cobebus super eum ipsi illi posuit: sic taliter convenit ipsius homo admediantis bonis hominibus, ut hunc securitate ipsus homo de ipsus cobebus seu & de ipsa lite, quem aput mibi abuit, facere deberit* &c. Lex Salica inferius Tit. XLIII. leg. 1. seq. pro *colpus* scribit etiam *colaphus*.

(2) *Sagitta toxicata.*) Evolvantur, quæ hic annotavit Hier. Bignonius apud Baluzium Capitular. p. 835.

(3) *Plagaverit.*) Plagas intulerit, vulneraverit.

(4) *Charfrido.*) *Frido* est *fredum*, & ipsum nostrum *friede*; sed eo sensu usurpatum, ut significet *compositionem fisco debitam*, qua a Rege vel magistratu *securitas & pax* obtineatur, ob crimen admissum deperdita. Vide, quæ notavimus supra ad Tit. XIV. leg. 5. In Codice Guelferbytano leg. 4. & 5. ubi de plagatione in capite agitur, legitur *chicsiofrit*. Cum vero nobis *geck* sit *officulum cranii pone utramque aurem*, puto *gecs*, vel *gicsfrit* esse *læsi hujus officuli compositionem*. Idem leg. 6. ubi de intestinorum læsione sermo est, & Tit. XXVIII. lege ultima. sive, secundum exemplar nostrum Tit. XXXII. leg. 17. ubi de castratione dicitur, utitur verbo *gasferit*, quod ego corruptum existimo ex *watsfrit*, quod *intestinorum læsorum compositionem* denotat. Galli enim *w* nostrum suo *g* exprimunt, & *t* ante *s* facillime in pronunciatione a sequenti consona absorbetur. *Char*, si Gallico more efferatur, *schar* sonat, & *incisionem* sive *vulnus* significat. *Schæren* est *scindere*, unde *sckere*, instrumentum cisorium. In Lege Alamannorum Cap. LX. leg. 3. *auris abscissio* redditur *orschardi*. In Lege Bajuariorum Tit. III. c. 1. §. 4. venæ percussio *athargrati* vocatur; ubi legi debet *atargarti* vel *atarscharti*. Ibidem *auris abscissio*, *lidiscarti* vertitur, & *lidi* illud nostrum *glied* est. Nobis *scharte*, *crena* dicitur. In Glossario Ms. Rabani Mauri *rasi* vertitur *scar*. *Charfrido* hinc verbotenus & hic & paragrapho sequenti est *compositio vulnerationis*.

(5) In calce, *Leodardi*.) Vide supra ad Tit. VI. leg. 1. quæ monuimus.

(6) *Aude afenus.*) Prior vox neque *haut*, cutis, neque *haubt*, caput, restitui potest, quanquam sensus congrueret. Veteres enim *hud* & *hubet* scribebant. Litera *a* in *h* mutata (quod si majuscula scribitur, facile fieri potest) ipsum *hude* adesset. Sed ita *cutis apertura* sive *vulnus* nominaretur, quod in antecedentibus legibus *char* vel *schar* jam redditum est. In hac vero lege cum speciatim de læsione capitis vel cranii agatur, necessario *hubet* restituendum est, quod & *huobit* aliquando scribitur. Tatianus LI. 2. *Uuar her sin huobit inthelde*; ubi caput reclinet. Glossæ veteres apud Lazium: *Metropoles*, *hubetburge*: id est verbotenus, *capitales civitates*. Quod sequitur *Afenus* est nostrum *Oeffeniss*, Westphalis nostris *apenis*, Germ. *oeffnung*, apertura, ab *oeffnen*, aperire, derivatum. Glossæ Keronis: *Publicare*, *offanon*, *publice*, *offanlihho*. *Patefacere*, *offantuan*. Glossæ Rabani Mauri Mss. *Palam*, *publice*, *offano*. *Patefacit*, *offantoit*. *Evidens*, *offanlihho*. In Tatiani Harmonia & Isidori fragmento similia frequenter occurrunt. Cum *a* ab initio etiam veteribus scriptum fuisse, discimus ex barbara voce *Apennis*, quæ in Formulis Andegavensibus aliquoties observatur, & nomen est Chartæ, qua furtum vel latrocinium erga aliquem commissum & damnum inde perceptum a judice & testibus describitur, & omnibus aperitur ac manifestatur, charta hac in publico foro suspensa. Tres *Apennis* hujusmodi Formulæ c. XXXI. XXXII. & XXXIII. loco citato extant. Quæ medio est loco, ita finitur: *Et pro præsente & futura tempora convenit, ut hanc cartola, qui vocatur Appennis, præfatorum seniorum vel reliquorum civium eorum manebus roboratas acciperet, adfirmare deberet, quod ita & fecit: ita ut duo Appennis coæqualis ex hoc affirmatus accipiat, unum, quem ipsi apud se retineat; & alium, quem in foro puplico suspenditur. Facto Appenni.* Quæ si consideres, *Apennis* idem est ac illud, quod nos *manifestum* appellamus, sive scriptum, qua quid omnibus vulgo manifestatur atque aperitur; nec ideo a Salico *afenus*, apertura, differt. *Hubet afenus* autem hac ratione denotat *capitis aperturam* sive plagationem, *ut cerebrum appareat*.

(7) *Interanea.*) Intestina, quæ sunt intra corpus. Apud Plinium lib. VIII. 27. & XXX. 7. *interanea* scribitur. Vet. Glossæ: ἔγκατα, *intestina*, *interania*, *exta*. Item: *Interanea*, ὄπτρα. Atque ab hac voce Misnicum *Inster* pro in-

& ſemper currat (1), & non ſanat, (Malb. *Frioblitto*) (2), MMD. denar. qui faciunt ſolid. LXII. cum dimidio, excepta medicatura (3), pro qua ſolidos VIIII. componat, qui faciunt denar. CCCLX.

VII. Si quis ingenuus ingenuum cum fuſte percuſſerit & ſanguis tamen non exierit, uſque ad tres colpos, (Malb. *Wadfaltho*) (4), CCCLX. den. qui faciunt ſolid. VIIII. culpabilis judicetur, id eſt, per (5) unumquemque ictum ſemper ternos ſolid. ſolvat.

VIII. Si vero ſanguis exierit, taliter culpam (*6*) componat, quantum ſi eumdem ferramento vulneraſſet, hoc eſt DC. den. qui faciunt ſolid. XV.

IX. Si quis alius clauſo pollice ter alium percuſſerit, (Malb. *Wadefaltho*), CCC. LX. den. qui faciunt ſol. VIIII. culpabilis judicetur, ut pro unoquoque ictu ternos ſolidos componat.

X. Si quis alterum in via adſallierit *, & eundem raubaverit (7), (Malb. *Chaeroeno*) (8), MCC. den. qui faciunt ſolid. XXX. culpabilis judicetur.

* Al. *Caperit.*

XI. Si quis alterum in via adſallierit, & expoliare tentaverit, & ille fuga evaſerit, (Malb. *Mosdo*) MCC. den. qui faciunt ſolid. XXX. culpabilis judicetur.

## TITULUS XXI.

### *De eo, qui hominem innocentem apud Regem accuſaverit.*

I. SI quis hominem innocentem abſentem apud Regem accuſaverit, (Malb. *ſeu Landovevas*), MMD. den. qui faciunt ſolid. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur.

II. Si vero tale crimen ei imputaverit, unde mori debuiſſet, ſi verum fuiſſet, ille qui eum accuſaverit, VIIIM. den. qui faciunt ſol. CC. culpabilis judicetur.

## TITULUS XXII.

### *De Maleficis* (*9*).

I. SI quis alteri herbas dederit (1)

---

*inteſtinis* derivandum eſt, ex *interanea* nempe, *inter*, *intzer* & tandem *inſter* facto.

(1) *Semper currat.*) Scil. *Sanguis.*

(2) *Frioblitto.*) Hoc verba *ſemper currat ſanguis* exprimuntur. *Blitte* eſt *ſanguis currat*, a verbo *bluten*, ſanguinem fundere. *Blitte* autem ſcribitur Gallico more, quibus *u* & *i* fere conſonant. Quamquam ego prius *i* in *blitte* hoc ex *a* corruptum puto, ut exaratum initio fuerit *bluate* vel *bluote* ſecundum veterem orthographiam. Sic Tatiano Cap. LX. 3. *bluotesfluz* eſt *fluxus ſanguinis*. *Frio* eſt particula *fer*, *ver*, quæ ſignificationem auget, litera *r* tranſpoſita, ut in *vor*, pro; in *fram*, *fern*; in *vremeke*, *wermuth*; in *friſch*, *ferſch*; in *wrægen*, *wircken*, etiam factum eſt olim. Et ſic *Frioblitto* idem eſt ac *verblute*, *verblutete*, hoc eſt, *ſemper currat ſanguis*. Verbo *verbluten* hoc ſenſu utimur etiam nunc, quando de ſanguine e vulnere inceſſanter currente verba facimus.

(3) *Excepta medicatura.*) Hoc eſt *pretio*, *quod Chirurgo pro vulneris curatione datur*. In Codice Guelferbytano hic legitur: *De medicatura vero Malb. Andechabing, ſunt ſolidi VIII. culp. jud.* ubi notandum *medicaturam* reddi *andechabing*, hoc eſt, *entgelung* ſive *gegengebung*. Veteribus enim *ant* eſt *contra*, *adverſus*, & *geben*, dare. Verbotenus itaque hoc *andechabing* deſignat *contradationem*, ſive *medicamentum quod ægroto adverſus vim morbi datur a Medico*: & hinc noſtrum *eingeben* corruptum.

(4) *Wadfaltho.*) *Wade* h. l. ſunt *interanea*, *viſcera*. Kilianus in Etymol. Belgico: *Weyde*, *geweyde*, *ingeweyde*, *ingewand*, *viſcera animalium*, *exta*. Communiter etiam eodem ſenſu nos *ingeweyde* dicimus, & olim quoque *weide* ſimpliciter habuimus; unde reſtat formatum *weidewund*, inteſtina læſa, & *weidwund ſtechen*, trajicere, confodere viſcera gladio. Pro *faltho* ſcribendum forte *paltho*. Fuit enim apud nos olim verbum *ballen* & *balten*, quod *ferire*, *tundere*, *pulſare* denotavit, & in derivatis ſuis nobis reſtat. Inde enim *boltze*, ſagitta & cuneus, qſ. *feritor*. *Anabylt* Teutoniſtæ *incus* eſt, *in quem feritur*, *qui pulſatur*. *Beule*, *contuſio*, *tumor ex contuſione*. Unde *Wadfaltho* & rectius *wadpaltho* ſignificabit, *contuſionem fecerit*, ſive etiam *percuſſerit*, *ut ſanguis non exierit*.

(5) *Per.*) Hic ponitur pro Gallico, *pour*, pro.

(6) *Culpam.*) Hoc pro *colpo* hic poſitum eſt.

(7) *Raubaverit.*) *Raubare* recurrit Tit. XXXIV. & LXIV. & eſt noſtrum *rauben*, Sax. *roven*, ſpoliare.

(8) *Chaeroeno.*) *Chæ* eſt particula *ge*, con, & *roeno*, ſpolium. A *rauben*, *roven*, ſpoliare, formatum olim fuit verbum *ronen*, *ranen*, ejuſdem ſignificationis, unde in Anglo-Saxonicis monumentis & Danica lingua vox *ran*, rapina, ſupereſt. Leges Henrici I. & Guilielmi Nothi *ran* interpretantur *apertam rapinam*. Frequens quoque eſt hoc *ran* in Legibus Juticis & ſpecies ejus in Blaſ. Ekenbergeri Repertorio Leg. Jutic. alphabetico diverſas invenio. E. gr. *hantran* ibi eſt rapina rerum minutiorum quæ manu portantur; *boran* rapina manſionis; *jordran*, deprædatio campi; *valran*, rapina demortui corporis; *ſtygran*, rapina naufragorum &c. A verbo *roven* compoſita facta ſunt *geroven*, ſive, ut hic ſcribitur, *chæroenen* & *charouuen*, quæ etiam *raubare* & *ſpoliare* ſignificant, unde *chæroene*, & Tit. XXXIV. *chereno*. Tit. vero LXIV. *harouueno* & *charouueno* derivata, quæ idem quod *ran*, hoc eſt *ſpolium*, *rapinam* deſignant.

(9) *De Maleficis.*) Libro IX. Cod. Tit. XVIII. agitur quoque *de Maleficis & mathematicis & cæteris ſimilibus*. Malefici hi hoc Codicis & noſtræ quoque Legis loco vocantur *venefici* & *incantatores*, qui carminibus, præſtigiis & malis medicamentis hominibus nocent. Gloſſæ Mss. Lindenbrogii: *Malefici*, *dæmonum cultores & incantatores*. Loco citato Codicis leg. V. *Chaldæi*, *ac magi & cæteri*, *quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat*. Ubi pro *magnitudinem* forte *magnitatem* legendum eſt. In Cod. Theodoſian. lib. IX. Tit. XVI. leg. 4. eadem repetuntur; & leg. 6. additur: *Si quis magus vel magicis carminibus adſuetus*, *qui maleficus vulgi conſuetudine nuncupatur* &c. Utræque

(1) bibere ut moriatur, (MALB. *Affectu* (2) *Leudi*) VIIIM. den. qui faciunt ſol. CC. culpabilis judicetur (3). Et ſi is, cui maleficium fecerit, evaſerit, (MALB. *Thoweſpho ac faltho*) (4), MMD. den. qui faciunt ſolid. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur.

II. Si quæ mulier alteri mulieri maleficium fecerit, ut infantem habere non poſſit,



que leges Conſtantium & Julianum authores habent. Lactantius Lib. II. c. 16. *Sed eos magi, & ii, quos vere maleficos vulgus appellat, cum artes ſuas execrabiles exercent, veris ſuis nominibus cient.* Auguſtinus de Civitate Dei lib. X. c. 9. *Qui quaſi conantur iſta diſcere, & illicitis ritibus deditos alios damnabiles, quos & maleficos vulgus appellat.* Maleficorum horum artes vetitas Lactantius de Mortibus perſecutorum Cap. 22. *malas* appellat. His adde quæ Cangius de maleficis profert, & Jacobi Godofredi Notas ad Codicis Theodoſ. loca citata.

(1) *Herbas dederit.*) Herbas dare eſt veneficis potionibus alicui vitam vel mentem auferre. Formulæ veteres c. 34. *Ego herbas maleficas, nec potiones malas unquam temperavi, nec bibere dedi, per quod ipſe infirmus vel inſanus fuiſſet, aut vitam ſuam perdere debuiſſet.* Gallis & Hiſpanis hinc *inherbare* pro *herbas dare* dicitur. A *geben* vero *dare*, ſc. *herbas* vel *venenum*, majores noſtri formavere *gift*, quod proprie *dationem*, ſc. veneni, denotat. Gloſſæ Latinæ Regis Galliæ: *Veneficus, qui venenum dat, herbarius.* Fredegarius in Hiſt. Epitom. Francorum c. 56. *Clamant & filii negligentes matrem herbariam & meretricem.* Halitgarius in Pœnitent. c. 10. *Herbarius vir aut mulier, interfectores infantum* &c. Capitula ad Legem Alemannicam c. 22. *Seu ſtria aut herbaria ſi ſit.* Ex *herbarius* corruptum puto Helvetiorum *herberger* & Legis Salicæ *Chervioburgum* pro venefico. Vid. infra Tit. LXVII. leg. 1.

(2) *Affectu.*) Herbas dare, & maleficium facere ſynonyma fuere, ut ex hac ipſa lege & ſequentibus apparet. Cum autem mox verba, *maleficium fecerit*, reddantur: *thoweſpho ac faltho*, ego eadem & hic reponenda exiſtimo, eo, quo mox dicam modo reſtituta.

(3) *Sol. CC. culpabilis judicetur.*) Ms. Guelferbytanum addit: *aut certe ignem tradatur.* Hoc ultimum Chriſtianiſmum ſapit: ante quem mitius cum veneficis actum & pœna pecuniaria ſaltem impoſita. Apud Ætolos Othobuta Proxenum maritum ſuſtulit veneno. Damnata eo crimine, inquit Livius, abiit in exilium. Sacræ literæ maleficos vita privandos ſtatuunt. Quia autem plus eſt hominem extinguere veneno, quam occidere gladio, ut Antoninus Imp. Cod. lib. IX. Tit. XVIII. leg. 1. loquitur, ideo Conſtantius & Julianus ibidem leg. 6. ordinavere, *ut qui magicis artibus uſi, audeant elementa turbare, vitam inſontium labefactare, & manibus accitis ventilare, ut quiſque ſuos conficiat malis artibus inimicos, hos, quoniam naturæ peregrini ſunt, feralis peſtis abſumat.* Quid feralis peſtis hic denotet, interpretes diſputant. Græci Baſilicorum expoſitores Lib. LX. Baſil. & Balſamo *beſtiarum ſupplicium*, quaſi in quo feræ adhiberentur, intelligi putant. *Peſtem* pro interitu ſive morte poni certum eſt. Rævardus interim *feralis* vocem *vivi comburium* inferre credit, ſic dictum, quaſi eo ſupplicio iiſdem Diis manibus conſecrando reo, qui magicis eos artibus inquietaſſet. Nam & in feralibus ſeu funeribus & cadavera combuſta & ignis ad officium mortuorum adhibitus. Vid. Gothofredus ad Cod. l. c. Tom. III. p. 121. ſeq. Ut autem clarius pateat, quomodo Franci proceſſum contra maleficos olim inſtituerint, lubet ex Gregorio Turonenſi triſtia Mummoli Præfecti Regis Chilperici fata referre, cui Regina imputabat, quod mortem filii maleficiis procuraſſet. Verba ejus Lib. VI. Hiſt. Franc. cap. 35. hæc ſunt: *Nunciatur Reginæ puerum, qui mortuus fuerat, maleficiis & incantationibus fuiſſe ſubductum, ibique Mummolum præfectum, quem jamdiu regina inviſum habebat, conſcium eſſe. Unde factum eſt, ut epulante eo in domo ſua, quidam de aulicis Regis puerum dilectum ſibi, qui a dyſenteria correptus fuerat, lamentaretur. Cui præfectus reſpondit: Habetur mihi herba in promptu, de qua ſi dyſentericus hauriat, quamlibet deſperatus ſit, mox ſanatur. Nunciatis his Reginæ, majore furore ſuccenditur. Interea adprehenſas mulieres urbis Pariſiacæ tormentis applicat, ac verberibus cogit fateri, quæ noverant. At illæ confitentur ſe maleficas eſſe, & multos occumbere leto ſe feciſſe teſtatæ ſunt, addentes illud, quod nulla ratione credi patior: Filium, ajunt, tuum, o Regina, pro Mummoli præfecti vita donavimus. Tunc Regina tormentis gravioribus mulieribus affectis, alias enecat, alias incendio tradit, alias rotis oſſibus confractis innectit & ſic Compendium villam una cum Rege ſeceſſit: ibique univerſa Regi, quæ de Præfecto audiverat, revelavit. Rex vero miſſis pueris juſſit eum arceſſiri, diſcuſſumque catenis onerant & ſuppliciis ſubdunt. Trabi poſt tergum revinctis manibus adpenditur, & ibi quid maleficii noverit, interrogatur. Sed nihil de his, quæ ſuperius memoravimus, confitetur. Hoc tamen protulit, ſæpius ſe inunctiones & potiones, quæ ei Regis Reginæque gratiam præberent, ab his mulieribus ſuſcepiſſe. Depoſitus igitur de pœna, vocat ad ſe lictorem, dicens: Nuntia domino meo Regi, quia nihil mali ſentio de his, quæ illata ſunt. His auditis Rex: Verumne eſt, inquit, hunc eſſe maleficum, ſi de his nihil eſt læſus pœnis? Tunc extenſus ad trochleas, tamdiu loris triplicibus cæſus eſt, quoad uſque ipſi laſſarentur tortores: poſt hæc ſudes ungulis manuum pedumque defigunt. Cumque in hoc cauſa ageretur, ut ad decidendam cervicem ejus gladius immineret, a Regina vitam obtinuit, ſed non fuit minor morte humilitas ſubſecuta. Nam impoſitus plauſtro, ad Burdegalenſem urbem, in qua ortus fuerat, ablata omni facultate, tranſmittitur: in via vero ictuatus ſanguine, vix accedere, quo juſſus eſt, valuit. Sed non poſt multum tempus ſpiritum exhalavit.* En rigidam ſatis adverſus innocentem, ut ſatis apparet, inquiſitionem. Idem Gregorius lib. V. c. 40. aliud incendio concrematæ maleficæ exemplum enarravit.

(4) *Thoweſpho ac faltho.*) Legendum: *Thowertho ac faltho.* Prius enim *thower* eſt *maleficium, veneficium, necromantia.* Gloſſæ Lipſianæ: *Touferes, venefici.* Superioribus Germanis illud etiam cum ſibilo ab initio pronunciabatur. Confeſſio Alemannica vetus Pſalterio Notkeriano adjecta: *Ih han geſundot .... in ung euuonebeite, in zoubere, in gougelodi.* Gloſſæ Lazianæ ſeculo IX. Conciliorum collectioni adſcriptæ: *ſacrilegii, zoubres.* Gloſſæ Mss. Lindenbrogianæ: *faſcino, zouberon.* Eædem: *faſcinum, vel faſcinatio, zouber.* Gloſſæ Mss. Florentinæ: *Faſcinum, zouber.* *Tho* eſt a noſtro *thun*, olim *thuan*, & *töen*, facere. *Tower tho* ergo ſignificat, *maleficium fecerit.* Codex Guelferbytanus hic *touerbus* ponit, nec hoc incongrue. *Bus* enim & *buſſe* denotat *emendationem*, emendam ſive *mulctam, quæ judici ob crimen commiſſum ſolvitur.* Itali & Galli idem *buſſa* & *buſſe* enunciant & pro *afflictione* aut *contritione* uſur-

sit, MMD. denar. qui faciunt sol. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur.

III. Si vero quis quod alius dedit veneficium biberit, & mortuus non fuerit, * ( MALB. *Tho wespo* ( 1 ) *ac Faltho* ) ( 2 ), MMD. den. qui faciunt sol. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur.

IV. Si quis alteri aliquod maleficium superjactaverit ( 3 ), sive cum ligaturis ( 4 ) in aliquo loco miserit, MMD. den. qui faciunt sol. LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

## TITULUS XXIII.

### *De manu mulierum non stringenda* ( 5 ).

I. SI homo ingenuus feminæ ingenuæ digitum aut manum instrinxerit, ** ( MALB. *Chamni* ) ( *6* ), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

II. Et ei si brachium destrinxerit, ( MALB. *Chamnum* ), MCC. denar. qui faciunt solid. XXX. culpabilis judicetur.

III. Certe si super cubitum manum strinxerit, ( MALB. *Chamnin mane* (7) *charde* ) (8), MCCCC.

* Al. *Evaserit.* ** Al. *Exstrinxerit.*

---

usurpant. Unde *touerbus* est *maleficii mulcta*. Quod in nostro exemplari sequitur *ac*, particulam conjunctivam *&* exprimit, Danis *oc*, Hibernis *agis*, Wallis *ag* adhuc scriptam. Nos olim eam *auh* extulimus. Glossæ Keronis: *sed &, joh auh*. Quod porro ponitur *faltho*, iterum illud *maleficium fecerit*, exprimit. *Fal* enim, a *fehlen* deficere, fallere, derivatum, *malum* vel *maleficium* denotat. Atque, ut hic *falthoën* pro *malefacere*, aut *maleficium facere* ponitur, ita in Decreto Childeberti cap. 7. *farfalius* pro *malefico* usurpatum est, voce ab eodem *fal*, malus, & provinciali *fare*, Gall. *faire*, *facere*, formata. Teutonista: *Falien*, *felen*, *missen*, *fallere*. In lege ergo nostra *thowertho* & *faltho* sunt synonyma. Et cum in paragrapho præcedenti eadem res proponatur, ego *affectu* quod ibi extat, etiam *thoffertu* vel *thowertu*, sive *tuo*, vel *tho* restituendum reor. *F* enim & *w* vicini admodum soni literæ sunt, & facile secum invicem commutantur.

( 1 ) *Tho wespo.* ) Lege, ut ante, *thouuerto*.

( 2 ) *Ac Faltho.* ) Distingue: *ac fal tho*.

( 3 ) *Superjactaverit.* ) Ut indicarent magi se dæmoni eum, cujus vitæ nocere volebant, tradere perdendum, symbola quædam aversis manibus trans caput jaculabantur. Meminit hujus superstitionis Claudianus in VI. Consulatu Honorii his verbis:

*Lustralem sic triste facem, cui lumen odorum*
*Sulphure cæruleo, nigroque bitumine fumat,*
*Circum membra rotat doctus purganda sacerdos,*
*Rore pio spargens, & dira fumantibus herbis*
*Numina, terrificumque Jovem Triviamque precatus.*
*Trans caput aversis manibus jaculatur in austrum*
*Secum rapturas cantata piacula tædas.*

Quamquam locus legis nostræ de rebus quibusdam nocivis super aliquem a venefico jactatis etiam intelligi possit.

( 4 ) *Ligaturis.* ) Nota est superstitio ligaturarum, *des nestelknüpfens*, qua nodis quibusdam, ceremoniis prohibitis, adstrictis vel solutis, putant malefici potentiam vel impotentiam conjugibus, ventos navigantibus secundos, alia aliis conferri posse. Nodi tales olim etiam tanquam phylacteria ad arcendos & depellendos morbos, aut collo suspendebantur, aut circa alias corporis partes alligabantur. Videantur Lindenbrogius & Cangius in Glossariis. Tertullianus pag. 824. *In remediis naturalis plurimum, aliquid & magia circumligat, medicina cum ferro & poculo occurrit*. Idem de Spectaculis: *Magicis devinctionibus perfici*.

( 5 ) *De manu mulierum non stringenda.* ) *Stringere* hic significat *ligare*, *loro vel reste constringere*. Errat itaque Lindenbrogius, qui de lasciva contrectatione vel tactione exponit. *Strang* & *strick* nobis est *lorum*, *restis*, Belgis *streng* & *string*, Anglo-Saxonibus *streng*; Belgis hinc *stringen*, *strengen*, stringere, constringere, arctare, & Germanis *stricken*, *ligare*, *impedire*, *colligare*. Capitulare Caroli M. anni 802. c. 8. *Ut nullum bannum vel præceptum Domini Imperatoris nullus omnino in nullo mar... præsumat, neque ... ejus stricare vel impedire*. Anonymus in Gahmuret:

*Die helm lör bald dar brachten,*
*Damit si stricht sin helm.*

Winsbeke: *Oder da der helm gestricket ist*. Henrich von Ofterdingen P. IV. Heldenbuchs:

*Da traf in herr Laurin,*
*Do man ... helm gestricket.*

Historia trium Regum c. 26. *Do stricket sy die dreyssig pfennig mit dem weyrauch und mit den mirren in ein tüchlein*. Hinc *entstricken* est *solvere*. Wolfram von Eschenbach Part. II. Heldenbuchs:

*Do entstrickte si den herren*
*Die frowe lobesan,*

Agitur ergo hoc in Titulo de violenta & illicita manuum mulierum ligatione, quæ fit animo eas violenter stuprandi vel alias ipsis nocendi.

( 6 ) *Chamni.* ) Inscriptio Tituli de *manu* stringenda est, unde quoque leg. 2. & 3. *chamnum* & *chamnin* ponitur. In Codice Guelferbytano his locis legitur *min* ( corrupte puto pro *chamin* ) *chamin* & *chamino*. Infra Tit. XXXII. ubi leg. 2. & 3. de manus debilitationibus sermo est, reperitur *chamin* & *chaminis*. Ulfilæ *manus* nominatur *handus*; Anglosax. *hand*, *hond*; Danis *haan*. Paraphrasis Symboli Apostolici Boxhorniana: *ete erwi. th...* *vaders*; ad dextram manum sui patris. Ex *chamin* ergo sive *cham* factum est paulatim *ham* & *han*, ac tandem, ut ab *hàn*, *gallus*, distingueretur, *hand*. Antiquum *chamin* convenit cum instrumento manum referente, nempe *pectine*, qui ideo & nobis *kamm* dicitur. Idem nomen & jubis equorum datur, quæ alio nomine & *mæne* vocantur, quod cum Latino *manus* simili modo unum esse putes, valde licet diversa designet. Locutionem tamen a galli gallinacei crista desumtam puto. Ea enim etiam, quoniam incisuras habet ad pectinis modum, *kamm* dicitur. An itaque ortum est a veteri verbo apud Græcos reliquo ..., pro quo nos *hauen* & alicubi *häen* dicimus, ut ... & *hau* vel ... Ita *kammrad* vocatur rota, quæ incisuras in circuitu habet.

( 7 ) *Mane.* ) Hoc videtur a Gallo homine expositionis causa additum. *Mano* enim, *mane*, & hodie *main* iis *manus* est.

( 8 ) *Charde.* ) Legendum *churde*. Nam *gurt* est vinculum, & *gurten* inde *stringere*, *vinculare*, *cingere*. Tatianus CCXXXVIII. 3. *Bigurtos thih*; cingebas te. Ibidem: *andre thih gurtit*; alius te cinget. Nos hinc & *gürtel* pro *cingulo* habemus. Integrum ergo *chamnin*, *mane*, *churde*, est *manum strinxerit*.

MCCCC. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis judicetur.

IV. Si quis mulieri mammillam capulaverit (1), (MALB. ibidem *Bruche*) (2), M. DCCC. * den. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur.

TITULUS XXIV.

*De navibus furatis.*

I. SI quis extra consilium domini sui, navem alienam movere præsumpserit, aut cum ea flumen transierit, (MALB. *Flemere*) (3), CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur.

II. Si quis ipsam navem furaverit, (MALB. *Flemere*) DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

III. Si quis ascum (4) de intro clavem furaverit, (MALB. *Cham Zyasco*) (5), MDCCC. den. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur.

IV. Si quis ascum de intro clavem repositum, & in suspenso pro studio (6) positum furaverit, (MALB. *Cham Zyasco*), MDCCC. den. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur.

TITULUS XXV.

*De furtis in molino (7) commissis.*

I. SI quis ingenuus annonam (8) alienam in molino furaverit, (MALB. *Authedio*)



* Herold. sed forte minus recte, *MCCC.*

(1) *Mammillam capulaverit.*) H. e. amputaverit. Nec nostro seculo latronibus & barbaris militibus insuetum mulieribus violenter compressis mammas incidere vel plane abscindere.

(2) *Bruche.*) Pronunciandum est *brusche*, quod idem est cum nostro *brust*, & proprie *pectus*, deinde etiam mamillas in pectore extantes denotat. Glossæ Rabani Mauri de partibus humani corporis: *mamillæ*, *prusti*. Gothicè *briost*, Anglo-Saxonice *breost*, Sax. & Belgice *borst*, qs. *fractura* dicitur, quia in pectore costæ ac si fractæ essent, coeunt, a *bersten*, *bresten*, frangi. Vocem autem *brust* olim sine *t* finali pronunciatam esse, secundum Legis nostræ scriptionem, ex dialecto Suevorum concludo, in qua *preisnestel* aut *preischnestel* vocatur *ligula*, qua vestimentum mamillare constringitur. Et *preis* vel *preisch* hic idem est, quod *brust* nostrum; ac *pectus* vel *mamillam* significat. A *brust* corruptum est de cetero Italorum *busto* & Gallorum *buste*, corpus hominis a capite ad cincturam usque expressum, quod Aldhelmus de Laud. Virginitatis *thoracidem*, Ruffinus Hist. Eccles. l. 2. c. 29. *thoracem* nominavit.

(3) *Flemere.*) Codex Guelferbytanus *fimere* & *femere* legit; sed rectius est *flemere*. Uti enim a *fleen*, *fliehen*, fugere, *fleam* Anglo-Saxonibus fuga, & *flema*, fugax, profugus, dicitur; ita a *fleen*, Anglo-Saxonice *fleowan*, Germ. *fliessen*, Saxonice *fleten*, fluere, similiter formari potest *flemere*, *machina quæ fluit*, hoc est, *navigium*, *navis*; quemadmodum a *fleten* habemus *flöte*, *flösse*, navigii speciem.

(4) *Ascum.*) Aliud exemplar habuit *navem vel ascum*. Anglosaxonibus *asc*, Græcis ἀσκός, utris, scapha, scaphula, navicula ex corio confecta, σχεδία δερματίνη ἐξ ἀσκῶν autori Peripli. Talibus autem naviculis, non Franci solum, sed & Saxones olim utebantur in expeditionibus piraticis. Unde de iis Sidonius Apollinaris carmine VIII. edit. Sirmondinæ pag. 342.

*Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus*
*Sperabat*, cui pelle salum sulcare Britannum
*Ludus &* assuto *glaucum mare findere* lembo.

Lappones nostro tempore naviculis ex corio confectis utuntur. Hinc *Ascomanni* dicti sunt *piratæ*. Vid. Cangius. Ab eadem radice formatum est vetus *Asciburgium*, & loca Hollandiæ *Ascoloa*, & *Ascodilf*, nec non nomina antiqua virorum *Ascalerous*, *Ascirih*, *Eskerih*, *Asulf* & *Ascalramus*. Vide Grotii indicem Nominum propriorum Goth. Vand. & Longob. A figura nos *situlam* quoque nominavimus *milch-asch*; eadem Anglo-Saxonibus *æscen* vocatur. Bignonius testatur suis hodie *nascon* & *ascon* dici *alveolum*, *cujus in paludibus frequens usus*. Ascum vero pro navigio a nostro *haschen*, persequi, currendo consequi, derivatum, non dubito, ut hac ratione *celocem* proprie designet.

(5) *Cham Zyasco.*) Eadem locutio paragrapho sequenti occurrit. Codex Guelferbytanus habet *chan zyso*, corrupte. Vocem *cham* prodiisse conjicias ex *clavem*; & quidem ab homine provinciali, & forte *chauo* restituendum est. Itali *clavem* vocant *chiave*, Galli *clef*, Angli *key*, omnibus his ex latino *clavis* corruptis. Cognata his sunt Slavorum *kluzh*, Polonorum *klucz*, & Bohemorum *klic*. Quod sequitur *zy*, est nostrum *zu*, clausum; indicaretur hoc modo *ascus*, sive *navicula clave clausa*, sive *ascus de intro clavem*. Quamquam & *cham zyasco* exponi posset: *hyem ziehe asch*, h. e. *domum* vel *ad se traxerit ascum*, quod idem est ac Legis illud: *ascum furaverit*. Alio etiam modo *cham* interpretari potest *de intro clavem*, sive *clausura*. *Ham* enim & *heim* locum clausum designat. *Zy* a verbo veteri *zyan*, pro quo nos *ziehen* habemus, deductum, proprie quidem *trahere*, sed translate etiam *violenter sumere* sive *rapere* denotavit. Inde locus latrociniis olim infestus, jam metalli fodinis in Silesia clarus *zeugmantel* vel *zuckmantel*, hoc est, *rape pallium*, a palliis olim ibi viatoribus violenter detractis & furatis dictus est. Verbis igitur *cham zyasco* redderetur: *de intro clavem furaverit ascum*; quæ interpretatio mihi non displicet.

(6) *Pro studio.*) *Pro* hoc loco pro *per* ponitur, unde apparet *pour* & *par* provincialia ob sonum vicinum olim confusa. *Per studium* vero hoc modo idem est ac *studio*, *de industria*.

(7) *In molino.*) *Molinus*, *molinum*, & *molina* medii ævi autoribus pro *molendino* usurpantur, a nostro *mühle*, Sax. *moele* derivata.

(8) *Annonam.*) Annona proprie pro *alimonia anni*, deinde pro *tritico*, *frumento*, *secali* & quibuscunque, quæ in molendino ad vitam hominum sustentandam præparantur, adhibita legitur. Kero in Glossis: *Annonam*, *lybleita*. Ubi Cangius erravit, dum putavit in *lybleita* vocem *bladum*, Gall. *blè*, apparere. *Lybleita* enim Germanicum est, ex veteri *lyb*, vita, & *leiten*, ducere, compositum; atque ita proprie *vitam ducens*, sive *producens*, hoc est, *victum*, *alimenta* denotans. Idem Kero alibi: *Alimentis*, *libleitom*: *Victus*, *libleit*. Breviarium rerum fiscalium Caroli M. *Est ibi molina*, *reddit annis singulis modios XII. Respiciunt* ad

*dio*) (1), id est, cui molinus est ipsius molinario, DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur: ei vero cujus annona fuisse probatur, alios XV. solidos similiter solvat, excepto capitale & delatura.

II. Si quis Sclusam (2) de farinario (3) alieno ruperit, (MALB. *Urbis via lacina*) (4), DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur.

III. Si quis ferramentum (5) de molino alieno furaverit, (MALB. *Authedio*) M. DCCC. den. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur.

### TITULUS XXVI.

*De caballo ascenso.*

I. SI quis caballum (6) extra consilium domini sui ascenderit, & eum caballaverit (7), (MALB. *Leudardi* & in alia mente *Burgo sitto*) (8), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur; & pro eo qui ascenderit, quando descendet, similiter alios XV. sol. solvat.

### TITULUS XXVII.

*De furtis diversis.*

I. SI quis tintinnum de porcina aliena furave-

---

*ad eundem curtem mansi ingenuiles vestiti XXIII. Ex his sunt VI. quorum reddit unusquisque annis singulis de annona modios XIIII. frisbingas IIII. de lino ad pisam seigam I. &c.* Alia vide in Cangio.

(1) *Authedio.*) Codex Guelferbytanus *antedio* rectius ponit, quo *alienatio* vel *furtum* denotari diximus ad Tit. VII. leg. 2.

(2) *Sclusam.*) *Sclusa*, Gallice *escluse*, Germ *schleuse*, locus, ubi concluduntur aquæ; in Lege Wisigoth. lib. 8. Tit. IV. leg. 30. *conclusio aquarum* dicitur. *Schliessen* enim, & Sax. *schluten*, *claudere* significat. Charta Tabularii Dervensis apud Cangium: *Faciebat proclamationem de firmamento cujusdam molendini, quod dicunt exclusam.*

(3) *De farinario.*) Farinarium pro *molendino*, ubi ex frumento molito farina conficitur, sæpissime in inferioris ævi scriptoribus & diplomatibus occurrit. Glossographi exempla suggerunt. Nobis sufficiat adduxisse ex Felibieni Probationibus ad Historiam Abbatiæ S. Dionysii Chartam Childeberti Regis Francorum, quæ ibi num. XXVI. extat, & multiplicem farinarii mentionem continet. Ea talis est: *Childeberthus Rex Francorum vir inluster. Venientis Agentes baselicæ peculiaris patroni nostri Domini Dionysii, ubi ipse preciosus in corpore requiescit, & venerabilis vir Dalfinus Abba custus præesse veditur, Mamaccas in palatio nostro, nobis suggesserunt, eu quod farinario illo in loco, noncopante Cadolaico, infra termeno Verninse, quem a longo tempore antecessores sui ad villa ipsius basilicæ Latiniaco semper possiderunt; Agentes inlustri viro Grimoaldo Majorem domus nostri eum contradicerent, & dicebant, quod a villa suo Verno fuisset aspectus. Dicebant postia ipse Agentes sancti Dionysii, eu quod de plurimum annorum spacia ipse farinarius ad ipso verno nonquam aspexisset, nisi ad villa ipsius baselicæ Ladiniaco; Ebroinus Majorem-domus suo tempore, quando ipsa villa possedibat, ibidem eum ficissit aspectum, & justissime eis vel ad casa sancti Dionisii redibitur: sed postea ipse vir Grimoaldus Majorem domus noster una cum nostris fedilcbus, ac causa ante se jussit advenire, ut eam diligentius inquireret, quod ita & ficit. Sic ad ipso viro Grimoaldo fuit judecatum, ut sex homenis de verno, & sex de Latiniaco bone fideus in oratorio suo seu capella sancti Martheni immemorate homenis hoc debirent conjurare, quod a longo tempore semper ipse farinarius ad ipso Latiniaco curte ipsius monasterii sancti Dionisii aspexisset, & ibidem justissemi redebebatur. Et ipso sagramentum sicut eis fuit judecatum, in quantum inluster vir Sigofridus auditur ipsius viro Grimoaldo testemoniavit, quod ipse homenis ipso sagramentum, sicut ab ipso viro Grimoaldo fuit judecatum, in omnibus vise fuerunt adimplisse: & tale judicio ipsius viro Sigofrido mano firmante, vel ipsius Grimoaldo Majorem domus nostri sigellatum ipse Agentes accepissent, ut ipso farinario ad parte ipsius Dalfino Abbati vel Monasteriæ sui sancti Dionisii elidiato urdene debiant possedire vel domenare. Proinde nus taliter una cum nostris Proceribus constetit decrevisse, in quantum inluster vir Bero Comis palatie nostre, qui ad vice itemque inlustri viro Grimbergtho Comite palatii nostro adestare vedebatur, testemoniabit quod memoratus Sigofridus suum præbuit testimonium, quod ac causa ante ipso viro Grimoaldo Majorem domus nostri sic acta vel judecata fuissit denuscitur; jubemus ut memorati Agentes ipso farinario, ad parte ipsius Dalfino Abbati vel monasterii sancti Dionisii absque repeticione superscripto Grimoaldo, aut Agentes vel heredis aut successoris suos, vel contra quemlibit, inspecto illo judicio, ipsius viro Grimoaldo Majorem domus nostri, sicut per eundem declaratur, omne tempore habiant evindecatum atque elidiatum, & sit inter ipsius ex hac re in postmodum subita causacio. Dagoberto ad vice Angilbaldo recognovit. Datum quod ficit minsis December dies XIIII. an. XVI. rigni nostri Mamaccas feliciter.*

(4) *Urbis via lacina.*) *Via lacina* est *impeditio viæ* vel *processionis*, *obstaculum*, *ob quod aliquis pergere nequit*. *Urbis* sine dubio corruptum est ex *uernis*, genitivo nempe casu a *uern*, *uuern*, molendinum. In Evangeliis Ulfilæ Marci IX. 42. *uairn*, mola; Anglosaxonibus eadem *cwearn*, *cweorn*, *cwyrn*; Danis *quærn*; Belgis & Saxonibus *queern*, *quern*; Anglis *quearn*, *quern* dicitur. Rationem vocis in Notis ad Catechesin Theotiscam pag. 159. dedimus. *Vernis via lacina* itaque est *impeditio viæ ad farinarium* sive molendinum, si verbum verbo reddatur. Et hoc sensu etiam infra Tit. XXXIV. leg. 4. idem recurrit.

(5) *Ferramentum.*) Glossæ Græco-Latinæ: Ἐργαλεῖον, *ferramentum*. Cangius ab Innocentio III. Papa *ferrum molendinorum* vocari asserit; locum tamen in Editione Epistolarum Baluziana invenire nequivimus. Nos Germanice instrumentum hoc molitoris vulgo *das mühleisen* nominamus.

(6) *Caballum.*) Veteribus de equo viliori hæc vox usurpabatur; recentioribus vero de quolibet equo in usu est. Hinc Gallicum *cheval* & nostrum *gaul* defluxit.

(7) *Caballaverit.*) Equitaverit.

(8) *Burgo sitto.*) Locus dubio procul depravatus est, & pro *burgo* legendum *margo*, *March* enim lingua Celtica & Germanica veteri *equum* aut *caballum* notat. Pausanias in Phocicis, ubi de Brenni expeditione agit, equum ejus μάρκαν vocat, ubi dubio procul μάρκαν legendum. Lex Alamannorum c. 70. §. 2. *Si*

quis

raverit, ( MALB. *Aurappo* ) ( 1 ), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

II. Si quis vero pedicam ( 2 ) de caballo furaverit, & ei fuerit adprobatum, ( MALB. *Leudardi* ) ( 3 ), CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur.

III. Si vero ipsi caballi perierint, capitale in locum restituat.

IV. Si quis tintinnum de pecoribus furaverit, ( MALB. *Leudardi* ) CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur.

V. Si quis messe aliena in furtum metere præsumpserit, aut repascere ( 4 ) inventus fuerit ibidem, ( MALB. *Leudardi* ) DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

VI. Si quis in hortum alienum ad furtum ingressus fuerit, aut in napinam ( 5 ), vel in fabariam ( 6 ), in pisariam ( 7 ), in lenticulariam ( 8 ), ( MALB. *Leudardi* ) DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

VII. Si quis aliquid ( 9 ) de campo alieno furaverit, & hoc exinde in carro, aut per caballum duxerit, ( MALB. *Leudardi* ) M. DCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur.

VIII. Si vero tantum priserit (10), quantum in dorso suo portare valuerit, ( MALB. *Leudardi* ) DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

IX. Si quis pratum alienum secaverit, operam * suam perdat, & insuper sol. XV. culpabilis judicetur: & si ipsum fœnum in carro carraverit (11), & ad domum suam adduxerit **, ( MALB. *Leudardi* ) M. DCCC. den. qui faciunt solid. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

X. Si vero tantum priserit, quantum in dorso portare potuerit, ( MALB. *Leudardi* ) DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur.

XI. Si quis vineam alienam in furtum vindemiaverit, ( MALB. *Leudardi* ) DC. denar. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur. Et si ipse vinum in carro carruerit, & ad domum suam duxerit, & discarraverit, ( MALB. *Leudardi* ) M. DCCC. den. qui faciunt solid. LXV.

* Al. *Laborem*. ** Al. *Discarraverit*.

*equo, quem marah dicunt, oculum excusserit*, &c. Add. Leg. Alemann. Tit. LXIX. leg. 2. Leg. Bajoar. Tit. XIII. c. 10. N. von Grauenberg: *Do trug in syn schon mark*. In Lege Bajoar. Tit. III. c. 3. *marworphin*, dejectio de equo dicitur. In Lege Alemann. Tit. LXXIX. & in Capitular. Caroli Calvi Tit. XIV. c. 13. *maraschalcus* pro *equisione* obvium est, quo alias nomine *præpositus equorum* venit, quem Longobardi *marpais* dicebant. Anglo-Saxonicæ Glossæ: *Equa*, *moera*. Eandem nos *mehre* vocamus. *Sitto* est *sederit*, a Sax. *sitten*, Germ. *sitzen*, sedere, quod apud nos notissimum. Per *burgo sitto* ergo, sive potius *margo sitto*, exponitur in Lege verbum *caballaverit*. In Exemplari Guelferbytano Malbergi verba aliter proferuntur & *gestabo* scribuntur. Dicerem ferme *hestano* legendum esse. Nam *hest* Danis & Islandis *equus* est, qui nobis & Belgis, *n* ἐφελκυστικῶ inserto, *hengst* audit. *Ano*, ut jam monuimus, *alienum* designat. Verba igitur Legis, *caballum alienum*, Germanice exponuntur.

( 1 ) *Aurappo*.) Mire corrupta vox, & restituendum *Saucloggo* sive *sauklocke*. *Klocke* enim, olim *cloca*, AS. *clugga*, Cambrobritannis *clocc*, est *campana*, item *tintinnabulum*. Glossographi videri poterunt. A tintinnabulo porcinæ appenso, reliqua nobis est formula: *mit der sauklocke leuten*, id est *verba obscœna*, *fescennina*, vel *porcinæ convenientia proferre*, quæ huic Legis locutioni lucem affert.

( 2 ) *Pedicam*.) H. l. vinculum seu ligamen, quo animalia pedibus constringuntur in agris, dum pascunt. Saxones tale instrumentum ex ferro confectum *bilde* & *helle* appellant, ejusque præcipuus in equis usus est.

( 3 ) *Leudardi*.) Vide supra ad Tit. VI. leg. 1. prolata.

( 4 ) *Repascere*.) *Repastus* Form. Baluz. XXXVII. & alibi est *prandium*, *cœna*, *refectio*; atque inde Gall. *repas* ortum. *Repascere* itaque est *edendo consumere*, aut pecoribus messem alienam depascere. Heroldus hic pro *repascere* in alio codice invenit *tripare*. Editiones Lindenbrogiana & Pithœana hic habent: *Si quis messem alienam per furtum metere aut ressare præsumserit*. Ms. ex Guelferbytanis tertium scribit: *Si quis messem alienam per furtum metere*, *eam* (l. *aut*) *repare præsumserit*. Aliud *ressare* ostendit. Ubique tamen vel *ressare* vel *repare* legendum esse statuo. *Repen* enim Saxonibus est *vellere*, pro quo superiores Germani *reuffen* & *rauffen* usurpant. *Flachs repen* & *reuffen* est *vellere linum*. Quod in alio Codice Heroldus invenit *tripare*, forte ex *repare* corruptum est: nisi indicet pecorum per alienam messem pastionem. Quando enim agrum depascimus, vocem *overdryven* in Saxonia adhibemus, quod etiam apud Taxandros suos Wendelinus in usu esse affirmat. Quæ itaque exemplaria verbo *repascere* aut *tripare* utuntur, ea loquuntur de pastione & deductione damnosa per alienam messem; quæ vero *ressare* vel *repare* habent, de noxia segetis alienæ evulsione vel decerptione intelligi debent.

( 5 ) *Napinam*.) *Napina* & *rapina* Catoni & Columellæ l. 11, c. 2. est satio naporum & raporum: hoc loco *ager napis consitus* indicatur, qui Pictavis *nabine*, Cangio teste, dicitur.

( 6 ) *Fabariam*.) Fabaria, campus fabis consitus: optimæ Latinitatis vox est. Plinius lib. IV. c. 13. de insula, quam Burchanam Strabo vocavit, ita scribit: *Earum nobilissimæ Buchana*, *Fabaria a nostris dicta*, *a frugis similitudine sponte provenientis*. A proventu itaque fabarum dicta est *Fabaria*, quod nomen postea in *Femern* corruptum. Femeram certe insulam a Plinio intelligi, alibi fusius demonstramus. *Burchana* ea dicta est a præcipuo ibi loco *Borch* appellato, qui adhuc superat. Observantiæ Regni Arragoniæ lib. VIII. Tit. de furtis: *Si dominus invenerit aliquem de die in sua vinea*, *horto vel fabari*, *colligendo fructus* &c.

( 7 ) *Pisariam*.) Locus pisis consitus.

( 8 ) *Lenticulariam*.) Ager lenticulis consitus. Veteres Glossæ: *lenticla*, φακῆ. Reiherus in Thesauro Latinitatis male exposuit *cellarium*, *ubi reconduntur lenticulæ*.

( 9 ) *Si quis aliquid*.) Codd. Guelferbyt. pro *aliquid* etiam *linum* ponunt.

(10) *Priserit*.) Prehenderit, abstulerit.

(11) *In carro carraverit*.) Hoc est, carro imposuerit. *Carrare* est imponere currui, & deinde *imponere* in genere, unde Gallis *charger*. *Discarrare*, quod paullo post leg. 11. occurrit, signi-

xlv. culpabilis judicetur; de messe vero similiter convenit observare.

XII. Si quis in silva materiam (1), aut ligna furaverit, aut incenderit, vel capulaverit, (Malb. *Leudardi*) dc. den. faciunt sol. xv. culpabilis judicetur.

XIII. Si quis rete ad anguillas de flumine involaverit, (Malb. *Obdopus*) (2), dc. den. qui faciunt sol. xv. culpabilis judicetur.

XIV. Si quis statuam (3) aut tremagolum * (4) vel vertebolum (5) de flumine furaverit, (Malb. *Nasthus* (6), *Texacha*) (7), dc. den. qui faciunt solid. xv. culpabilis judicetur.

XV. Si quis screona, qui clavem habet, infregerit, (Malb. *Nasche streonas anthedi*) (8), m. dccc. den. qui faciunt sol. xlv. culpabilis judicetur.

XVI. Si quis screona sine clave fregerit, (Malb. *Obdon*) (9), dc. den. qui faciunt sol. xv. culpabilis judicetur.

XVII. Si vero de screona clavem fregerit, & nihil exinde tulerit, (Malb. *Leudardi*) dc. den. qui faciunt solid. xv. culpabilis judicetur, pro sola effractura.

XVIII. Si quis campum alienum araverit, & non seminaverit, (Malb. *Leudardi*) dc. denar. qui faciunt sol. xv. culpabilis judicetur.

XIX. Si quis in campo alieno araverit, & seminaverit, (Malb. *Obreppus*) (10), m. cc. den. qui faciunt sol. xxx. culpabilis judicetur.

XX. Si quis vero de campo alieno aratrum anteortaverit (11), aut jactaverit (1),

* Al. *Tremaclum*.

---

significat *deponere de curru*, *abladen*, & tandem generaliter *deponere*, a quo eorundem Gallorum *decharger*.

(1) *Materiam*.) Ligna majora ad ædificandum apta, supra *materiamen*.

(2) *Obdopus*.) Exemplar Guelferbytanum *obtubbo* scribit. An legendum *oltubbo* vel *oldopus*? *Abl* nobis *anguilla*, & *tubbe* ac *tuppe*, *vasis species*, *cupa*; *topf* vero *olla* dicitur. Jam *ablkorb*, & Belgis *aelkarre*, nassa vocatur. Sed forte pro *obdopus* vel *obtubbo* legendum *olropus*, vel *olrubbo*, ut indicetur piscis, qui nobis ob similitudinem, quam cum anguilla habet, *alraupe* Sax. *alrupe* & *oelrupp*, Coloniensibus *oelrapp*, in Hohburgi opere de Re rustica *olruppe* vocatur. B in *l*, & *r* in *t* facilis corruptio est, si a scriba rerum ignaro descriptio fiat. Cum anguillæ nomen huic pisci insit, Franci eundem *anguillam de flumine* vocarunt, cum alias *mustela fluviatilis* audiat. In Rheno is frequens capitur.

(3) *Statuam*.) *Statua* hic optime a Wendelino interpretatur *contus* aut *longurius*, quo navicularii per paludes ac flumina lintres suos trudunt. Nos eo sensu *stab*, *staff*, & *stoten*, *stossen*, trudere, dicimus.

(4) *Tremagolum*.) Observandum est *maculas*, *nexus* vel *plagas retis* & *hamas etiam thoracis* dici Gallis *maille*. V. Cangius. Unde Statius Thebaid. lib. II. v. 128.

*Qualis ubi audito venantum murmore tigris,*
*Horruit in maculas, somnosque excussit inertes.*

Versio vulgata Jobi XVIII. 8. *Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat*. Ubi vetus versio Gallica posteriora reddidit: *Et il va en ses macules*. Nos Germani adhuc connexiones sive maculas retis *malchen* & Saxonice *schmaschen* nominamus. *Tragum* porro est instrumentum piscatorium, rete. Glossæ Isidori: *tragum*, *genus retis piscatoriæ*. Glossæ Lat. Gallicæ: *tragum*, *rais a pescher*. A *trahendo* dictum putem. Ex his vero duabus vocibus compositum opinor *tragomaculum*, sive ut Italis effertur *tramaglio*, Gallis *tremail*, & Legi Salicæ *tremagolum*. In Charta Tabularii Vindocinensis apud Cangium *tramallum* scribitur. Verba ipsa sunt: *quatuor tractus retis, quod vulgariter vocant tramallum, ad capiendos pisces*. Catholicon Armoricum: *Trаimaill, c'est un rets a pescher*. Lat. *hoc tragum*, *verriculum*. Ferrarius & Cangius *tremaculum* alias quasi *trismaculum*, a *tribus maculis*, & Menagius in Orig. Ital. a *trans* & *macula* dictum putant, quibus tamen ob ea, quæ protuli, assentiri non possum.

(5) *Vertebolum*.) Secundum omnes interpretes genus retis, quod modo ex Catholico Armorico *verriculum* nominavimus, quodque Normanni *verrueil* vocant.

(6) *Nasthus*.) Codex Guelferbytanus corruptius scribit: *Nascodinar*. Statua vero seu contus apposite admodum *nasthus*, *nachstos* vel *nachstosser*, h. e. *propulsor*, vocatur.

(7) *Texacha*.) Furtum clandestinum.

(8) *Nasche streonas anthedi*.) Codex Guelferb. *Pronas anthiso*. Ubique corrupte. Ex utrisque tamen locis vera lectio elici potest, quam ego fuisse puto: *bracche* vel *brasche screonas*, quod est, *infregerit screonam*. Franco-Galli *ch* nostrum, ut *sch*, pronunciant. Unde *brasche* idem est ac *brache* vel *breche*, quod formatum est a verbo *brechen*, frangere, infringere. Crassius id *brachen* & *prochen* a rusticis Germaniæ superioris enunciatur. Quid *screona* sit, supra ad Tit. XIV. leg. 1. expositum est. Pro *streonas* autem *screonas* legendum esse, probatione non eget. *Anthedi* quoque supra declaratum & *ablationem* designat, quod nomen etiam effractioni screonæ datum. Guelferbytani exemplaris *anthiso*, sine dubio *anthido* restituendum est.

(9) *Obdon*.) Hoc est ipsum nostrum Sax. *obdon* sive *austhun*, *aperire*. *Frangere* enim in textu Legis nil aliud est, quam *aperire*. Quamvis, ut ipsum *sine clave fregerit* exprimatur, legendum hic putem *Obdoc*.

(11) *Obreppus*.) Locus mendosus. Codex Guelferbytanus scribit: *Hocherpa ande escrippas*. Quod restituendum videtur: *pa hocher ande scirpat*. *Pa* enim nostrum *bey*, *ad*, *apud*, *in*, notat: *hocher* est *acker*, ager, campus; *ande*, alienus; & *escrippas* corruptum est ex nostro *schürfet*, *araverit*. Prodibit ergo hinc: *in campo alieno araverit*; quæ ipsa Legis verba Latina sunt. *Schürfen* est a *scharren*, scindere, fodere, terram vertere (a quo etiam *pflugschar*, rallum, descendit), & jam in re metallica idem *schürfen* significat *fodere*, *terram leviter exscalpere*, ut faciunt metallarii, quando novam fossionem ordiuntur, atque venas & fibras scrutantur. Olim in agricultura quoque, ut hinc apparet, ita usitatum fuit.

(11) *Anteortaverit*.) *Anteortare* est *vi propellere*, *dejicere*, *verstossen*, *wegstossen*. Simplex *ortare*, *hortare*, est *pellere*, *impellere*, *trudere*, & infra Legis Sal. Tit. XXXIV. leg. 1. 2. *impingere*. Nec ab *obstare*, ut Cangius putat, factum; sed antiquissimum verbum Provinciale est; posteris temporibus de collisione & impetu congredientium usurpatum fuit. *Li Romans de Perceval:*

(1), (MALB. *Anbunerbo*) (2), DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur.

XXI. Si quis inpotus (3) de pomario (4), aut de pirario diruperit, (MALB. *Leudardi*) CXX. qui faciunt solid. III. culpabilis judicetur.

XXII. Sin in horto fuerit, (MALB. *Ortopodun*) (5), DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur.

XXIII. Si quis melarium (6) aut pirarium decorticaverit (7), (MALB. *Leudardi*) CXX. denariis, qui faciunt solid. III. culpabilis judicetur.

XXIV. Si vero in horto fuerit, (MALB. *Ortobaum*) (8), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

XXV. Si quis cultellum alienum furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

XXVI. Si quis clausuram alienam ruperit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

XXVII. Si quis materiam de una parte dolatam furaverit, (MALB. *Leudardi*) CXX. denariis qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur.

XXVIII. Si quis arborem post annum quam fuerit signata (9) priserit, nullam exinde ha-

---

*Les armes de ces qui venoient,*
*Et sovant hurtoient as armes.*

Eidem alicubi *li hurt di lo bataille* est congressus militum cum impetu, N. von Grauenberg Poeta Ms.

*Da höbt sich recht ritterspiel,*
*Da uuirt gehurt und geslagen*
*Davon si mal mussen tragen,*
*Gros wundan und bullan*
*Von swert und von kullen.*

Et paulo post:

*Die ritter begunden alle*
*Vor ir puhurdieren*
*Mit richen panieren,*
*Von hurt di schilt giben schal,*
*Das mœnig kineda geswal,*
*Von hurte und von gedrenge*
*Die strasse wart viel enge*
*Von der edilun ritterschaft*
*Von slegen und von hurt entzwei* &c.

In descriptione oppugnatæ urbis:

*Swenne jeman an den graben gie,*
*Und man bockler vallen lie*
*So hurton sin die vigend wider*
*In die tiefen graben nieder.*

Ibidem:

*Da lag mænig werder degen*
*Gehurt und geschlagen nider.*

Tyrol ad filium §. 30.

*Da hurt gegen hurte dringet,*
*Und swert uf helme klingens pflegen.*

Hinc *heurter* Gallis, *illidere*, *pulsare*, & *heurt*, *impulsio*, *illisio*. Antiquitus hoc *horten* Francico more scribebatur *chorten* & protractius *chorbiten*; unde in Lege Rotharis Regis Longobard. Titulus X. inscribitur de *Unegworfin*, *id est*, *corbitaria*, & agit de iis, qui alteri in via se opponunt, vel qui alterum via dejiciunt. Legendum itaque ibi *Vueguuorfin*, h. e. *wegwerfung*, dejectio de via, cujus synonymum *corbitaria* ratione originis *depulsionem* de via significat. Prior de cætero pars verbi *anteortare* est Germanicum *ant*, *ent*, *adversus*, *contra*, *retro*, & eundem hic habet sensum, ac in nostrate lingua *entschlagen*, *entbæhren*, *entrichten*, *entgelten* &c.

(1) Alias: *Vastaverit*.) Ita pro *anteortaverit* Heroldus in alio exemplari legit. Editiones Tiliana, Lindenbrog. & Pithœana, ut & Codices duo Guelferbytani hic *testaverit* posuerunt. Cum autem Heroldus integre legerit: *aratrum in campum alienum intrare prohibuerit*, *vel arantem foras vastaverit*; reliquæ vero editiones & Codices itidem habeant: *aratrum in campum alienum intrare prohibuerit*, *vel arantem foras jactaverit*, *vel testaverit*: ego apud Heroldum pro *vastaverit* legendum censeo *jactaverit*. Quod alibi adjungitur *testaverit*, sine dubio ex *restaverit*, corruptum est. *Restare* enim est *impedire*, *prohibere ut quis pergat*, *sistere*. Vid. quæ ad Tit. XVI. leg. 4. diximus.

(2) *Anbunerbo*.) Lego: *antuuerbo*, ut modo in lege Longobardorum vidimus *un* pro *uu* erronee positum. *Werben* vero sive Sax. *Werpen*, Germ. *Werfen*, est *jactare*, *jacere*; & *antwerfen*, *entwerfen*, projicere, dejicere. Vides itaque Germanice redditum illud *anteortaverit*, quod in Lindenbrogiana & Pithœana editione est *jactaverit*.

(3) *Inpotus*.) Cangius hic *intpotos* legi debere putat, a Gallico *enter*, aut Belgico *enten*, inserere, inoculare, admittere, pro quo Germani *impfen* dicimus. Sed errat. Omnia enim sunt ab *impositus*, unde corrupte *inpotus*, & & reliqua formata. *Imp* Cambro-Britannis quoque *surculus* est. Nos a posteriori *inpoti* parte deflexímus etiam nostrum *poten*, *pfoten*, surculos inserere, *propfen*. Quod jam Winsbekio notum fuit, qui §. 36. canit:

*Sun, du solt boeneliche sitte*
*In dinen sinnen lassen* pfaden.

(4) *De pomario*.) *Pomarius* hic non locum, sed ipsum arborem poma ferentem designat; quemadmodum *pirarius*, pirum arborem, Gallice *pomier*, *poirier*. Breviarium rerum Fiscal. Caroli M. *De arboribus*: *pirarios*, *pomarios*, *mispilarios*, *persicarios*, *avelanarios*, *nucarios*, *morarios*, *cotoniarios*. Idem inferius: *De arboribus*: *pirarios diversi generis*, *mispilarios*, *persicarios*, *nucarios*, *prunarios*, *avellanarios*, *morarios*, *cotoniarios*, *cerisiarios*. Unde nomina arborum fructiferarum a Francis excultarum discas.

(5) *Ortopodun*.) *Orto* est corruptum ex *horto* & *podum*. Prius notum, posterius *impotos* designat, unde *ortopodun*, *in horto impotos*, sive *impotos hortenses* denotat.

(6) *Melarium*.) Hoc est, mala ferentem arborem ex μῆλον Græco. *A* atque *e* ob sonum vicinum jam sæpe commutata vidimus. In Lege Salica ed. Lindenbr. corruptius *milarium* scribitur.

(7) *Decorticaverit*.) H. e. *cortice privaverit*. Vid. Cangium sub hac voce. *Excorticare* infra Tit. XLI. leg. 17. *cutem detrahere* notat; olim autem & *corticem detrahere* significavit; unde adhuc Gallicum *escorcer* eo sensu usitatum est.

(8) *Ortobaum*.) *Baum*, uti omnibus notum, *arborem* significat; ita *ortobaum* erit *hortensis arbor*, *ein gartenbaum*.

(9) *Signata*.) Arbor signata, de qua h. l. Lindenbrogius & Bignonius convenire non potuerunt, est ad cædendum alicui adsignata, vel designata; *ein angewiesener baum*, si more nostro cum Francico exacte conveniente loquamur. Qui eam non illo anno, quo signata est, cædit, punitur, quia surculis, qui in locum succisæ succrescere debent, annuum incrementum hoc modo surripitur. Arboribus cædendis signum a forestario apponi notum est.

habeat culpam; si quis infra annum eam capulaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur.

XXIX. Si quis in agro alieno arborem insertam exciderit, MCC. den. qui faciunt sol, XXX. culpabilis judicetur.

XXX. Si quis mulieri brachiale (1) furaverit, (MALB. *Subtho*) (2), CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur.

XXXI. Si quis per casam alienam (3) sine permissa possessoris * traxerit, (MALB. *Ala chescido*) (4), MCC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis judicetur.

TI-

* Al. *Domini sui.*

(1) *Brachiale.*) Unus Codex Guelferbytanus ponit, *brachialem*; alter cum editionibus Tilii, Lindenbrog. & Pithœi, *brachile*. Ubi observes, non debere confundi *brachiale* vel *brachile* hujus loci cum *bracili*. *Bracile* enim secundum Cassianum lib. I. de veste monachorum cap. 6. & Isidorum Origin. lib. XIX. cap. 33. *est redimiculum sive succinctorium, quod dividens per cervicem, & a lateribus colli demissum utrarumque alarum sinum ambit, atque hinc inde succingit, ut constringens longitudinem vestiat corpus, atque conjungendo componat. Hoc vulgo bracile, quasi braciale vocant, quamvis nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum.* Aliqui zonam fuisse putant. *Zona* tamen, secundum Joannem de Janua a Cangio citatum, *super tunicam cingebantur monachi, ut illa destueret; cum bracile ad cutem esset, a quo caligæ dependebant.* Diversum ergo a zona fuit, quod etiam locus monachi Vallis Sarn. Histor. Albigens. cap. 72. ostendit. *Sed cum flecteret genua ante altare, brachile ejus a quo dependebant caligæ ferreæ, ruptum est medium.* Nos braccarum suspensorium tale *ein hosenbængelse* vocamus. A quo tamen *bracile* apud Fredegarium in Hist. Francor. epitom. cap. 59. memoratum differre videtur. Verba Fredegarii sunt: *Tunc Chrodini consilio nutritium suum, memoratum superius Gogonem majorem domus eligunt. In crastino primus ad ejus mansionem perrexit Chrodinus ad ministerium, bracile Gogoni in collo tenens. Quod reliqui cernentes, ejusdem sequuntur exemplum. Prosperum hoc Gogoni ad gubernandum fuit* &c. Aimoinus lib. III. cap. 4. eadem referens: *Diluculo*, inquit, *subsequentis diei matutinius consurgens* (Chrodinus) *ad domum Gogonis cum quibusdam palatii primatibus properat. Et brachium ejus collo superponens suo, signum futuræ dominationis dedit.* Ultima verba legenda sunt: *Et brachile suum collo superponens ejus* &c. Vestimenti ergo honorarii genus *bracile* hoc fuit, quod humeris superjectum, scapulas & pectus texit, fibula super brachium dextrum connexum. Figuram ejus ex picturis veterum Regum, procerumque Francicorum a Paulo Petavio, Baluzio ac Mabillonio publicatis discimus. Suspicor, olim *brusttuch* dictum fuisse, quod nomen amiculo pectorali ob similem formam jam damus. Glossator certe Legis nostræ *brachiale* de bracili ejusmodi intellexisse videtur, dum illud interpretatus est per *subtho*, quod ego *bustho* legendum conjicio; sed errasse eum, non dubito. Quemadmodum & *fibula de bracile*, quæ in Charta plenariæ securitatis anno XXXIIX. Justiniani Imp. scripta atque a Mabillonio edita occurrit, ad hujusmodi vestimentum super brachio continendum pertinuit; Menagius licet eam de armillæ nexu interpretatus sit. Cum autem bracile hoc virilis indumenti genus fuerit, ad fœminas illud transferre in expositione Legis nostræ nequeo. Unde tertiam *brachialis* vel *brachilis* significationem, qua de *armilla* accipitur, amplector. Armillis enim Francorum, aliorumque Germanorum fœminas se exornasse, clarum est. Et ab antiquissimis jam temporibus eas usitatas fuisse, vel ex tumulis sepulchralibus apparet, in quorum [illegible] armillæ frequenter reperiuntur. Armillam autem jam Plinius Hist. N. lib. XXVIII. c. 7. *brachiale* vocavit. *Lais*, inquit, *& Salpe canum rabiosorum morsus & tertianas quartanasque febres, menstruo in lana arietis nigri, argenteo brachiali incluso: Diotimus Thebanus, vestis omnino ita infectæ portiuncula, ac vel licio, brachiali inserta* (sanari ajunt). Valerianus Epistola ad Zosimionem apud Trebellium Pollionem in Claudio in masculino *brachialem* dixit. Vopiscus Aurelian. cap. 7. *Torquem, brachialem & annulum apponat.* Tertulliano lib. de Muliebri habitu brachialia sunt *circuli ex auro, quibus brachia* artantur. Alia exempla Cangius habet. *Brachile* extat etiam apud Audoenum in Vita S. Eligii lib. 1. c. 10. scribentem: *Quotiens brachile aureum, pungam quoque auro, gemmisque comptam sibi subripuit, tantum ut miseris succurreret.* Papias: *Dextralia, brachialia, genus ornamenti commune viris & feminis: ante manicas portantur & junguntur cum clavo.* Idem Papias alibi: *Armillæ . . . eædem & circuli & brachiales, rotundæ scilicet bogæ.* Ut autem *armilla* a nostro *arm*, brachium (licet Latini *armus* suum alio paulisper sensu acceperint), derivatur; ita *brachiale* itidem a *brachio*, in quo gestatur, venire nemo dubitabit. Itali hinc armillam *bracciale*, & diminutiva forma etiam *braccialetto* vocant; unde Gallorum *bracelet*. Ferrarius monet, genus quoque panis dulciarii, quod virias sive armillas referat, *brazzadello* vulgo dici. Ab hac vero voce nostrum *brezel*, eandem rem significans, derivandum esse, quis non videt? Saxones hoc panis genus *krengel* & *kringel*, quasi parvum circulum, a *kring*, circulus, appellant.

(2) *Subtho.* Levissima mutatione facta, legere poteris *bustho* vel *bustoh*; quod, si Saxonico more efferas, habebis ipsum notissimum *bustdoc*, *bosdoc*, *borsidoc*, & Germ. *brusttuch*, pectorale; quod, ut diximus, figuram habet *bracilis* a Fredegario intellecti. Transpositiones literarum tales, in vocibus Germanicis, a non intelligentibus linguam nostram exaratis, in Legibus vetustis frequentissime offendimus. *Brust*, pectus. vidimus supra ad Tit. XXIII. leg. 4. Italis, Gallisque *busto*, *buste*, scribi; Saxones communiter *borst* & *bost* enunciant. Glossatoris tamen hanc brachialis expositionem erroneam esse, modo ostendimus.

(3) *Per casam alienam ... traxerit.*) Ita & Tiliana editio. Sed Lindenbrogiana & Pithœana, nec non duo Manuscripta Guelferbytana ponunt: *casam alienam traxerit*; quam lectionem probo. *Trabo* enim barbaris usitatum fuit pro *destruere*, *disrumpere*, *disjicere*. Hieronymus Epist. III. ad Heliodorum: *Marcomanni trahunt, vastant, rapiunt.* Lex ergo nostra de *disjectione*, aut *diruptione domus* loquitur.

(4) *Ala chescido.*) Hic pro *ala* ego *sala* substituendum puto. *Sal* enim *domum*, quæ barbare *casa*, denotare, ex superius dictis notum est. *Gescido* est a nostro *scheiden*, separare, disjungere, Gall. *desunir*. *Scido* hinc significat *disruperit*, cui particula *ge* more consueto præposita est. *Sala chescido* hoc modo denotat: *domum disruperit.*

### Titulus XXVIII.

*De homicidiis* (1) *parvulorum.*

I. SI quis puerum infra duodecim annorum, non tonſoratum (2) occiſerit, (Malb. *Aſchara* (3) *leudardi*) XXIIIIM. den. qui faciunt ſolid. DC. culpabilis judicetur.

II. Si vero puerum crinitum (4) ſine conſilio aut voluntate parentum totonderit (5), (Malb.

---

(1) *De homicidiis.*) Nota tonſionem hic puerorum ad ordinem ſacrum etiam inter homicidia referri. Quia is rebus mundanis tanquam pro mortuo habetur, qui ſacris initiatus eſt.

(2) *Non tonſoratum.*) Hæc explicant verba antecedentia *puerum infra duodecim annorum*; unde intelligas, Legem hic loqui de puero, cujus barba nondum tonſurata, ſive qui adhuc imberbis ſit. *Tondendi* enim verbum de barbæ inciſione frequenter uſurpatur. In Libro Sacramentorum Gregorii Papæ cum *Oratione ad Capillaturam* reperitur & *Oratio ad barbas tondendas*. Quæ his verbis concepta eſt: *Deus, cujus ſpiritu creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces noſtras ſuper hunc famulum tuum ill. juvenilis ætatis decore lætantem, & primis auſpiciis attondendum: ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, cæleſtem benedictionem accipiat & præſentis vitæ præſidiis gaudeat & æternæ.* Hinc patet magnis ſolemnitatibus pueris primam barbam tonſuratam, more hoc a veteribus Romanis ad Chriſtianos quoque delato. Vide Hadr. Valeſii Notas in Panegyricum Berengarii p. 191. ſeq. Dies ille, quo primæ barbæ tonſio peragebatur, feſtus erat, & conviviis ab amicis & propinquis celebrabatur, ipſaque hæc feſtivitas *barbatoria* vocabatur. Gloſſæ veteres: *Barbatoria πωγωνοκουρία.* Et proceres quidem eligebant dignitate conſpicuos, qui primam filiis barbam præciderent, & tonſurati hac ceremonia velut filii adoptivi tonſorum ſuorum fiebant. Sic, Paulo Diacono lib. 4. de Geſtis Longob. narrante, Taſo Longobardus Dux Forojulienſium Gregorium Patricium & Exarchum Ravennæ eam ad rem elegerat, cum is juramento pollicitus fuiſſet, *ſe Taſoni barbam, ſicut moris erat, inciſurum, eumque ſibi filium facturum.* Quomodo tamen Taſo fraudulenter a Gregorio occiſus ſit, loco citato perſequitur pluribus Paulus. Veteres Francorum Annales de Carolo Martello referunt, *quod filium ſuum Pipinum ad Liutprandum miſerit, ut more fidelium Chriſtianorum ejus capillum primus attonderet, & pater illi ſpiritualis exiſteret.* Idem affirmat Otto Friſingenſis Lib. V. cap. 16. *Puer* itaque *infra duodecim annos* & *non tonſuratus*, ſynonyma ſunt, & puerum innocentem deſignant, quod etiam ex ſequenti Lege ſexta apparet. Nec tamen diffiteor, illud *non tonſuratum* etiam denotare poſſe *ſacro ordini non deſtinatum*: prior quamvis ſententia magis mihi placeat.

(3) *Aſchara.*) *Scheren* in noſtra lingua de barbæ tonſione ſpecialiter uſurpatur, unde novacula olim *ſcharſahs*, nunc *ſchermeſſer*, & *barbitonſor*, *bartſcherer*, vocatur. *Schara* itaque *tonſuratum* notat. *A* particula privativa eſt etiam Germanis, ut Græcis. Unde olim dixere *adeilo*, expers; *amachtig*, invalidus; *awerd*, indignus; *aweg*, via invia; *awiis*, inſipiens, amens; *amezig*, continuus, ſine fine. Vide Junium in Obſervat. ad Willeramum pag. 301. Hinc *aſchara* deſignat *non tonſuratum*.

(4) *Puerum crinitum.*) Per puerum crinitum hic lex intelligit *nobilem*, ſive *ingenuæ conditionis*. Magna enim capillorum cura olim apud barbaras gentes fuit, præſertim Germanos, & quo nobilior quiſque apud hos erat, eo promiſſiores capillos geſtabat. Unde apud Gothos, ingenuos *Capillatorum* nomine veniſſe video ex Jornandis libro de rebus Geticis ed. Lindenbr. p. 93. Adde his edict. Theodorici Regis c. 145. & Caſſiodori l. 4. Formula 49. quæ inſcribitur: *univerſis provincialibus & Capillatis, defenſoribus & curialibus Suavia conſiſtentibus.* Gothi hoc nomen *pro magno ſuſcepiſſe*, h. e. *magni æſtimaſſe* dicuntur; credo, quia conſonuerit vox *hare*, capilli, cum *hare*, *here*, *herre*, dominus, eos in ſignum dominatus ſive ingenuitatis ſuæ capillos ſtudioſe aluiſſe; quemadmodum e contrario, per abſciſſionem capillorum, ſive decalvationem, *dominatum abrogatum* ſive *redactionem ad ſervilem conditionem* denotabant, quod infra exponemus fuſius. Franci ingenui hinc dicti *criniti*, & *crinem profuſum* aluerunt, præcipue Reges. Gregorius Turonenſis de vitis patr. cap. ult. *Nec ille, ut quidam, dimiſſis capillorum flagellis aut barbarum dimiſſione plaudebat, ſed certo tempore capillum tondebat & barbam.* Decretio Childeberti Regis §. 2. *Ut nullus de crinoſis inceſtum uſum ſibi ſociet conjugio.* Gregorius Turon. lib. 6. c. 24. *Hic natus cum eſſet in Gallia & diligenti cura nutritus (ut Regum iſtorum mos) crinium flagellis per terga demiſſis* &c. Alia exempla non congero. Opera enim hac me levarunt Lindenbrogius & Cangius in Gloſſariis, Bignonius in Notis ad Leg. Sal. & Baluzius in Notis ad Capitularia. Qua vero facie fuerint criniti hi Francorum Reges, oculis ſubjiciunt eorum ſigilla a Mabillonio in ære exhibita. Merovingicis Regibus ſublatis, Reges Carolingi non promiſſis ac in flagella digeſtis, ſed decurtatis crinibus incedebant, ut ex Caroli M. & Ludovici Pii ſigillis iterum eluceſcit. Et conjecerim ferme Carolum M. ex Senatoria familia Romana, ſecundum Buchetii ſententiam, ortum, licet Francorum reliquos mores adſciverit, tamen ab antiquo una cum majoribus ſuis crines decurtatos, more a temporibus Romanorum in familia conſueto geſſiſſe, & deinde retinuiſſe. Si enim, ut Francus nobilis, promiſſos ante regnum crines habuiſſet, eos dubio procul retinuiſſet, nec inſolito Regibus habitu & novo uſus fuiſſet, qui in cæteris, teſte Eginhardo, ſemper fere Francico modo veſtitus inceſſit.

(5) *Totonderit.*) Hic tondendi verbum neque de barbæ prima tonſione, neque de ignominioſa illa, quam infra declarabimus; ſed de tonſura eccleſiaſtica intelligitur; quam ſi quis receperat, atque ita ſervus Dei declaratus erat, poſſeſſionem bonorum & ſucceſſionem in hæreditatem amittebat, & in Deum ſive ædem ſacram, cui ſe dederat, transferebat olim. Unde vel maxime conveniebat, conſenſum parentum ad hujuſmodi tonſuram habere. Ignominioſa tonſio hic & in ſequenti lege, ut Bignonius putat, prohiberi non poteſt; quia ad illam parentes unquam conſilium dediſſe incredibile eſt; atque ideo ſtolidum eſſet, eorum voluntatem requiri. Clericalem autem tonſuram aliquando invitis parentibus datam eſſe liberis ab Epiſcopis, bonis ipſorum inhiantibus, teſtis eſt locus apud Gregorium Turonenſem lib. 7. c. 31. *Interea proditus ab Epiſcopo Bertchramno Eufronius negotiator per inimicitiam, quia invitum aliquando eum totonderat, inhians facultati ejus. Quod ille deſpiciens, ad aliam urbem tranſiens, cæſarie creſcen-*

te

( MALB. *Schuifara chrogino* ) ( 1 ), MMD. den. qui faciunt sol. LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

III. Si vero puellam ( 2 ) similiter sine patris aut matris voluntate totonderit, ( *Theoctidia* * ) ( 3 ) ( 4 ) ( 5 ), MDCCC. den. qui faciunt solid. XLV, culpabilis judicetur.

IV. Si quis feminam ingenuam gravidam trabattit ( 6 ), & ipsa femina fuerit mortua, ( MALB. *Anuano leudinia* ) ( 7 ), XXVIIIM. den.

* Al. *Werdarda & thercobeata.*

---

*te regreditur* &c. Et invito facta tonsio hinc in Conciliis quoque prohibita est. Vid. Capitul. lib. 5. c. 212. Concilium Moguntinum anno 813. habitum Canone XXIII. *De clericis*, ait, *hoc statuimus, ut hi qui hactenus inventi sunt, sive in canonico, sive in monachico ordine, tonsurati sine eorum voluntate, si liberi sunt, ut ita permaneant: & deinceps cavendum, ut nullus tondeatur sine legitima ætate, & spontanea voluntate, vel cum licentia domini sui.* Regum quoque consensum tandem requisitum fuisse videmus ex Marculfi Formula Præcepti de clericatu lib. 1. c. 19. *Veniens ille ad nostram præsentiam petiit Serenitati nostræ, ut licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus clericatus deponere deberet . . . . Præcipientes ergo jubemus, ut si memoratus ille de capite suo bene ingenuus esse videtur, & in polyptycho censitus non est, licentiam habeat, comam capitis sui tonsurare.* Nisi enim ingenuus olim quis erat, non erat sui juris, nec poterat contra domini vel patroni voluntatem quicquam de se constituere. Notabilis est charta Tabularii S. Martini Turonensis, ubi legitur: *Ego Galfardus S. Martini humillimus Levita ... dono trado Deo, nec non S. Martino, ubi parentes mei me obtulerunt, novo ordine traditionis per capillos capitis mei, illic comam relinquens . . . proprium meum, qui ex successione parentum mihi obvenit . . , Dat. X. Kal. Julii anno 17. regnante Domino Karolo Rege.* Plura exempla Bignonius in Not. ad Form. Marculphi p. m. 902. congessit.

( 1 ) *Schuifara chrogino.* ) Trajectio hic est literarum, & corruptio etiam quarundam, quæ in meliori exemplari abbreviatæ extiterunt. Legendum enim audacter *vas schara trogino*. *Schara* exprimit Legis illud verbum *totonderit*. *Vas* vel *fahs*, capillum denotat. Glossæ Rabani Mauri Mss. *Comis, fahs. Cæsaries, leibfahs.* Ejusdem Rabani Glossæ de partibus humani corporis: *Loccha, fahs*, capilli; *gischoran fahs, cæsaries; ungischoran fahs, coma.* In Isidori fragmento legitur *har thes fahses*, quod proprie *pilum comæ* notat. Anglosaxones *feax* pro *coma* utuntur; unde nobili in Anglia familiæ *Fairfaxiæ* ( h. e. *pulchricomæ* ) nomen. Nobis adhuc *fase*, *capillamentum*, *pilum*, *fibram radicis*, *folii* & *venæ* designat. *Trogino* est *fraudulenter*, *malitiose*. Saxonibus *drog*, Anglosaxonibus *dry*. CBrit. *drug* dicitur *impostor*, *malus*, *fraudulentus*, *improbus*. In Fragmento Isidori *drugbida* est *fallacia*, *impostura*, quæ nobis jam *trug*, a verbo *triegen*, *betriegen*, fallere, fraudari, vocatur. Unde *vas schara trogino* est *comæ abscissio fraudulenta*, quæ scilicet, parentibus invitis & insciis, peragitur. In Codice Guelferbytano legitur hic *uirdade*, & paragrapho sequenti *tuschada*. Prius ego corruptum esse puto ex Romanico *curtada*, *abscissio*, a verbo *curtare* ( pro quo Hispani dicunt *cortare* ) h. e. *scindere*, *secare*, formato. Posterius nempe *tuschada*, forte legendum est *fasschara*, ut in exemplari Heroldino.

( 2 ) *Puellam.* ) Codex Guelferbytanus notanter legit: *ingenuam puellam.*

( 3 ) *Theoctidia.* ) Cum in sequentibus paragraphis semper *Leodinia* de *fœmina ingenua* dicatur, idem hoc nomen hic restituendum statuo, quia & hic de *puella ingenua* agitur.

( 4 ) In calce, *Werdarda.* ) *Werdarda* hic idem est ac *wiridardi*, *wirdiro* & *viridio*, & *compositionem* sive *pretium* aut *wirigeldum* designat. Vide infra Tit. XLII. leg. 2. ubi pluribus de eo.

( 5 ) In calce, *Thercobeata.* ) Restitue: *Schero beata*. Prius *schero* est *totonderit*; alterum *beata* significat *caput*, nobis *haupt*, Thuringis rusticis *heat* & *hoet*. Quamquam forte nec male legi posset *heara*, h. e. *crines*. Crines enim Anglosaxonibus *hear*, Belgis *hayr*, nobis *haar* dicuntur. Vertuntur itaque in Latinum verba: *caput* vel *crines totonderit*.

( 6 ) *Trabattit.* ) Wendelino vox Romanica est a *trans* & *battere* formata, quæ significet *graviter percutere*. Titulo XLI. extat *tribattere*, quod Cangius idem ac *trabattere* esse judicat, & Spelmannus conjicit, descendere illud ab Anglo-Saxonico *trife*, Angl. *dry*, Sax. *dröge*, German. *drucken* & *beate*, *percutio*, ut hoc modo sit *sine sanguinis effusione verberare vel cædere*. Nos eadem ratione dicimus *einen drucken abschlagen*. Sed, ut verum fatear, neque Wendelinus, neque cæteri, quid sit *trabattere*, viderunt. Brevibus itaque tene, nos habuisse olim verbum *batten*, ire; unde *batte*, *patte*, *pote* & *pfote*, pes; inde etiam restat, *batschen* vel *patschen*, ire. *Im drecke patschen* est *in luto ire*. *Putgen* de infantibus ire discentibus dicimus. Itali & Galli hinc suum *passare*, *passer*, ire, transire, desumserunt. Ab hoc *battere* facta est vox nostra *trabattere*, quasi *transbattere* vel *trapassare*, ire super aliquem, sive aliquem pedibus conculcare, indigne tractare; id quod Itali & Galli postea in *strapazzare* & *strapasser* corruperunt. Menagius itaque errat, dum hoc a *transspatiare* deducit.

( 7 ) *Anuano leudinia.* ) *An* h. l. atque in lege sequenti *ano*, est præpositio *in*, Gallico more pronunciata. *Vano* in Lege sequenti *wado* & in Cod. Guelferb. *uaddo*, & *neando* enunciatur. Ut vero olim sæpius *n* loco *m*, ex. gr. *arn* pro *arm*, *sant* pro *samt*, dictum fuit; sic hoc loco *wano* positum est pro *wamo*, quod *uterum* denotat. Walther von der Vogelweide Cant. I. Ms.

*Goteslame*
*Was din* wame
*Ein palas reine.*

Vocabularium 1509. impressum: *Wamm* oder *gedarm*, *& continet intestinorum majorem partem secundum Isidorum.* Willeramus p. 29. *uan thero magathe uuambon*; de virginis utero. Idem p. 128. *thin uuamba is samo uueizes houph*; Venter tuus sicut acervus tritici. Hymnus Theotiscus Ms. *Kitagi noh uamba kianazze*, gulam nec venter incitet. Tatianus l. IV. c. 2. *uahsmo thinero uuamba*; fructus ventris tui. Rabani Mauri Glossæ: *venter*, *uuamba*. Glossæ Lipsianæ: *uuambon*, *utero*. Glossæ Mss. Junianæ: *chint in uuambo kifestinot*; puerperium. In Codice argenteo Ulfilæ *wamba* aliquoties pro *utero* usurpatur. Anglo-Saxones *wamb* & *womb* dicebant. Unde Angli suum *wombe* habent. Nos vocibus *wampe*, *wamme* & *wanst* eodem sensu hodie utimur. *Leudinia* sive *Leodinia* est una ex vocibus intellectu difficilioribus in Le-

gr-

den. qui faciunt ſolid. DCC. culpabilis judicetur.

V. Si quis vero infantem in ventre matris ſuæ * occiderit, ( MALB. *Anowado* ) ( 1 ), VIIIM. den. qui faciunt ſol. CC.

VI. Si quis puer infra duodecim annorum aliquam culpam commiſerit, fredus ei non requiratur.

VII. Si quis feminam ingenuam, poſtquam infantes habere non poteſt, occiderit, ( MALB. *Leodinia* ) VIIIM. denar. qui faciunt ſol. CC. culpabilis judicetur.

VIII. Si quis feminam ingenuam, poſtquam cœperit infantes habere, occiderit, ( MALB. *Leodinia* ) XXIIIIM. den. qui faciut ſolid. DC. culpabilis judicetur.

IX. Si quis puellam ingenuam occiderit, ( MALB. *Ex mala leudi* ) ( 2 ), VIIIM. den. qui faciunt ſolid. CC. culpabilis judicetur.

## TITULUS XXIX.

### *De adulteriis* ( 3 ) *ancillarum*.

I. SI quis ingenuus cum ancilla aliena mœchatus fuerit, ( MALB. *Anilaſina* ** ) ( 4 ) ( 5 ), DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis judicetur.

II. Si vero cum ancilla regia mœchatus fuerit, ( MALB. *Theulaſina* ) M. CC. den. qui faciunt ſolid. XXX. culpabilis judicetur.

III. Si vero ſervus cum ancilla mœchatus fuerit, CXX. den. qui faciunt ſol. III. componat.

IV. Si ſervus ancillam alienam extra volun-



* Al. *Aut antequam habeat nomen, aut natum inter novem noctes.*

** Al. *Theolaſina Wirtico.*

---

ge Salica, & nunquam eam intellexiſſem, niſi ex contextu perſpexiſſem eam ſemper adhiberi, ubi de *fœmina ingenua* ſermo eſt, & deinde ad Anglo-Saxones confugiſſem, quorum lingua cum Francica vetuſtiſſima mire convenit. Apud Anglo-Saxones autem veteres, uti *blaford* (unde hodiernum *lord* contractum) *dominum* ſignificat; ita *blafding*, *blæfdig*, *bleafdian*, *leafdian*, Verſtegano, Somnero, Skinnero, Benſonioque denotat *dominam*, *matronam*, *fœminam nobilem*, unde Angli noſtri ſuum *Lady* formaverunt. Quam originem vox habeat, dubium eſt: neque enim Verſtegano aſſentior, qui a *blaf*, panis, & *thenian* ſive *dienen*, ſervire, miniſtrare, deducit, quaſi dicas *miniſtrantem famulis panem*. Nobis ab AS. *lab*, quod Angl. *law*, Isl. *laug*, Suec. *lagh*, Gall. *loy*, Ital. *legge*, Lat. *lex* enunciatur; & verbo *warten*, cuſtodire, obſervare, factum fuiſſe videtur *labward*, & *laford*, & tandem *lord*; quod *legis obſervatorem* ſive *cuſtodem* vertas. Id autem *nobilium* officium eſt. Veteribus Germanis porro *thiv*, Anglo-Saxonibus *thiwa*, *theowine* & *theovne* eſt *ſerva*, *ancilla*. In Evangeliis Gothicis *thiwe* Luc. XVI. 13. *famulus*, & *thiwi* Joh. XVIII. 17. *ancilla* redditur. Vide Junii Gloſſarium Gothicum. Germanicum *thiv* pro *ſerva* apud Otfridum & Tatianum ſæpius occurrit. Radix vocis eſt vetus noſtrum *thionon* & *thianan*, nunc *dienen*, AS. *theowian*, ſervire. Ex hoc igitur vocabulo, & *law* aut *loy*, quod antiquitus & *leu* pronunciatum fuiſſe non abſone ſuſpiceris, proveniet *Leudiva*, *Leudina*, *Leudinia*, & apud Anglo-Saxones *lafdian* ac *lafding*: quod *legi ſervientem* vel *miniſtrantem* denotabit. Hæc autem *ingenuæ* appellatio eſt, quia bene natæ legem ſuam ſequebantur, ejuſque beneficiis fruebantur, cum mancipia iiſdem non gauderent, ſed ſolius domini voluntate regerentur, ac punirentur. Fœminæ vilis conditionis inde *exleges* dictæ. Fulcherius Carnotenſis lib. I. Hiſt. Hieroſol. cap. II. de Chriſtianis: *cum civitatem ingreſſi fuiſſent, confeſtim cum feminis exlegibus concubuerunt plures ex eis*. Ordericus Vitalis lib. X. pag. 372. *Abſit a me, ut credam, quod bonus miles violet fidem ſuam; quod ſi fecerit, omni tempore velut exlex deſpicabilis erit*. Ubi vides *bonum militem* pro *ingenuæ libertatis viro*, ſive *nobili* poni; *exlegem* vero pro *viliſſimæ conditionis homine* ſeu *mancipio*, quo nihil deſpicabilius. *Legem amittunt*, qui ob crimina ingenuitate privantur, & infames fiunt. Vid. Bractonus lib. IV. Tr. I. c. 19. §. 2. Honorificum ergo eſt *Leudiniæ* ſive *legi ſervientis* nomen, & ingenuæ fœminæ apprime convenit. *Lafde* etiam apud Islandos pro *hero* in uſu eſſe Gudmundus Andreæ annotavit. Primario ſenſu hoc *legi ſervientem* ſive *ingenuum* deſignaſſe puto. Omnia jam ſi in Lege noſtra colligas, patet, *anuano leudinia* idem eſſe ac *gravidam fœminam ingenuam*. Vox *Leudinia* iterum Tit. XXXVIII. recurrit, ſed vitio ibi, ut videtur, poſita eſt.

( 1 ) *Anowado*.) Legendum *anwano*, h. e. in ventre.

( 2 ) *Ex mala leudi*.) *Leudi* eſt *compoſitio*. *Ex mala*, ſi more noſtro ſcribatur, erit *ſmale* ſive *ſchmale*, quo nobis *gracilis*, *adſtrictus*, *arctus* denotatur. Et poſſet hoc nomine veniſſe puella, quæ adhuc *gracilis* eſt, & *adſtricto ventre*, ſive *exiſtens in annis, quibus nondum infantes habere poteſt*, ut legis verba innuunt. Eſſet itaque *ex mala leudi* non aliud, quam *puellæ nondum conceptioni aptæ compoſitio*. Niſi tamen *ex mala* hoc corruptum ſit ex *magata*, virgo, puella, quod ferme crediderim. Hac autem de voce ſupra ad Tit. XIV. leg. 1. egimus fuſius.

( 3 ) *De adulteriis*.) Adulterium hic pro ſtupratione adhibetur. Ambroſius de Abrahamo lib. I. c. 4. *Omne ſtuprum adulterium eſt, & quicquid in ea, quæ non ſit legitima uxor, commiſſum fuerit, adulterii crimine damnatur*. Vid. Bignonius ad noſtræ Legis locum.

( 4 ) *Anilaſina*.) Hoc deſignat *alienam ſervam*. *Ane* enim, ut aliquoties monitum, eſt *alienus*; & *Laſina* eſt *ſerva*, *ancilla*. Vide ſupra ad Tituli XI. leg. 4. notata. Nithardus lib. 4. *Sunt inter illos* ( Saxones ), qui *Edhelingi, ſunt qui Frilingi, ſunt qui Lazzi illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua hoc ſunt, nobiles, ingenuiles atque ſerviles*. In aliis exemplaribus ſcribitur *laſſi*. Nobis reſtat formula *las oder eigen ſeyn*, h. e. hominem ſervum vel proprium eſſe; quam exponit Schilterus in Praxi J. R. in Foro Germ.

( 5 ) In calce, *Theolaſina Wirtico*.) Paragrapho ſequenti rectius *Theulaſina* extat: Codex Guelferbytanus *theoloſina* habet. Supra ad Tit. XI. leg. 4. jam dictum eſt *theue* notare ſervum, & ſervam; *laſina* itidem eſt *ſerva* aut *ancilla*. Pro *wirtico* ſcribendum *wirtiro*, ut idem ſit, ac noſtrum *würde*, *werth*, *wirdirung*, pretium. In Capitulari III. anni 813. cap. 24. *wirdira* hoc ſenſu uſurpatur. Vide quæ ad Tit. XLII. leg. 2. annotabimus. Ita vero *theulaſina wirtico* denotat *ſervæ* ſive *ancillæ ſtupratæ compoſitionem*.

luntatem (1) domini sui ad conjugium sociaverit, ( MALB. *Authanio* ) (2), CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur.

V. Si quis Francus alienam ancillam sibi publice junxerit, ipse cum ea in servitute permaneat.

VI. Si servus cum ancilla mœchatus fuerit, & de ipso crimine ancilla mortua fuerit, servus ipse aut castretur (3), aut CCXL. den. qui faciunt sol. VI. culpabilis judicetur; dominus vero servi capitale in locum restituat. Si autem ancilla propter hoc non fuerit mortua, servus ipse aut CXX. ictus accipiat, aut CXX. den. qui faciunt sol. III. domino ancillæ cogatur persolvere.

## TITULUS XXX.

### *De libertis dimissis.*

I. SI quis Lidum alienum extra consilium domini sui ante Regem per denarium ingenuum dimiserit, ( MALB. *Maltho theato meolito* ) (4), IIIIM. den. qui faciunt sol. C. culpabilis judicetur, & capitale domino ipsius restituat.

II. Res vero ipsius Lidi legitimo domino restituantur *.

III. Si quis servum alienum ante Regem per denarium ingenuum dimiserit, ( MALB. *Maltho theata, meotheos* ) M. CCCC. den. qui faciunt sol. XXV. culpabilis judicetur, excepto capitale quod domino restituatur; res vero ipsius servi proprius dominus recipiat.

T I-

* Al. *Reformentur*.

(1) *Extra voluntatem.*) Vid. Formula Andegavensis XLIV. & Marculfus Lib. II. Formula 29.

(2) *Authanio.*) De conjugio servi cum ancilla lex agit: jam in Belgica lingua superest vox *bouden*, & secundum pronunciationem communem scripta *hauden*, quæ *conjugium inire* significat. Kilianus in Dictionario Etymologico: *Houwen*, *bouden*, *houweliken*, *hiilicken*, *hilicken*, *eeliken*; *matrimonium contrahere*, *inire*, *sortiri*; *jungi matrimonii fœdere*, *connubii fœdus inire: ducere uxorem: nubere viro*, *maritari*, *viro tradi seu sociari*. Quid si hoc *hauden* veteribus etiam Francis cognitum fuerit? Quid, si inde *haudening*, *haudaning*, *audaning*, *audanio*, *authanio* formaverint homines Romanenses Francis subditi? Nam *h* illi ab initio fere semper in pronuntiando omittunt, & terminationem nostram *ing* vel *ung* in *io*, *ia* vel *ie* commutant. Nisi tamen, quod magis probo, *authanio* corruptum est, ut facile potuit, ex *antmalio* sive *hantmahlung*, ut *sponsalia* servi cum ancilla denotentur. *Hantmahl* certe hoc sensu usurpatum occurrit in vetustissima Evangeliorum Harmonia Cottoniana, qua Hickesius usus est, cujusque aliud exemplar nuper Herbipoli una cum aliis quibusdam Mss. inventum fuisse mihi constat. Scribitur ibi: *thar uuas thes helites handmahal endi octhcru helagen thiernum marium thera guodun*. Hoc est: *Ibi erant sponsalia herois ac etiam sanctæ virginis Mariæ illius bonæ*. H ab initio in Glossa omissum, ut etiam alibi in *andclagus* pro *handschlagus* & tot aliis factum.

(3) *Castretur.*) Castratio servo in adulterio non solum, sed etiam in furto comprehenso decreta legitur infra Tit. XLIII. leg. 2. In Vita S. Deicoli cap. 4. Weifarius Vasallus, quod S. Deicolus ecclesiolam invito presbytero ab ipso ei præposito intrasset, foresque aperuisset, ut furtum servi consideravit; unde sententiam in eum hanc tulit: *Ite cum festinatione, & si quis illum fidelium meorum capere possit, sine audientia castretur*.

(4) *Maltho theato meolito.*) Eodem hoc titulo leg. 3. legitur, *maltho theata meotheos*. In Codice Guelferbytano leg. 1. est *malteo hiatus meo lexim*, & leg. 3. *maltho hait homitto*. Sed re ipsa diligenter expensa, certum mihi est, restituendum esse utrobique, in Codice Heroldino *maltho theata meotheo*, & in Guelferbytano *maltho thebaito mitto lezim*; quod est, *designaverit denarii jactatione servum* ( sc. ut sit ingenuus ), sive ut lex loquitur, *per denarium ingenuum dimiserit*. *Malen* enim significat *designare*, ut supra ostensum, & *malethe* vel *malthe*, *designaverit*. Porro *Theata* vel *thebaito*, Sax. *teinte*, Germ. *zehnte*, est nomen *Denarii*; supra Tit. II. leg. 5. *thebun* ponebatur pro *decem*. Ab hoc *theata* etiam posteris temporibus denarius *deut*, & *dütchen*, ac duplex denariolus *doppeldütchen* vocati sunt. Qui has voces aliunde deflectunt, a vero aberrant. Jam *meotheo* vel *mitto* est idem quod Saxonum *smite*, & Germ. *schmeisse*, *jactaverit*. Primum enim hoc verbum absque sibilo in principio scriptum fuit, ut videmus ex Latino *mittere* ejusdem originis & significationis verbo. Slavoniis *jacere* similiter est *metati* & Carniolanis *mezheti*. Titulus Legis nostræ LIV. inscribitur de *andocmito*, sed legendum de *andosmito*, ac interpretandum est *de alius jactatione*. Apud Saxones *vermeten*, Germ. *vermessen* est *jactitare*, *gloriari*, & primitivum agnoscit vetus *meten*, *miten*, iacere. Engelhusius in Vocabulario Saxonico Ms. *Vormeyten*, *præsumere*, *jactare*, *jactitare*. *Lezim* tandem *lætum*, *lidum* vel *lazum*, h. e. *servum* denotat, qua de voce antea egimus. De manumissione in præsentia Regis per denarium jactatum peracta videantur plura apud Bignonium in Notis ad Formulas Marculphi, Lindenbrogium & Cangium in Glossariis, quos non exscribimus. Ut tamen ritum vetustum clarius ob oculos ponamus, lubet ex Goldasti Constitut. Imperial. Tom. III. pag. 300. formulam manumissionis hanc proferre: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Hludouuicus divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles nostri, præsentes scilicet & futuri, quia nos rogatu Purucharti dilecti Comitis nostri, quendam proprium servum nostrum Johann nominatum, in præsentia fidelium nostrorum per excussionem denarii de manu illius, juxta Legem Salicam, in eleemosynam nostram liberum dimisimus & ab omni jugo servitutis absolvimus: ejus quoque absolutionem hoc scripto firmavimus, quam in omni tempore firmam inviolabilemque mansuram esse volumus. Præcipientes ergo jubemus, ut sicuti reliqui manumissi, qui per hujusmodi titulum absolutionis a Regibus vel Imperatoribus noscuntur relaxati ingenui, ita deinceps memoratus Johan bene ingenuus atque securus existat. Ernustus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicapellani recognovi. Data II. Kal. Jun. Anno Incarnationis Domini DCCCCVI. Indict. IX. Anno Regni Domini Hludouuici VII. Actum in Rotwilla feliciter. Amen.* Aliam hujusmodi formulam suppeditant Formulæ ant. Alsaticæ cap. IV.

## TITULUS XXXI.

### *De Elocationibus.*

I. SI quis in furtum aliquem locare * (1) voluerit, ut hominem interficiat, & inde pretium accipiat, (MALB. *Auuena*) (2), IIIIM. denar. qui faciunt sol. C. culpabilis judicetur.

II. Si quis in furtum aliquem elocare voluerit, ut hominem intercipiat, & pretium ab hoc acceperit, & non fecerit cui fuerit adprobatum, (MALB. *seu lando esa*) MMD. den. qui faciunt solid. LXII. & dimid. culpabilis judicetur.

III. Similiter & ille qui pretium accepit ut hominem occideret, MMD. den. qui faciunt sol. LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

IV. Si quis in furtum elocatum, acceptum pretium, hominem occidere voluerit, & non fecerit, (MALB. *seu landoesa*) MMD. den. qui faciunt sol. LXII. cum dimid. culpabilis judicetur.

V. Si vero per tertium locatio ipsa fuerit transmissa, MMD. den. qui faciunt sol. LXII. & dimid. culpab. judicetur, unusquisque illorum, scilicet dans, accipiens & portans.

## TITULUS XXXII.

### *De Debilitatibus* (3).

I. SI quis alterum manu aut pede capolaverit, de manu capolata, unde homo mancus est (4), & ipsa manus super eum pendit (5), (MALB. *Sichte*) (6), MMD. den. qui faciunt solid. LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

II. Si vero ipsa manus super excussa fuerit (7), (MALB. *Chamin* **) (8), IIIIM. den.



* Al. *Elocare*. ** Al. *Chamin's*.

(1) *Locare.*) Et infra *elocare* hic est *conducere pretio*. Hinc Gallicum *louer* ortum est.

(2) *Auuena.*) Per omnes Tituli hujus leges agitur *de locatione*, sive conductione ad aliquem pro certo pretio occidendum. *Locare* autem *pretio* vel *conducere pretio* nobis est *miethen*. Mylii Archæologus Teuto: *Miete, Otfrido conduco. Miede & miethe Saxonibus adhuc in usu, proprie de famulis & operariis*. Keronis Glossæ: *Conducunt, mietant*. Glossæ Boxhornianæ: *kimieda, conduxit*. Inde & ea, quæ alicujus rei loco dantur, ut *merces, pecunia, munera*, apud veteres *mieta* vocantur. Glossæ Lipsianæ: *Miedon, mercis*. Tatianus XXII. 17. *Juuar mieta ist ginuhtsam in himilon*; Merces vestra copiosa est in cœlo. Idem XXXII. 8. *Ist juuar mieta mihhilu*; erit merces vestra multa. Eodem modo & apud eundem XXXIV. 1. XXXV. 1. & XLIV. 28. 29. recurrit. Videndæ porro notæ Palthenii ad Tatianum pag. 351. & Junii Observat. ad Willeramum pag. 243. Notkerus Psalm. XIV. 5. verba, *& munera super innocentem non accepit*, paraphrastice reddit: *Unde er mieta ne imfieng umbe unsculdige; ih chido, daz er durh mieta niomanne ne scadeta*. De conductione autem & locatione, pretio dato vel accepto, cum in Lege hac nostra *auuena*, & postea Leg. 2. & 4. *seu lando esa* adhibeatur; ego ubique verba hæc restituenda judico: *selit ando mieta*. Mediam vocem *ando* notare *alterum* vel *alium* jam supra ad Tit. X. Leg. 5. demonstratum est. *Selit*, quod præcedit, significat *tradiderit* vel *dederit*. Tatianus CLVIII. 3. *Ein fon ju selit mih*; unus ex vobis tradet me. Idem CLIV. 1. *Ih seliu ju in*; ego vobis eum tradam. Idem CLIX. 6. *Judas ther inan salta*; Judas, qui tradidit eum. Idem XIIX. 1. *Inti salta man imo then buoh thes wizagen Esaies*; & traditus est illi liber Esaiæ prophetæ. Lex Ludovici & Lotharii Impp. Lib. IV. Capitular. cap. 19. extans in Ms. Trevirensi Germanice versa, verba, *Legitimam traditionem facere studeat*, ita interpretatur: *vuizzeta thia sala ce gedune geulize*. Et paulo post illa: *eodem tempore, quo illas tradere vult*, reddit: *themo selvemo cide, that er thui sellan vuilit*. Alia loca prætermitto. Verbum itaque si verbo reddas, *Seli ando mieta* interpretandum venit: *tradiderit alteri* sive *alicui pretium*, vel quod idem est, *locare voluerit*. Codex Guelferbytanus hic & in reliquis hujus Tituli Legibus *morter* ponit, quæ vox, ut vidimus, *homicidium* designat, de quo etiam hic agitur.

(3) *De Debilitatibus.*) Debilitas hic pro *mutilatione* accipitur. Lex Burgund. Tit. LV. leg. 3. 4. *Ingenuus ..... manus incisione damnetur. Si vero debilitatem suam redimere voluerit, medietatem pretii sui solvat*. Plura apud Cangium quære.

(4) *Mancus.*) Proprie dicitur, qui altera caret manu, vel ea uti nequit. Lupus Servatus in vita S. Wigberti cap. 23. *Manci exoptabilem manuum nacti sunt usum*. In Lege nostra eodem modo adhibetur. Alias & pro eo in genere accipitur, qui membro quodam privatus est, vel cui membrum deest. Glossæ Isonis Magistri: *Mancus, contractus, debilitatus, mutilatus vel imminutus*. Inde tandem verbum *mancare* in veteribus Capitularibus plus una vice occurrit pro *debilitare*. Mox *mancatus* in Tituli nostri Lege 3. est *debilitatus*. Postea idem verbum debuit adhibitum fuisse pro *deesse, defici*. Ab hoc enim nos *mangeln* & Galli suum *manquer* formarunt.

(5) *Super eum pendit.*) Hoc barbare forte scriptum est pro *super se pendet*; Germanice dicimus: *über sich hænget*; quod fit, quando ossa penitus sunt dissecta atque abscissa. Interim tamen & *pendere* hic eo sensu usurpari potest, quo nobis *hincken*, quod pariter idem est ac *hencken* pendere, & deinde *claudicare*. Poterit & olim illud de *manu debilitata* in usu fuisse, quæ officium suum facere nequit; sed saltem *pendet*. Et suspicor ferme Malbergi vocem *sichte* in *hincte* mutandam esse, ut exprimantur legis verba, *mancus est*, vel *manus super eum pendit*.

(6) *Sichte.*) Poterit tamen etiam exponi, *capulaverit*. In Codice Guelferbytano est *sicti*; in alio Heroldino fuit *soehte*. *Sichen, sigen, sieen* nobis olim; Gallis *scier*, Dalmatis *szichi*, Slavoniis *secati* denotat *secare*. Saxonibus *siee*, Belgis *sichte*, Anglis *sythe* est *falcis messoriæ species*. Ex eodem fonte sunt *sichel*, secula, & *sæge*, serra. Anglosaxones *sigan* pro *excidere* habent. Glossarium Ms. Lindenbrogianum: *Falx, falcinula, sichela*. Keronis Glossæ: *Securi, sibhure*.

(7) *Excussa fuerit.*) *Excutere* est ictu facto eripere aliquid de manibus alterius, *abschlagen*.

(8) *Chamin.*) Supra Tit. XXIII. leg. 1. 2. 3. *chamni* scriptum est, & *manum* denotat, ut demonstravimus.

den. qui faciunt ſolid. c. culpabilis judicetur.

III. Si quis pollicem de manu vel pede excuſſerit, ( Malb. *Alachtam* ) (1), mdccc. den. qui faciunt ſolid. xlv. culpabilis judicetur; ſi vero ipſe pollex in ipſa manu mancatus pependerit, ( Malb. *Alachtamo chaminis*) (2), mcc. den. qui faciunt ſol. xxx. culpabilis judicetur.

IV. Si ſecundum digitum, quo ſagittatur, excuſſerit, ( Malb. *Alatham briorodero*) (3), mcccc. den. qui faciunt ſolid. xxxv. culpabilis judicetur.

V. Si quis alteri tres ſequentes digitos pariter uno ictu excuſſerit, ( Malb. *Chaminis* ) (4), mdccc. den. qui faciunt ſolid. xlv. culpabilis judicetur.

VI. Si quis medianum digitum excuſſerit, ( Malb. *Taphano* * ) (5) (6), dc. den. qui faciunt ſolid. xv. culpabilis judicetur.

VII. Si vero quartum digitum excuſſerit, ( Malb. *Malegano* ** ) (7), dc. den. qui faciunt ſolid. xv. culpabilis judicetur.

VIII. Si minimus digitus excuſſus fuerit, ( Malb. *Mine chleno* ) (8), dc. denar. qui faciunt ſolid. xv. culpabilis judicetur.

IX. Si vero pes capolatus fuerit, mancus ibidem tenuerit, ( Malb. *Chalde china chamin* ) (9), mdccc. denar. qui faciunt ſolid. xlv. culpabilis judicetur.

X. Si vero pes capulatus fuerit, & mancus ibidem tenuerit (10), ( Malb. *Chul de chi-*

* Al. *Repphano*. ** Al. *In elechano*.

(1) *Alachtam.*) Pro *alach* ego *aſlach* repono. Angloſaxones enim *aſlagan* & *aſlægan* pro *abſcindere* habuerunt. Inde apud Benſonium *aſlægen* & *aſlagen*, *abſciſſus*. Nos *abſchlagen* dicimus ſimili ſenſu, & *einem den kopf abſchlagen*, nobis eſt *uno ictu aliquem capite truncare*. Keronis Gloſſæ: *percute*, *ſlah*. Eædem: *Occidere ſlahon*. Vetus *aſlahan* licet ex *abſlagen* contractum ſit, Franci tamen ab *ausſlagen* formatum credidiſſe videntur; unde non *decutere*, ut debebant, ſed *excutere* illud verterunt. Sequens *tam* forte *tum* legendum eſt. Saxones enim *dume*, Belgæ *duym*, ſuperiores Germani *daume*, Angli *thombe* vocant *pollicem*. Integra ergo locutio *aſlach tam* reddit Germanice Latina: *pollicem excuſſerit*.

(2) *Alachtamo chaminis*.) Lege: *aſlach tamo chaminis*, quod eſt, *excuſſerit pollicem manus*.

(3) *Alatham briorodero*.) Corruptiſſime ſcriptum. Digitus, quo ſagittatur, eſt alio nomine *index*, qui, ab attrahendo arcum, in Gloſſario veteri, a Franciſco Junio in Obſervationibus ad Willeramum citato, *zougere* vocatur, voce ab imperfecto verbi *zihan*, ſive, ut nos loquimur, *ziehen*, trahere, attrahere, formata. Quid ſi igitur in *briorodero* pro ultimo *rodero* legendum eſſet *zogero*? Hoc eo facilius fieri potuit, quia antiquior figura literæ *z* in quibuſdam veteribus manuſcriptis ad formam literæ *r* accedit, ut ex. gr. in Codice Pſalterii Notkeriani Vindobonenſi. Antecedens *brio* forte ex *bogo* corruptum eſt. *Bogen* enim nobis *arcum* denotat. Unde *bogozogero* eſt *arcus attractor*, ſive *digitus*, *quo ſagittatur*. Prius *alah* mihi iterum factum fuiſſe videtur ex *aſlah* vel *aſlach*. Et ſequens *tam* ex *tana* vel *thena*, articuli nempe indefiniti accuſativo, apud veteres Gothos & Theotiſcos ſic ſcripto, prodiit. Integrum hinc *aſlah tana bogozogero* ſignificat: *excuſſerit digitum*, *quo ſagittatur*.

(4) *Chaminis*.) Genitivus hic, a *cham*, manus, formatus, requirit antecedens quid. Et quoniam de plurium digitorum excuſſione agitur, & digitus in ſequentibus *phano* vel *fang* vocatur, ideo ego ex præcedentibus ita reſtituendum judico locum hunc: *aſlah phangi chaminis*, h. e. *excuſſerit digitos manus*.

(5) *Taphano*.) *Phano* in hac voce *digitum* deſignat, & forte *phang* vel *fang* reſtitui debet. In avibus enim rapacibus *ungulas* venatores noſtri adhuc *fænge* vocant, cum quo forte *phano* vel *fano* idem eſt. Nos digitum *finger* appellamus voce etiam omnium confeſſione, a *fangen*, capere, prehendere, derivata. Prior vocis ſyllaba forte *ra* vel *re*, atque ita integra vox *raphano* vel *repphano* legenda eſt, quod etiam, ut ſtatim ſequitur, in alio exemplari Heroldus obſervavit.

(6) In calce, *Repphano*.) Vox hæc *repphano* vel *raphano* poterit compoſita eſſe ex *rep*, olim apud nos uſitato pro *membro virili* vel *cauda*, & *fano* vel *fang* digitus; ut indicetur *digitus medius*, qui Latinis etiam *infamis* & *verpus* a *verpa* ſeu *mentula* dicebatur, quia extenſus, reliquis clauſis, illius figuram præſentat. Certe adhuc Hiſpanis *rabo* eſt *cauda*; & Slavis convenienter admodum *rep*, Dalmatis vero *reep*, deſignat *penem*. Germanis autem & Slavis multa vocabula communia ſunt, & apud illos deperdita ſæpius apud hos reperiuntur, cujus rei exemplum etiam ſupra in voce *ſucelin* vidimus.

(7) *Malegano*.) Forte legendum *malephano*, vel *malefang*, ut *digitus ſponſalitius*, ſive in quo *annulus ſponſalitius geritur*, indicetur. *Mahlen* eſt *deſponſare*, ut ſupra ad Tit. XI. leg. 8. demonſtravimus. Appoſite nobis adhuc idem digitus, quia ſponſalitio annulo dicatus eſt, *der goldfinger*, *herzfinger* & *jungfernfinger* appellatur. Quod in alio exemplari Heroldus invenit *in elechano*, corrigendum eſt *in melephang*. Ita ſolum *e* cum *a* commutatum.

(8) *Mine chleno*.) *Min* olim fuit *parvus*, unde *minder*, minor, & *minſte*, minimus. Teutoniſtæ *mynne*, minus, *mynre*, minor. Gallis, *mince*, *menu*, minutus, & hinc *menuet*, ſaltationis genus, a minutis paſſibus Menagio dictum videtur. *Moins*, *moindre*, ejuſdem originis ſunt, ut & Latina *minuo*, *minutus*, *minimus*, ac Græcum μινύθω. *Chleno* itidem *parvum* denotat, & eſt ipſum noſtrum *klein*, Sax. *klene*. *Mine* autem & *chleno* hic conjunguntur, ut etiam contingit in noſtro *wintzerklein* pro *minimo*. Nam *wintzer* hoc idem eſt ac *minſter*. Minimum autem digitum adhuc *den kleinen finger* nominamus.

(9) *Chalde china chamin*.) *Chalde* compoſitio vel mulcta. *China*, ſi Gallico more pronuncies, *ſchina* ſonabit. Jam vides, hoc eſſe ipſum noſtrum *ſchienbein*, Sax. & Belg. *ſchene*, tibia. Teutoniſta: *ſchenen ind beyne der luyde*, *ſarabellum*. *Ijeren ſchenen of beyn gewant*, caliga, ocreæ, *ſchene* tibia. *Chamen* eſt manus; quod nomen tamen hic etiam pedi ob digitos, quibus pariter inſtructus eſt, tribuitur. Verbotenus igitur ſi reddas *chalde china chamin*, Latine erit *compoſitio manus tibiæ*, hoc eſt *pedis*.

(10) *Mancus ibidem tenuerit*.) Hoc eſt: *ut mancus ibidem, claudicaverit*. Ubi primi obſervamus, *tenere* hic loci idem eſſe ac *claudicare*. Sic quoque apud Germanos veteres *halten*,

*china chamin* ) ( 1 ), MDCCC. den. qui faciunt ſolid. XLV. culpabilis judicetur.

XI. Si vero ipſe pes excuſſus fuerit, ( MALB. *Chalda china ſichte* * ) ( 2 ) ( 3 ), MMD. den. qui faciunt ſolid. LXII. ( 4 ) cum dimidio, culpabilis judicetur.

XII. Si quis alteri oculum tulerit **, ( MALB. *Liclamina* ( 5 ), MMD. denar. qui faciunt ſolid. LXII. ( 6 ) & dimidium, culpabilis judicetur.

XIII. Si quis naſum alteri excuſſerit, ( MALB. *Fraſitto* ) ( 7 ), MDCCC. denar. qui faciunt ſol. XLV. culpabilis judicetur.

XIV. Si quis auriculam alteri excuſſerit, ( MALB. *Chunni cleura* ) ( 8 ), DC. denar. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

XV. Si quis alterum lingua capolaverit ***, unde loqui non poſſit, ( MALB. *Alchaltua* ) ( 9 ), IIIIM. den. qui faciunt ſol. C. culpabilis judicetur.



* Al. *Channa chlora*. ** Al. *Evellerit*. *** Al. *Amputaverit*.

---

*ten*, tenere, retinere, etiam *claudicare* ſignificavit: quia claudicatio ex retento pede, ſive, quando pedem movere nequimus, ſequitur. Benſonius in Vocabulario Anglo-Saxonico: *Healt*, claudus. *Healtan*, claudicare. Islandi ſecundum Gudmundum Andreæ habent *halltur*, claudus; *ad haltra*, claudicare; & *helte*, claudicatio. Sueçis *halt* itidem eſt *claudus*, & Anglis noſtris *tohalt*, claudicare. In Evangeliis Gothicis Matth. XI. 5. Luc. VII. 22. Luc. XIV. 21. Marc. IX. 45. *haltai* vocantur *claudi*, qui in Monumentis Theotiſcis *halze*. Tatianus LXIV. 3. *Blinte gi ſehent*, *halze gangent*; Cæci vident, claudi ambulant. Otfridus III. 1. *Er deta, thaz halze liafun*; faciebat, ut claudi ambularent. Inde memini, Henricum Sanctum Imp. cum & *Claudus* cognominaretur, a quibuſdam *Hufehalz* vocatum, hoc eſt, *coxa luxata claudum*.

( 1 *Chul de china chamin*.) Emenda: *Chalde china chamin*; quod eſt, ut ante, *compoſitio pedis*.

( 2 ) *Chalda china ſichte*.) Eſt *compoſitio tibiæ abſciſſæ*. Quid ſit *Sichte*, paullo ante expoſitum eſt.

( 3 ) In calce, *Channa chlora*.) Hæc ex leg. 14. ſequenti huc erronee translata ſunt, ubi & explicabuntur.

( 4 ) Alias *LXXII*.) Sed emendatum cum Vendelino, *LXII*.

( 5 ) *Liclamina*.) *Oculos tollere* vel *evellere* nobis eſt *die augen ausſtechen*; pungere vero *ſtechen*. Unde in Gloſſario Ms. Florentino: *Pugio*, *ſtich*. Hinc nos eum *ſtocblind* vocamus, qui *ita cæcus eſt*, *ac is*, *qui oculum expunctum habet*. Saxones dicunt *ſticken düſter*, & Germani *ſtockfinſter*, ab eodem fonte, pro *valde obſcuro*. Pro *licl* itaque *ſtice* reponendum conjicio. Reliquum *amina* ex *augina* corruptum eſt. Gloſſæ Keronis: *Oculus*, *auga*. *Oculi*, *augun*. *Oculis*, *augon*. *Oculo*, *augin*. *Oculorum*, *augono*. Iſidori fragmentum: *Hrimit ſiner augin ſchun*; tangit pupillam oculi ejus. *Stice augina* hoc modo exprimit verba: *oculum tulerit*.

( 6 ) Alias *LXXII*.) Emendatum iterum: LXII.

( 7 ) *Fraſitto*.) Legendum forte *Fraſicto*, quod proprie *partem faciei prominentiorem*, *das vorſichte*, vel uſitatius *das vorgeſichte*, notabit. Derivandum enim eſt a *fra vor*, ante, & *ſichte*, *geſichte*, facies. Inſolens tamen hæc apud veteres locutio; unde potius cenſeo pro *fraſitto* legendum eſſe *naſicte*, vel diſtinctius *naſe ſicto* vel *ſichte*, quo verba *naſum excuſſerit* interpretantur. Rabanus Maurus de partibus humani corporis: *Nares*, *naſa*. Vox certe *naſe* apud nos vetuſtiſſimi uſus fuit. Unde proverbia: *einem eine naſe machen oder drehen*; item *eine naſe kriegen* pro *fallere* & *falli*, uſurpantur. Henricus ab Alcmar in Vulpecula Reyneken lib. I. cap. 34. canit:

*Unde hadde alſus eynen flaſſen bard*
*Deme Konynge maket tor ſulven vard;*
*Nicot alleyne eynen bard van flaſſe,*
*Men ok eyne neſe angeſeth van waſſe.*

Thuringi hinc communi convicio, & ſi quidem non erro, vetuſtiſſimo, *Heringſnaſen* vocantur. Non me quidem latet a pleriſque dici, inditum iis hoc nomen eſſe, ab harengorum appetitu ſingulari, & noti ſunt veteres verſus:

*Halec aſſatum Thuringis eſt bene gratum,*
*Ex uno capite faciunt bis fercula quinque.*

Notum mihi eſt etiam S. Eliſabetham a vini potione & harengorum eſu religioſe abſtinuiſſe; unde harengos tunc temporis in deliciis fuiſſe patet. Sed eos ſola in Thuringia avide comeſtos eſſe, hoc nullibi commemoratum. Nec noſtro tempore Miſnenſes & Franci cæterique populi Germaniæ harengos minus appetunt, quam Thuringi. Unde non video, cur ſoli Thuringi ab iis cognominandi veniant; & locutionem iſtam altioris originis eſſe conjicio. Vetuſtiſſimam gentis hiſtoriam evolventi occurrit *Heringus* vel *Hiringus miles regis Thuringorum Irmenfredi*, *vir*, ut verbis Witichindi utar, *audax*, *fortis manu*, *acer ingenio*, *acutus conſilio*, *pertinax in rebus agendis*, *facilis ad ſuadendum quæ vellet*. Hic votis Amalbergæ Reginæ ambitioſis ſatisfaciens, Irmenfredo Regi Thuringorum, populoque ipſi, auctor & ſuaſor fuerat, ut reſiſterent Theoderico Francorum regi, imperium in ipſos ſibi arroganti. Unde Thuringi bello a Francis appetiti, prælio fuſi, & tandem auxilio Saxonum, qui jam olim Thuringorum acerrimi hoſtes fuerant, Schidinga Kal. Octobris capta, penitus devicti. Heringus in caſtra Theodorici captivus delatus, & falſis promiſſionibus corruptus, herum Erminfredum, cum ad pedes victoris ſe proſterneret, & ipſe, tanquam armiger regalis, evaginato gladio ſecus ſtaret, nefarie trucidavit. Scio Witichindum, hujus narrationis auctorem, quædam erronea miſcere. Scio etiam de morte Ermenfredi diverſa tradi a Gregorio Turonenſi; ſed video quoque ea conciliari poſſe cum reliquis. Thuringos certe pravis Heringi conſiliis deceptos poſt hæc a Saxonibus & Francis *Heringſnaſen* ( *denen nemlich Hering eine naſe gemacht* ) dictos fuiſſe veroſimillimum eſt.

( 8 ) *Chunni cleura*.) Paulo ante leg. 11. *channa chlora* ſcriptum, & utrobique corruptum eſt. Terminatio *ora* & *eura* ſine dubio noſtrum *ohr*, auris, exprimit. Unde *channachl* & *chunnicl* ſcriba miſerrimus deſumſerit, neſcio. Quia tamen adhuc de excuſſione ſermo eſt, ego & hic *aſ lah thaz ora* reponendum credo, ut *excuſſerit aurem* Germanice dicatur.

( 9 ) *Alchaltua*.) Emendandum: *Aſlach te tuga* vel *tunga*. Quod Latine eſt: *excuſſerit linguam*. *Tuga* linguam denotat. Litera enim *n* in hac voce eſt ἐφελκυςικός. Deſcendit namque a *ziehen*, Sax. *teben*, trahere, quia attrahit quaſi cibos; & Sax. *tunge*, Belg. *tonghe*, Germ. *Zunge* effertur. Keronis Gloſſæ: *Linguam*, *Zungun*. Eædem. *Linguoſus*, *zunkaler*.

XVI. Si quis dentem excuſſerit, ( Malb. *in Chlanina* ) ( 1 ) , DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

XVII. Si quis ingenuum caſtraverit, aut virilia tranſcapolaverit ( 2 ) , unde mancus ſit, ( Malb. *Wiradardi* ) ( 3 ), IIIIM. den. qui faciunt ſolid. C. culpabilis judicetur.

XVIII. Si vero ad integrum tulerit virilia , ( Malb. *Alacharde* ) ( 4 ) , VIIIM. den. qui faciunt ſolid. CC. culpabilis judicetur.

XIX. Si quis Salecus Salecum caſtraverit , VIIIM. den. culpabilis judicetur , qui faciunt ſolid. CC. excepta medicatura , quæ componatur ſol. IX.

XX. Si quis Antruſſionem ( 5 ) caſtraverit, XXIIIIM. den. qui faciunt ſol. DC. culpabilis judicetur , excepta medicatura, quæ VIIII. ſol. componatur.

## Titulus XXXIII.

### *De Convitiis.*

I. Si quis alterum cinitum ( 6 ) vocaret, ( Malb. *Quintuo* ) ( 7 ) , DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

II.

---

( 1 ) *Chlanina.* ) Legendum *Tanina*, quod eſt *dentem* . Nobis Saxonibus adhuc *tan* dentem ſignificat, qui Belgis *tant*, Danis *tand*, ſuperioribus Germanis *zan* audit. Lex Aleman. c. 63. §. 5. *Si dentem abſciderit , quem marazan Alamanni dicunt, cum 3. ſo . comp.*

( 2 ) *Tranſcapolaverit* . ) Editio Lindenbrog. & Pithœana habent: *Truncaverit* . *Tranſcapolare* tamen hic idem eſt ac *transſcindere* , ſive inciſionem in virilia facere .

( 3 ) *Wiradardi* . ) *Wirito*, *viridio* , *wirdira* , *werdarda* in Lege Salica & Capitularibus idem ac *wirigildum*, *widrigeldum*, ſive *compoſitionem rei alicujus* notant ; unde & hic *wiradardi* non aliud quam *werdarium* ſive *pretium* , aut *compoſitionem læſorum virilium* ſignificare , certus ſum . Vide ſupra ad Tit. XXVIII. leg. 3. & Tit. XLII. leg. 2. Expoſitionem vero noſtram hic locum habere , confirmamur ex Leg. Longobardorum Libr. I. Tit. VII. lege 18. quæ fere eadem eſt cum noſtra . Incipit enim : *Siquis alium præſumptive ſua ſponte caſtraverit , & ei ambos teſticulos amputaverit , integrum widrigildum ſuum juxta conditionem perſonæ componat . Si virgam abſciderit , ſimiliter . Si unum teſticulum , medietatem perſolvat* .

( 4 ) *Alacharde* . ) Reſtitue & lege : *aslach charde* . Ultimum *charde* uſitatius *garde* , *garte* vel *gerte* ſcribitur, & *virgam* deſignat . Paraphraſis Notkeriana Pſalm. XLIV. 8. *Da ſkinet , daz din garti iſt garti des geribtes* ; hinc apparet, virgam tuam eſſe virgam æquitatis . Iſidori fragm. pag. 241. *Rehtniſſa garda iſt garde dhines riihhes* . Idem pag. 267. *Arliudit uph gardea fona Jeſſes wurzom* ; Egredietur virga de radice Jeſſe . Otfridus lib. III. c. 14. verſ. 187. *mit gertun in henti* ; cum virgis in manibus . Tatianus XLIV. 6. *Noh giſcuohu , noh gerta* ; neque calceamenta , neque virgam . Notkerus Pſalm. II. 9. *Die rihteſt tu mit iſeninero gerta* ; Reges eos in virga ferrea . Pſalm. CIX. 2. *Dia gerti dinerochrefte* ; virgam virtutis tuæ . Gloſſæ Keronis : *Virgæ , kertu* . Virilia autem ſynonymo Germanice *die ruthe* vocamus . In Legis Longobard. lib. 1. Tit. VII. leg. 18. eadem *virgæ* nomine donantur . Vide, quæ inde paullo ante excerpſimus .

( 5 ) *Antruſſionem* . ) *Trauen* eſt *fidere* ; hinc vero atque a verbo *thun* , facere , formatur *troſten*, fidem addere aut facere ; unde *troſt* proprie *fides facta* , quod olim etiam dicebatur de fide , vel fidelitate , quæ in exequendis negotiis domini adhibetur . Hinc apud Marculfum lib. 1. Form. 18. *In noſtra manu truſtem & fidelitatem viſus eſt conjuraſſe* . Deinde etiam eadem vox de negotio alicujus fidelitati a domino commiſſo , ſive de negotio dominico adhibita eſt . Capitulare an. 779. c. 14. & Lex Longobard. lib. 3. Tit. IV. §. 2. *de truſte facienda , ut nemo præſumat ad nos venienti manſionem vetare* . Ubi Gloſſæ veteres *truſtem* per *caballicatam* exponunt ; quæ ſcilicet in negotiis domini ſuſcepta . Lex Salica Tit. XLIV. §. 4. *Si quis eum, qui in truſte dominica eſt , occiderit* . Similis loquendi ratio obvia fit etiam Tit. XLV. leg. 2. & in Recapitul. ejuſdem Legis leg. 31. Lex Ripuariorum Tit. XI. leg. 1. *Si quis eum interfecerit, qui in truſte Regis eſt* &c. Ex hoc *in truſte* Galli vel Franci in Gallia , jam *in* ut *an* pronunciantes , fecerunt nomen *antruſtionis* , quod *fidelem domini* ſeu *domino juramento fidelitatis obligatum* , atque etiam *in negotio dominico occupatum* denotat . Hinc ubi in edita Lege Salica eſt , *ſiquis eum , qui in truſte dominica eſt , occiderit* &c. in Ms. Regis Galliæ quodam legitur : *Si quis antruſtionem dominicum occiſerit , Malb. Malcha , 24. denariis qui faciunt ſolidos 600. culpabilis judicetur* . Ex noſtra autem hac Lege & Tit. LXXIV. patet , *antruſtionem* triplo digniorem æſtimatum fuiſſe , quam hominem Salicum , ſive ingenuum . Cum enim hujus caſtratio & chreodiba DC. ſolidis luatur , Antruſtionis illa MDCCC. ſolidis emendatur .

( 6 ) *Cinitum* . ) In aliis Exemplaribus legas *cenitum* , in Codice Guelferbytano vetuſtiori *cynitum* , in alio *cennitum* , in tertio *cinidum* . Gloſſæ exponunt *oculum rutum habentem* , Gall. *borgne* . Wendelinus opinatur , dictum quaſi *gby niet* , tu nihili ; Cangius quaſi *cœnoſum* , quo nomine *fœtidus* , *ſpurcus* , *lutulentus* , *hircoſus* venit . Bignonius ejuſdem ſententiæ eſſe videtur . Sed errant omnes , & Malbergi vox Theotiſca , ut paullo poſt videbimus , indicio eſt, nominari hic *cinædum*, h.e. *hominem mollem* , *pathicum* , *puerum meritorium* , *qui turpiter obſecundat pædiconi* , qualis fuit Peribonius in Juvenalis Satyra II. deſcriptus . Heſychio κίναιδος , ἀσελγὴς , πόρνος . Græcis & Romanis hoc hominum genus notiſſimum , ſed Germanis abominabile ſemper viſum eſt ; & nominari talem , atrociſſimum inde convicium fuit .

( 7 ) *Quintuo* . ) Legendum , *quinſvot* . Prius *quin* , *quein* & *quen* in Ulfilæ codice pro *muliere* ſæpius uſurpatur , ut videre eſt ex Gloſſariis Gothicis & Junii Stiernhielmii . Gloſſæ Lipſianæ : *quena* , uxor . Eodem ſenſu hac voce utuntur Otfridus Evang. lib. 4. & 5. Tatianus Harmon. c. 11. Hymni Alamannici Mss. Colloquium Chriſti cum Samaritana &c. Anglo-Saxonibus *cwen* itidem *uxorem*, *reginam* & *meretricem* ; & *cwene* , *fœmineum* notat . Suecis, obſervante Stiernhielmio , *quinna* , *kona* , *kun* , *kuna* ; Danis olim *kun* , & nunc *quinde* ; Græcis γυνὴ, *mulier* vocatur . Vide Junii Notas ad Willeramum p. 262. & Palthenium ad Tatianum p. 278. 279. Theutoniſtæ *quuene* eſt *vetula* , *anus* . Angli jam *queen* ſuam Reginam κατ' ἐξοχὴν , & *queane meretricem* nominant , quæ Suecis *kona* eſt . Vox hæc proprie ſignificat *Muliebria* . Aliqui nomen noſtrum a *foſſa* de-

ri-

II. Si quis alterum falſatorem (1), & mulier alteram mulierem meretricem clamaverit (2), (Malb. *Extrabo*) (3), DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis judicetur.

III. Si quis alterum concacatum (4) aut vulpeculam (5) vocaverit, CXX. den. qui faciunt ſol. III. culpabilis judicetur.

IV.

---

rivari poſſe credunt: & notus eſt verſus Juvenalis:

*Inter ſotadicos notiſſima foſſa cinædos.*

Quod nomen Germani, pæderaſtiam etiam atque etiam improbantes & horrentes, *homini inſtar cinædi & muliebria paſſi deteſtando, vili, infamique* tribuerunt. Cum poſtea vox *quine & quene* obſoleſceret, nec amplius intelligeretur a vulgo, *quinsvot* hoc corruptum mihi videtur in *hundsfot*, convicium notum, atque inter ea, quæ viro dici poſſunt, atrociſſimum. Nugæ enim ſunt, quæ communiter de origine hujus vocis ab *Hunnus fuit* proferuntur. An vero ex noſtro *hundsfot*, quod Galli ab *Hans*, *Johannes*, deſcendere putarint, ortum ſit Gallorum *Jean foutre*, alii judicent.

(1) *Falſatorem.*) Non parva injuria erat falſi crimine incuſari apud Francos, qui ut cæteri Germani omnes, recti bonique tenaciſſimi erant. *Falſatoris* vetus nomen Germanicum *bal* fuiſſe videtur. In vita Dagoberti cap. XIV. editionis Struvianæ Bertoaldus Dux Saxonum, conſpecto Rege Francorum Lothario, cui iratus erat, ad eum dixiſſe fertur: *Tu hic eras bale jumentum?* Quod idem eſt, ac ſi eum *animal falſarium* vel *perfidum* vocaſſet. Pergit vitæ citatæ auctor: *Rex hæc audiens, valde indignatus, & hoc convicium graviter ferens, Wiſera fluvium impatienter ingreſſus, cum equo velociſſimo tranſnatavit, atque ferus, ut erat corde, Bertoaldum perſequebatur.* Addit, non prius, quam ſingulari pugna Bertoaldo victo, ejus caput ad ſuos retulerit, acquieviſſe. Apud Gregorium Turonenſem Gundibaldus quidam e Græcia profectus, Clotharii Regis ſe filium mentiens, a Gunthramno Rege per indignationem & contemptum *Ballomer* vocatus dicitur, Verba ipſa Gregorii lib. VII. c. 14. hæc ſunt: *Anticipans Rex verba ejus, ait: O inimice regionis regnique noſtri, qui propterea ante hos annos Orientem adgreſſus es, ut Ballomerem quendam (ſic enim vocabat Rex Gundovaldum) ſuper regnum noſtrum adduceres.* Idem Gregorius lib. IX. c. 28. *Dixit ei Rex: Non ſufficit, o infeliciſſime hominum, quod impudico conſilio Ballomerem illum, quem Gundovaldum vocitatis, ad conjugium arceſſiſtis* &c. Vox autem *Ballomeri* falſum dominum, vel *pſeudoprincipem* denotavit. Elucet hoc etiam ex Vita S. Baldomeri Diaconi, quæ d. 27. Februarii apud Bollandum extat. In ea enim ad vim vocis alluditur his verbis: *O virum beatum Baldomerum, in quo nunquam dolus apparuit.* Apud Kilianum *balmonden* eſt *perfide tueri rem pupilli*. Jus Saxon. Provinciale lib. 1. art. 12. in veteribus codicibus: *Komt er nicht vor an dem dritten ding rechts zu pflegen: man ſoll ihn balmunden, das iſt, man ſoll in vortheilen von aller vormundſchafft.* Schilterus in Praxi Juris Rom. in foro Germ. Exercit. ad D. XXXVII. §. 136. addit: *Balmunden eſt declarare pro tutore falſo, perfido, qui non ex fide tutelam geſſit.*

(2) *Clamaverit.*) Hoc eſt, *vocaverit*. Hoc enim ſenſu inferior Latinitas verbum *clamare* adhibuit, ex quo Italicum *chiamare* factum eſt. Papias: *Clamare, vocare, inſonare*. Domnizo in Vita Mathildis Ducatricis; *Pontificem Chriſti, quem nomine clamo Giraldum.* Vide plura in Cangio.

(3) *Extrabo.*) Lege 5. *auſtrapo* ſcribitur. Et crediderim ferme inde in hanc legem erronee tranſumptum eſſe vocabulum hoc barbarum. Poſſit tamen videri etiam *extrabo* ex *en troga* corruptum eſſe, ut *en* ſit noſtrum *ein*, articulus indefinitus, & *troga* a Sax. *dregen*, fallere, denotet *falſatorem*, qui Belgis *drogbener*, nobis *trieger*, *betrieger*, Sax. *dreger*. *Drog* Belgis & Saxonibus *fraus*, *fallacia*. Hominem nequam hinc *einen drœgen ſchelm* vocamus, non a *droege*, aridus, ſed a *drog* modo expoſito.

(4) *Concacatum.*) Veteres Galli hoc *cunchie* vocabant. Gloſſæ apud Pithœum *ſordidatum* exponunt; quem enim veteres ſordibus aut cœno perfundebant, is ſumma ignominia affectus erat. Meretrices viliores cœno injecto adhuc pueri apud nos perſequuntur, & dehoneſtant. Cum Chuntgramnus Rex Francorum apud Gregorium Turonenſ. Lib. VII. c. 14. Legatos Childeberti Regis ſumma ignominia afficere vellet, *juſſit*, ut Gregorii verba habent, *ſuper capita euntium projici equorum ſtercora, putrefactas haſtulas, paleas, ac fœnum putredine diſſolutum, ipſumque fœtidum urbis lutum. Quibus rebus maculati graviter, non ſine immenſa injuria atque contumelia abierunt.* Legis Longobard. Lib. I. Tit. XVI. leg. 8. Aſtulphus Rex dicit: *Pervenit ad nos quod dum ad ſuſcipiendam ſponſam cujuſdam ſponſi cum paranymphis & trotingis ambularent, perverſi homines aquam ſordidam & ſtercoratam ſuper ipſam jactaſſent* &c. Habemus & convicium apud nos *ſcheiſſmatz*, quod *ſtultum concacatum* denotat, poſteriori vocis parte ex Italico *matto*, ſtultus, quod & nos habuimus, formata.

(5) *Vulpeculam.*) Vulpibus diverſas apud gentes comparati ſunt homines callidi, aſtuti, & vafri. In Phædri Lib. I. Fab. VII. vulpes ad perſonam tragicam prudenter loquens inducitur: Fab. X. pulchre furtum commiſſum illa negat: Fab. XIII. *doloſa vulpes* corvo verbis ſubdolis caſeum aufert: Fab. XXVI. ciconiam deludit, & Fab. XXVIII. catulos ab aquila raptos callide recuperat. Libro IV. Fab. II. eadem cum uvam attingere non poſſet, nondum maturam eſſe ſimulat: Fab. VIII. caprum in puteum allicit, ut ipſa cornibus illius nixa inde evadere poſſit; atque ita ubique aſtuti & doloſi hominis inſtar eſt. Apulejus in Apologia *vulpionis* voce *vafrum & veteratorem* deſignat. Nec Francis hoc vulpis ingenium ignotum fuit. Gregorius Turonenſis lib. 8. c. 6. *Multas*, ait, *eis perfidias & perjuria exprobravit, vocans eos ſæpius vulpes ingenioſas*. Auctor Vitæ S. Remigii: *Juſſit nominari vulpeculam, quod cur ita nominari voluerit, qui fraudes & ſignificationes ipſius animalis cognoſcit*, ſatis advertit. Adde his, quæ de Hiſtoria vulpeculæ *Reineken* vocatæ in præfatione Collectaneorum Etymologicorum Leibnitii protulimus. Non tamen ego in noſtro hoc Salicæ Legis loco vocabulum *vulpeculæ* pro *callido* aut *aſtuto homine*, ſed potius pro *timido*, *meticuloſo*, aut *deſide*, hoc eſt, tali, quem Galli *poltron* vocant, acceptum eſſe exiſtimo. Atrox autem hoc convicium eſt. Provinciales ejuſmodi ignominioſe meticuloſum *volpil* ſive *vulpeculam*, & vitium timiditatis ſive inertiæ *volpilatge* nominarunt. Le Morgue vel Monge de Montaudo, ſive Monachus de Montalto, tempore Ludovici Sancti clarus, cecinit:

*E envejam de fort maneira*
*Hom volpilh que porte baneira.*

H. e. *Valde peregrinum videtur, quod homo timidus vexillum præferat.* Vulpes autem quoniam

IV. Si quis alterum leporem (1) clamaverit, CCXL. den. qui faciunt ſolid. VI. culpabilis judicetur.

V. Si quis homo Ingenuus alio improperaverit, quod ſcutum ſuum jactaſſet (2), & fuga lapſus fuiſſet, & non potuerit adprobare, (MALB. *Auſtrapo*) (3), DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

VI. Si quis alterum delatorem (4) clamaverit, & non potuerit adprobare, (MALB. *Leudardi*) DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis judicetur.

T i-

---

niam longitudine ſuæ caudæ præ aliis animalibus inſignis eſt, periphraſtice aliquando *caudatus* dictus fuiſſe videtur. Certe non aliunde, quam a vulpe, timidi, atroci convicio, etiam *caudati* dicti fuerunt. Angli a Gallis, qua de cauſa neſcio, ita olim vocati ſunt. Jacobus de Vitriaco Hiſt. Occid. cap. VII. *Pro diverſitate regionum mutuo diſſidentes . . . opprobria impudenter proferebant, Anglicos potatores & caudatos affirmantes*. Apud Matthæum Pariſienſem an. 1250. Roberti Comitis Atrebatenſis verba ſunt: *Nunc bene mundatur magnificorum exercitus Francorum a caudatis*. Et inferius: *O timidorum caudatorum formidoloſitas, quam beatus, quam mundus præſens foret exercitus, ſi a caudis purgaretur & caudatis*. Convitium autem hoc in Anglos forte conceperunt Galli ex Inſignibus Anglicis, ubi leones caudis longioribus conſpicui. In Gloſſis Latino-Gallicis *caudatus* redditur *quoez*, quod & *coz* ſcriptum fuit. Philippus de Beaumanoir narrat de eo: *Au temps le bon Roy Philippes un diſt a un aultre, vos eſtes coz . . . & cil occi, . . . celi, qui le vilenie li ot dite . . . Et fut delivre par jugement par le bon Roy Philippes*. Pro *coz*, Galli etiam *codard* (unde hodiernum *covard*) & Itali *codardo* dixerut, eaque voce *timidum* adhuc deſignant. Reliquæ a Menagio, & antea a Ferrario, allatæ vocabuli hujus originationes inanes & nulla ratione innixæ ſunt. Unum addimus. Niſi tam clare *coz* a *caudatus* derivatum eſſet, poſſet quis ſuſpicari idem ex *Gothus* deſumtum fuiſſe. Franci enim Gothos pro *timidis* habebant. Gregorius Turonenſ. lib. II. c. 27. de Alarico Gothorum Rege: *At ille metuens, ne propter eum iram Francorum incurreret, ut Gothorum pavere mos eſt, vinctum legatis tradidit*. Sed forte & Gothis timiditas a vulgo Francico improperata eſt, quia nomen eorum cum voce *codatus* ſive *coz* conſonat. Ita inter plebis dicteria eſt, Haſſos naſci cæcos; quia ſcilicet nomen ipſorum convenit cum *heſſe*, *cattus*, qui cæcus naſcitur. Sed ita locutio hæc antiquiſſima foret. Nec nuper, ut vulgo ferunt, dicterium *Schulfuchs* excogitatum demum fuiſſe credo.

(1) *Leporem*.) Lepus animal fugax & timidum. Unde non parvum quoque convicium *leporem* vocari. Apud Germanos enim & Gallos fuga nil turpius erat. Vide, quæ de Gallis Bignonius ad hunc locum congeſſit. Annalium Fuldenſium auctor de Carolo Calvo ad an. 875. ſcribit: *Dum negotium ferro decernendum timuiſſet (eſt enim lepore timidior) ad calliditatem ſolitam convertitur*. Hinc proverbium noſtrum: *er hat ein haſen-hertz*; quod idem eſt ac *meticuloſus eſt*. Quando autem jam convitium *haſe* de *naſutulo* dicitur, hoc recentioris ætatis, atque ex nomine *Gehaſi* in Academia Jenenſi a ſcholaſticis ejus loci quondam effictum eſt.

(2) *Quod ſcutum ſuum jactaſſet*.) Tacitus de moribus Germanorum: *Scutum reliquiſſe, præcipuum flagitium: nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas: multique ſuperſtites bellorum infamiam laqueo finierunt*. Multi a *ſchiltnehmen* ſive *ſchiltnehm*, quod, *cui ſcutum ademtum*, exponunt, vocem noſtram *ſchelm*, homo infamis, ſceleſtus, furcifer, derivant. Sed hos optime refutavit Stilerus; ipſe tamen non minus errat, quando a *ſchæl*, obliquus, derivat. *Schelm* enim proprie *cadaver*, *animal mortuum* & *excoriatum* ſignificat, & hoc ſenſu ſæpiſſime apud veteres occurrit. Oritur vox, ſi quid video, a verbo *ſchelen*, excorticare, excoriare, cutem detrahere, atque ita deſignat *hominem cadaveris inſtar abominandum*. Kilianus in Dictionario Belgico: *Schelm Germ. Sax. Sicambr. cadaver, animal vivum quidem, ſed præ macie cadaveroſum, & peſtilens lues quadrupedum*. Vocabularium vetus 1509. in quarto editum: *Cadaver, ſchelm*. Pictorius in Diction. Helvetico: *Schelm, abgangen vych, cadaver*. Reformatio civitatis Wormatienſis fol. 136. *Gleicher weiſſ ordnen . . . wir, das niemandt, einig todt thier, ſchelmen, hunde, katzen, ſchwein, gænſe, hüner und dergleichen . . . an einig ort unſer ſtadt . . . werfe*. Et paullo poſt ibidem: *Und dieweil ein jeder, der ſolch unreinigkeit, todt thier oder ſchelmen auf gaſſen oder Winckel tragen . . . will* &c.

(3) *Auſtrapo*.) An legendum *auſtreto*? *Auſtreten* certe eſt *ex ordine ſuo diſcedere*; atque ita vox noſtra *e ſua turma diſcedentem*, vel *fuga elabentem*, denotare poteſt. Veteri tamen conſuetudini convenientius *uztrato* ſcriberetur. Illi enim rarius *aus*, frequentius *uz* habent. Quamquam & *auſtrapo* eodem ſenſu dici poteſt. *Auſtrappen* enim adhuc ſignificat *veſtigium relinquere, e veſtigio alius diſcedere, ordinem relinquere*, ſive *fuga labi*.

(4) *Delatorem*.) Delatorum nomen odioſiſſimum ſemper fuit. Gloſſæ Lat. Gr. *Delator*, κατηγγελεύς, ἐνδείκτης. Iſidorus lib. 10. *Delator dictus, eo quod detegat, quod latebat*. Papias *delatorem* ait eſſe *accuſatorem*. Incidit mihi hic, in Gymnaſio Portenſi, cui educationem & fundamenta ſtudiorum debeo, *delatores* odioſiſſimo nomine *Circſe* inter ſcholares dictos fuiſſe. Credo a *circando* ſeu *circumeundo*; quia tales circumeundo obſervant, quæ geruntur, ut deferant. Vegetio lib. 3. c. 8. *circatores* dicti, qui vigilias circumibant. Poeta in Priapeis c. 16. exclamat: *Quid mecum tibi circitor moleſte?* Ubi *circitor* eſt cuſtos, qui hortum frequenter obit, ne fures intrent. In Monaſteriis *Circatores*, *circuitores* & *circinatores* audiebant, qui circumibant, obſervabant, & deferebant ſecus acta fratrum. Iidem dicebantur etiam *Circæ*. Lanfrancus in Statutis cap. 4. *Circuitores monaſterii, quos alio nomine Circas vocant, juxta S. Benedicti præceptum certis horis circuire debent monaſterii officinas, obſervantes injurias & negligentias Fratrum, & ſtatuti ordinis prævaricationes*. Statuta S. Dunſtani: *Secundum Regulæ præceptum conſtitui debet aliquis frater, qui ab officio circuitus ſui Circa vocatur. Eſt enim ejus officium circuire clauſtrum, ne forte inveniatur frater acedioſus, aut alicui vanitati deditus*. Hoc *circæ* nomen tandem adeo odioſum factum eſt, ut extra monaſteria delatum a vulgo, ſibilo præfixo, *ſcirca*, *ſchirca*, & communiter *ſchurcke*, homini contemnendæ conditionis & odibili, quales plerumque delatores eſſe ſolent, tribueretur.

## Titulus XXXIV.

*De Via Lacina* (1).

I. Si quis Baronem (2) de via ortaverit (3), aut impinxerit, (Malb. *via lacina*), dc. den. qui faciunt solid. xv. culpabilis judicetur.

II. Si vero mulierem ingenuam de via sua ortaverit, aut impinxerit, (Malb. *Urbis via lacina*) (4), mdccc. den. qui faciunt sol. xlv. culpabilis judicetur.

III. Si quis in via alterum adsalierit, & eum raubaverit (5), (Malb. *Chereno*) (6), mcc. den. qui faciunt sol. xxx. culpabilis judicetur.

IV. Si quis viam, quæ ad farinarium ducit, clauserit, (Malb. *Urbis via lacina*) (7), dc. den. qui faciunt sol. xv. culpabilis judicetur.

## Titulus XXXV.

*De ligaminibus ingenuorum.*

I. Si quis hominem ingenuum sine causa ligaverit, (Malb. *obrepus*, *andrepus*) (8), mcc. den. qui faciunt sol. xxx. culpabilis judicetur.

II. Si vero eum ligatum in aliquam partem duxerit, (Malb. *Andrepus*), mdccc. den. qui faciunt sol. xlv. culpabilis judicetur.

III. Si vero Romanus Francum ligaverit sine causa, mcc. den. qui faciunt solid. xxx. culpabilis judicetur.

IV. Si vero Francus Romanum ligaverit sine causa, dc. denar. qui faciunt solid. xv. culpabilis judicetur.

V. Si quis ligatum per superbiam aut per vir-

---

(1) *De via lacina.*) Vide supra Tit. XVI.

(2) *Baronem.*) Wendelinus putat, intelligi hic virum ingenuum, liberum, quem nos nobilem vocamus; sed, cum *ingenuæ mulieris ortatio devia* paragrapho sequenti solidis XLV. luenda sit, & Baronis illa tantum XV. solidis componatur, hinc concludo, per *baronem* hic non ingenuum, sed simpliciter *virum* intelligi. Ita Glossæ Philoxeni *baronis* vocem per ἀνὴρ exponunt. Lex Ripuariorum Tit. 58. leg. 12. *Si quis hominem regium tabularium, tam baronem, quam fœminam, de mundeburde Regi abstulerit.* Lex Aleman. Tit. LXXVI. *Si quis mortaudit barum vel fœminam.* Ubi Pithœana editio *bari* loco *virum* habet. Tit. XCV. ibidem: *si barus fuerit*, qui feminam percusserit. Lex Longobardorum Lib. I. Tit. IX. leg. 3. *Si quis homicidium perpetraverit in barone, libero vel servo vel ancilla.* Cronicon vetus S. Galli ad an. 805. *Hoc anno perrexit domnus Karolus in Saxonia ad Holdistede & multos barones & mulieres inde abduxit.* Homiliæ incerti authoris, qui ævo Karoli M. vixit, extantes Mss. in Monasterio S. Galli: *Omnes homines barones & fœminæ debetis intelligere.* Hinc apud Anglos Fecialium vox *Baron and femme*, id est, *vir & femina*. Casaubonus ad Satyræ V. Persii verba,

*Varo regustatum digito terebrare salinum*,

notat, in quibusdam Mss. poni *Baro*. *Quæ vox*, inquit, *barbara in antiquis legibus Francorum & Alemannorum marem significat. Hodie in Campania & aliis Galliæ locis mulieres suos viros nominant barones.* Wendelinus observat feminas Walones in Belgio viros suos *mon baron* vocare. Hispanis quoque vir dicitur *varon*. Salmasius in libro de Hellenistica pag. 395. annotat, *Lingua Scytharum Chersonesi Tauricæ Fers idem esse, quod homo, aliis hoc eodem nomine bers vocari, hoc est Barum vel baronem.* Illud autem *Baro*, quod *ingenuæ libertatis virum* seu *nobilem dominum* jam denotat, alius originis est, ut alibi observabimus.

(3) *Ortaverit.*) Commode exponitur per additum *impinxerit*. *Hurten* enim est illidere, impingere, trudere. Vide supra, quæ ad Tit. XXVII. leg. 20. notavimus.

(4) *Urbis via lacina.*) Prius illud *urbis* ex Lege quarta in hanc irrepsisse videri posset. Sed forte descriptor negligentissimus invenit *idis*, quod, cum non intelligeret, cum sequenti etiam vitioso *urbis* commutavit. *Idis* autem veteribus *mulierem* denotavit. Harmonia Cottoniana ab Hickesio Grammaticæ Franco-Theotiscæ pag. 101. citata: *Gialrod idis*, annosa mulier. Ibidem pag. 102. *von thinera aldera idis*, a vetula tua muliere sive conjuge. Ibidem pag. 103. *Idisco sconiost*, mulierum pulcherrima. Si igitur *idis via lacina* Latine reddas, erit *mulieris impeditio viæ*, sive *mulieris de via ortatio*.

(5) *Raubaverit.*) Vide supra Tit. XX. leg. 10.

(6) *Chereno.*) Significat *rapinam*, *spoliationem*. Vide supra ad Tit. XX. leg. 10. dicta.

(7) *Urbis via lacina.*) Legendum, *uernis via lacina*, quod est viæ *ad farinarium clausio* vel *impeditio*. Vide supra Tit. XXV. leg. 2.

(8) *Obrepus andrepus.* Exemplar Guelferbytanum duabus vicibus habet *anderebus*. *Andre* olim, & nunc *alium* significavit. In Evangeliis Ulfilæ *anthar* scribitur. *Ligare* in hoc Legis nostræ titulo de *detentione* & captivatione intelligendum est. Nos Germani pro eo *setzen* usurpamus: & *einen setzen* nobis est *captivare aliquem*. *Setzen* vero Latine proprie *ponere* redditur, a cujus præterito Galli suum *poser* formarunt. Germani etiam jam olim inde verbum *pussen* & *possen* pro *ponere* vel *figere* mutuasse videntur. Usitatum illud est in quibusdam ad Rhenum inferiorem sitis locis. Juliacensis Politiæ Ordinatio pag. 63. capitulum habet, quod inscribitur: *von possen am Reinstrom*. Verba capituli ipsius sunt: *Unsere Amtleute und bevelchhaber, da die amtter an den Rein schiessen, sollen alle jahrs zwo besichtigungen des Reinstroms thun . . . und acht haben, wa nöthig oder dienlich ist zu possen, dass die erben, so daselbst anschus haben, gehalten werden in einer benanten zeit beständig zu possen, und schaden zu verbuten*: atque ita sæpius hic adhibetur. Ibidem pag. 69. ordinatur, ut domini sylvarum hereditariarum surculos quercinos plantent sive ponant, & deinde pergitur, *Auch (soll) alsdann, durch ernste verordnete besichtigt werden, ob die possung geschehen sey oder nit.* Et paullo post mandatur, ut Præfecti prospiciant, *dass alle erben ein jeder nach seiner gerechtigkeit und niessung, dergleichen diejenige, so ihre trifft der beesten darin haben, jährlichs etliche eichen stalen auf die ledige platzen possen und setzen.* Supra jam ab *impositus* a nostris *impotus*, & verbum *pfoten* formatum vidimus. *Possen* itaque & *setzen* non male tanquam synonyma coniunguntur. Ut vero a *büssen*, emendare, fit *busse* emendatio, ita

virtutem a Gravione (1) tulerit, (MALB. *Mitbo fofa ftadivo*) (2), vitam fuam redimat.

### TITULUS XXXVI.
*De venationibus.*

I. SI quis aliqua de venatione, de avibus aut de pifcibus furaverit, (MALB. *Leudardi*), DC. den. qui faciunt fol. XV. culpabilis judicetur.

II. Quam legem tam de venationibus quam de pifcationibus convenit obfervare.

III. Si quis cervum domefticum (3) fignum (4) habentem furaverit, aut occiderit, qui ad venationem faciendam manfuetus factus eft, & telarium (5) cum teftibus potuit adprobare, quod extelarius (6) fuiffet, (MALB. *Trovandio*) (7), MDCCC. denar. qui faciunt folid. XLV. culpabilis judicetur.

IV. Si quis vero alium cervum domefticum, qui in venatione adhuc non fuiffet, occiderit, aut furaverit, (MALB. *Trowidio cham-*

---

ita a *poffen*, vel craffius pronunciato *puffen*, ponere, defcendet *puffe*, pofitio, captivatio, & *andrepuffe* vel *andrepus* erit *alius captivatio* five *ligatio*. Gallis *alius* dicitur *aultre*, olim *oltre*, & vulgo *autre*, quod *otre* pronunciatur: hinc puto pro *obrepus* legendum *otrepus*, atque hoc Provinciale, & unum idemque hac ratione erit cum *andrepus* modo expofito. Quanquam nec ad Provincialium *autre* hic refugiendum eft; cum etiam nos vetuftiffimum *other* pro *alter* aut *alius* habeamus. Vide infra ad Tit. LXXIII. notata.

(1) *A Gravione.*) Hoc eft *judice provinciali*. Quæ de origine & antiquitatibus hujus vocis congeffimus, videri poffunt in Notis noftris ad Catechefin Theotifcam p. 151. feqq. Radicem vocabuli ibi conftituimus verbum *ragen*, eminere, nec fententiam mutamus: licet fpeciofa quoque eorum effe argumenta, qui a *grau* canus deducunt, fateamur.

(2 *Mitho fofa ftadivo.*) Paucis literis mutatis legendum *mit hoforabta divo*. *Mit* Sax. & Belg. *met*, Anglo-Sax. *mit*, in Evangeliis Gothicis *mith*, Græcis μετὰ denotat *cum*, pro quo in Lege noftra *per* ufurpatur. *Hoforabta* nos jam contractius *hoffart* enunciamus, & hac voce *fuperbiam* indicamus. Medio tempore *hochvart* fcribebatur. Cancellarius Imp. innominatus in Poem. Ms. *Da umbe fweifet waru hohvart, valfchu heiligkeit.* Winsbeke §. 38.

*Sun hochvart unde gitigkeit*
*Die zwei fint böfe nachgebur.*

Idem Winsbeke §. 72. *Von hohvart fich verviel fin fpil.* Putaveram primum effe ab *hoch einherfaren*, fuperbe agere: fed cum videam in Evangeliis Gothicis Marc. VII. 22. *fuperbiam* dici *hauhhairtei*, quod Saxonice eft *hochharte*, inde concludo *hochvart* & *hoforabta* a modo dicta voce corruptum effe, & (derivatum ab *hoch*, altum, & *harte*, *hertze*, cor) *elationem cordis* proprie defignare. *Divo*, ut intelligatur, notandum eft, nos habere vocabulum *duve* pro *furto* & *ablatione*. *U* olim femper ut *ü* vel *i* obfcurius pronunciatum eft. Unde & nos *dieb* jam dicimus. Statuta vetera Goslarienfium Tit. *van Richte u. klage* leg. 184. *De umme duve eder umme roff upgnebol-denis.* Ibidem leg. 210. *de ore recht myt cluuve eder myt reve eder meyneden eder myt andern dingen vorwarcht hebbet.* Atque hoc modo fæpiffime in veteribus Legibus Brunfvicenfibus, Luneburgenfibus & Cellenfibus fcriptum legitur. In Legibus Inæ R. Anglo-Sax. c. 47. furtum eft *theofte*: in Lege Frifionum Tit. 3. *thiubda*. Catechefis Theotifca Weiffenburgenfis editionis noftræ pag. 65. *Furta*, *thiubheit*. Evangel. Gothica Joh. X. 10. XII. 6. Matth. VI. 19. Joh. X. 8. *thiubs* pro *fure*, & Marc. VII. 22. *thiubga* pro *furtis* ufurpant. Unde ego concludo, hæc orta a verbo, quod jam deperditum in Gloffa noftræ Legis fupereft, *divan* nempe, quod *auferre*, *tollere*, fignificavit. Si autem jam componas illa *mit hoforabta divo*, reddent Germanice verba, *per fuperbiam tulerit*.

(3) *Cervum domefticum.*) Cervi facile manfvefiunt, atque ab antiquiffimis temporibus manfuefacti ad venationem adhibiti fuerunt. Præmittebant nempe ejufmodi domitos cervos in filvam, quo cervi alii & hinnuli, nil mali metuentes, ipfis fe fociarent, atque ita facilius in caffes aut tela inciderent. Signa iis appendebantur, ut eo facilius dignofcerentur. Idem mos feros elephantes cum domitis capiendi Indis in ufu effe legitur. Mos autem hic, invento pulvere pyrio, cum jam e longinquo feriri poffit cervus, in defuetudinem apud nos venit. Cervorum domefticorum meminit adhuc Jus Alemannicum Cap. CCXI. §. 2. *Wes hunt*, ait, *pern*, *hirs*, *urgauul oder ander uuildes thier, das man zæmet, oder vih, ainen menfchen toetet* &c. De iifdem cervis domitis agit Lex Longobardorum lib. I. Tit. XIX leg. 13. Lex Ripuarior. Tit. XLII. leg. 2. & Lex Alemann. Tit. XCIX. leg. 2. 3. Juftinianus in Procemio LL. Georgicarum, & Inftitut. lib. II. Tit. I. de rerum Divifionibus: *Cervos quoque quidam ita manfuetos habent, ut in filvam ire & redire foleant.* Talis quoque cervus Sylviæ apud Virgilium lib. VII. Æneid. fuit.

*Affuetum imperiis foror omni Sylvia cura*
*Mollibus intexens ornabat cornua fertis,*
*Nectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.*
*Ille manum patiens, menfæque affuetus herili*
*Errabat filvis, rurfufque ad limina nota*
*Ipfe domum, fera quamvis fub nocte, ferebat.*

Talis erat, quem monili, bullaque ornatum Cypariffus apud Ovidium Metamorph. lib. X. aluiffe dicitur:

*Ifque metu vacuus, naturalique pavore*
*Depofito, celebrare domos, mulcendaque colla*
*Quamlibet ignotis manibus præbere folebat.*

In ufum autem venationis hos etiam cervos manfuefactos fuiffe, credibile eft.

(4) *Signum.*) Signum hic Bignonius de *nola* interpretatur. Et certum quidem eft ex tot apud Gloffographos extantibus exemplis, *fignum* pro *campana* ufurpari, pro *nola* vel *tintinnabulo* adhibitum nullibi legi. Adde, quod nolæ fonus in venatione obfuiffet, & cervos feros exterruiffet. *Signum* itaque hic pro *nota* quacunque cervo, ut dignofci poffit, addita vel appenfa.

(5) *Telarium.*) Hoc fuperfluum eft, & deleri debet.

(6) *Extelarius.*) Telum dicitur de quovis inftrumento, quod jaculatur. *Extelarius* itaque eft, *qui extra telum eft*, hoc eft, qui non feritur. Unde & Gloffæ Latino-Græcæ: *Extelare*, ἐλευθερῶσαι.

(7) *Trovandio.*) Reftituendum *trowidio*; quemadmodum & aliud exemplar Heroldo vifum *throwidio* habuit, qua voce *cervus fidelis redditus*, *domitus*, *manfvefactus ad venationem* defignatur, qualem lex defcribit. Originem vocis

*chamstala* * ) (1) (2), MCCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis judicetur.

V. Si quis cervum lassum, quem alterius canes moverunt & adlassaverunt, involaverit, aut celaverit (3), ( MALB. *Trocbwido* ) DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

VI. Si quis aprum, quem alieni canes moverunt, & alassaverunt (4), occiderit, vel furaverit, ( MALB. *Arwernon* ) (5), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

TITULUS XXXVII.

*De sepibus.*

I. SI quis tres virgas ** (6) (1)

* Al. *Throwido.*

** Al. *Tres cambortas excervicaverit.*

---

vocis & loca aliarum Legum parallela attulimus supra ad Tituli VI. leg. 2.

(1) *Trowidio Chamstala.*) *Cham* in Evangeliis Gothicis *haim*, Anglo-Sax. *ham*, Svecis *beem*, Germanis & Belgis *beym*, patriam, domum, mansionem, vicum, villam designat. Vid. Junii, Stiernhelmii, Spelmanni & Cangii Glossaria. *Stala* est antiquatum *stal*; unde compositum *diebstal*, furtum, nobis restat. Deducitur illud a *stelen*, furari, quod in Evangeliis Gothicis *stilan*, Anglo-Sax. & Alamannis *stelan*, Danis *stiela*, Svecis *stiæla*, Anglis *steal* enunciatur. Unde sequitur *trowidio chamstala* esse idem ac *cervum e domo*, sive *cervum domesticum furaverit*.

(2) In calce, *Trochwido.*) Idem est ac *trowidio*; sed in hunc locum, ubi non de cervo domestico, sed de *fero* & *indomito* sermo est, vox hæc per errorem irrepsit; nisi pro eo *untrochuuido* restituendum putes.

(3) *Celaverit.*) Legendum forte, *telaverit*, quod est, *telo percusserit*.

(4) *Alassaverunt*) positum est Gallico more pro *adlassaverunt*.

(5) *Arwernon.*) Composita vox est, cujus prior pars *ar*, *aver*, *ur* denotat *silvestrem*, *ferum*. Sic rusticis nostris *urkempe* est aper, verres silvestris, *auerhan* nobis *gallus silvestris*, *tetrax*; *auerochs*, *bos silvestris*, qui Alamannis *ur* dicitur. Stumpfius in Chron. Helvetico lib. I. cap. 3. de Moscovia loquens; *Dis land ernert vil uren oder wilde ochsen*. Atque ita sæpius in eodem hoc auctore occurrit. *Uri* vero vocem Gallis jam usitatam fuisse ex Cæsaris commentariis discimus. Macrobius Saturnal. lib. VI. *Uri*, inquit, *Gallica vox est, qua feri boves significantur*. Glossæ veteres Cangii; *Uri, vituli agrestes, quos bubalos vocant*. Glossæ Græco-Latinæ; Βύβαλος *urus*, *bos silvestris*. Describit eos Aimoinus Hist. Franc. lib. I. c. I. *Vernon* (forte *verron* legendum) *verrem* denotat, qui Saxonibus *ber* adhuc dicitur. Kilianus in Lexico Belgico; *Beer, euerschwyn, aper*, Germ. *aber*, Angl. *boare*: *Beer, verres, porcus non castratus*, Germ. *eber*, Sax. *beer*, Gall. *verrat*, Ital. *verro*, Hisp. *berraco*. Teutonista: *Wilt-beer, everswyn, wyltschwyn, aper; tambeer, verres*. Ditmarus lib. 7. scribit; *Insula, quæ porci dicitur, quia prius comes Bernhardus prædictum voluit occidere Wirinharium per injustos judices, sibi eam Cæsar* (Henricus S.) *præcepit assignari*. Ubi *Insula porci* locus ille est, ubi castrum *Bernburgum*, quod Wisera & Sala circumfluunt, situm. Olim, ut ex hoc Ditmari loco cernimus, ea *Bernaue* audiit. Hinc vero *verris* figuram in Principum Anhaltinorum insignia devenisse notes, qui castrum *Bernburgum* designat, a quo etiam Albertus Principum Anhaltinorum sator se *Ursum* cognominavit; quia *beer* & *verrem* & *ursum* denotat. Pro verre *beer* etiam ponitur in Speculo Saxonico lib. II. art. 40. *Wes hunt adir beer, adir ochse, adir pfert, adir welchir hant viehe, es sie, eynen man todet, adir lemet* &c. ita Schilteri Codex Ms. unde emendandus impressus ubi hic habet; *Wes hunt, eberschwein, beer* &c. *Beer* enim & *eberschwein* unum idemque significant. Jus Alemann. cap. 211. *Urgawl haist ein berschwein, dem sol man jährlichen die zend auss laben oder absegen*. Legis Longobardorum lib. I. Tit. XXV. leg. 47. *Sonopair* dicitur *verres gregis*, pro quo Edictum Rotharis Tit. 105. §. 33. erronee *sonorpaib* scribit. Ex hoc autem *beer*, *pair*, verres, & *aur*, *ur*, *ar*, silvestris, *b* in cognatam *v* vel w transeunte, fit *aruuerro*, verres silvestris, aper, quod in accusativo casu habet *arwernon*.

(6) In calce, *Cambortas.*) Ponitur in margine tanquam synonymum *retortarum*, atque ita etiam intellexit Glossarium vetus a viris doctis laudatum, cum ait; *Camborta, quæ sepem desuper firmant*. Goldastus *Cambortam* exponit *fruticem incurvatum, repandum*, a Germanico *cambrec*; quod tamen nunquam legi vel audivi. Wendelinus putat esse *kant-bort*, quo Flandri *extremæ oræ marginem* nominant. Sed errant omnes. In Lege namque Ripuariorum editionis Heroldinæ *cambortæ* clarissime a retortis distinguuntur. Legitur ibi Tit. XLIII. *Si quis tres virgas, unde sepis ligatur, vel retortas, unde sepis continetur, capulaverit, aut in cambortas involaverit*. Ceteræ editiones vitiose *aut tres cambortas* pro *tribus virgis* habent. Ut vero paucis sententiam dicam; *cambortæ* hoc loco significant *baculos incurvos*, oblique terræ infixos, ut sepem contineant, ne in latus inclinare, aut corruere possit, sive fulcra sepis, quæ nos *anschragen* nominamus. *Burdo*, *bordo* olim designavit *baculum, quo iter facientes innituntur*, eumque Itali adhuc *bordone*, & Hispani *bordon* appellant. Isidori Glossæ: *clavia*, *borda*. Ubi *clavia* pro *clava* positum reor. Papias; *Verubus, virgis ferreis, burdonibus*. Hubertus Sipontinus apud Vincentium Belluacensem lib. XXVI. c. 27. *burdonem habebat pro lancea, & sacculum pro parma*. Monachus Vallis Sarnensis in Hist. Albigens. cap. 62. *Burdonarios*, ait, *vocabant peregrinos, eo quod baculos deferre solerent, quos lingua communi bordones vocamus*. Cangius a *burdone* sive *asino* baculum sic dictum putat. Menagius in Orig. Ital. fluctuat, & mox a nescio quo inusitato Latino *bordo*, mox a Græco πόρτος, a *bardone* etiam, & tandem ab Ægyptiaco *burdon*, *arundo papyracea*, derivat. Sed omnibus error inest. Germanis enim, & præcipue Saxonibus *boeren* est *portare*, *sustinere*, & inde formatur *bort*, *bordo*, *burdo*, quo proprie *portans*, *sustentaculum*, *fulcrum* denotatur, atque ita & *asino*, oneribus portandis aptissimo animali, & fulcro cuivis competit rectissime. Nec Gallis veteribus eam vocem insuetam fuisse paullo post videbimus. *Cam* incurvum, curvum notat, & Britannis veterum Gallorum agnatis adhuc usitatum est, convenitque cum Græco κάμπτω, flecto, incurvo. Daviesius in Lexico Cambro-Britannico *camm*, curvus, *camnu*, curvare exponit; & addit, idem apud Aremoricos usurpari. Apud hos eosdem veterum Gallorum po-

(1) unde ſepes ſuperligata eſt, vel retortas (2) capulaverit, aut aperuerit, (MALB. *Leudardi*) DC. denar. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

II. Si quis per alienam meſſem, poſtquam levaverit (3), herbice traxerit (4), aut cum carro ſine via tranſierit, (MALB. *Leudardi*) DC. denar. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis judicetur.

III. Si quis per alienam meſſem jam expalmitantem (5) ſine via tranſierit, cauſam ſuperius convenit obſervare.

IV. Si quis per malum ingenium, in curtem alterius vel in caſam, vel ubilibet aliquid de furato miſerit, neſciente domino cujus poſſeſſio eſt, ubi inventum fuerit qui hoc miſerat, (MALB. *Fertbebero*) (6), MMD. denar. qui faciunt ſol. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur.

V. Si quis ſepe conciſa aliena arſerit, (MALB. *Bila*) (7), DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

## TITULUS XXXVIII.

### *De homicidiis ſervorum, vel expoliationibus.*

I. SI quis ſervus ſervum vel ſe conſimilem occiderit, (MALB. *Theu leude*, aut *Theu leudinia*) (8), hoc convenit, ut homicidam illum domini inter ſe dividant.

II. Si quis ingenuus ſervum alienum adſalierit & expoliaverit, & inſuper quadraginta denarios ei tuliſſe probatur, (MALB. *Theu*

---

poſteros *Camboritum*, teſte Pithœo in Gloſſ. Legis Salicæ, eſt *baculus incurvatus*. Vox ea deinde molliùs *cambortas*, *cambotta*, *cambutta*, *camboca*, & *cambuca* pronunciata eſt. Petrus Diaconus Chronici Caſinenſis lib. IV. c. 7†. illa pro *ſuſtentaculo claudi* utitur. *Ejuſdem*, inquit, *claudi cambuttas ante fores Eccleſiæ ſuſpenderunt*. Et ſic etiam Papias: *Cambuta*, *ſuſtentamen vel baculus flexus*, *pedum*, *crocia*. Epiſcopi & Abbates infulati baculo paſtorali ſuperne incurvato tanquam inſigni officii utuntur, qui *cambuta* ſimiliter dictus eſt. Vetus Gloſſarium Corbejenſe apud Cangium: *Cambuta*, *baculus Epiſcoporum*. In teſtamento S. Remigii apud Frodoardum *argentea cambuta figurata* occurrit. Eckehardus Junior de Caſibus S. Galli cap. 3. *Aram ſancti Galli adiens cambocam ſuam & magiſtri ejus multarum virtutum operatricem cum ſpera illa S. Crucis notiſſima rapuit, &, in introitu cryptæ dextero ſpera poſita, cum baculo caninum illum aggreſſus eſt diabolum*. Walafridus Strabo in vita S. Galli lib. I. c. 26. *Qui & baculum ipſius* (Columbani Abbatis), *quem vulgo cambocam vocant*, *per manum diaconi tranſmiſerant*. Vid. plura apud Goldaſtum Rer. Alem. Tom. I. parte I. pag. 113. & Cangium in Gloſſario. Sufficit mihi *cambotam* etiam hac notione non a Græco καμψότι, ſed a *camborta* (baculum incurvum, ſuſtentaculum ſignificante) depravatam eſſe. Et appoſite pedum Epiſcopale poſtea quoque *krumſtab* vocatum eſt. Marner vetus Poeta Ms.

*Sagt mir der Pabſt von Rom, uuas ſol ũ der krumeſtab,*
*Den Got dem guten Sanct Peter uns zu binden gab.*

Idem in carmine ad Epiſcopos & Abbates:

*Euuer krumberſtab, der iſt gewachſen zeinen iangen ſper.*

Ut vero ad legem noſtram revertar, illa ſecundum ea, quæ diximus, videtur ſcribi debere: *Si quis tres virgas*, *unde ſepes ſuperligata eſt*, *vel retortas capulaverit aut aperuerit*, *aut cambortas excervicaverit* &c. Sic omnia bene habent.

(1) In calce pag. 71. *Cambortas excervicaverit.*) Quid ſit *excervicare* diſcimus ex Gloſſa marginali Heroldina: *uutkeruen i. concidere*. *Kerben* enim Sax. *kerven*, nobis *incidere*, & compoſitum *auskerben*, Sax. *utkerven* itidem *incidere*, *diffindere*, *crenis replere*, ſignificat. Cum vero *aus* Latinis ſit *ex*, Franci latinizantes hinc *excervicare* fecerunt; quo verbo etiam utitur vetus Philonis Interpres Quæſt. 76. in Geneſin: *Hoc modo*, inquit, *deficiente continentiæ verbo excervicante contumaces*, *vitiorum intemperantia decurrit*. In Lege itaque per verba, *cambortas excervicaverit*, prohibetur, *ne quis fulcra & ſuſtentacula ſepis* (*die anſchragen*) *incidat*; iis enim inciſis, ſepes labefactatur & infringitur.

(2) *Retortas.*) Cangius obſervat *retortam* Italis dici *ritorta*, Gallis *riorte*. Significat vero *vimen*, *eine wede*, quo in ſe ipſum retorto colligari & alligari aliquid poteſt. Atque ita *retortæ* idem ſunt ac *virgæ*, *quibus ſepes ſuperligata eſt*. Politius in Dictionario Italico: *Ritorta*, *vermena attortigliata da ſervir per legaccio*. In Lege Ripuariorum Tit. 43. & 72. etiam hæc vox obvia eſt. Leo Oſtienſis lib. II. c. 61. *Duo nigerrimi ſpiritus retortas ex agreſtibus vitibus facientes per gulam eum ligaverunt*. Wilhelmus Brito lib. VII. Philippidos:

*Quos multo vincit ferro, multiſque retortis.*

Plura apud Cangium evolve.

(3) *Levaverit.*) Hoc per *germina produxerit* in recentiori Legis Salicæ editione exprimitur. Galli *lever* eodem ſenſu uſurpant.

(4) *Herbice traxerit.*) Recentior editio ponit: *herpicem traxerit*. *Herpix*, *herpex*, *hirpex* inſtrumentum ruſticum pluribus aculeis refertum ad complanandos agros & terendas glebas; nos *ege* vocamus ab *occa* Latino. Gloſſæ Aelfrici: *hirpices* vel *tribula*, *egwa*. Gloſſæ Mss. Florentinæ: *Herpicarius*, *egedere*. Servius ad lib. I. Georgicorum Virgilii verba, *vimineaſque trahit crates*, commentatur: *ad agrorum ſcilicet exæquationem*, *quam ruſtici hirpicem vocant*. Ex *herpix* Galli *herpicia*, & hinc *hercia*, ac tandem *herſe* formarunt, quo nomine *occatoriam cratem & raſtrum* hodie appellant. Germani voce craſſius, & *c* ut *k* pronunciato, inde etiam ſuum *harcke*, raſtrum, deſumſerunt.

(5) *Expalmitantem.*) Aliæ editiones hic ſcribunt, *poſtquam in culmum erigitur*. *Expalmitare* igitur eſt: *in palmitem creſcere*.

(6) *Fertbebero.*) Codex Guelferbytanus *frictebero* adhuc corruptius ſcribit. Puto *ferbeleto* legendum, ut Latine reddatur illud: *miſerit neſciente domino*; quod idem eſt ac *occultaverit*. *Helen* nobis, *helan* Anglo-Saxonibus, *huljan* Gothis veteribus, Latinis *celare*, eſt *occultare*, *abſcondere*, *tegere*, *operire*. De furatarum rerum occultatore dicimus *der heler iſt ſo gut als der ſteler*. Compoſitum *verhelen* ejuſdem eſt ſignificationis. Particulam *ver* olim *fer* ſcriptam fuiſſe omnia vetera Gloſſaria oſtendunt.

(7) *Bila.*) Corruptum eſt ex *Hica*, *Hecke*, ſepes viva, indago. Vide ſupra prolata ad Tit. XIX. leg. 10, & 11.

(8) *Theu leude*, aut *theu leudinia*.) Locus col-

*Theu nosdo* ) (1), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

III. Si vero minus tulerit quam valent XL. denarii, DC. denariis, qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

IV. Si quis servum alienum battiderit (2), & ei insuper quadraginta noctes (3) trigaverit (4) opera sua, (MALB. *Daudinariæ* ) (5), XL. den. qui faciunt sol. I. & triente uno culpabilis judicetur.

V. Si quis servum alienum mortuum expoliaverit per furtum, & spolia ipsa plus quam XL. denarios valeant tulerit, (MALB. *Then frio mosido* ) (6), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

VI. Si quis vero homo Ingenuus Lidum alienum expoliaverit, (MALB. *Theu mosido* ) (7), MCCCC. den. qui faciunt solid. XXXV. culpabilis judicetur.

VII. Si servus hominem ingenuum occiderit, ipse homicida pro medietate compositionis occisi parentibus tradatur, & aliam medietatem dominus servi se noverit soluturum: sed si servus legem intellexerit, poterit dominus se obmallare (8), ut ipse leudum (9) non solvat.

## TITULUS XXXIX.

### *De Quadrupedibus, qui hominem lædunt.*

I. SI aliquis homo, ex quolibet quadrupede, qui domesticus fuerit, occidatur,



corruptissimus. Exemplar Guelferbytanum hic lucem aliquam affert. Ibi enim legitur: *theole de tholo thodina, id est, humicida*. Statuitur in Lege, ut domini servum, homicidam servi, inter se dividant, cujus rei explicationem lex hujus tituli septima profert. In Guelferbytano Codice ultimum *thodina* exponitur per *homicidam*. Formatum ergo est a participio præsentis verbi *toeten*, occidere. Unde *tot*, mors, & *tote*, mortuus, in vetustis Glossariis obvia & adhuc nota. Quod igitur voci *thodina* præponitur *tholo* ( forte *teolo* vel *teilo* legendum ) a *theilen*, olim *teilan*, dividere, partiri, derivatum, reddet nobis verbum *dividant*, quamquam forte *theolant* scribi debet. Integre vero *theolant thodina* significat *dividant homicidam*. Præcedens *theolede*, quod forte scriba oscitans ex alio codice desumsit, itidem decurtatum & corruptum *theolent dodina* præsentare puto. Quemadmodum in nostro exemplari pro *theu leudinia* ponendum videtur *theule todinia*, atque pro *theu leude* iterum *theule dudina*, ut idem sensus, hoc est, *dividant homicidam*, prodeat. *Eu*, *eo* & *ei* apud Veteres commutantur; & ut Galli adhuc in tertia pluralis Verborum, in pronunciando, omittunt, olim hoc quoque ita consuevisse, ex hoc loco videmus.

(1) *Theu nosdo*.) Ex Guelferbytano iterum veram lectionem hariolamur. In eo autem exstat *rencus murdo*; & cum in Lege de expoliatione & ablatione vel rapina sermo sit, legerem ego *ren ouh murdo*, & in nostro exemplari, *rhen mordo*. *Ran*, *rhan*, *ren*, esse *rapinam*, hoc supra ad Tituli XX. leg. 10. satis demonstratum. *Ouh* illud in Exhortatione ad plebem Christianam §. 6. in Keronis Expositione Orationis dominicæ Petit. V. alibique occurrit. Postea *ioh* scribebatur, & idem est cum nostro *auch*, *etiam*, *&*, *atque*. Postremum vocabulum *murdo* aut *mordo* sæpius *expoliationem* designavit. Atque hinc sequitur *ren ouh mordo* denotare *ablationem* sive *rapinam & exspoliationem*, & in nostro exemplari *Renmordo*, *rapinam*, *exspoliationem*, copula non inserta.

(2) *Battiderit*.) Editio Pithœana habet *flagellaverit*. Lex Longobard. lib. I. Tit. VIII. leg. 24. *Si battiderit aut percusserit, pro una ferita* &c. Et sic sæpissime in hac & aliis Legibus veteribus usurpatur. *Battere* est *tundere*, *percutere*, *flagellare*. Glossæ veteres: *Battutum*, τυπτηθέν. *Battuit*, κατακόπτει. Capitular. lib. I. 75. *Diebus dominicis linum battere non est licitum*. Ubi *battere* est tundendo purgare. A *battere* fit *battualia* vulgo *battalia*, exercitationes militum vel gladiatorum Adamantio martyrio; & hinc iterum est Ital. *Battaglia* & Gall. *bataille*. A *battere* quoque derivandum venit nostrum *peitsche*, instrumentum percussorium sive *flagellum*. Vide quæ supra Tit. XXVIII. leg. 4. occasione verbi *trabattere* dicta sunt.

(3) *Quadraginta noctes*.) Vide infra Tit. XL. allata.

(4) *Trigaverit*.) H. e. impediverit. *Tricæ* Nonio sunt *impedimenta*, & *implicationes*; unde *tricare* & *intricare*, impedire, morari. Lex Alemann. Tit. XCVI. leg. 2. *Si carrucam involat, aut rumpit rotas in priori parte, ut die illa opera tricetur*. Reinerius Monachus de Mirac. S. Gisleni c. 5. *Dixitque ei, non te trices adire Malbodium*. Radix verbi est Saxonicum *trecken*, trahere, Gall. *alonger*.

(5) *Daudinariæ*.) Vocis monstrum. Ultimæ tamen syllabæ non invitæ reddunt secundum veterem scribendi modum *nahte*, hoc est, *noctes*. Unde pro prioribus illis *daudi* ego quidem *faurti* lego, eoque *quadraginta* denotari puto. Scio supra Tit. II. Leg. 5. quadraginta per *fittertehun* expressa. Sed posterius *tehun* ibidem jam leg. 8. *tia* scriptum reperitur. Saxones eam vocem in terminationibus *tig* efferunt, atque e. gr. *twintig*, *drüttig*, *veertig* &c. dicunt, quod & Gothi veteres fecerunt. Marc. I. 13. & Luc. IV. 2. *Dage fidwortiguns*, diebus quadraginta. *Quatuor* autem Germ. *vier*, Sax. *veer*, veteribus Germanis, *feor*, *fior*, AS. *feother*, *fyther*, *feower* vocatum, olim etiam *faur* enuntiatum fuisse, ostendit adhuc Anglicum *four* similis soni. Glossæ vero Legis Salicæ cum non sint ab uno auctore, alicubi *fitter* & alibi *faur* habere possunt. Pronunciatio enim talium in plebe diversorum locorum diversa est. Sunt ergo, si hæc componas *faurti nahte*, quadraginta noctes, Saxonice *veertig næchte*, de quibus Lex loquitur.

(6) *Then frio mosido*.) Agitur hac Lege de *mortui exspoliatione*, de qua Titulo XVII. leg. 1. *chreo mosdo*, & rectius *chreo mordo* adhibitum est. Unde apparet, eodem modo & hunc locum esse restituendum. Quod antecedit *then* ex *thev* corruptum est, quo hoc loco servus indicatur. Vide quæ ad Tit. XI. leg. 1. diximus. Est ergo *theu* vel *thive chreo morido* nihil aliud, quam *servum mortuum exspoliaverit*.

(7) *Theu mosido*.) Corruptus locus, qui optime restitui potest ex Codice Guelferbytano *Lecim morido* vel *mordo*. Ibi enim legitur *leciim murco*, quod sine dubio positum est pro *lecim murdo*, quo interpretantur illa: *Lidum expoliaverit*. Ex præcedenti autem Lege *theu* pro *lecim* irrepsisse videtur.

(8) *Obmallare*.) Eadem Lex repetitur in Ludovici Pii Capitulari tertio anni 819. §. 7. Est autem idem ac *mallationi* sive *citationi* actoris *se opponere*, sive *contra intentionem actoris* excipere, aut, ut Tit. XXXIX. dicitur, *se defendere*, ut recte Wendelinus animadvertit.

(9) *Leudum*.) Vide supra ad Tit. XIX. leg. 3.

tur, & hoc cum teſtibus potuerit adprobari, dum illius dominus, cujus pecus erat, ante legem non adimplevit, medietatem de ipſa leudi componat, & pro alia medietate ipſum quadrupedem homini donet. Si vero pecoris dominus vitium in eo non intellexerit, ſecundum legem exinde ſe poteſt defendere, & de ipſo pecore nihil ſolvat.

## TITULUS XL.

### *De veſtigio minando* (1).

I. SI quis bovem, aut caballum, ſive quodlibet animal in furto perdiderit, & ejuſdem veſtigia ſequitur, & id conſecutus fuerit uſque in tertia nocte, & ille, qui id duxerit, aut emiſſe ſe, aut cambiaſſe (2) dixerit, aut proclamaverit, ille qui per veſtigia ſequitur, res ſuas per tertiam manum (3) adrhamire (4) debet. Si vero

---

(1) *De veſtigio minando.*) Hoc eſt, de perſecutione veſtigii, quod *ducit* ad animal amiſſum. *Minare* ſignificat *ducere*, *agere*, & eſt verbum Latinum. Apulejus libro III. Metamorphoſeos: *Nos duos aſinos minantes baculis exigunt*. Paulus Feſti epitomator: *Agaſones, equos agentes, id eſt, minantes*. Et paullo poſt: *Agere modo ſignificat ante ſe pellere, id eſt minare*. Anianus ad Pauli ſentent. Lib. I. tit. XVIII. eodem verbo utitur. Auſonius de bucula Myronis:

*Ageret juvencas cum domum paſtor ſuas,*
*Suam relinquens, me minabat, ut ſuam.*

Vetus interpres Actorum c. 18. *Et minavit eos a tribunali*. Hieremias Thren. c. 3. *Me minavit & adduxit in tenebras*. Alia loca plura in Gloſſographis evolve. Hinc *minæ ſubterraneæ*, medio ævo idem ac *ductus ſubterranei*, *cuniculi*; & *minare*, ductus ſubterraneos facere. Compoſitum *prominare* eſt *producere*. Utitur ea voce etiam Apulejus lib. IX. *Jumenta ad locum proximum bibendi cauſa gregatim prominabat*. Ab hoc verbo Galli deſumſerunt ſuum *promener*, ambulare animi recreandi gratia, quod proprie *producere* ſignificat.

(2) *Cambiaſſe.*) *Cambire*, quod & Tit. L. recurrit, vetuſtiſſimum verbum Latinum eſt, & ſignificat *permutare, commutare*; Ennio *campſare* effertur, teſte Priſciano lib. X. c. 2. Siculus Flaccus de Condit. agrorum: *Emendo, vendendoque, aut cambiando, mutandoque ſimilia finitionum genera inveniri poſſunt*. Idem verbum apud Columellam lib. II. c. 2. & Apulejum in Apologia invenitur. Germanis illud idem etiam vetuſtiſſimis temporibus uſitatum fuit, & ab iis præcipue ad medii ævi ſcriptores devenit. Gloſſæ veteres: *cambiat*, [illegible]. Nos inde vocamus *Roskamm*, mangonem qui equos vendit; & *keimelen* ruſticis noſtris eſt *clanculum permutare* vel *vendere*. Itali ex *cambiare* fecerant *cangiare*, & Galli *changer*, & *change*, item *echanger* & *echange*. Notandum autem noſtrum *handeln* ab *hand*, manus, derivari, quia ab antiquo contractus manuum datione concluduntur; & ejuſdem originis eſſe *cambire*, a veteri nempe *camm*, *kamb*, manus, de quo ad Tit. XXIII. leg. 1. plura attulimus, deſcendens.

(3) *Per tertiam manum.*) Id eſt, *per tertium quendam*, aut etiam *ſequeſtrum*, qui ſcilicet tertius eſt a partibus diſſidentibus utriſque. Gloſſæ veteres: [illegible], *ſequeſter*. Eædem: [illegible], *intertius*. Gloſſæ Lat. Græcæ: *Sequeſter* μεσίτης, ἔνεχυρον, συνθηκοφύλαξ. Gloſſæ Mss. S. Emmerani: *Tertiare*, *drittehanton*. Hinc verbum etiam aliud *intertiare* pro *ſequeſtrare* vel *in manum tertiam mittere* in Legibus frequens, atque a Gloſſographis [illegible] explicatum eſt.

(4) *Adrhamire.*) Veteres ſcripturæ ignari, ut memoria retinerent, aliiſque, quæ vellent, in memoriam revocarent, ſignis utebantur certis. Iſidorus lib. V. Orig. *Veteres enim*, ait, *quando ſibi aliquid promittebant, ſtipulam tenentes frangebant, quam iterum jungentes ſponſiones ſuas agnoſcebant*. Hinc Romanis *ſtipulatio* dicta. Idem mos apud Francos reliquoſque Germanos obtinuit olim: unde frequentes in Chartis eorum donationes *culmo* vel *ſtipulatione ſubnixæ*. Videatur Cangius ſub vocibus *ſtipulatio* & *culmus*, ubi plura exempla. Cum vero *feſtucæ* vox etiam de *ſtipula*, *culmo*, & *ramuſculo*, ſive *virgula* communiter adhiberetur, hinc Franci illam frequentiſſime in eadem re adhibuerunt. Et feſtuca data & accepta iis ſignum erat rei cujuſcunque, atque etiam promiſſionis datæ & acceptæ: rejecta vero ſignificabat abnegationem, abalienationem, derelictionem, deſertionem, ut fuſius poſtea videbimus. Ipſa porro vox *rami* (quæ nobis *reiß* effertur) a latinius loqui volentibus pro *feſtuca* vel *virgula* uſurpata fuit. Lex Ripuar. Tit. 15. *Si quis* (interfectum) . . . *cum ramo cooperuit*. Lex Salica edit. Lindenbr. Tit. XLIII. de Homic. leg. 3. *Si autem de ramis vel de ballis, aut de qualibet re eum cooperuerit*. Hinc ſignum rei datæ & acceptæ etiam *ramus* fuit. Vita S. Bertila[illegible] n. 5. [illegible] *utrumque, cum ceſpite & ramo, cultelloque cum manubrio albo tradidit*. Eadem formula extat apud Bollandum in Vita S. Gertrudis p. 600. Plura exempla Cangius dabit ſub voce *Inveſtitura*, quem non exſcribo. Qui litem inter ſe habebant, coram teſtibus ſe ad judicem citabant, & *feſtuca* vel ramo dato & accepto ſibi mutuo promittebant, ſe velle certo die ſe ſiſtere, & coram judice comparere. Actio hæc ipſa vocabatur a ramo iſto *adramitio*, & in jus citare *adramire*, aut corruptius *adrhamire*, *adchramire*, & *adframire*, uti ultimum hoc clare ex Titulo XLIX. patet, in quo *adframire* nil aliud eſt, quam *ramum* vel *feſtucam* in *laiſum* ſive *ſinum jactare*, in ſignum, quod is, in cujus ſinum jactata fuerit, heres bonorum certo & legitime conſtitutus ſit. Ab hoc ritu autem nobis adhuc citationem ad judicium certo die habendam, ſolenniter denunciare & [illegible], barbare vocatur *inſinuare*. Ramus autem vel feſtuca, ſi ab altero recipiebatur, ſignum erat, citationem agnoſci, ipſumque comparere velle. Dicebatur ille hoc modo *legitime admallatus*, *adramitus*, & *adjectivus*; & dies, in quem ad litem excutiendam convenerant, & compromiſerant, conſenſu communi *placitum* audiebat, utpote quod parti utrique ita *placuerat*; locus vero *Ramallus*, hoc eſt *mallus ramo* vel feſtuca indictus & conſtitutus. In Formulis veteribus incerti autoris Form. I. appoſite phraſi [illegible] *re* occurrit. Nos adhuc inde quoque dicimus *einen tag beramen*, i. e. in diem certum convenire, diem certum ad aliquid judicialiter pertractandum conſtituere. Hoc itaque modo *adramire* ſive *beramen* eſt proprie ramum vel feſtucam adjicere, injicere, vel offerre, ut *becrönen* coronam dare vel imponere; *beſtecken*,

Ha-

ro jam tribus (1) noctibus (2) exactis, qui res suas quærit, & invenerit, apud quem inveniuntur, si eas emisse aut cambiasse dixerit, ipsi liceat adrhamire. Qui vero per vestigium sequitur, quod se agnoscere dicit, illo alio reclamante (3), non offerre per tertiam manum voluerit * (4), nec solum secundum legem calcaverit (5), & ei



* Al. *Adrhamire noluerit.*

maculam addere vel inferre: *bemanteln*, pallium imponere, palliare. In hac ipsa lege editionis Heroldinæ verba, *non offerre* (sc. festucam) *per tertiam manum voluerit*, in ceteris editionibus redduntur, *adrhamire noluerit*; unde sensus verbi clarus. Falluntur ergo Wendelinus, qui a *ramalibus*, sub quibus judicium habitum fingit, & Bosquetus, Bignoniusque, qui ab *arrha data*, derivarunt. Ubi autem Capitular. lib. III. c. 58. legitur: *Ut sacramenta, quæ ad palatium fuerint arramita, in palatio finiantur*; hoc idem est, ac si dicatur: *Ut sacramenta, de quibus solenniter ramo vel festuca data & accepta convenit, ut in palatio habeantur, ibi jurentur*. Lib. IV. Capit. c. 28. dicitur: *Ubi antiquitus consuetudo fuit de libertate sacramenta adrhamire vel jurare, ibi mallum habeatur*. Hic *arhamire sacramenta* idem significat, ac *ramo dato & accepto*, hoc est, solenniter, convenire, ut sacramenta habeantur. Et sic omnia apud Cangium exempla exponi possunt & debent. Et secundum ea, quæ diximus, *res suas per tertiam manum adrhamire*, denotat, cum alio propter res suas ramo oblato, vel adjecto per tertium quendam solenniter de certo judicii die & loco convenire, vel alium legitime ad judicium citare.

(1) *Tribus noctibus.*) Numerus ternarius Francis in re judiciali adamatus: ita paulo ante & postea Tit. L. *manus tertia*, Tit. XLIX. *tres homines, tres causæ, tres hospites*, & Tit. L. *tres testes* legaliter requiruntur.

(2) *Noctibus.*) Per noctes intervalla rerum civilium numerare, vetustissimus Gallorum & Germanorum mos fuit. Julius Cæsar: *Galli se omnes a Dite patre progenitos prædicant, idque a Druidibus proditum dicunt: ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt*. Tacitus de Moribus Germ. c. XI. *Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant, sic constituunt, sic condicunt, ut nox ducere diem videatur*. Lex Salica Edit. Lindenbr. Tit. XXVIII. leg. 5. *Si quis vero infantem . . . aut natum antequam nomen habeat, intra VIII. noctes occiderit*. Simili modo occurrit Tit. XLVIII. & Tit. L. ejusdem legis. Magnam exemplorum congeriem præterea ex Legibus & Formulis veteribus Lindenbrogius & Cangius dabunt, quibus adde Pithœum ad Leg. Sal. & Bignon. ad Form. Marculfi edit. Baluz. pag. 955. Capitularium lib. III. c. 45. dicitur: *Prima mannitio super noctes 7. secunda super noctes 14. tertia super noctes 21. quarta super noctes 42. fiat*. Anglosaxones quoque per noctes computabant. Leges Inæ Regis: *Binnam thryttigum nihta*, h. e. *infra 30. noctes*. Eandem rationem sequitur quoque Speculum Saxonicum. Leges Goslarienses Tit. *van gerichte und klage*. Leg. 160. *Vorhovet seik weret men verteyn nacht*. Ibid. l. 198. *wedde schal men bereden over verteyn nacht*. Ibid. Tit. *van bustinse* leg. 44. *bynnen verteyn nachten na dem pasche dage, eder verteyn nacht na sinte Michaelis dage, so schal jowelk dem andern sine medinge ramen*. Inde *næchten* pro *heri* Germanis. *Der von Kurenberg*, Poeta Ms. *Ich stunt mir nechtint spate An einer zinne*. Gallis quoque *anuict*, teste Pithœo, pro *hodie*, & veteribus eorum Practicis *comparoir dedans les nuictz* & similia usurpantur. Noctium vero legitimarum Legis Salicæ notabilis est mentio in Charta Pipini Regis, quam ex Felibieni Probat. Hist. Abbat. S. Dionysii cap. XLI. integram apponere lubet. Est ea talis: *PIPINUS Rex Francorum, vir inluster. Venientes Agentes sancti Dionisio & Follerado Abbate Aderulfus & Rodegarius Compendio palatio sub die decimo Kalendas Novembris anno octavo regni nostri ubi nos ad universorum causas audiendas, & recta judicia determinandum resederemus, ubi visi sunt interpellasse Gerardum Comitem, eo quod malo ordine recontendebat, & retinebat teloneo infra Parisiis ex navibus & pontis volutaticos, ac roraticos, quem ab ipsa die missa sancto Dionisio semper ab antiquo accipiebant Agentes sancti Domni Dionisio. Unde prædictus Gerardus Comes dedit in Responsis, quod ipsum teloneum aliter non contendebat, nisi quomodo antecessores illius, qui Comites fuerant ante illum, id ipsum ad suam partem retinebat. Supradicti autem Agentes sancti Dionisii ita contra eum intendebant, & ostendebant præceptum Dagoberti Regis qualiter ipsum mercatum stabilisset in ipso pago, & postea ipsum cum omnes teloneos ad partem sancti Dionisii delegasset ac firmasset. Et ipse Domnus Rex Pippinus adfirmabat, quod semper a sua infantia ipsos teloneos partibus sancti Dionisii habere & colligere vidisset. Sed Gerardus Comes hoc nullo modo consentiebat & tunc talem placitum statuerunt, ut iterum simul ad noctes legitimas concurrerent in eodem palatio, & ante jam dictum Domnum Pippinum ipsam intentionem deffinire debuissent, sicut lex edicebat. Denique venientes jam dicti missi & Advocati sancti Dionisii Adrulfus & Rotgarius ad condictum placitum quarto Kalendas Novembris, tales testes ibi præsentaverunt, qui ipsos teloneos in Parisius acceperunt cum omni eorum integritate ad partem sancti Dionisii. Tunc illis judicatum fuit a Widone, Raulcone, Milone, Helmengaudo, Rothardo, Gislehario vel reliquis quam plures, seu & Wicberto Comite palatii nostro, ut pars sancti Dionisii, vel supra dicti Advocati hoc comprobare debuissent. Quod & de præsente visi sunt fecisse. Prædictus namque Gerhardus Comes ita dedit in responsis, quod aliter non volebat facere, nisi quomodo lex erat & Domno Rege placebat ac suis fidelibus qui ibi residebant. Unde & ipse Gerardus ex prædictos teloneos se exitum dixit coram eis. Quapropter tunc illis opportunum fuit & necessarium, talem notitiam ex hoc facto accipere debuissent, ut ab hodierno tempore & die pars sancti Dionisii vel Agentes ipsius de ipsos teloneos securi & quieti residere valerent, ut sit inter ipsos in postmodum omni tempore quieta & subita causatio. Signum † gloriosissimo Domno PIPPINO Rege. Ejus jussus recognovit & subscripsit. Datum tertio Kalendas Novembris anno supradicto in Dei nomine feliciter*. Per noctes vero suo adhuc ævo in Gallia quoque inducias juridicas numeratas fuisse testis est Gaufredus Vindocinensis, ubi lib. II. Ep. 27. scribit: *In hoc tamen non noctes, secundum consuetudines Laicorum, sed, secundum instituta Canonum, inducias postulamus*.

(3) *Reclamante.*) Id est, contrarium asserente, contradicente, vel repetente.

(4) *Non offerre.*) Sc. *ramum* vel *festucam*. In cæteris enim exemplaribus pro *non offerre voluerit*, exstat, *adrhamire noluerit*.

(5) *Solum calcaverit.*) Corrupta locutio. Codex Guelferbytanus scribit: *sole collegaverit*.

ei violenter, quod ſe agnoſcere dicit, tuliſſe convincitur, ( MALB. *Mittinio fraſtatitio* * ) (1), MCC. den. qui faciunt ſolid. XXX. culpabilis judicetur.

* Al. *Fraſtatbinto*.

TITULUS XLI.

*De furtis caballorum.*

I. SI quis caballum, qui carrucam (2) trahit, furaverit, ( MALB. *Chanco* ) (3), MDC. den. (4) qui faciunt ſol. XL. cul-

---

*rit*. Dicendum erat: *Solem collocaverit*. Sic Tit. XLIII. dicitur: *Domino ſervi ſolem collocet & ad ſeptem noctes placitum concedat*. Quæ phraſis adhuc tribus vicibus repetitur. Tit. LIII. legimus: *Sic uſque ad tres vices per tres mannitas facere debet; ut per ſingulas admonitiones vel ſolem collocatum, terni ſolidi accreſcant*. Titulo quoque LXXVI. idem aliquoties occurrit. Ponitur hic *ſol* pro *die*, ut apud Poetas veteres & auctores medii ævi frequenter fieri ſolet. Vetus Gloſſarium citatum a Fabrotto Exerc. I. p. 11. *tres ſoles, tres dies*. Luitprandus lib. III. c. 5. *Paucis interpoſitis ſolis*. Eckehardus Junior de Caſibus S. Galli: *Sole ſequenti*, i. e. die. Hepidannus: *Cum apud materteram paucos exegiſſet ſoles*. Folcuinus de Miraculis S. Bertini c. 13. *Quot numerantur anni ſoles?* Significat itaque *ſolem collocare* idem ac *diem collocare*, Germ. *einen Tag ſetzen*. Ab hoc *ſetzen* Sax. *ſetten*, h. e. ponere, conſtituere, ſtatuere, & *ſol* pro *die* uſurpato verbum formaverunt *ſolſatire*, quod idem eſt ac *ſolem collocare*, vel *diem conſtituere*, cujus antecedens fere ſemper eſt barbarum *adjectire*, quia illa diei legitima conſtitutio antequam fieret, adverſarius ramo vel feſtuca adjecta ſolenniter citabatur. Lex Salica Tit. LII. leg. 2. *Tu grafio, rogo Te quia ille homo denominatus, qui mihi fidem fecit, quem legitime habeo adjactivum* vel *admallatum ſecundum Legem Salicam* &c. Poſt adjectionem deinde ei dies conſtituebatur ſive *ſolſatia* fiebat. Lex Salica Tit. LXXVI. leg. 1. *In nubi eum ſolſatire debet*; h. e. de novo illi diem conſtituere ad comparendum debet. Marculfus lib. I. Form. 37. *A quo placito veniens memoratus ille, ibi in palatio noſter & per triduum ſeu amplius, ut lex habuit, placitum ſuum cuſtodiſſet, & memoratus Ille adjectus ſit vel ſolſatisſit, ipſe nec veniſſet ad placitum, nec ulla ſunnia nunciaſſet, adfirmat* &c. Et mox: *Ante dictus ille placitum ſuum cuſtodivit, & eum adjectivit vel ſolſativit, & ipſe ille placitum ſuum cuſtodire neglexit*. Formulæ ſecundum legem Romanam cap. 33. *Sed memoratus ille per triduum cuſtodivit placitum & jam dictum Illum ſecundum legem abjectivit* ( feſtucam ſc. in ſinum ) *vel ſolſatevit, qui nec ecſonia nuntiavit, nec ſuum placitum adimplevit*. Charta Chlodovei III. Regis apud Felibienum in Probation. Hiſt. Abbat. S. Dionyſii cap. 16. *Sed venientes ad eorum placitum ipſi Agentis, jam dicto Abbati Noviento in ipſo Palatio noſtro per triduos, per plures dies, ut lex habuit, placitum . . . cuſtodiſſent, & ipſo Ermencaldo Abbati abiectiſſent vel ſolſadiſſent ipſi nec veniſſet ad placitum nec miſſo in vice ſua derixiſſet* &c. Inter *Dictatos* ſeu *Formulas veteres Andegavenſes*, duodecima eſt, quæ titulum *ſolſadiæ* habet. Meretur illa integra referri. Eſt autem talis: *Notitia ſolſadii, qualiter vel quibus præſentibus illi homo placetum ſuum adtendit Andecavis civetate Kalendas illas, per judicio inluſtri illo comite, vel auditores ſuis ac contra homines his nominibus, illus & illus, vel genetrici eorum, nomen illa, una cum abunculo eorum illo, dum dicerit, quaſi aliqua femena, nomen illa, genetore eorum, nomen illo, pro maleficio eum interfeciſſet. Qui ipſi jam ſuperius nomenati placetum eorum legebus a mane uſque ad veſperum viſi fuerunt cuſtodiſſe. Nam ipſa femena nec ad placetum advenit, nec miſſo ad perſona addirexit qui ſonia redebuiſſet. Propterea neceſſe fuerit prædictis hominibus, ut hanc noticiam, bonorum hominum manibus roboratas proſequere deberent, qualiter & viſi ſunt feciſſe*. Editor Mabillonius putavit *ſolſadiam* deſignare *impedimentum, excuſationem*; ſed hoc ex contextu non apparet. Imo clarum eſt, eſſe Teſtimonium judiciale comparitionis ex parte impetrantis, ſive *conſtituti diei judicialis* ( id enim *ſolſadia* vult ) *obſervationem*. Bignonius itaque *ſolſatiſſit* in Not. ad Form. Marculfi male per *ſol ei octaſus fuit*, & pejus adhuc Wendelinus per *ſol ſatis* explicant.

(1) *Mittinio fraſtatitio*.) Mire depravatus locus. Pro poſteriori voce aliud exemplar *fraſtathinto* habuit. Forte legendum eſt: *Hramitinio, Tacſatinio*, vel *tagſatitio*. Et *hramittinio* idem erit ac *ramſmitinio*, h. e. *adjectio rami* vel *feſtucæ*. *Miten* enim idem eſſe ac Saxon. *ſmiten*, Germ. *ſchmeiſſen*, ex iis, quæ diximus ad Tit. XXX. leg. 1. & 2. & Tit. LIV. leg. 1. certum eſt, Ut ſignificetur hoc modo voce illa *citatio*. Alterum *tahſatinio* eſſet Saxonicum *tagſetting* vel Germanicum *Tagſatzung*, diei judicialis determinatio. Quamquam &, quod magis probo, *fraſtatitio*, ſive, ut alibi eſt, *fraſtathinto* poterit corruptum eſſe ex *fraſtabinco*, aut *verſtabung*, quomodo proprie *adramitio*, ſive citatio per ramum vel feſtucam reddenda venit. *Ver* ſæpius, & plerumque a veteribus, *fra* ſcribitur, qui etiam *fern* noſtrum ſemper *fram* efferunt. Et *ſtab* pro *feſtuca* judiciis noſtris in communi uſu eſt.

(2) *Carrucam*.) *Carruca* olim de *ſella curuli* & *vehiculo honoratorum operto* uſurpabatur; ſed ſeqniori tempore *aratrum* denotavit. Atque ita etiam hic loci nec non in Leg. Aleman. Tit. XCVI. & Ripuar. Tit. XLIV. exponendum eſt. Epiſtola Gaufridi de Meduana T. II. Spicil. Acheriani: *Decem aratra cum bobus, quæ carucas vocatis*. Alia exempla Cangius ſuppeditabit. Hinc deinde formatum Gallorum noſtrorum *charrue*. Nos aratrum *pflug*, & rallum ſive ferrum, quod illi infixum terram proſcindit, *ſchar* dicimus. Olim vero integra machina aratoria, ſive aratrum integrum ſub nomine *ſchar* veniſſe videtur. Unde etiam C litera ut S pronunciata, a Latinizantibus appoſite *carruca* vocari potuit, voce hac non a *carro*, ſed a Germanico *ſcheren*, ſcindere, derivata.

(3) *Chanco*.) Codex Guelferbytanus habet: *hanzio*. Ego emendo: *Char cibo* vel *char zibo*. Quam facile ab imperitis linguæ in veteribus Mss. Francicis N pro R legi potuerit, norunt, qui ea manibus diligentibus verſarunt. Secundum autem modo dicta *char*, vel, noſtro more ſcriptum, *ſchar* deſignat *aratrum*. Gloſſæ Mss. Florentinæ: *Vomer, ſvaro*. Sequens illud *zio* a *zihen*, Sax. *tehen*, trahere, deſcendit, & exprimit hoc modo integrum *char zibo* Legis illa verba, *carrucam trahit*.

(4) *MDC. den. &c.*) In Codice Guelferbytano pœna furati caballi aratorii maior eſt. Fur enim ejus *Din. MDCCC. fac. ſol. XLV. culpabilis judicatur*.

culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

II. Si quis caballum ſpathum (1) furaverit, (MALB. *Chengiſto*) (2), MCCCC. den. qui faciunt ſolid. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Si quis Warannionem (3) homini Franco furaverit, (MALB. *Wadrido*) (4), MDCCC. den. qui faciunt ſolid. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IV. Si quis Warranionem Regis furaverit, (MALB. *Setheo*) (5), MMCCCC. den. qui faciunt ſolid. LX. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

V. Si quis admiſſarium cum grege, hoc eſt, cum VII. aut XII. (6) equabus, furaverit, (MALB. *Huicthe Soniſtha*) (7), MMD. den. qui faciunt ſolid. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.



VI. Si autem de grege minus fuerint uſque ad ſex capita, & pretium & cauſſam ſuperius convenit obſervare.

VII. Si quis Franco homini (8) admiſſarium furaverit, (MALB. *Wadredo*) MDCCC. den. qui faciunt ſolid. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

VIII. Si quis puledrum (9) furaverit, (MALB. *Wadredo*) MDCCC. denar. qui faciunt ſol. XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

IX. Si quis puledrum anniculum ſive bimulum furaverit, (MALB. *Napodero*) (10), DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

X.

---

(1) *Spathum.*) *Spathus* hic eſt *caſtratus*. Lex Salica edit. Lindenbrogianæ Tit. XL. leg. 13. *Si quis admiſſarium alienum ſine conſenſu domini ſui ſpadaverit*. Gloſſæ Anglo-Sax. Ælfrici: *Caballus ſpadatus vel eunuchizatus, belisnod*. *Spado* Latinis dicitur *caſtratus*. Plinius lib. XIV. de piris: *A conditione caſtrati ſeminis, quæ Spadonia appellant Belgæ*. Idem lib. XV. c. 30. *Spadoniæ laurus* mentionem facit. Stephanus de Urbibus *ſpadonis* vocem a pago quodam Perſidis nomine *Spada*, in quo cœperit caſtrationis conſuetudo; Voſſius ἀπὸ τοῦ σπᾶν, *vellere*, *contorquere*; alii aliunde, derivant. Sed omnes falluntur. Eſt enim originis omnino Celticæ vel Germanicæ, & deſcendit a verbo jam quidem inuſitato *ſpahen*, findere, ſecare; cujus tamen ſuperant derivata *ſpan*, ſegmen, ſegmentum, aſſula; *ſpan*, diſſidium, iurgium, lis, ſciſſio civilis; *ſpade*, pala, bipallium; *ſpata* Francorum, *ſpada* Italorum, & Gallorum *epee*, gladius, quo finduntur corpora humana; & tandem ipſum *ſpalten*, findere, diſcindere. Vi ergo hujus originis *ſpado*, ſectum, exſectum, caſtratum deſignat.

(2) *Chengiſto.*) Cum *ch* Francorum ſæpius tantum ſolummodo valeat ac *h*, hinc evidens eſt, *chengiſto* eſſe ipſum noſtrum *hengſt*; quod tamen, ut notum eſt, non *caballum ſpathum* ſive *exſectum*, ſed *equum admiſſarium* denotat. In Codice Guelferbytano loco periodi de *caballo ſpatho* ponitur: *Si quis armeſſario* (h. e. equum admiſſarium) *furaverit* &c. Unde ſuſpicor, antiquitus in noſtro Legis Salicæ exemplari hic eadem verba fuiſſe, & *admiſſarii* vocem a Gloſſatore per *Chengiſto* tunc expreſſam, quod gloſſema, cum deinde lex de caballo ſpatho insereretur, in periodo hac retentum eſt, licet lex, ad quam pertinuit, loco ſuo fuerit remota.

(3) *Warannionem.*) H. e. *equum bellicum*. Ad bellicum vero uſum cum plerumque admiſſarii, tanquam robuſtiores eligerentur, inde factum eſt, ut *warannionis* vox deinde ad deſignandum equum admiſſarium ſolummodo adhiberetur. Ita Capitulare de villis c. 13. *Ut equos amiſſarios, id eſt, waraniones, bene provideant*. Hiſpani, Occitani & Provinciales hinc admiſſarium *guaragnon*, Itali *guaragno*, Galli *ferrand* appellant. Re vera tamen vox hæc a *werre*, *warre*, bellum, & *renneo* ſive *reino*, admiſſarius (de quo paulo poſt) formata, *bellicum equum* denotat; quem Cæſarius Heiſterbacenſis in Gloſſis ad Chartularium Prumienſe a vulgo *heriperretum* nuncupari dicit.

(4) *Wadrido.*) Hic *warannionem* denotat. Recurrit idem vocabulum hujus tituli Lege VII. & ibi pro *admiſſario*, lege vero VIII. pro *puledro* ſive *pullo equino* uſurpatur. In Codice Guelferbytano *uaderedo* enunciatur. Rectius autem *warrino* ſive *warreno* ſcribi debere puto. Deſcendit vox iterum a *warre* bellum, & *reno*, *renneo*, admiſſarius. Exempla vocis hujus attulimus ſupra ad Tit. II. leg. 1.

(5) *Setheo.*) Vox hæc corrupta iterum eſt ex *renneo*, admiſſarius, de quo modo dictum, & ſupra etiam in Nota ad Tit. II. leg. 1.

(6) *Cum VII. aut XII.*) Leg. *cum VII. aut VIII.* Nam numerus poſterior a Malbergo per *Huicthe* ſive *octo* enunciatus eſt.

(7) *Huicthe Soniſtha.*) *Huicthe* eſt vox Franco-Gallica, quæ noſtro jam ævo *huict*, & uſitatius *huit*, effertur, prodiitque ex Latino *octo*. Soniſtha eſt *congregatio*, *grex*, ut ſupra oſtendimus ad Tit. II. leg. 11. Senſus itaque Gloſſematis Malbergici eſt, *octo equos* per legem Salicam eſſe *gregem*, cum ſecundum Legem Ripuariorum Tit. XVIII. *duodecim equæ* ad gregem requirerentur, quamquam & ibi XII. pro VIII. potuit irrepſiſſe.

(8) *Franco homini.*) Hoc eſt, qui ex gente Francorum eſt.

(9) *Puledrum.*) H. e. *pullum equinum*. Vide ſupra Tit. XI. leg. 5

(10) *Napodero.*) Vidimus jam ſupra Tit. III. leg. 1. *pedero* de vitulo uſurpatum fuiſſe. Sed ibidem leg. 3. de *bimo animali*, & in ſequentibus paulo aliter accipitur, ut quid ibi dicerem, incertus fere eſſem. Hic *podero* in illud *pedero* mutandum, &, cum de puledro anniculo vel bimulo ſermo ſit, per *utriuſque* mihi exponendum videtur. Gloſſæ Rabani Mauri Mss. *Altrinſecus*, *pedahalb*. Kero: *Ambæ*, *pedo*. *Utroque*, *pedero*. *Utrarumque*, *pedero*. Quod antecedit *na*, ex *nah* vel *nach*, equus, venire credo. Mylius in Archæologo Teutone: *Nago, veter. Teuton. equus vilior, apud Lazium: nag Belgis & Britannis idem*. Sed olim in genere *equum* denotaſſe, certum eſt. Notabilis eſt locus in Cæſarii Prumienſis Gloſſis ad Regiſtrum Prumienſe cap. XXIV. Dicitur ibi: *A primis Eccleſiæ noſtræ fundatoribus, id eſt Pipino & Karolo Magno ejus filio, poſſeſſiones noſtræ Eccleſiæ, ac bona ab omnibus poteſtatibus ſecularibus ſunt exempta, quæ poteſtates vulgariter appellantur Pelline, Graſcaf, Viltban, Cupelle, Nacſelide, Geritte. Ita namque ſicut ipſi allodia ſua libere poſſederunt, ita Eccleſiæ noſtræ ea per ſecula poſſidenda tradiderunt*. Ubi *nacſelide* eſt *equi exhibitio*, voce a *nac*, equus, & *ſe-*

X. Si vero ſequentem puletrum (1) furaverit, (MALB. *Nare*) (2), CXX. denar. qui faciunt ſol. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XI. Si quis jumenta aliena tribatterit (3), & evaſerint, (MALB. *Stalathia*) (4), MCC. den. qui faciunt ſolid. XXX. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XII. Si autem mortua inde fuerint, MCC. denar. qui faciunt ſol. XXX. culpabilis judicetur.

XIII. Si quis equam prægnantem * furaverit, (MALB. *Eſtalathia*) M. DCCC. den. qui faciunt ſolidos XLV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

XIV. Si quis jumentum (5) aut caballum furaverit, MCCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. excepto capitale & delatura.

XV. Si quis admiſſarium alienum ſine conſenſu domini ſui ſpadaverit, (MALB. *Ande chobina*) (6), DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur; & unumquodque jumentum, quod ille inire conſueverat, trientem; quod eſt tertia pars ſolidi, id eſt XIII. den. & tertia pars unius denarii.

XVI. Si quis per ſuperbiam aut per inimicitiam caballos aut jumenta aliena tribaverit, vel debilitaverit, (MALB. *Stalaſthia*) MCC. denar. qui faciunt ſol. XXX. culpabilis judicetur.

XVII. Si quis caballum alienum ſine conſenſu domini ſui excorticaverit (7), (MALB. *Leudardi*) CXX. den. qui faciunt ſol. III. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

T I-

* Al. *Jumentum prægnans*.

---

& *ſelide* traditio, compoſita; & intelligitur jus equum ad bellicam expeditionem a villico exigendi. Alibi apud Cæſarium eundem corruptius *natſelde* ſcribitur. Sic in Præfamine Gloſſarum §. 9. *Quælibet curia tenetur ſolvere hoſtilicium domno Abbati. Hoſtilicium vulgariter appellatur Natſelde*. Et infra ad cap. LXXII. notat: *Præterea tenetur quilibet villicus domino Abbati quolibet anno duas marchas perſolvere, quæ marchæ appellantur Natſelide*. Alexander III. PP. Epiſt. 52. ad Philippum Colonienſem Archiepiſcopum; *Inſigne quoque feſtivi equi, quod a quibuſdam vulgo naccum vocatur . . . confirmamus*. Chronicon Halberſtadenſe Script. Brunſvic. Tomo II. pag. 126. *In ſtationibus quoque feſtivis ſuper naccum equitandum permittimus tibi & ſucceſſoribus tuis*. Cangius hanc vocem cum *nacto*, quod ſtraguli equini ſpecies fuit, confundit. Omnibus vero jam collectis, *nab pedero* denotat hic *equum utriuſque anni*, primi vel ſecundi, hoc eſt, *anniculum* ſive *bimulum*.

(1) *Sequentem puletrum*.) H. e. matrem adhuc ſequentem, & non ab uberibus remotum, qui & nobis *fole*, a *folgen*, ſequi, nominatur, ut mox videbimus.

(2) *Nare*.) Legendum *vale* vel *fole*. Gloſſæ Florentinæ Mss. *Poledrus, id eſt juvenis equus, folo*. Eædem alibi: *Pultrinus, fuli*; quæ eadem verba & Cangius ex Gloſſario quodam Theotiſco affert. Gloſſæ Ælfrici: *Poledrus, fola*. Evangelia Gothica Luc. XIX. 30. Joh. XII. 15. Marc. XI. 2. *Fulan aſilaus bigitaths*; pullum aſini invenietis. Winsbeke §. 43. *Ein vol von einer wilden ſtuot*. Derivatur vox a *folgen*, ſequi, atque ita proprie *puledrum ſequentem* exprimit. Negligi tamen non debet, in Codice Guelferbytano etiam *nare* ſcribi. Et notabile eſt *nare* apud Britannos *puerum*, *puellum*, *parvulum*, denotare, quæ vox etiam *puledro equino* applicari potuit; quemadmodum ſupra Tit. XI. leg. 5. puer de miniſterio *ſervus puledrus* vocatur.

(3) *Tribatterit*.) *Tribattere* forte hic idem eſt ac *trabattere*, pedibus conculcare, indigne tractare, Ital. *ſtrapazzare*. Vide ſupra Tit. XXIIX. leg. 4.

(4) *Stalathia*.) Scribitur hæc vox paulo poſt leg. 13. *eſtalathia*, & leg. 16. *ſtalaſthia*, Priori loco de equæ prægnantis furto, poſteriori de jumentorum tribattione vel debilitatione agitur. In noſtra lege quoque gloſſator pro verbo *tribatterit* legiſſe videtur, *Tribaverit*. Unde ferme eo inclino, ut putem ultimas duas ſyllabas, *thia*, vel *ſthia*, reſtituendas eſſe *triba*. Pro *treiben* enim veteres *triban* ſcribebant. Tatianus CLIII. 8. *thaz her ſie ni tribi uzan thero lantſcheffi*, ne expelleret eos extra regionem. *Stala* vel *Eſtala*, quod prius eſt, corruptiſſimum videtur. *Jumentum* enim ſeu *equam* nos ab antiquo *ſtuot* vel *ſtute* vocavimus, atque adhuc vocamus. Gloſſarium Mss. Florentinum: *Equaritia, ſtuot*. Idem alibi: *Mulio, ſtuotare*. Unde & *ſtala* ex hoc ipſo *ſtuot* prodiiſſe ſtatuo. Litera *a* finalis facillime ex veteris ſcripturæ *t* corrumpi potuit. Reliqua forte ob evaneſcentes literas diſtincte legi non potuerunt. Si ergo *ſtuot triba* ſcribatur, habebis Germanice verba, *jumenta tribaverit*, id quod & in legem 14. quadrat; lege vero 13. paulo alienioris ſenſus, atque ibi forte ſolum *ſtuota* reponendum eſt.

(5) *Jumentum*.) Jumentum hic pro *equa* ponitur, & vocem hanc ruſtici Auſtriaci, in *gummel* corruptam, pro *equa* adhuc uſurpant. Vide, quæ ſupra diximus ad Tit. XI. leg. 1. Sic ubi leg. 13. in noſtro Exemplari eſt *equam*, in aliis legitur *jumentum*.

(6) *Ande chobina*.) *Ande* denotare alium vel alienum ſupra jam expoſuimus ad Tit. X. l. 5. *Chobina*, pro quo forte *chobita* ſcribendum erit, a verbo apud Belgas reliquo *kappen*, quod Græcis κόπτειν & in Aoriſt. 2. κοπεῖν, Gallis *couper*, Anglis *chippe*, effertur, & præſcindere, abſcindere, reſecare, exſecare deſignat; unde *capo*, *kapaune*, gallus caſtratus, & *capulare*, ſcindere, incidere, reſecare. Gloſſæ veteres: τμῆχος, *copadium*, *fruſtum*. Vide ſupra, quæ ad Tit. VIII. leg. 4. huc pertinentia annotavimus. Verbis idcirco, *ande chobita*, exponitur illud, *alienum caſtraverit*.

(7) *Excorticaverit*.) Infra Titulus XVIII. inſcribitur de *caballo excorticato*, & Lex ibi pœnam imponit ſolidorum XV. *Si quis caballum extra conſilium domini ſui decorticaverit*. Idem verbum *decorticare* ſupra Tit. XXVII. leg. 23. adhibitum eſt pro *cortice privare*, quod Gallis *eſcorcher*. Eſſet ergo idem ac *equo cutem detrahere*. Eodem ſenſu in Lege Ripuar. Tit. LXXXVI. hoc verbum occurrit. De *caballo* enim mortuo ibi agit, & iiſdem pene verbis cum Lege Salica utitur. Pœna XXX. ſolidorum Legis Ripuariæ in Heroldino exemplari non ponitur; ſed eadem tamen in Codice Guelferbytano ibi invenitur. Lex autem hæc de *caballo excorticato*, quæ, ut dixi, Titulo LXVIII. ſubjecta etiam eſt, in Guelferbytano Codice ſub Titulo XLI. ut hic fit in

He-

## TITULUS XLII.

### *De plagiatoribus.*

I. SI quis mancipia aliena follicitaverit, & convictus fuerit, ( MALB. *Theu lasina* ) ( 1 ), DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur.

II. Si servus alienus fuerit furatus, & ipse trans mare fuerit ductus, ( MALB. *Viridio* ) ( 2 ), sive in quamlibet regionem ipsum duxerit, & ibidem a domino suo inventus fuerit, & ipsum, a quo in patria aliena plagiatus est ( 3 ), in Mallo publico nominaverit, & tres ibidem testes colligere dominus debet; & iterum cum servus ipse citra mare fuerit revocatus, in altero Mallo iterum debet nominare qui eum plagiaverit, & ibidem similiter tres testes colligere debet; ad tertium vero Mallum similiter facere debet, ut novem testes jurent, quod servum ipsum æqualiter per totos Mallos ( 4 ) super plagiatorem dicentem audissent. Sic postea qui eum plagiaverit, MCCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

III. Quæ confessio servi usque ad tres plagiatores admittatur, ea tamen ratione, ut nomina hominum & villarum æqualiter per totos tres mallos debeant nominare.

IV. Si quis hominem ingenuum plagiaverit, & vendiderit, & postea in patriam reversus fuerit, ( MALB. *Frio faltovo* ( 5 ), seu *Audel fecto* ) ( 6 ), VIIIM. denar. qui faciunt solid. CC. culpabilis judicetur.

V. Si quis hominem ingenuum vendiderit, & postea in patriam reversus non fuerit, ( MALB. *Fal. cham* ( 7 ), VIIIM. denar. culpabilis judicetur, qui faciunt sol. CC.

T I-

---

Heroldino Exemplari, non comparet, tanquam scilicet superflua. Et crediderim Legem, ut in præsenti titulo exstat, primo ita latam, deinde vero pœna in majus aucta, eo modo mutatam fuisse, ut Tit. LXVIII. atque in Lege Ripuariorum cernitur. Unde Mss. in quibus Bignonius pro *excorticato* invenit *decotato*, atque ubi, pro *decorticaverit*, lectum fuit *decotaverit*, h. e. *caudam abstulerit*, non poterunt non errasse. Equorum autem morticinia decoriare jam vilissimorum hominum officium est. Sed apud Anglos quilibet sui equi cadaveri sine ulla ignominia cutem detrahere potest. Idem Francis veteribus mos fuit. Addere lubet Formulam Andegavensem XXIV. ubi lis de excoriato caballo cuidam intenta legitur. Ea talis est: *Eveniens illi Andecavis civitate ante illo Præposito vel reliquis hominibus, qui cum eo aderant, interpellabant aliquo homine, nomen illo, quasi animalia per sua menata eos ducere habuisset, & ipsa animalia per sua menata aliquas mortas fuerant, & ipsa petora illi excorticasset, posteaque mortas fuerunt. Interrogatum fuit ipsi illi, quid de hac causa responso daret: & ipsi illi taliter locutus fuit, quod nec sua animalia numquam menasset, nec per sua menata ipsa animalia degere numquam habuisset, nec de manus suas excorticatas numquam fuissent. Propterea visum fuit ad ipso Præposito, vel qui cum ipso aderant, ut in noctes tantas apud homines tantus ipsi illi in basileca domni illius excusare deberit: se hoc facere debebat, de hac causa ipsi illi compascere debirit: sin autem non poterit, quicquid lex de tale causa edocet, emendare stodiat.* De caballo *excurtato* sive *cauda privato* alia Lex in Salicæ Legis editione Lindenbrogiana exstat, & nostram hanc antecedit.

( 1 ) *Theu lasina.* ) Junguntur *Theu & Lasina* mancipiorum nomina. Vide supra notata ad Tit. XI. leg. 1. & 4.

( 2 ) *Viridio.* ) Vocabulum hoc *viridio* unum idemque est cum nostro *würde* vel *werth*, ac valorem, pretium, & hoc loco *pretium furati servi alieni & trans mare ducti* significat. Ab eadem radice Anglo-Saxonibus *wera*, & Francis *widrigeldum* ac *wirigeldum* dictum est rei cujusque pretium & compositio. Franci porro ex *würde* vel *wirde* fecerunt *wirdira*, eaque voce ad designandum *widrigeldum* usi sunt. Capitulare III. an. 813. c. 24. *De quicquid in casa furaverit, in wirdira solidos septem.* Infra ibidem: *De porcis & vervecibus & animalibus juvenibus & de capris tertiam partem, quantum valet in wirdira.* His addas ibidem cap. 25. Ex hoc loco ansam sumsi supra Tit. XXIX. leg. 1. pro *wirtico* legendi *wirtiro*, ut ibi a Malbergo exprimatur *pretium* sive *wirigildum stupratæ ancillæ alienæ*. Iidem Franci ex eodem *wirde* vel *werth* videntur mihi demum fabricasse *wirdarium* & *werdarium*, unde Tit. XXXII. Legis Sal. leg. 17. *wiradardi* & Tit. XXIIX. leg. 3. *werdarda* formatum; priori loco *wirigeldum* vel *pretium incisorum virilium*, posteriori vero *crinium abscissorum* designat. De cætero pro *viridio* in Codice Guelferbytano hoc loco *unistario* ponitur, vocabulo hoc ex *uuirtario* vel *wirdario* corrupto. Quomodo vero *widrigildum* vel *wirgeldum* differat a *weregeldo*, hoc infra ad Tit. LIV. leg. 2. exponemus.

( 3 ) *Plagiatus est.* ) *Plagiare* est liberum hominem aut alienum mancipium dolo malo vendere, emere, donare aut celare.

( 4 ) *Per totos Mallos.* ) H. e. per omnes. *Totus* loco *omnis* in mædii ævi monumentis sæpissime reperitur.

( 5 ) *Frio faltovo.* ) Codex Guelferbytanus legit: *falconum*. *Frio* vero est nostrum *frey*, Sax. *fri*, liber, solutus, nemini obnoxius, a nullo ligatus, hoc est, ingenuus. Kero: *Ingenuus*, *friger*. Glossarium Ms. apud Lindenbrogium: *Fulfrea*, sive ingenua sive libera. *Falcouo* & *falconum* ego corruptum existimo ex *faltovo*, vel, ut supra Tit. XXII. scribi debere ostendimus, *falto*. Exposuimus id ibi per *maleficium fecerit*. Sed *fal* non *maleficium* solum, sed & *rapinam* denotavit. Fragment. Isidori p. 254. *Ni uuas imu einighan fal ardeilendi, dhazs ir Gote uuas ebanchiliib*; non *rapinam* arbitratus est, esse se æqualem Deo. *Faltouo* igitur, sive, ut nos diceremus, *falthue*, significat *rapinam fecerit* sive *plagiaverit*.

( 6 ) *Audel fecto.* ) *Audel* est nostrum *adel*, quod ingenuum, nobilemque designat, ut supra Tit. XIV. leg. 1. jam monitum. *Fecto* vero corruptum est ex *felto* vel *falto*, de quo modo dictum, quemadmodum & Tit. XXII. leg. 1. *fectu* pro *fel tu* scriptum fuisse conjecimus. Vides inde *Audel falto* itidem interpretari verba Legis: *hominem ingenuum plagiaverit.*

( 7 ) *Fal. cham.* ) *Cham*, *ham*, *haim* & *heim* est domus, patria, ut notum, & supra Tit. XXXVI.

## Titulus XLII.

### *De servo qui de furto fuerit inculpatus.*

I. SI cujus servus in furtum fuerit inculpatus, si talis causa est unde Ingenuus DC. den. qui faciunt sol. XV. componere debeat, servus super scamno trusus (1) CXX. ictus accipiat; si vero antequam torqueatur fuerit confessus, & ei cum domino suo convenit, CXX. den. qui faciunt sol. III. dorsum suum redimat, dominus vero suus capitale restituat. Requirenti autem si major culpa fuerit, unde Ingenuus MCCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. solvere debeat, similiter servus CXXI. colaphos (2) accipiat. Et si in ipso supplicio confessus fuerit illi qui eum torquet, & ipse servum adhuc magis vult torquere etiam nolente domino, pignus domino servi dare debet, & sic servus ad supplicia majora (3) datur; & si confessus fuerit, nihil ei super dominum credatur, ipse vero illum servum habiturus, qui eum torsit, & dominus servi, qui jam pignus accepit, pretium pro servo recipiat.

II. Si vero infra priora supplicia, id est CXXI. colaphis, fuerit confessus, aut castretur (4), aut CCXL. denarios, qui faciunt sol. VI. reddat: dominus autem servi capitalem in loco restituat.

III. Requirenti vero si talis culpa est, unde homo ingenuus sive Francus VIIIM. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur, servus solidis XV. id est DC. den. componat. Si vero in majoribus criminibus servus inveniatur, unde Ingenuus MDCCC. denar. qui faciunt solid. XLV. possit judicari, & inter supplicia confessus fuerit, capitali sententia feriatur.

IV. Si autem servus de quolibet crimine inculpatus, dominus servi, si præsens est, ab eo qui repetit admoneatur, ut servum ad justa supplicia reddat. Et qui repetit virgas (5) habeat paratas, quæ in similitudinem

---

XXXVI. leg. 4. demonstratum est. Credo itaque hoc vocabulum superscriptum fuisse voci *patriam*. Prius *fal* forte huc ex Lege antecedenti translatum est, & rectius *falto* vel *faltouo* scribendum est. Nam & hæc lex de plagio agit.

(1) *Super scamno trusus.*) Infra: pro *super scamnum trudere* dicitur *in scamno extendere*. In Codice Guelferb. itidem legitur hoc posteriore loco: & *senum & scamnum præstet, ubi servum tendere debiat*. Apud nos *sene* est *nervus*; olim quam is *cordam* denotavit. Glossæ Mss. Florentinæ: *Arcus corda, senna*. Scamnum Germanis *banck*, Dan. *bonck*, Anglis *bench*, Anglo-Sax. *benc*, & *bænce*, Gallis *banc*, Italis *banco* dicitur. Olim *bac* sine *n* scriptum fuit. Glossæ Mss. Florentinæ: *Disco, babweiga*. Glossarium Rabani Mauri Ms. *Stagnum pab*. Ubi nota pro *stagnum* legi debere *scamnum*. Unde & nos phrasin illam *super scamnum extendere* reddimus *in den bock spannen*. Et *bock* nobis omne id vocatur, quod quatuor pedibus innixum aliquid sustinere & portare potest, a *bac*, sive *tergore* animalium desumta similitudine. Genus autem torturæ, quo reus in scamno extenditur, a Romanis Franci didicisse videntur. Romani machinam hanc *equuleum* vocarunt, & hinc Itali eandem *pulledrum*, Hispani vero *pulliedro* nominarunt a *poledrus*, quod pro pullo equino in Lege Salica usurpatum vidimus. Hac a voce nostrum *foltern*, torquere, deflexum est. Galli equuleum *gennam* dicunt, nomine a *scamnum* formato. In scamno autem sive equuleo, qui utrimque trochleas habebat, super quibus manuum pedumque vincula nervi sive cordæ tensæ decurrebant, reus aliquando suspendebatur manibus pedibusque alligatus, aliquando extendebantur, ita, ut artus omnes distenderentur. Machinæ figuram ex Antonii Gallonii tractatu de SS. Martyrum cruciatibus, pag. 41. ibidem extantem, addimus. Littera A notatus est reus, qui in scamno extenditur: & B alius in scamno suspensus. C est ipsum scamnum sive equuleus & D fascis virgas continens: E tandem *catasta*, cui impositus erat equuleus. Valerius Maximus lib. III. c. 3. *Rupit verbera, fidiculas laxavit, solvit eculeum, laminas extinxit*. Ubi nota præter verbera in equuleo extensis aliquando etiam ad majores cruciatus concitandos faces admotas & latera ungulis ferreis effossa. Quintilianus Declamatione ultima: *An tu quæstionem illam fuisse credis, qualis uernilibus corporibus adhibetur? ideo enim equuleos movebam artifex senex, tenebam fidiculas ratione sævitiæ, ut leviter sedibus suis remota compago per singulos artus membra laxaret. Consumtus est spiritus silentio sui, & verbera ignesque animum pariter vocemque clauserunt* &c. Alia in Declamationibus iisdem loca prætereo in Godofredi Jungermanni Notis ad H. Magii Libellum de Equuleo pag. 80. sq. videnda. Gregorius Turonensis Lib. VII. cap. 32. *Tunc Rex furore succensus jussit eos ad trochleas extendi & fortissime cædi, ut si vera essent, quæ dicerent, evidentius adprobarent: & si aliquid doli adhuc intra pectorum arcana retinerent, vis tormentorum extorqueret invitis*. Adde supra ex Gregorii Turon. lib. VI. c. 35. quæ produximus: Servilem vero proprie pœnam fuisse equuleum & verbera, multa veterum testimonia produnt. Lubet saltem Prudentii verba ex Hymno in Romanum producere. Jusserat Asclepiades judex ille impius Romani

*Eviscerandum corpus eculeo eminus*
*Pendere, & uncis ungulisque crescere.*
*Apparitores sed furenti suggerunt,*
*Illum vetusta nobilem prosapia,*
*Meritisque multis esse primum civium.*
*Jubet amoveri noxialem stipitem,*
*Plebeja clarum pœna ne damnet virum.*
*Tundatur, inquit, tergum crebris ictibus,*
*Plumboque cervix verberata extuberet.*
*Persona quævis competenter plectitur,*
*Magnique refert vilis, an sit nobilis:*
*Gradu reorum forma tormentis datur.*


(2) *Colaphos.*) Colaphus idem est ac *colpus*. Vide supra ad Tit. XX. leg. 7.

(3) *Ad supplicia majora.*) Observa, jam tempore antiquorum Francorum tormentorum varia genera in usu fuisse. Nisi *supplicia* de ictibus intelligere velis, uti in periodo sequente innui videtur. Maiorum autem suppliciorum exemplum in Mummoli Præfecti pœna apud Gregor. Turonens. Lib. VI. c. 35. vide.

(4) *Castretur.*) Castratio hic servilis pœna. Injungitur enim in Legibus Germanicis servis in adulterio & furto comprehensis, pæderastis, mulierum oppressoribus & proditoribus. Evolvas Cangium in voce *Castratio*.

(5) *Virgas.*) Vide Cangium sub voce *flagellatio*.

Tom. II. Pag. 80





nem minimi digiti groffitudinem (1) habeant; & fcamnum paratum habere debet & ibi fervum ipfum extendere debet. Si dominus fervi fupplicium detulerit *, & fervus præfens fuerit, continuo ipfe qui repetit, domino fervi folem collocet (2), & ad feptem noctes placitum concedat (3), ut fervum ad fupplicium tradat. Qui fi adhuc feptem noctibus impletis fervum tradere distulerit, folem ei, is qui petit, iterato collocet cum teftibus, & fic iterum ad alias feptem noctes placitum faciat, id eft, in XIIII. noctes a prima admonitione compleatur. Quod fi impletis XIIII. noctibus fervum noluerit ad fupplicium tradere, omnem caufam vel compofitionem dominus in fe recipiat, hoc eft, fi talis cauffa fuerit, unde Ingenuus DC. den. qui faciunt folid. XV. potuerit componere, ipfe dominus pro fervo reddat.

V. Quodfi adhuc major culpa fuerit, de qua fervus requiritur, & dominus fervi non ut fervus folvat, fed ut Ingenuus totam legem fuper fe foluturus excipiat.

VI. Quodfi vero fervus abfens fuerit, dominus fervi a repetentibus tertio admoneri debet, ut fervum fuum intra feptem noctes debeat præfentare; quodfi non fecerit, tunc repetens cum teftibus folem illi collocet, & fic ad alias VII. noctes placitum illi concedat. Si tunc fervum non præfentaverit, tunc repetens cum teftibus folem illi collocet tertia vice adhuc ad feptem noctes, ita ut totus numerus ad XXI. noctem perveniat: quodfi per tria hæc placita fervum noluerit ligatum fuppliciis dare, aut præfentare, & tamen per fingula placita ei folem collocaverit, tunc dominus fervi omnem repetitionem non qualem fervus, fed qualem Ingenuus, fi hoc admififfet, tandem compofitionem repetenti reftituat.

VII. Si vero ancilla in tale crimen inculpetur, unde fervus caftrari debeat, aut CCXL. ictus accipere flagellorum (4), ipfa totidem ictus accipiat, aut CCXL. denar. qui faciunt fol. VI. componat.

VIII. Si quis cum fervo alieno fine confilio domini fui negotiaverit, DC. den. qui faciunt fol. XV. culpabilis judicetur. Certe fi talis culpa eft, unde Ingenuus homo Francus VIIIM. denar. componere debet, fervus fol. XV. culpabilis judicetur.

TITULUS XLIV.
*De homicidiis Ingenuorum.*

I. SI quis Ingenuus Franco, aut Barbarum, aut hominem qui Salica lege vivit (5), occiderit, (MALB. *Leudi*) VIIIM. den. qui faciunt fol. CC. culpabilis judicetur.

II. Si vero eum in puteum (6) aut fub aquam

* Al. *Diftulerit.*

(1) *Groffitudinem.*) H. e. *craffitiem. Groffus* pro *craffus* barbarum eft a noftro *gros*, quod olim *groz* fcribebatur. Keronis Gloffæ: *Groffitudine, grozzii*. Gloffarium Ms. Lindenbrogianum: *Sorex, grozmus*, Sulpitius Severus Dial. I. de Virtut. Monach. Oriental. cap. 21. *Veftem refpuit groffiorem, indumentum molle defiderat.*

(2) *Solem collocet.*) Vide quæ fupra ad Tit. XL. dicta funt.

(3) *Placitum concedat.*) Hoc eft, terminum præfigat legitimum. Ita etiam infra Tit. XLVIII. leg. 1. ufurpatum. Et cum termini ifta conftitutio fecundum partis utriufque aut arbitrorum beneplacitum fieret, inde *placitum* vocata eft. Faciunt huc verba Tit. LIII. leg. 1. ubi dicitur: *in noctes XIIII. five XL. aut quomodo placitum fecerit* &c. Nec aliter Titulo L. accipitur, quam pro *termino judiciali conftituto*, communi partium confenfu, aut judicis fententia. Hoc fenfu in prologo Legis Salicæ editionis Pithœanæ dicitur: *Placuit atque convenit inter Francos & eorum proceres* &c. Eadem formula loquendi occurrit in Lege jocofa pacto Salico a fcriba lafciviente adfcripta, quam in crifi Diplomatis Ofnabrugenfis Carolini Germanica pag. 53. edidimus, & hic repetimus. Ea talis eft: *Incipit totas Malberg. in nomine Dei Patris omnipotentis fet, placuit voluntas Landobranno & Adono ut pactum Salicum de quod titulum non abit gratenter fuplicibus aput gratia Fredono una cum uxore fua & obtimatis eorum in ipfum pactum titulum unum cum divino adjutorio pertractare debirent, ut fi quis homo aut in cafa ut foris cafa plena botilia abere potuerint tam de eorum quam de aliorum in cuppa non mittant negutta. Se ullus hoc facire præfumferit (Malb. Leodardi) fol. XV. componat, & ipfa cuppa frangant fa tota, ad illo botiliario frangant lo cabo, at illo Scanciono tollant Lisp . . . Sic convinit obferbare apud Saccube bibant & intus fuppas faciant, cum Senior bibit duas vicis, fui Vafalli la tercia, bonum eft, ego qui fcribo meo nomine non hic fcripfi culp. judicitur.* Placitum autem five dies dicta ad aliquid agendum vel dijudicandum tribus plerumque diebus cuftodiebatur five obfervabatur. Exempla fupra ad Tit. XL. non parvo numero protulimus. Quibus adde hæc apud Gregorium Turonenf. lib. VII. cap. 23. extantia verba: *Injuriofus ad placitum in confpectu Regis Childeberti advenit, & per triduum ufque ad occafum folis obfervavit. Sed cum hi non veniffent, neque de caufa hac ab ullo interpellatus fuiffet, ad propria rediit.* Plura vide apud Cangium, & nota, interdum & *placiti* vocem per metonymiam antecedentis pro confequente fumi pro *judicio*, aut etiam *conventu publico*; quia ii ex placito procerum populique habebantur olim. Hinc & *placitare* pro *judicialiter agere*, & Gallicum inde *plaid* pro *judicio*, & *plaider* pro *advocatum cauffæ agere five cauffam coram judicio agere*, in ufum venit. A *placito* fimiliter defcendit Germanicum *platz*, quod de loco ad rem aliquam ibi peragendam ex beneplacito conftituto dicitur.

(4) *Flagellorum.*) Vide Cangium fub voce *Flagellatio*. Flagella hæc triplici loro conftitiffe ex Gregorii Turonenf. lib. VI. cap. 35. intelligimus.

(5) *Franco aut Barbarum, aut hominem qui Salica lege vivit.*) Leg. *Si quis ingenuus Francum aut Barbarum* &c. Ita impreffi & Mss. codices Legis ceteri habent. *Barbarorum* nomine Germanos reliquos veniffe medio ævo iis, qui Provinciali five Gallica lingua utebantur, fupra ad Tit. XVI. leg. 2. expofui.

(6) *Puteum.*) *Puteus* medii ævi auctoribus non

aquam miſerit, (MALB. *Wath leudi*) (1), XXIIIIM. denar. qui faciunt ſolid. DC, culpabilis judicetur.

III. Si quis hominem in puteum, aut in vipida (2) jactaverit, & vivus exinde evaſerit, ut ad caſam ſuam poſſit accedere, (MALB. *chalip ſub dupio*) (3), IIIIM. den. qui faciunt ſolid. C. culpabilis judicetur.

IV. Si vero eum qui in truſte dominica eſt, occiderit, (MALB. *Leudi*) XXIIIIM. denar. qui faciunt ſol. DC. culpabilis judicetur.

V. Si vero eum de hallis aut de rama (4)

super

---

non ſolum eſt locus defoſſus, ex quo hauritur aqua, ſed etiam quævis fovea vel lacuna, quæ aquam continet, vel aquam continere poteſt. Unde ex *puteo* nos fecimus *pfütze*, Belgæ *put*, Juliacenſes *pütze*. Ordinatio Politiæ Juliac. p. 29. *Da auf den Dörfern kein graben, poel oder pützen uorhanden*. Eadem ordinatio p. 47. *kein heimlich gemach, oder prophat ſoll nach der ſtraſſen und gemeinen platzen ausgeben noch uberhangen, ſonder wer keinen putz da zu machen will, ſoll die heimliche gemacher iuwendig auf ſeiner miſten oder platzen verordnen und ausgeben laſſen.*

(1) *Wath Leudi.*) Codex Guelferbytanus duabus vicibus habet: *matte leodi*. Jam ſcimus *leode* eſſe *compoſitionem*. *Matar* Hiſpanis, *matulha* Toloſanis, *mater* veteribus Provincialibus denotavit, *occidere*, *cædere*, *interficere*. Hinc primariarum chartarum nomen in ludo Hominis (*de l' hombre*) Hiſpanico *mata-mores*, quod a Comicis militem glorioſum tanquam *Maurorum occiſorem* in theatro ſiſtentibus deſumtum, ſignificat, *occide-Mauros*, Gall. *tue-mores*. Nos illud corrupte *matadores* enunciamus. Ab eodem verbo in aliis quoque chartarum ludis de integra ab adverſario victoria reportata dicimus *matſchen*, h. e. plane cædere, ſive penitus devincere. In ludo Schachico *Schachmat* idem eſt ac *Rex mortuus eſt*, *periit*, *cæſus eſt*. Unde evidens fit, etiam in Perſica lingua hoc verbum occurrere. *Math leudi* ergo vel *matte leodi* latine reddetur: *cædis compoſitio*. Sed quamvis ingenio non careat hæc expoſitio, re tamen curatius conſiderata, *wath* illud ad ſequens *leudi* non pertinere, ſed gloſſa vocis *aquam* in textu extantis eſſe videtur. Saxones aquam quidem *water*, & ſuperiores Germani *waſſer* vocant; ſed olim ea *wat* nominata fuit, uti ex Evangeliis Gothicis perſpicimus. Ibi enim Marc. I. 8. & Luc. III. 16. *ik daupga izwis in watin* eſt *ego baptizo vos in aqua*. Joh. VII. 38. *Ahwos watins libandins*; flumina aquæ vivæ. Marc. IX, 41. *Stikla watins*; calicem aquæ. Luc. VII, 44. *wato mis ni gaft*; aquam mihi non dediſti. Matth. VIII. 32. *Gadauthnodedun in watnam*; mortui ſunt in aquis. Anglo-Saxones habent *wæta*, humor, liquor, mador. Danis indito *n* aqua dicitur *vand*. A veteri *wat*, aqua, vulgus reliquum ſervat *waddeke*, quod *ſerum lactis*, proprie autem *aquulam*, denotat. Ubi ergo Codex Guelferbytanus hic *matte* habet, hoc in *watte* ſimiliter reſtituendum erit.

(2) *In puteum aut in vipida.*) Lex Salica Lindenbrogianæ editionis hic habet *in pelagus*. Wendelinus *gurgitem aquæ* hic intelligi putat, qualis Taxandris adhuc *wimpel* dicatur. Gurges in Megiſeri Dictionario Polyglotto Germanice redditur *waſſergumpen*, voce cum *wimpel* cognata. Veteres Friſii *gurgitem*, ſive *profundum aquæ* ſua dialecto *wapel* vocaſſe videntur. Simon Abbes Gabbema, Friſiæ Hiſtoricus, præfationem eruditam præfixit libro *Giſberti Japix* ſive *Jacobi filii*, *Friiſche Rimlerte* inſcripto, & Leovardæ 1681. edito. In ea meminit, Friſios habuiſſe quaſdam ſententias exteris pronunciatu difficiles admodum; has ſi quis prompte recitare requiſitus nequiverit, eum tanquam gentis inimicum conti uncino affixum, in aquæ gurgitem, donec mortuus fuerit, depreſſum fuiſſe: hanc pœnam dictam fuiſſe *waapel diepinga* vel *waapel dranck*. In Belgio etiam eam uſitatam fuiſſe docemur ex Conſuetudinibus Arkenſibus anni 1231. quas Cangius e Tabulario S. Bertini nactus citat ſub voce *Auſſoringe*. Verba hæc ſunt: *Quodſi armis molutis fuerit, tres libras & arma duo, & 10. ſolidos læſo, & impenſas in medicum: wapeldrinc, tres libras domino, & 20. ſolidos læſo: Auſſoringhe, tre libras domino & 20. ſolidos injuriam paſſo*. Hoc autem modo in Lege noſtra pro *vipida* legendum eſſet *vipila*. Veteres alias gurgitem *wake* dixere. Gloſſarium Rabani Mauri Ms. *Gurgitibus*, *wakim*. Idem alibi: *Freta*, *Uuagi*.

(3) *Chalip ſub dupio.*) Oedipo hic opus eſt, adeo corruptus eſt locus. Videant me acutiores, quid inde exſculpere poſſint. Hoc certum eſt, *dupio* exponi debere *vipidam*, gurgitem, vel abyſſum. Saxonibus enim *dupe* hoc ſenſu uſurpatum fuit. Vocabularium Sax. Ms. incerti authoris: *Abiſſus*, *dupe*. Engelhuſius in Vocabulario Sax. Ms. *Abyſſus*, *afgrunde*, *vel dupe*. Quid ſi legatur: *chalic ſeu dupio*; ut *ſeu* ſit latinum, & exprimantur ita voces *puteum aut vipida*. *Chalic* ita eſſet noſtrum *kolc* vel *kolck*, vortex, gurges, vertex, vorago. Propius ad ipſam vocem *chalip* accedit Polonorum *glebo*, *glebia*, *glab*, quod *voraginem* aut *profundum* deſignat, & facillimo negotio in *galeb* vel *chalip* tranſit.

(4) *De hallis aut de rama.*) Lex Salica Lindenbrog. adhibet idem verbum Tit. XLIII. leg. 3. *Si autem de ramis vel de hallis, aut de qualibet re eum cooperuerit*. Ibid. leg. 5. *Si vero in puteum aut ſub aquam miſerit aut de hallis aut de ramis eum cooperuerit*. Manuſcripti noſtri eodem modo vocabulum ſcribunt. Gloſſarium vetus a Lindenbrogio citatum hic addit: *Halis*, *ſiccis ramis*. Videtur autem Gloſſatori hoc in mentem veniſſe ex Lege Ripuariorum, ubi Tit. LXVII. c. 5. dicitur: *Si quis pro hereditate vel pro ingenuitate certare cœperit poſt malo ordine, cum ſex in Eccleſia conjuret, & cum duodecim ad ſtapulum Regis in circulo & in hasla, hoc eſt, in ramo, cum verborum contemplatione jurare ſtudeat*. Lindenbrogius & Baluzius putant hoc loco agi de judiciis, quæ fiunt ad quercum ſive in campo, & *haſla* ſignificaſſe Francis locum publicum apertum, ſed ramis tectum. Aſt errant. Pro *hasla* enim omni dubio procul hic loci ſcribendum eſt *halma*, quod nobis *ramum* denotat, & verba *in circulo & in hasla, hoc eſt in ramo jurare* idem ſignificant, ac *in circulo judiciali ſive in loco judicii ſolenni ac cum ramo*, per quem adramitio vel citatio facta eſt, *jurare*. Vide quæ de *adrhamitione* ſupra ad Tit. XL. leg. 1. dicta ſunt. Hoc tamen ſive *hala*, ſive *hasla* vel *halma* ad locum Legis Salicæ noſtrum applicari non poſſe perſuadeor ex Codicis Guelferbytani lectione, quæ pro *hallis* uno loco habet *collis* altera *clalis*. Verba ipſa ſunt: *Si vero eum in puteum aut in aqua miſerit, & eum aut de camiſia aut de collis, aut de quibus rebus, celaturus ſteterit* &c. Et inferius: *Si vero eos in aqua, aut in puteum miſerit, aut de*

*ram-*

ſuper operuerit * (1), ſimiliter LXXIIM. den. qui faciunr ſolid. MDCCC. culpabilis judicetur.

VI. Si Romanus homo conviva Regis (2) occiſus fuerit, (MALB. *Leudi*) XIIM. den. qui faciunt ſolidos CCC. componatur.

VII. Si quis Romanus tributarium occiderit, MDCCC. den. qui faciunt ſolid. XLV. culpabilis judicetur.

VIII. Si quis hominem ingenuum invenerit in quadrivio, aut in via, ſine manibus aut pedibus inimici ſui vi detruncatus, & eum vita privat, aut occiderit, (MALB. *Frio fald* ** (3) (4), IIIIM. den. qui faciunt ſolid. C. culpabilis judicetur.

IX. Si quis hominem ingenuum de barco (5) abbatiderit (6) ſine voluntate, MDCCC. denar. qui faciunt ſol. XLV. culpabilis judicetur.

X. Si quis caput de homine, quod inimici ſui in palum (7) miſerunt, ſine voluntate alterius depoſuerit, (MALB. *Rabanal*) (8), DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.

XI. Si quis hominem in puteum jactaverit, & is eundo vivus evadit, IIIIM. den. qui

* Al. *Math Leud Muſter.* ** Al. *Unasbugo.*

*rammis, aut de clalis ſuper cooperuerit* &c. Hoc ..llis & *clalis* mea quidem ſententia detortum eſt a ſcriba rudiori ex *callus*, voce hac iterum ex *calculus* contracta. Et habuerunt inde ſine dubio Provinciales olim vocem *caille* pro *ſilice*, ſive *calculo*, unde noſtri Galli ſuum *caillou*, eandem rem ſignificantem formarunt. Ex *caille* præterea apud eoſdem Gallos *caie*, atque apud Belgas *kaie* & *keye*, contractum fuiſſe videtur, quod jam *ſyrtes* & *tumulum marinum aggeſta arena, calculiſque conſtantem* (*eine ſandbanck*) deſignat. Nec dubito, quin cum illo *caie* ſive *keye* unius originis ſit Belgicum *key* vel *keyſteen*, Saxonum *keſerſtein* vel *keſerling*, & Teutonicum *kies* & *kieſelſtein*, ſilex ſive calculus. Veteres Franci pro *callis* facile potuerunt ſcribere *hallis*, more, quo *h* ipſis & ceteris Germanis frequentiſſime pro *ch* vel etiam *k* ponebatur. Sic ex *collo* fecimus *hals*, ex *corde*, *hertz* &c. Secundum dicta vero, Legis noſtræ ſenſus eſt: *Si quis occiſum calculis aut ramentis operuerit:* Nulla enim re commodius in via occiſus occuli poteſt, quam calculis aut ramentis. Ubivis enim, ubi unum non adeſt, alterum certe ſuppetit. Ex voce vero *ramenta* vocabulum *ramma* & *rama*, fœminei generis, Barbari fabricarunt. Eodem ſenſu hac voce uſa eſt Lex Ripuar. Tit. XV. Conſuetudinem de cetero ramis corpora occiſorum operiundi adhuc in Pomerania uſitatam eſſe, ipſi vidimus, cum e Pruſſia venientes Gollenbergum montem tranſiremus. Prope viam enim magnus utrimque cumulorum ex ramis & baculis congeſtorum numerus erat, quos aurigæ, tumulos ibi occiſorum eſſe, affirmabant, atque unicuique ramum vel bacillum, qui primus obveniebat, adjiciebant, infauſtum, ſi officium hoc demortuis denegarent, iter fore ſuperſtitioſe credentes. Hunc autem morem ex Gentiliſmo ipſos adhuc retinuiſſe indicio eſt locus in Andreæ Abbatis Bambergenſis Vita S. Ottonis lib. II. cap. 12. extans, ubi dicitur S. Ottonem noviter ad fidem Chriſti converſis Pomeranis interdixiſſe, *ne ſepeliant mortuos Chriſtianos inter paganos in ſylvis aut in campis, ſed in cimiteriis, ſicut mos eſt omnium Chriſtianorum, ne fuſtes ad ſepulchra eorum ponant; omnem ritum & pravitatem paganam abjiciant; domos Idolorum non conſtruant &c.*

(1) In calce, *Math leud muſter.*) Quid *math*, ſibi velit, paullo ante diximus. Huc ea vox forte per errorem tranſlata. Pro *muſter* ſcribendum *murter*, quo *homicidium clandeſtinum*, ſed *meditatum* indicatur, ut vidimus Tit. XVI. *Leud murther* ergo eſt *homicidii compoſitio*.

(2) *Conviva Regis.*) H. e. ex familia vel e domo regia, domeſticus Regis. Videantur de honore menſæ Regiæ Bignonius ad hunc Legis locum, Jacobus Gotofredus ad Lib. I. Cod. Theodoſ. de Comitibus & Tribun. Scholarum, & Cangius ſub voce *Conviva*.

(3) *Friofald.*) Francicum *Frio* eſt noſtrum *frey*, liber, non coactus; & *fald*, nobis *feld*, campus. Nos *das freye feld* pari modo vocamus campum undique patentem, liberum, non clauſum, qui hic latine *quadrivium* nominatur; quia in eo ad omnes quatuor mundi plagas refugium patet. Paullus Warnefridus de Geſtis Longobard. lib. I. cap. 20. *Habitaverunt in campis patentibus, qui ſermone barbarico feld appellantur.* Anglo-Saxones ita *fæld* habuerunt. Benſonius in vocabulario Anglo-Saxonico: *fæld-ælbynne, hamadryades*.

(4) In calce, *Unasbugo.*) Cum in uno exemplo *friofald* invenerit Heroldus, in alio ſcriptum vidit *unasbugo*. Quid hoc ſit, dictu quidem difficile primo intuitu videtur; putamus tamen legi & poſſe & debere *ana wego*. *Ana* in Evangeliis Gothicis pluries pro *in* uſurpatur; ex. gr. Marc. VI. 56. *ana gagga*, in plateis. *Wego* in Evangeliis Gothicis *wegs* eſt idem ac noſtrum *weg*, via, iter. Ita *ana wego* exprimet illa Legis verba: *in via*.

(5) *Barco.*) Quid *barcus* ſit, infra Tit. LXIX. leg. 3. exponitur, cum dicitur: *Si quis hominem de bargo vel de furca ... dimiſerit.* Furca autem idem eſt ac *patibulum*. Uti vero *barca*, navigii genus, a *bören*, ferre, portare, dictum eſt, quod oneribus vehendis aptior ſit, ita *patibulum* ab eodem fonte *barcum* vocatum puto, quod facinoroſos ſuſpenſos ſuſtineat & portet. Eodem plane modo *furca* dicta eſt a *ferendo*. A *branche* enim, ſive ramo arboris illud cum ceteris deducere non liber; licet Gloſſæ Pithœanæ idem *de barco* exponant, *de ramo*. Parum enim Gloſſis his in expoſitione Legis Salicæ tribuendum eſſe vidimus dudum. Pro patibulo *barcus* occurrit quoque in Audoeni Vita S. Eligii lib. II. cap. 31. *Hoc apud Regem obtinuerat, ut omnia humana corpora, quæ vel Regis ſeveritate, vel judicum cenſura ... perimebantur ſive per civitates, ſive per villas, licentiam haberet & de bargis & ex rotis & de laqueis ſepelire.*

(6) *Abbatiderit.*) *Batuere, batere*, & Gallice *battre*, eſt ferire, percutere: hinc *abbatere* aut *abbatidere* eſt *percutiendo dejicere, feriendo amovere*.

(7) *In palum.*) Palo capita facinoroſorum imponere, antiquus ritus; ut ſcilicet clarius in oculos incurrant ſcelera commiſſa, & pœnæ iis decretæ.

(8) *Rabanal.*) *Rauben* nobis adhuc eſt rapere, ſpoliare. Inde *raba* eſſet *rapuerit*. *Nal* denotabat veteribus *caput*. Gloſſarium Theotiſc. Florentinum Ms. *Sinciput, nal*. Quamquam & *rabahal* legi poſſet, ut redderetur verbum *depoſuerit*. Nos enim dicimus *rabhohlen*, pro *herrabhohlen*; & hoc nobis eſt *ex alto depromere, deponere*.

qui faciunt solid. C. culpabilis judicetur.

XII. Si vero in puteo mortuus fuerit, (MALB. *Musthest*) (1), XXIIIIM. den. qui faciunt sol. DC. culpabilis judicetur.

XIII. Simili modo qui in pelagus (2) hominem impinxerit, & exinde evaserit, (MALB. *Piomarina*) (3), IIIIM. den. qui faciunt solid. C. culpabilis judicetur.

XIV. Si quis puellam ingenuam occiderit, (MALB. *Nuchala*) (4), VIIIM. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur.

XV. Si quis Romanus homo possessor (5), id est, qui res in pago ubi remanet proprias possidet, occisus fuerit, is qui eum occidisse convincitur, IIIIM. den. qui faciunt solid. C. (6) culpabilis judicetur.

XVI. Si quis hominem ingenuum quemlibet, socium suum de quolibet crimine accusaverit, & per ejus commotionem sive mendacium, ille, qui accusatus est, occisus fuerit; si ei adprobatum fuerit, medietate leodis ejus componat. Ille vero qui eum occiderit, secundum legem pleniter eum componat.

TITULUS XLV.
*De homicidiis a contubernio factis.*

I. SI quis collecto contubernio, hominem Ingenuum, in domo sua adsallierit, & ibidem eum occiderit, (MALB. *Chamestalia*) (7), XXIIIIM. den. qui faciunt sol. DC. culpabilis judicetur.

II. Si vero in truste dominica ille qui occisus est fuerat, LXXIIM. den. qui faciunt sol. M.DCCC. culpabilis judicetur.

III. Quod si corpus occisi hominis tres plagas vel amplius habuerit, tres qui inculpantur, & quod in eo contubernio fuerint probantur, legem superius comprehensam singillatim cogantur exsolvere: alii vero tres de eodem contubernio * (8), IIIMDC. denar. qui faciunt solid. XC. unusquisque eorum culpabilis judicetur: & tres adhuc in tertio loco de eodem contubernio ** (9), MDCCC.

* Herold in margine. MALB. *druche lennici*.

** Herold, in marg. MALB. *seolastasia*.

(1 *Musthest*.) Leg. *mustboer*, quod supra exposuimus.

(2) *Pelagus*. Hæc vox communiter pro *mari*, apud Cangium vero pro *quavis aqua*, etiam *fluviatili*, occurrit. Wendelinus in hoc Legis Salicæ loco non *mare*, sed *lacum* vel *lacunam* indicari putat; cujus nomen apud Belgas *poel*, apud Saxones *paul*, atque apud superiores Germanos *pful*, Latinis per vocem *pelagus* expressum est. Alio vero nomine nobis *Mar*, Belgis *maer*, Anglis *moar*, AS. *mere*, lacus, palus; & *morast*, Gall. *marais*, locus palustris dicitur. Hinc *Morini* a Cæsare vocati, qui ad littum Britannicum paludosa inhabitarunt loca. Galli eodem sensu *more* usurpant. Guilielmus Gemeticensis lib. II. c. 20. Hist. Norm. *sedens super lacum, quem usu quotidiano loquentes maram vocamus*. Guil. Brito Philipp. I.

. . . . *maras potare lutosas*.

In libro Jobi pro *mara* ponitur *mare*, ubi cap. XIV. 9. scriptum est: *Quomodo si recedant aquæ de mari?* Teutonista: *maer, eyn stil water, lacus*.

(3) *Pio marina*.) *Pio* non differt a *bi*, quod plures significationes admittit, & in Evangeliis Gothicis etiam loco Latinorum *in* usurpatur aliquoties, & a Saxonibus adhuc *by*, a superioribus vero Germanis *bey* effertur. *Marina* mihi videtur pluralis numerus a nomine modo explicato *mar*, *mær*, adeo ut *pimarina* exponi debeat, *in lacum* sive *in pelagus*, ut Legis verba habent.

(4) *Nuchala*.) Omni dubitatione remota, restituendum est *anthala*, quod nobis est *edele*, & *ingenuam* vel *nobilem* puellam denotat. Vide supra ad Tit. XLII. leg. 4. & Tit. XIV. leg. 1. annotata.

(5) *Possessor*.) Proprietarius, qui possessiones sive prædia habet, atque ita a colono distinguitur. Hoc modo in Cod. Theodos. & apud Cassiodorum, *Honoratis possessoribus & curialibus*, invenitur. Gregorius Turonens. lib. V. cap. 28. *Chilpericus vero Rex descriptiones novas & graves in omni regno suo fieri jussit. Qua de causa multi relinquentes civitates illas, vel possessiones proprias, alia regna petierunt, satius ducentes alibi peregrinari, quam tali periculo subjacere. Statutum enim fuerat, ut possessor de propria terra unam amphoram vini . . .* redderet &c. Vide porro Bignonium ad Leg. Sal. Tit. XXXVI. leg. 4. & Cangium in voce *Possessor*.

(6) Alias, *Solid. V.*) Correctum, *Solid. C*

(7) *Chamestalia*.) Supra ad Tit. XXXVI. leg. 4. ostendimus *cham* esse *domum*, & *stala* ibidem denotare *furaverit*. Formula certe Confessionis vetus in Monumentis Catecheticis nostris cap. VIII. habet: *Uuanda ih sundic bim . . . ioh in huare, ioh in stalu, ioh in bisprachidu*; quod peccaverim & in fornicatione, & in furtis, & in detractionibus. Sed hic alio paullisper sensu adhibitum est, & videtur *chamestalia* designare *adsalitionem domi factam*. Nisi legendum sit *chamestoda*, ut reddantur verba *domi occiderit*; id quod vero simillimum crederem, nisi Codex Guelferbytanus *bistolio* legeret, quod clare admodum reddit *bestehle* nostrum, hoc est, *adsalierit*. *Bestehlen* itaque est proprie *adsalire*; & deinde pro *furari* in usum venit.

(8) In calce, *Druche lennici*.) Sermo Legis est de tribus de contubernio, qui debeant mortem occisi componere. De eadem materia agit Tituli sequentis lex tertia, ubi legitur: *Druchte lidio*, hoc est, *& tres . . . mortis illius compositionem componant*. Codex Guelferbytanus scribit: *drucli flido*. Unde & hic pro *lennici* restituendum videtur *lidio* vel *lido*. A *legen* enim, ponere, descendit frequentativum *legden*, & *g* in *i* mutato *leiden*, Sax. *liden*, quod proprie est *componere*, *luere*, scil. crimen, peccatum, malefactum, & deinde *pati*. Veteres & Saxones illud *liden* efferunt. Hinc *lidung*, &, Provinciali terminatione, *lidio* erit *compositio*, *luitio*. Ex *druchte* vel *drubte*, ut in nostro loco legendum omnino est, si *u* Gallico more enuncies, prodibit sponte nostrum *drutte*, vel, ut scribimus communiter, *dritte*, ternus. Hinc *druthe lidio* idem est ac, uti Titulo sequenti etiam exponitur, *terna* vel *trium compositio*. Ut tamen *druche lennici* hic eo minus immutetur, legi etiam potest: *druche ten lidi*; quod esset: *tres illum* (sc. occisum) *componant*.

(9) In calce, *Seolastasia*.) Tituli sequentis lege prima legitur: *Seolaude esthadio*, quod unam cum præsenti locutione rem denotare videtur. Utrobique enim de homin[illegible]

MDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. singuli eorum cogantur exsolvere. Si vero Romanus vel Lidus in tali contubernio occisus fuerit, hujus compositionis medietas solvatur.

IV. Si quis contubernio facto villas alienas cum tribus effregerit, (MALB. *Alatfaltheo*) (1), IIIMCXX. denar. qui faciunt sol. LXXVIII. culpabilis judicetur.

### TITULUS XLVI.

*De homicidiis in convivio factis.*

I. SI in convivio, ubi quatuor aut quinque fuerint homines, unus ex ipsis interfectus fuerit * (2), ille qui remanet (3), aut unum convictum reddant, aut omnes mortis illius compositionem collectent ** (4), quæ lex usque ad septem, qui fuerint in convivio illo, convenit observare.

II. Si vero in illo convivio plus quam septem (5) fuerint, non omnes teneantur obnoxii, sed quibus fuerit imputatum, illi secundum legem componant.

III. Si quis foris casa, sive iter agens, sive in agro positus, a contubernio fuerit occisus, & tres vel amplius habuerit (6), (MALB. *Druchte lidio*) (7), hoc est, & tres de eodem contubernio convicti fuerint, singillatim mortis illius compositionem componant, & tres alii de ipso contubernio MCC. den. qui faciunt solid. XXX. unusquisque illorum culpabilis judicetur. Et tres alii adhuc de ipso contubernio, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

### TITULUS XLVII.

*De Re-ipus* (8).

I. SI, ut fieri adsolet, homo moriens, viduam dimiserit, & eam quis in con-



* Herold. in marg. MALB. *Seo laude esthadio*.

** Al. *Conjectent*.

præsentibus pluribus occiso, & quomodo cædes sit componenda, agitur. Princeps sententia est, *interfectorem tradi*, aut mortem ab omnibus, qui præsentes fuerant, componi debere. Unde Titulo sequenti pro illo *seo laude esthadio* lego: *seolanden thadio*, quod erit: *tradant* vel *reddant convictum*, quæ ipsa in Lege extant verba. *Thadio* est nostrum *thæter*, qui fecit, vel commisit crimen, convictus de crimine, a *that*, factum, derivatum. *Seolan*, *selan*, sive *sellen* idem esse ac *tradere* vel *reddere* supra ad Tit. XXXI. leg. 1. demonstravimus. In præsenti igitur loco pro *Seola stasia* pariter restitui debet *seolan tadia*, quod item erit, *tradant interfectorem*, aut scilicet componant eo modo, quem Lex præscribit.

(1) *Alatfaltheo.*) Leg. *anatfalcheo* quod est nostrum *anfallung*, assultus, invasio violenta. Vide quæ hac de voce monuimus supra ad Tit. XVI. leg. 4.

(2) In calce, *Seo laude esthadio.*) Lege, ut modo ostendimus: *seolanden thadio*; quod est, *reddant convictum*.

(3) *Ille qui remanet*) hoc est, *illi, qui remanent*.

(4) *Collectent.*) Melius est in editione Lindenbrog. *conjectent*. Vid. ibi in notis nostris.

(5) *Plusquam septem.*) Ausonius in Ephemeri.

*. . . sex enim convivium*
*Cum Rege justum; si super, convicium est.*

ubi Rex convivii intelligitur, ut sint septem. Capitolinus in Vero: *Septem convivium, novem vero convicium*. Similia loca plura videas apud Bignonium in notis ad hunc locum, qui addit Legem nostram summæ æquitatis esse; ubi enim plusquam septem sint, turbam videri potius, quam convivium: & inhumanum fuisse, ab uno in turba commissum ceteros luere. Quoniam autem, si usque ad septem in convivio essent, omnes mortis ibi illatæ compositionem collectare sive solvere debebant secundum legem antecedentem, proverbium invaluit: *sieben ist ein galgen voll*; quod verbotenus quidem significat: *septem patibulum implent*; sed proprie tamen denotat, *septem facere convivium, & totidem etiam in compositionem homicidii in convivio facti condemnari*.

(6) *Et tres vel amplius habuerit.*) Emenda ex Codice Guelferbytano, *& tres vel amplius habuerit plagas*.

(7) *Druchte lidio.*) *Terna compositio*, sive *quæ fit a tribus*. Vide quæ ad Titulum præcedentem diximus.

(8) *De Reipus.*) In Legibus huius Tituli 2. & 3. scribitur *reiphus* & *reiphe*. In Codice Guelferbytano Latine *reibus*, alias vero *reipe*, & in alio Codice ejusdem loci *reippus* effertur. Glossæ ad Tit. Legis Salicæ edit. Lindenbrog. XLVI. dicunt, esse *pretium emptionis viduæ matrimonii causa*. Emebatur enim olim uxor *solido & denario*, ut ex contractu quasi emptionis transiret in potestatem mariti, quæ verba sunt Wendelini. Vetus Formula apud Bignonium p. 219. *Ego in Dei nomine ille, dulcissimæ conjugi illi, dum ego te per solidum & denarium secundum Legem Salicam visus fui sponsare*. Videantur etiam apud Lindenbrogium Form. LXXV. LXXVI. & seq. Fredegarius de nuptiis Chlodovei & Chrotechildis cap. XVIII. agens: *Legatos*, inquit, *ad Gundobadum dirigit petens, ut Chrotechildem neptem suam ei in conjugium sociandam traderet. Quod ille denegare metuens & sperans amicitiam cum Chlodoveo inire, eam se daturum spondit. Legati offerentes solidum & denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei sponsant*. Lex Burgundionum Tit. XII. *Sexies puellæ pretium raptor exsolvat.* & Tit. XXXIV. *Si quis uxorem suam sine causa dimiserit, inferat ei alterum tantum, quantum pro pretio ipsius dederat*. Apud Saxones cariores erant puellæ. Lex enim Saxonum Tit. VI. cap. 1. dicit: *Uxorem ducturus, trecentos solidos det parentibus ejus*. De puellæ vero pretio, quod mireris, Lex Salica nihil habet; de viduæ autem redemptione fusius agit. Mortuo igitur marito vidua cum suis bonis redibat in potestatem parentum & cognatorum, aut denique affinium; id quod ex Tituli nostri lege 3. concludere licet. Ab his igitur denuo erat emenda, si quis eam in uxorem ducere vellet. Et jam non simplici pretio veniebat, sed quia tanto majore cum substantia transitura erat in domum secundi mariti, pretium etiam crescebat, & *tres* pro illa *solidi & denarius* solvendi erant, ut lex nostra innuit. Hoc pretium vocabatur vocabulo semi-Francico *reiphe*, à particula Latina

conjugium voluerit accipere, antequam eam accipiat Tunginus (1) aut Centenarius (2) Mal-

tina & Provinciali *re*, iterum, denuo, & Francica voce *iphe* ſive *eſa* vel *eve*, *eva*, *euva*, quæ, ut ſupra ad Tit. XIX. leg. 1. & Tit. XXXI. leg. 2. & 4. demonſtratum eſt, *legem*, & deinde *matrimonium* notat. Idem adhuc Friſonibus *æf* ſignificat; & *æfsweert* iiſdem dicitur *gladius nuptialis* diſtrictus, ſub quo nova nupta ingreditur limen mariti, quoque admonetur caſtitatis conjugalis vindicandæ. *Reiphe* ſive *reeſe* ergo deſignat *iteratum matrimonium* viduæ: & aſſentior omnino Wendelino, qui apud Taxandros ſuos idem nomen & rem aliquatenus ſuperſtitem invenit. Nam qui viduam ibi ducit, perſolvit *reuwninck* ſive *reiphalem nummum* iis, de quorum corpore fuit prior maritus; fabris, ſi faber; piſtoribus, ſi piſtor; aratoribus, ſi arator: eſtque id pretium ſtatutum perquam modeſtum, quod cedit in eſculenta & poculenta. Diſtinguenda vero hæc *eſa* & *reiphe* cognatis danda, a *morgengaba*, qua ſponſus ſponſam donabat, licet Wendelinus utramque rem confundat.

(1, *Tunginus*.) Infra Tit. LIII. leg. 2. *Tunzinus* vocatur. Si *u* in hac voce Gallico more enuncies, habebis *Tinginum*. Jam *Tinc*, *Thinx* & *ding* eſt judicium, placitum, concilium. Vid. Adamum Bremenſem c. 229. Gloſſæ antiquæ: *Placitum, plait vel gedinge*. In Lege Longobard. ſæpiſſime *thingare*, pro *offerre aliquid judicialiter*, *donare*, aut *libertatem conferre in judicio*, vel *liberum judicare* uſurpatur. In Fœdere Ludovici & Caroli *plaid*, Germanice redditur *thing*. Statuta Goslarienſia ab Illuſtri Leibnitio edita *ding* pariter judicium; *dingbanck* locum judicialem, & *dingIude* aſſeſſores judicis vocant, eademque vocabula in mille aliis locis Legum Germanicarum occurrunt. Alia exempla ſuppeditabit Palthenius in Not. ad Tatiani Harmoniam pag. 354. *Tinginus* hinc videretur eſſe idem ac *vir judicialis*, aut *judex* in genere, quæ opinio quoque Brummeri fuit. Sed quando in Gloſſario Ms. Florentino invenio *Centenarium*, *hunno*, *Decanum* vero *tincman* vocari: inde perſuadeor, ex hoc *tincman* formatum eſſe nomen *tingini*, *Tungini*, vel *tunzini*, & proprie ſignificare *Decanum*. Hujus officium explicat Walafridus Strabo lib. de Reb. Eccl. c. ult. *Decuriones*, inquiens, *vel Decani, qui ſub vicariis* (pagorum) *quædam minora exercent, minoribus Presbyteris titulorum poſſunt comparari*. Hincmarus Epiſt. 4. *Comites & Vicarii vel etiam Decani plurima placita conſtituant*. Origo vocis a *tehun* ſupra tit. II. leg. 5. memorato, quod ibidem leg. 8. *tia* etiam ſcribitur & *decem* ſignificat. Hinc *Tebing*, *Ting*, *Tinginus*, *Tincman* verbotenus eſt *Decanus*. Gloſſæ veteres *Tungini* vocem nimis late ſumunt, dum per *judicem, qui poſt comitem eſt*, definiunt. Errant quoque, qui a *tonge*, *zunge*, lingua, deducunt, nec minus qui a *degn*, miniſter derivant. Neque quicquam commune habet vox noſtra cum *tungravio*, quomodo apud Anglo-Saxones *præfectus villæ* vocabatur.

(2) *Centenarius*.) Cum ſatis ſuperque expoſuerit Cangius Centenarii officium & dignitatem, ego hic ſileo, & tantum, quæ Wendelinus ad locum noſtrum commentatus eſt, adduco. *Centenarius*, inquit, *dictus eſt a numero centenario, unde & Centenariones legere eſt. Lindenbrogius ſic explicat: Quælibet provincia in comitatus diviſa; Comitatus in centenas; Centenæ in Decurias: indeque Comites, centenarii, Decani vocati. Apud Romanos quidem Comites fuerunt, & Centuriones, & Decani, tum vero etiam Centumvirale judicium, & Decuriones civitatum. An ergo ab illis, quod imitarentur, mutuati ſint Franci noſtri, dubitari poteſt. Angli ſervant hodieque ſuas Hundredas, quaſi dicas Centenatus; & Tcecttingas, ſive Tithingas, Decanatus. Decuriæ quoque in Septenas & Quintanas diviſæ leguntur; quæ in Conſuetudinibus Bituricenſibus & Andegavenſibus Septaines & Quintes appellantur: inde ergo Septenarii & Quintenarii. Gloſſarium vetus*: Centenarii de re minima judicant, ſcilicet Minores judices, Miniſtri Comitum. *Walafridus Strabo*: Centenarii, qui & Centenariones, vel Vicarii, qui per pagos ſtatuti ſunt, Presbyteris plebium, qui Baptiſmales Eccleſias tenent, & minoribus Presbyteris præſunt, conferri queunt: *ut nimirum Comes ſit Judex totius Pagi, ſicut Epiſcopus eſt Princeps totius ſui Epiſcopatus; Centenarius jus dicat ſeu Vico, ſeu Oppido tantum. Jam erat hic ordo conſtitutus ævo Taciti, eidemque commemoratur*: Eliguntur in Conciliis (*Germanorum*) & Principes, qui jura per Pagos Vicoſque reddant: Centeni ſingulis ex plebe Comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt. *Hoc eſt (inquit Lipſius ad hunc locum) quod in Lege Alamannorum priſca lego Tit. XXXVI*. Conventus ſecundum antiquam conſuetudinem fiat in omni Centena coram Comite, aut ſuo Miſſo, & coram Centenario. *Et quidem coram Comite cauſſæ omnes, tam majores quam minores, cognoſcebantur, ac judicabantur; coram Centenariis non niſi minores dirimebantur. Itaque in Capitularibus Caroli Magni & Ludovici Imp. Lib. III. cap. LXXIX. decernitur*; Ut nullus homo in Placito Centenarii neque ad mortem, neque ad libertatem ſuam amittendam, vel ad res reddendas, vel mancipia judicetur; ſed iſta in præſentia Comitis, vel Miſſorum noſtrorum, judicentur. *Rurſum lib. IV. cap. XXVI*. Omnis controverſia coram Centenario definiri poteſt; excepta redditione terrarum, vel mancipiorum, quæ non niſi coram Comite fieri poteſt. *Sic ergo liquet, Centenarios fuiſſe judices Vicorum vel Oppidorum, ac plane (quos nunc habemus) Toparchas; ſive ut Xenophon apud Armenios nominat, κωμάρχας in Pædia Cyri Minoris; ſupra hos fuiſſe Comites, qui quoties ad illam vel illam [illegible] erant venturi, ac de rebus gravioribus jus dicturi, per Centenarium jubebant indici Mallum; in quo reſidentes ipſi lites dirimebant, adhibitis in concilium Centenariis: quod noſtræ Salicæ Leges teſtantur Tit. XLVII*. Tunginus aut Centenarius Mallum indicent; & in ipſo Mallo ſcutum habere debet. *De quo more vide infra* Scutum. *Ceterum, ſicut ipſi Comites, ita & hi Centenarii eligebantur a populo, ſicut & Reges ipſi; quemadmodum antea ex Tacito audivimus: atque ab eodem populo ſuppeditabatur illis unde ſe exhiberent*. Hæc Wendelinus. Nos notamus ſaltem ex Chronico veteri Anglico, Alfredum Regem Angliam primum in *hundredas* & *Tethingas* ſive *Centenas* & *Decanias* diviſiſſe, Francorum ſcilicet more. Quæ diviſio apud Anglos, Danos & Suecos adhuc ſuperat, licet aucta hominum multitudine & dilato cultu Centena una plures peperit, & hodie incolarum numero diſtrictus illi non ſint æquales. *Centenarius* de cetero in Gloſſario Florentino cum nominetur Germanice *Hunno*, quod forte *hundaro* legendum eſt, ab *hunt* vel uſitatiore *hundert*, centum, deſcendente nomine; hinc Schilterus in Praxi Juris Rom. in Foro Germ. T. I. p. 195. putat, errare eos, qui *zentgravios* unos eoſdemque exiſtimant cum *centenariis*

Mallum indicent, & in ipſo Mallo ſcutum habere debet (1), & tres homines, vel



*riis* veterum Francorum, (quod faciunt Stumpſius, Vadianus, Althamnerus, Pithœus, Knichenius, Wendelinus & plures alii) cum potius fuerint *Decani*, a *zehn*, decem, ſive *centena*, non Romana, ſed Germanica dicti. Et ipſe video prius illud Schilteri aſſertum, quod ſcil. *Centgrafii* non ſint orti ex *Centenariis*, eſſe veriſſimum. *Zente* enim aut *Zentgericht*, hodie in Franconia & Palatinatu eſt judicium capitale, juriſdictio criminalis, merum imperium, *das hohe und halsgerichte*. Videantur Brummerus de Scabinis cap. 4. §. 10. Beſoldus in Theſauro practico, in voce *Centbarliche Obrigkeit*; Wehnerus in voce *Zent*; Knipſchildius de jure Civ. lib. II. c. 6. Knichen de jure ſuperior. cap. 4. & Schottelius de antiquis in Germania juribus cap. 7. In Georgii Ep. Bambergenſis Conſtitutione criminali ſemper pro *judicio ſummo criminali* ponitur, ex. gr. §. 78. dicitur: *An welchen andern unſern zenten oder halsgerichten*; & §. 232. *So dann das halsgericht oder zent beſetzt iſt, ſo mögen die klæger* &c. Apud Stumpſium in Chron. Helvet. lib. II. c. 5. *Zente* tanquam ſynonymum *judicii provincialis*, *des landgerichts* adhibetur. *Zentgrafius* hinc erit *judex*, *qui de vita & morte judicat*. Hoc vero *Centenarii* non potuerunt. Expreſſis enim verbis Leges veteres poteſtatem de vita hominis judicandi ipſis adimunt in locis paullo ante prolatis. Plura huc pertinentia congerit Sagittarius lib. IV. Hiſt. Ducatus Thuring. cap. VI. §. 12. Sed Schilterus hæc ſciens, debuiſſet ſimul meminiſſe, quod Centenariis non licuerit hoc idem, multo minus in Decanorum poteſtate fuiſſe, atque ita *zentgrafios* minime omnium a *decade*, Germanicum nomen trahere potuiſſe. Ut dicam, quid ſentiam, puto, *zentgerichte* dictum eſſe a *zent*, quod vocabulum a veteri *zamen*, aut *ſamen*, congregare, derivatum denotat *congregationem*, & idem eſſe cum *ſamte* aut *ſente*, quod de animalium gregibus ſupra ad Tit. II. leg. 11. uſurpatum vidimus. Hinc in Gloſſario Rabani Mauri Ms. *Comites*, ſive in unum coadunati *gaſinda* vocantur, & *zana* in Lege Longobardorum lib. 1. Tit. XVIII. §. 2. *adunatio* dicitur, quæ nobis jam *zunft* audit. Notum autem eſt medii ævi Rimatoribus, Comitem majores cauſſas, & quidem criminales in Mallo ſolenni, ſive *populi univerſi congregatione*, quam nos *das landgerichte* dicimus, dijudicaſſe, & merum ſui domini imperium exercuiſſe. Hinc quicquid terræ Comitis poteſtati judiciariæ ſuberat, atque in publicis ejus Congregationibus ſive Conciliis Provincialibus coram eo comparere debebat, hoc omne *die zent*, & ſubditi in illa regione *die zentuntertbanen* etiam proximioribus nobis temporibus vocabantur. Gilmannus Deciſ. Cameral. Lib. I. *Die untertbanen, die in der zent wohnen, müſſen die zent pflicht thun, nemlich müſſen die gericht helfen beſitzen, die böſen rügen, anzeigen, davor büſſen, und ſich ſtraffen laſſen, der zent folgen, die beſchützen, henckergeld geben, den zentknaben alle unkoſten, ſo auf das richten gehet, zahlen helfen: die juſtiz, als galgen, ræder &c. mit aufrichten helfen*. Caroli V. Conſtitutio Criminalis art. 254. *Wan die zent oder das zentgericht die zentkoſten von den zent-unterthanen enthebet* &c. Cum vero Comitum auctoritas vileſceret, munus eorum & jura, atque adeo ſupremam, quam Regum nomine exercebant, juriſdictionem Domini territoriales ſibi ſumſerunt, aut acquiſiverunt & exercuerunt; ita ut, licet hodie ad judicandum de capite maleſici Comes non amplius prodeat, & in Congregatione populi ſibi ſubditi ſive *in der zente* ſententiam ferat, nomen tamen vetus apud novos uſurpatores remanſerit. Et dicitur jam *zentherr*, qui alias quoque *frais-herr*, dominus, cui juriſdictio ſuperior competit; *zentgrafe*, judex in judicio criminali conſtitutus; *zentbarer fall*, caſus ad jus gladii pertinens; *zentleute*, ad ſuperiorem juriſdictionem ſpectantes ſubditi; *zent-ſchœpfen*, aſſeſſores in judicio criminali; *zentfreye*, qui ad onera criminalis judicii non tenentur, ſed ab iis immunes ſunt; *zentbar*, qui non exemti ſunt a ſumtibus & expenſis ob exercitium juris criminalis faciendis, & cetera. Et credo vocem *zente* cum *Z* potius, quam cum *S* ſcriptam fuiſſe, ut diſtinctior fieret a *ſende* vel *ſendgerichte*, quod, a *ſynodo* dictum, erat *judicium annale eccleſiaſticum*, ubi in villis & pagis Archidiaconi per officiales cognoſcebant de illis criminibus, quæ erant in anno illo denuntiata, atque ad hanc juriſdictionem ſynodalem pertinebant. Nec aliæ cauſſæ ad hoc judicium referebantur, quam quæ eccleſiæ cenſuram & punitionem mererentur, unde etiam *die heylige ſend* frequenter appellatur. Quomodo autem in Gravaminibus nationis Germanicæ in Conventu Norimbergenſi anno 1522. & 1523. deliberatis, & Pontifici tranſmiſſis de his judiciis conqueſtum ſit, aliaque ſci u jucunda apud Schottelium l. c. cap. 6. evolvas. Recentiores interim auctores, *zentæ* & *ſendæ* nomina confundentes, non unos errores committunt. Hunc in lapidem impegiſſe quoque videtur auctor *des Wolgegrundeten gegenberichts* in Actis publicæ cauſſæ Wertheimianæ Comitis de Lowenſtein contra Julium Epiſcopum Wirtzburgenſem editis 1618. ubi cap. 12. *die zentgerichtsbarkeit* a cognitione cauſſarum criminalium (*halsgerichte*) atque ab exſecutione illarum (*blutbann*) nec non a ſuperioritate territoriali diſcernere conatur, aſſerens, eſſe *tantum coercitionem certorum delictorum civilem & pecuniariam & idem ruggerichte*. Hæc enim nullatenus *zentæ*, ſed per omnia *ſendæ*, hoc eſt, judicio ſynodali conveniunt.

(1) *In ipſo Mallo ſcutum habere debet.*) Quæ circa ritum hunc judicandi ſub ſcuto notanda ſunt, brevibus complexus eſt Wendelinus, qui: *Facit huc*, inquit, *Tacitus*. Scutum reliquiſſe, præcipuum flagitium: nec aut Sacris adeſſe, aut Concilium inire ignominioſo fas: multique ſuperſtites bellorum infamiam laqueo finierunt. *Salici noſtri Proceres, ne tunc quidem, cum pro Tribunali ſedent, ſeponere ſcutum permittuntur*. *Tit. XLVII.* Tunginus aut Centenarius Mallum indicent, & in ipſo Mallo Scutum habere debet. *Eadem verba ſunt Tit. XLIX. ac rurſum hic Tacitus*: Ut turbæ placuit, conſidunt armati. Nihil autem neque publicæ neque privatæ rei, niſi armati agunt. *Itaque & Livius lib. XXI. de Gallis, more tunc loquendi Celtis, hoc eſt, Germanis noſtris*: Nova terribiliſque ſpecies viſa eſt, quod armati (ita mos gentis) in Concilium venerunt. *Rurſum Tacitus*: Ad negotia, nec minus ſæpe ad convivia, procedunt armati. *Panegyriſtes denique*; Nec majores veſtri templa ingrediebantur niſi armati. *Perdurat hic mos in Sala Curingiana hodieque, ut Proceres jus dicturi conſidant armati. Extatque vetus pictura, jam ante annos CCCC. delineata, in qua viſitur Comes Hanoniæ in Sala ſua reſidens, Scuto alte ſupra ſolium ſedentis depicto, ipſe medius conſpicitur inter duodecim Pares; quibus ſingulis ad genua ſua item*

caussas (1) mandare (2). Et tunc ille, qui viduam accipere vult, cum tribus testibus qui adprobare debent, tres solid. æque pensantes, & denarium habere debet. Et hoc facto, si eis convenit, viduam accipiat.

II. Si vero ista * non fecerit, & sic eum acceperit, (MALB. *Reipbus hæc chala sinus*) (3), MMD. den. qui faciunt sol. LXII. eum dimidio culpabilis judicetur.

III. Si autem quæ superius diximus omnia secundum legem impleverit, & tres solidos & denarium ille cui Reiphe debetur acceperit, tunc eam legitime accipiat. Hoc discernendum videtur, cui Reipus debeatur. Si nepos fuerit (4), sororis filius, senior ille accipiat; qui si neptis filius non fuerit, Consobrinus filius, qui ex materno genere venit, ipse accipiat. Si autem nec consobrinus filius fuerit, tunc avunculus frater matris Reipum accipiat. Si vero avunculus (5) non fuerit, tunc frater illius, qui ipsam mulierem antea habuerat, si in hæreditatem defuncti fratris, id est, mariti mulieris illius, venturus non est, ipse Reippum accipiat. Quod si nec ipse fuerit, tunc qui proximus fuerit superius nominatis, sui singillatim secundum parentelam (6) dicti sunt, usque ad sextum geniculum (7), si in

* Al. *Istud*.

*stant scuta cum insignibus, plane pro verbis ac mente bujus Legis. Observabat ex Othone Frisingensi Pithœus hæc quoque:* Est autem consuetudo Regum Francorum, quæ & Teutonum, ut quotiescumque ad sumendam Imperii Coronam militem ad trans-Alpizandum coegerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto Scutum suspenditur. *Gunterus*:


*. . . Ligno suspenditur alte*
*Erecto clypeus: tum præco Regius omnes*
*Convocat, a Dominis Feudalia jura tenentes.*

(1) *Caussas.*) Gall. *Choses*. Ital. *Cose*.

(2) *Mandare.*) Hic est *postulare*, *jubere*, *ut exhibeatur aliquid*, *demandare*, uti infra Tit. XLIX. scriptum est. Hinc eodem sensu Gallicum *demander*, & Italicum *dimandare* & *domandare*.

(3) *Reiphus hæc chala sinus.*) Hæc ita restituenda: *Reiphus æth chalt trinus*; ut exprimatur: *iteratarum nuptiarum vel trium solidorum*, cognatis non exsolutorum, *compositio*. *Reiphus* jam supra expositum. *Æth*, in monumentis Theotiscis *edo*, Anglo-Saxonibus *æt*, *ad* & *oththe*, in Evangeliis Gothicis *aiththau*, Islandis *ætha*, Svecis veteribus *eda* & *oda*, Græcis ἢ, ἤτε, ἤτοι, significat, *aut*, *vel*, *sive*. Quod sequitur *chala*, pro *chalt* scriptum, notat *compositionem*, & supra ad Tit. II. leg. 1. clare satis explicatum est. Ex *sinus* vero facillima mutatione fit *trinus*, quæ vox *u* Gallico more, ut *i* obscurum pronunciato, *ternarium numerum*, vel *trinitatem* designat, & in Catecheseos Weissenburgensis vetustæ symbolo Athanasiano *trinissi* effertur.

(4) *Si nepos fuerit.*) Debent hæc & sequentia corrigi: *Si possessoris filius fuerit, accipiat. Si vero non fuerit, nepos accipiat. Si vero nepos non fuerit, sororis filius; si ille non fuerit, neptis filius; senior si fuerit, ille accipiat; qui si neptis filius non fuerit, consobrinus filius*, & cetera, quæ sequuntur. Præcedentia ex Codice Guelferbytano exsculpsimus. Qui itaque Reiphum accipere debent, ita se ordine excipiunt, ut tabula sequens commonstrat.




(5) *Avunculus.*) Gall. *oncle*, quod a Latino prodiit, & tam matris, quam patris fratrem denotat. Hic tamen de fratre patris solum adhiberi videtur; *seu potius de fratre matris*. (Addit. Collect.)

(6) *Parentelam.*) h. e. *familiam*, *cognationem*, *consanguinitatem*, quo sensu jam Capitolinus hac voce usus est. Galli *parentage* dicunt. *Parentelæ* vox infra Tit. LXIII. recurrit.

(7) *Geniculum.*) h. e. *gradum cognationis*. Geniculus autem non, ut Wendelinus putat, a *gignendo* dicitur, sed est diminutivum a *genu*, *knie*, quod ipsum etiam aliquando hoc sensu reperitur. Glossarium Ms. Lindenbrogianum: *Geniculum diminutivum a genu*. Et commutantur secum invicem hæ voces. Ita ubi in Capitulari Pipini apud Wermeriam an. 752. c. 1. legitur: *In tertio genuculo*; ibi in Codice Metensi, quo Sirmondus usus est, *in tertio genu*, inventum fuit. Capitulare Haytonis Ep. Basil. c. 21. *Ut nullus accipiat uxorem nisi in quinto genu*. Et statim post hæc: *Et non separentur in quarto genu*. Alia exempla in Cangio invenies. *Genu* scilicet & *knie* proprie *connexionem*, *juncturam*, a veteri *neen*, vel *nieen* (unde *nieten*, ferruminare, & *bnüten*,

in hæreditatem illius mariti defuncti non accedat, ipse Reippos accipiat.

IV. Si autem nullus, nisi post sextum geniculum proximus fuerit, in fiscum (1) Reippi vel caussa, quæ inde acta fuerit (2), colligatur.

## Titulus XLVIII.

### *De migrantibus.*

I. SI quis super alterum (3) in villa migrare voluerit, & aliqui ex eisdem, qui in villa consistunt, eum suscipere voluerint, & vel unus vel aliquis ex ipsis extiterit, qui contradicat, migrandi licentiam ibidem non habeat. Si vero contra interdictum (4) unius vel duorum in villa ipsa adsedere præsumpserit, tunc testare (5) illi debent, & si noluerit exinde exire, ille qui testat, cum testibus sic ei debet testare, ut inter decem noctes exinde exeat; & si adhuc post decem noctes noluerit exire, iterum debet ad ipsum venire, & testare similiter, ut iterum ad alias decem noctes exinde debeat exire; & si adhuc noluerit, iterum decem noctes ad placitum addat, & sic xxx. noctes impleat. Si nec tunc voluerit exire, tunc manniat eum ad Mallum, & testes suos in singulos mallos, qui ibidem fuerint, secum habere debent præstos * (6), & si ipse cui testatum est noluerit venire, & aliqua Sumis non detinuerit eum, ipse secundum legem qua diximus testatus est, tunc ipse qui testavit, super fortunam suam ponat (7), & roget Gravionem ut accedat ad locum, & ipsum inde expellat, & si ibi aliquid elaboravit (8), quia legem noluit audire, amittat, & insuper (MALB. *Widresa thalo*) (9), MCC. den. qui faciunt solid. xxx. culpabilis judicetur.

II. Si quis vero admigravit, & ei aliquis infra XII. menses ** nullus testatus fuerit,



* Al. *Paratos.* ** Al. *Noctes.*

*ten*, connectere, colligare, superest) derivatum, ac deinde *generationis connexionem*, h. e. gradum cognationis notat. Chronicon Rhythmicum Saxon. cap. XIV. v. 91. de Ottone M. loquens ait.

*He was Hertogen Bruno an den verden kne.*
Et de Ottone II. Imp. v. 119.
*He was ôme an deme vefften kny.*

Botho in Chron. Sax. picturato ad ann. 842. de Ludolpho Duce scribit: *Und was van Hertoge We.. kindes slechte in den anderen knie.* Ut alia prætercam loca. Eo vero libentius hoc vocabulo de cognationibus usi sunt, quo propius accedebat ad Græcorum γένος & Latinorum *genus*.

(1) *In fiscum.*) Augustino in Psalm. 146. *fiscus saccus est, unde & fiscinæ & fiscellæ dicuntur.* Papias: *fiscus saccus est publicus, unde fiscina & fiscella.* Johannes de Janua: *Fiscus vel bursa Regis, ubi publicus census reponitur.* Atque hoc sensu etiam in Lege Salica sumitur hoc loco, & infra Tit. LIX. leg. 1. & Tit. LXV. Titulo vero LIV. leg. 1. *tollat* (quod de Gravione aliquid tanquam Regi debitum auferente dicitur) in aliis exemplaribus *fiscare debeat* scribitur. Ubi *fiscare* pro *in fiscum seu thesaurum Regium redigere* positum est. Nos inde *confiscare*, & Gall. *confisquer*, habemus. Eckehardus junior de Casibus S. Galli cap. 1. *Nondum adhuc illo tempore Suevia in ducatum erat redacta, sed fisco regio regulariter parebat, sicut hodie & Franciæ.* Deinde quicquid ad Regem pertinebat, prædia, agri, villæ, & cetera, *fisci* nomine veniebant. Vid. Cangius in Gloss. & Bignonius ad Form. Marculfi pag. 251. 252.

(2) *Caussa, quæ inde acta fuerit.*) Glossæ Pithœi: *Pœna, propter solemnia non servata.*

(3) *Super alterum.*) *Super* hic est *contra*, *adversus*, *nolente & invito alio*. Eodem modo infra Tit. LXXVII. leg. 1. adhibitum est in verbis: *Si quis super ingenuum in domo sua resedit.*

(4) Alias, *Intradictum.*) Hoc idem est, ac *interdictum*, quod cetera exemplaria habent.

(5) *Testare.* Alia exempla *testari* ponunt. Sensus est, debere illos, qui in villa aliena considentem tolerare nolint, testibus adsumtis eum monere, ut exeat. *Testare* itaque est *testibus præsentibus dicere vel monere*. Lex Bajoariorum Tit. XVI. cap. 2. *Nisi super mortuum hominem testare voluerit aliquam causam.* Hoc est: Si contra mortuum aliquid testibus adhibitis dicere voluerit.

(6) *Præstos.*) *Præstus* hoc loco est *præsens*, *paratus*, quod Latinum olim fuit, & restat inde adverbium *præsto* pro *præsens*. Ita Sallustius de bello Jugurth. cap. 75. *Diem locumque, ubi præsto forent, prædicit.* Terent. Andr. II. 5. 4. *Ipsum adeo præsto video.* Cicero pro Cæcinna cap. 9. *præsto esse* est *adesse, juvare*.

(7) *Super fortunam suam ponat.*) Fortuna hic non facultates & bona designat, ut Cangius putat, sed *eventum bonum & malum*, quem Itali & Galli *aventuram* vocant. Et *super fortunam suam ponere*, idem est, ac *suo periculo rem suscipere*, *auf seine gefahr und abentheur*, *a ses perils & fortune*.

(8) *Elaboravit.*) h. e. *acquisivit*. Sic in aliis mediorum Scriptorum locis idem verbum & simpl[illegible] *laborare* sæpius pro *acquirere suo labore & industria* ponitur. Vid. Cangius. Marculfus Form. lib. II. c. 7. *Tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adt actu, ubicunque habere videor, & quod pariter in conjugio positi laboravimus.* Tradition. Fuldens. lib. 1. *Notitia traditionis Hrungboten, qualiter ille pro æterna retributione elaboratum suum omne tradidit, hoc est porcos LX. vaccas VI. oves XII.* &c. Breviarium rerum fiscal. Caroli M. fructum labore collectum, & animalia in villa educata, una cum iis, quæ inde ad victum præparantur, frequenter *conlaboratum* appellat. pag. 326. 329. 330. & 332.

(9) *Widresa thalo.*) Codex Guelferbytanus scribit: *uuedrestelo*. Paullo aliter connecte syllabas & lege: *Widrestha lo*, vel *uuidersthe lo*; sic videbis a Glossatore translata esse verba: *legem noluit audire*, quod idem est ac si scriptum fuisset: *restitit legi*. *Widresteban* est ipsum nostrum *widerstehen* & Sax. *weddestan*, resistere, refragari, audire nolle. Glossarium Ms. Rabani Mauri: *Obstat*, *widarstat*. Idem: *Obstaculis*, *uuidarstent ist*. Idem: *Resistit*, *uuidarstentit*. *Restitisti*, *uuidarstenti*. Ultimum *lo* denotat *legem*, quæ Gallis adhuc *loy*, Danis *low*, Bel-

rit, ubi admigravit, securus sicut alii vicini consistat *.

III. Si quis vero alium (1) in villam alienam migrare antequam conventum fuerit rogaverit ** (2), MDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur.

TITULUS XLIX.

*De adframire* (3).

I. HOc convenit observare ut Tunginus aut Centenarius (4) Mallum indicent, & scutum in ipso Mallo habere debet & postea tres homines tres causas demandare (5) debent; postea in ipso mallo requirant hominem, qui ei non pertinet (6), & sic fistucam (7) in laisam (8) jactet, & ipse

* Al. *Maneat*.  ** Herold. in marg. MALP. *anduu theocho*

Belgis *lawe*, *louwe*, Anglis *law* & Anglo-Saxonibus veteribus *lah* & *laga* dicitur. Vide supra ad Tit. XXVIII. leg. 4. congesta.

(1) Alias, *Aliam*.) Lege *alium*, ita & Ms. Guelferbytanum habet.

(2) In calce, *Anduu Theocho*.) *Ande* significare *alium*, *alienum*, patet ex iis, quæ ad Tit. XLI. leg. 15. & Tit. X. leg. 5. commenti sumus. *Anduu* autem hoc loco videtur esse *alio*, *ander swohin*. Sequens *theocho* est ipsum nostrum Saxonicum *tocche*, migraret, vel migraverit, a verbo *tocchen*, alio migrare, *wohin ziehen*; *umziehen*. Radix est Sax. *tehen*, & Germ. *ziehen*, trahere, ducere. Latine itaque redduntur hic verba: *alio* vel *in alienam villam migraverit*.

(3) *De adframire*.) Sive de *adramire*, vel designatione heredis per ramum vel festucam in sinum alicujus proiectam facta. Qua de locutione fuse ad Tit. XL. diximus, ubi vide. Codex Guelferbytanus corruptissime pro *adramire* scripsit hic loci *de adfathamire*. Adhuc vero corruptius vulgatæ Lindenbrogii & aliorum editiones *de afatomie*. Interim cum Mss. has erroneas lectiones continentes Carolinæ ætati pares aut superiores sint, evidens est, a longo jam tempore Salicam Legem non satis intellectam.

(4) *Tunginus* aut *Centenarius*.) i. e. *Decanus* aut *Centenarius*.

(5) *Demandare*.) Appellare, vocare, petere, rogare, requirere, quærere, postulare: Ital. *domandare*, Gall. *demander*. Supra Tit. XLVII. leg. 1. simplex *mandare* eodem sensu adhibitum occurrebat.

(6) *Qui ei non pertinet*.) *Der ihm nicht angehöret*, qui illi, qui testamentum condere vult, neque agnatus neque cognatus est, & tamen heres constitui debet.

(7) *Fistucam*.) Fistuca vel festuca erat frustillum vel ramusculi vel scirpi, aut cujusquemodi plantæ; quæ in signum traditionis vel insinuationis certæ rei in sinum alicuius iaciebatur, vel in manus tradebatur, ut scilicet is, qui acceperat, dum fistucam aspiceret, recordaretur, rem transactam firmiter constitutam esse, stabilemque mansuram; *das sie eben so feste gehalten werden solle, und müsse, als man das stücke zweiges halte*. Et videtur festucam in hunc usum præcipue placuisse, quia cum nostro *fest*, firmus, stabilis, consonat. Pari modo *culmus* etiam in simili usu erat, quia ejus Germanicum nomen *halm*, ab *halten*, tenere, servare, derivatum, indicio erat contractum firmum stabilemque servatum iri. Si ille, cui festuca in sinum conjecta erat, eam recepisset, negotium approbasse cognoscebatur. Et quando e. gr. certo die, ut in placito compareret, citabatur adjecta festuca, eamque suscepisset, dicebatur *adjactivus* hoc est, legitime citatus, & comparere statuto tempore tenebatur, nisi caussa cadere vellet. Ubi non possum non notare errorem vetustarum Glossarum Helmstadiensium, ubi habent: *Solsaticum*, *id est*, *abjectitium*. *Solsativit*, *id est*, *abjectivit*. Solsaticus enim est, cui ad comparendum certus terminus positus, & ordinatus est festuca vel ramo adjecto. Unde apparet in Glossis illis *adjectitium* & *adjectivit* legendum esse. Lex Ripuariorum Tit. LXXI. *De quacunque causa fistuca intercesserit, lacina interdicatur se cum sacramento idoneare*. In eadem Lege Ripuariorum Tit. XXX. leg. 1. de domino, qui servum suum, ut se a delicto imputato purget, ad probationem ferri candentis offert, dicitur: *Et sic de ejus præsentia cum festuca fidem faciat*. Veteres Formulæ Cap. II. de homine, qui se Francum, non servum natum, adversus Advocatum monasterii cujusdam, ipsum in servitutem redigere volentem, asseverat, dicunt: *Unde tale sacramentum per suam fistucam visus fuit adrhamire* &c. Præcipue festucæ projectæ usus erat in cessionibus, donationibus aut venditionibus. Marculfus lib. I. c. 13. *Villas nuncupatas ... per fistucam visus est uuerpisse vel condonasse*. Idem lib. I. cap. 21. *Pars parti tradidisse, & per fistucam omnia partitum esse dixisse*. Cangius in Glossario, & Bignonius ad Form. Marculfi pag. 273. & 274. plura dederunt.

(8) *Laisam*.) Codex Guelferbyt. habet *lesum*. Vox *laisa*, *laisus* & *lesus* est *sinus*, sive proprie scissio vel fissura, quæ ad sinum in indusio vel veste exstat, *der hembde slitz*. Sic pari modo vocamus fissuram in braccis *den hosen slitz*; & *brustlatz* proprie est fissura, quæ ad pectus in vestimento est, deinde pro *tegumento pectorali* ponitur. Litera S sive sibilus ab initio a plerisque dictionibus Germanicis abfuit; inde *slitz* & *latz* unum vocabulum sunt, conveniuntque per omnia cum *laisa*, ac descendunt a verbo *letzen*, dissecare, incidere, findere, secare. Fragmentum Poematis Germ. Sec. XIII. scribitur:

*Ir sprachet nie zu keiner zeit*
*Dat wisis ere letzin mege*.

Ubi *letzen* est *discindere*, *lædere*, pro quo jam usitatius est *verletzen*. Hinc *sich mit einem letzen*, est se cum aliquo separare, seiungere, ultimum vale alicui dicere. Ab hoc vero verbo plura derivata nobis restant. Inde enim v. g. *latte*, asserculus, paxillus, dictus est quasi asser dissectus. *Lath* Cambro-Britannis virga, pertica tres pedes longa. *Litze* quoque hinc proprie est segmentum corii, & deinde communiter *lorulum*, *laqueolus*, quo olim vestes exornatæ, Gallis *las*, *lasset*. *Lasche* porro ab eodem fonte est segmentum calceo aut cuivis alii rei assutum. Ipsa Latinorum verba *lædere* & *lacerare* cum nostro hoc *letzen* cognata videntur. Pro *letzen* autem olim etiam dixere *lesten*, ut pro *letz* Saxones adhuc habent *lest*. Hoc vero *lesten* olim fuit *scindere*, atque inde *last*, portio certa suo genere separata, & Anglo-Saxonicum *læstum*, [illegible], *lathe*, *leda*, portio Comitatus major, tres vel plures Hundredas continens. Ab eodem frequentativum *læsteren* est *discindere* (unde *lasterer* alic bi *laniones*, qs. discissores carnium) & deinde etiam *lingua discindere*; *convitiis proscindere*;

ipſe (1) in cujus laiſam fiſtucam jactaverit, dicat verbum de fortuna ſua, quantum ei voluerit dare, aut ſi totam aut ſi mediam fortunam ſuam cui (2) voluerit dare. Poſtea ipſe, in cujus laiſam fiſtucam jactavit, in caſa ipſius manere debet, & hoſpites tres ſuſcipere, & de facultate ſua quantum ei datur, in poteſtate ſua habere debet. Et poſtea ipſi cui creditum eſt, omnia cum teſtibus collectis iſta agere debet, & ſic poſtea, ante Regem, aut in Mallo legitimo, illi cui fortunam ſuam deputaverit, reddere debet, & accipiat fiſtucam in Mallo ipſo. Et ipſum (3) quem hæredem deputavit ante XII. menſes, in laiſio ſuo jactet nec minus nec majus, niſi quantum ei creditum eſt; & ſi contra hoc aliquid dicere voluerit, tres teſtes habere debet, qui jurati dicant, quod ibi fuerint in Mallo, quod Tunginus aut Centenarius indixerunt. Et quomodo vidiſſent hominem illum, quod fortunam ſuam donavit * in laiſo, illius quam jam elegerat fiſtucam jactare, & dominare (4) debent qui fiſtucam in laiſum jactit ** nec non & illum in cujus laiſum fiſtucam jactavit, & illum quem heredem appellavit. Similiter nominent alii teſtes jurati, & dicant, quod in caſa illius, qui fortunam ſuam donavit, illi in cujus laiſam fiſtucam jactavit, ibidem manſiſſet, & hoſpites tres vel amplius collegiſſet, & paviſſet (5), & ei ibidem gratias egiſſent, & in beudo ſuo (6) pultes (7) manducaſſent & teſtes collegiſſent. Iſta omnia alii tres teſtes jurati di-

* Al. *Dominavit; al. dare voluit.* ** Al. *Nominare debent, qui fiſtucam in laiſum electi jactavit.*

---

*calumniari*. *Leiſte* eſt lignum ad certos uſus diſſectum, modulus. *Laſſen*, Sax. *laten*, dimittere, etiam primitus *abſcindere* ſignificaſſe videtur. *Federn ſchlieſſen*, eſt idem ac *diſrumpere pennas*, *federn reiſſen*. *Schleiſſen* & Sax. *sliten* itidem eſt *ſcindere*, *findere*, *ſecare*. Plura dedimus de hoc verbo in Notis ad Catechesin Theotiſc. p. 126. A tali igitur verbo formatum *laiſus*, *leiſus* vel *leſus*, idem eſt, uti dixi, ac *ſchlitz*, fiſſura, ſciſſio, *apertura veſtis ad ſinum ducens*, & deinde ipſe *ſinus*. Burgundiones adhuc ſinuoſam veſtis partem *lais* vocare, Wendelinus obſervavit. Quicquid autem ſollicite recondere volebant Veteres, illud, quia in veſtibus crumenas & ſacculos more noſtro non habebant, in ſinum abdebant; hinc & feſtuca in ſinum projiciebatur, & cæremonia hac indicabatur, rem iſtam eodem modo tradi, quemadmodum feſtuca abjiciatur & tradatur, feſtucamque actionis legitimæ peractæ ſignum perenne eſſe debere. *Feſtucam jactare*, ſive rem aliquam hoc actu a ſe removere, Germ. eſt *werfen*, Sax. *werpen*, barbare *verpire* & corrupte *gurpire*. Feſtucam vero in ſinum alicujus jactare, & hoc ſigno aliquid alicui tradere vel præſtare, ſive dominium alicujus rei traditione in alium transferre, *leſoverpire*, *læſoverpire*, *leiſoverpire*, aut *leuſoverpire* Veteres vocabant. Exſtant apud Marculfum lib. I. Form. 13. *præceptum de læſiverpo* (ſ. traditione) *per manum Regis*, in quo inter cetera dicitur: *Veniens ille . . . villas . . . . per fiſtucam viſus eſt leuſeverpiſſe vel condonaſſe*. Ab hoc ritu projectionis feſtucæ & reconditionis in *leiſum* ſive ſinum, ſupereſt nobis verbum *leiſten*, quod proprie *inſinuare*, & communiter præſtare, exhibere, tradere ſignificat. Otfridus IV. 12. 18. *So izzi thiju uuurdi thaz ir mir leiſtit huldi*, h. e. *Si eo res deveniat, ut mihi præſtetis obſequium fidele*. Harmonia Evang. Cottoniana: *Gi ſculun nimun lon alles thes unrechtes, thes gi othron hier gileſteat*; h. e. *Recipietis retributionem omnis injuriæ, quam aliis intuliſtis vel feciſtis*. Willeramus in Cantico p. 70. *Leyſte thu mir die thruuua*: præſta mihi fidem. Ibid. pag. 108. *Her leiſtet alſo her gehiez*; præſtat ſicut promiſit. Et ſic multoties apud Willeramum recurrit. In pactione Ludovici & Caroli, populus Caroli inter cetera apud Nithardum lib. 3. jurat: *Si Lodhuuigs ſagrament què ſon fradre Karlo jurat, conſervat*, &c. Quæ verba Ludovici ſubditi nominibus tantum mutatis ita efferunt: *Oba Karl then eid then er ſinemo bruodher Ludhuwige geſuor, geleiſtit*. Ubi *conſervat* idem eſt ac *inſinuat*, ſeu *in ſinum tradit* h. e. *præſtat*, *implet*, nos diceremus, *den eid hælt*. Ab hoc *leiſten*, præſtare, compoſitum porro *folleiſten*, integre præſtare, perficere, item *præſtare auxilium*, *adjuvare*. Notkerus in verſione Pſalmi a Frehero citatus: *folleiſtida cuotis werchis*; perfectio boni operis. Gloſſæ Lipſianæ: *Folleiſten*, *opitulentur*; *fulluſt*, *adjutorium*: *ſolamen*, *ſubſidia*, *follazuth*. Eadem: *ſuffragia*, *follazuchida*. In ſacramento populi Ludovici modo laudato *folluſti* dicitur, quod populus Caroli Romanice *ajudha* protulerat.

(1) *Et ipſe.*) Exponendum hoc: *& illi*.

(2) *Cui.*) Legerem ferme, *lui* pro *illi*. Nam ab antiquo pronomen illud a barbaris jam ita inflexum fuit.

(3) *Ipſum*) pro *ipſi*.

(4) *Dominare*,) Rectius alii Codices *nominare*.

(5) *Paviſſet*.) *Paſcere* apud Latinos pecudum erat. Sed barbari etiam ad homines transtulerunt, ut ex hoc loco apparet. A *paſcere* ego factum puto noſtrum *ſpeiſen*, cibum præbere, cibare aut etiam edere, & *ſpeiſe* inde eſt *cibus*. Subſtantivum *paſtus* medii ævi auctoribus & Gallis olim *paſt*, convivium, refectionem, denotavit. Et a *repaſtus* Galli ſuum *repas* fecerunt. Veteres tamen jam *paſcere* dixerunt pro *edere*. Teſtis eſt Martialis, qui lib. IX. Epigr. 81. dicit: *Paſcit Gellius* &c.

(6) *In beudo ſuo*,) h. e. *menſa*. Vetus Gloſſarium apud Pithœum *menſa*, *beod*. *Refectorium*, *beodden*. In Gloſſario Anglo-Saxonico Benſonii occurrunt: *beod*, menſa; *beodas*, lances; *beod-bolla*, cupa; *beod-clath*, gauſape, lodix; *beode*, menſa; *beod-erne*, refectorium, cubiculum; *beod-fers*, menſa, epithalamium; *beod-ſceat* & *beod-ſcute*, mappa. Flandris *bodem*, Wendelino teſte, menſa rotunda inſtar fundi doliaris, quod apud tenuiores & in caſtris plerumque menſæ vice fungitur. *Beod* autem illud & *beud* contractum forte eſt ex *beord*. Menſa certe Cambro-Britannis, Anglis & Danis *bord* dicitur. Deſcendit vox a *boeren*, ferre, portare, ita ut vi originis ſuæ ſit *ſuſtinens* vel *portans*, ſcilicet *fercula*.

(7) *Pultes*.) Per *pultes* hic obſonia quævis, quæ coctione præparantur, intelligit Lex Salica. Eodem modo voce *pulmenti* uſos fuiſſe veteres Cangius oſtendit. *Puls* ergo hoc ſenſu formatum eſt per barbaros a *bullire* pro *coquere* uſurpato, quo ſenſu & Gallicum *bouillir* adhibetur. Requirit autem Lex, ut heres nominatus apud teſtatorem atque in menſa ejus cibos decoctos cum teſtibus præſentibus ſe man-

dicere debent, quoniam in Mallo legitimo vel ante Regem, illi qui accepit in laisam fistucam, fortunam suam donavit, & ille acceperit in Mallo hoc est ante Theada (1), vel Tunginum fortunam illam, qua heredem eum appellavit *, publice coram omnibus hominibus fistucam in laisam ipse jactasset: & hæc omnia novem testes debent affirmare.

## TITULUS L.

### *De Filtortis (2) qui Salica Lege vivunt.*

I. SI quis servum aut ancillam, caballum aut bovem, aut jumentum, aut quamlibet rem sub alterius potestate agnoverit, mittat eam in tertiam manum, & ille apud quem agnoscitur, debet adrhamire; & si intra Ligerim (3) aut Carbonariam (4), aut citra mare ambo manent, & qui cognoscitur & apud quem cognoscitur, in noctes XL. placitum faciant, & in ipso placito, quanticumque fuerint, qui rem ipsam ** vendiderunt, aut cambiaverunt, aut fortasse in solutionem dederunt, omnes intra placitum istum commoneantur, hoc est, unusquisque cum negotiatoribus suis, alter alterum admoneat. Siquis vero commonitus fuerit, & Sumis eum non detinuerit, & ad placitum venire distulerit, tunc ille cum quo negotiavit mittat tres testes, quomodo ei maniaverit, quod ad placitum veniat. Et alios tres similiter habeat, quod publice cum eo negotiarit; istud si fecerit, exuit

* Al. *Appellare placuit*, ** Al. *Intertiatum*,

---

man[illegible]asse evincat; ut scilicet hinc appareat, rem non festinan[illegible] peractam, sed omnia rite & [illegible] facta fuisse.

(1) *Theada.*) Hanc vocem Windelinus popul[illegible] & [illegible] populum supra ad Tit. II. leg. 18. ostendimus. Sed cum di[illegible] *Theada* [illegible] *Tunginum*; ego *Theada* hoc synonymum *Tungini* esse puto. Vidimus supra Tit. [illegible] leg. 5. & 8 [illegible] & *tia* esse *decem*; inde autem *Teata* vel *theata* regulari formatione descendet, & *Decanum* denotabit; uti a *zehen* vel *zehen* vel *zehn* fit *der zehnte*, decimus. Alia dialecto ille *Theata* dictus fuit *T[illegible]nman* vel *Tunginus*, de quo supra ad Tit. XLVII. leg. 1.

(2) *De Filtortis.*) Difficilis admodum vox, nec Commentatores, quod vel hilum valeat, attulerunt omnes. In Guelferbytano Codice legitur: *De feltortus*. Agit lex de illo, apud quem alterius res inveniantur; & statuitur, ut res inventæ tertio cuidam committantur. Sancit deinde, ut is, qui res eas habuerit apud se, alterum (accusatorem nempe) in judicium post 40. dies vocet; ubi comparere debeant et actor et accusatus, et omnes etiam illi, qui huic res istas vel vendiderint, aut in permutationem aliarum rerum, sive in solutionem dederint. Quod si hoc cum testibus legitimis et modo debito fecerit accusatus, liber pronunciandus judicatur a crimine furti, utpote quod imputandum sit illi potius, qui ex numero citatorum in judicio non comparuerit. Agitur itaque in Lege, quomodo quis secundum Legem Salicam crimen furti aut damni vel violentiæ alteri factæ a se removere possit. *Violentia* autem, *vis*, *damnum*, *injuria*, & *injustitia* quæcunque (quo etiam *ablatio rerum alienarum* pertinet) in medii ævi scriptis frequenter *tortus* & *tortum* vocatur, & *recto* opponitur; sicut olim Horatius cantaverat: *curvo dignoscere rectum*. Galli adhuc dicunt *tort* & *droict*. Gloss. Lat. Gallicæ: *Tortus, ta, tum, tort, injurieux. Tortus, tus, torsion, injure*. Charta Ludovici II. Imp. pro monasterio Casauriensi: *Pro nulla denique mollatura quispiam a monachis præfati monasterii vel ab advocato eorum tortum quærere audeat, quia ... eidem monasterio concessimus*. Edictum Pistense Caroli Calvi cap. 20. *Sic injustitiam istam exsolvant, sicut illi, qui in suo ministerio tortum faciunt*. Et cap. 32. ibidem: *Sicut ille, qui tortum in suo comitatu vel ministerio fecerit*. Vetus notitia ex Tabulario Vindocinensi a Cangio citata: *In perverso & aperto torto nobis postea abstulit*. Tabularium S. Joannis Andegav. ibidem: *Tetbaldus fecit eis multa torta*. Prior syllaba in *filtortis* est *fil*, vel, ut Guelferbytanus Codex habet, *fel*. Hanc ego puto esse a nostro *fehlen*, falli, errare, unde Itali etiam desumsere suum *fallere* & *fallire*; Galli *faillir*, & Angli *fail*. Belgis idem est *fælen*, *feyllen*. Quæ si invicem componas, *Feltortus* erit *falsa injuria* vel etiam *erronee* vel *falso injuriatus*, aut *cui falso crimen latrocinii vel furti imputatum est*. Huic enim in Lege nostra consulitur, & ostenditur, quibus mediis se ab imputato delicto vindicare, innocentiamque suam ostendere possit. Nugæ sunt quæ Wendelinus affert; & fallitur etiam, qui eum sequitur Cangius, *feltortos* itidem in nescio quos Flandricos *vlietartos* vel *fugitivos* convertens, quales, etsi microscopum verbis Legis admoveas, in eis tamen non reperies. De cetero Titulus hic Legis Salicæ ex Titulo XL. de *vestigio minando*, cum quo fere convenit, illustratur.

(3) *Intra Ligerim.*) Notandum Aquitaniam Julii Cæsaris temporibus versus orientem Garumna terminatam, ab Augusto vero ad Ligerim usque extensam fuisse. Unde Tibullus victoriæ Aquitanicæ a Messala reportatæ testes non *Garumnam* modo, sed & *Ligerim* facit, & Pictones ac Bituriges, uti qui tunc a Messala perdomiti erant, ad Ligerim pertinent. Posteriores recentiorem hunc Aquitaniæ terminum cum vetustiore confundentes, limites ejus ad Garumnam & Ligerim simul ponunt. Ita Hugo Floriacensis & Robertus in Chronico scripserunt: *Aquitaniam a Garumna flumine ad Pyrenæos montes extendi & obliquo cursu Ligeris, qui eam ex parte terminet, pæne in orbem cingi*. Rectius tamen Ligeris Aquitaniæ terminus conspicuus est ubique in Gregorio Turonensi, aliisque Veteribus. Regum Francorum tempore trans Ligerim præter Romanorum quasdam reliquias vivebant Gothi, & Vascones, quibus diversæ a Salica Leges erant.

(4) *Carbonariam.*) Carbonaria sylva continuatio erat Arduennæ a Mosa Sabique procurrens, quæ Ripuarios utrosque trans-Rhenanos & cis-Rhenanos a Francis, qui Legem Salicam sequebantur, separabat olim; simulque terminus inter Neustriam & Austrasiam erat. Annales Metenses hoc nos docent, ubi ad annum 690. dicunt: *Adunato exercitu Pippinus ad Carbonariam sylvam pervenit: qui terminus utraque regna dividit. Tunc invocato unanimiter Dei auxilio Carbonariam sylvam transeunt, & ad interiores Regni illius partes incipi[illegible]*

pidi

exuit se de latrocinio (1); ille autem qui amonitus non venerit, si super eum testes juraverint, erit latro & fur (2) illius qui res suas agnoscit; & pretium ei reddatur, & omnia secundum legem componat, cum quo negotiavit *. Ista omnia facere debet in Mallo, ubi ipse Rhamallus (3) esse videtur, super quem res primitus agnita fuerit, aut intertiata. Quod si trans Ligerim aut Carbonariam ambo manent, ille apud quem res agnoscitur, in noctibus LXXX. lex illa custodiatur.

* Al. *Apud quem suas res agnoscit*.

TITULUS LI.

*De falso testimonio.*

I. SI quis falsum testimonium præbuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

II. Si cuicunque aliquid imputatum fuerit, quod aliquid perjuratus sit, & non potuerit adprobari, DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur.

III. Si alicui fuerit imputatum, quod se perjurasset, & hoc qui imputaverit adfirmare poterit, tres de ipsis conjuratoribus (4) perjuri, unusquisque ad illorum DC. denar. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur. Alii vero qui super tres fuerint, singuli

---

pidi perveniunt, *haud proculque ab oppido Veromanduorum juxta villam Textricium castra posuerunt*. Vides autem iterum, citra sylvam Carbonariam Francos quidem, sed diversam Legem, Ripuariam nempe, habentes coluisse. Neustrii quoque & Austrasii quibusdam inter se differebant institutis. De Carbonaria plura legas in Valesii Notitia Galliarum pag. 126.

(1) *Latrocinium*.) Inde Gallicum *larrecin*.

(2) *Latro & fur*.) Ex *latro* factum itidem Gallicum *larron*.

(3) *Rhamallus*.) A *ramo* & *mallo* dictus. Mallus nempe, ad quem adramitio facta, sive forum, ad quod actor reusque compromiserunt. Vide supra ad Tit. XL. monita. Codex Guelferbytanus *gamallus* posuit pro *ramallo*.

(4) *Conjuratoribus*.) Juramenta jam apud Ethnicos in usu fuerunt. Super arma plerumque jurabatur. Fredegarius de Saxonum Legatis cap. 74. *Sacramentum, ut eorum mos erat, super arma placata, pro universis Saxonibus firmant*. Christiani facti Franci arma hujusmodi benedici curabant, & invocationem nominis Dei addebant. Tandem super altaria, reliquias Sanctorum, super Evangelia, & quandoque super ipsam hostiam benedictam jurabant. Gregorius Turonensis lib. IX. Cap. 20. recensito pacto Andelaensi addit: *Lectis igitur pactionibus ait Rex: Judicii Dei feriar, si de his quicquam transcendero, quæ hic continentur.* Apud eundem Gregorium lib. III. c. 14. Aregisilus *positis super altarium sanctum manibus jurat*. Super Reliquias juratum plura ejusdem auctoris loca evincunt. In Formulis Andegavensibus legas: *Juratus dixit: Per hunc loco sancto & divina omnia sanctorum patrocinia, qui hic requiescunt* &c. Reliquiæ S. Dionysii & S. Martini præcipue in veneratione erant Francis. Tassilo Dux, testibus Annalibus Francicis, fidelitatem Regi Pipino & filiis *jure jurando supra corpus S. Dionysii promisit*. Capsula cum reliquiis S. Martini in Palatio adservabatur, & super eam juramenta exigebantur. Marculf. lib. I. Form. 38. *Fuit judicatum, ut de quinque denominatis, idem ille apud tres & alios tres, sua manu septima, tunc in palatio nostro super capellam domni Martini, ubi reliqua sacramenta percurrunt, debeant conjurare.* Vide Bignonii notas ad hunc locum, ubi plura. Uti vero iniquum erat, in caussis majoris momenti jusjurandum deferre homini in suum commodum, ita tunc injungebatur reo, ut cum pluribus juraret. Hi *juratores* & *conjuratores*, item *sacramentales*, *consacramentales*, *juramentales*, *collaudantes*, *purgatores*, *compurgatores* in Legibus passim dicuntur. Glossæ Helmstadienses: *Hamedii, id sunt conjuratores, quos nos geidon dicimus*. Ultimum, *geeidon* scribi debere certum est, & pro *hamedii* reponendum puto *samedii*; quemadmodum & in Marculfi lib. 1. cap. 40. *leudesamia* vel *leudesamita* dicuntur juramenta, a leudibus sive subditis Regi communiter præstita. Vide, quæ huc pertinentia fusius ad Catechesin Theotiscam pag. 109. & 110. annotavimus. In sacramento autem hujusmodi solus reus conceptis verbis jurabat, ceteri vero juratores hoc tantum; credere se illum vera jurasse. Vide Innocent. III. de testibus & purgatione canonica. Discimus hoc etiam ex Lege Alemannorum, in qua Tit. VI. leg. 7. dicitur: *Ista sacramenta debent esse jurata, ut illi conjuratores manus suas super capsam ponant, & ille solus, cui causa requiritur, verba tantum dicat, & super omnium manus manum suam ponat, ut sic illi Deus adjuvet vel illæ reliquiæ ad illas manus, quas comprehensas habet, ut de illa causa, unde interpellatus est, culpabilis non sit*. Secundum autem caussæ conditionem *conjuratores* vel plures vel pauciores requirebantur. Ita *jurare sua unica manu*, hoc est, *solum* jurare; *tertia manu*, hoc est, cum duobus conjuratoribus, atque ita etiam *quarta*, *quinta*, *sexta*, *septima*, *undecima*, *duodecima*, *centesima*, *trecentesima manu jurare* apud Veteres occurrit. Exempla magna copia congessit Cangius sub voce *Juramentum*, quibus addi possunt, quæ nuper Abbas Vertotius *de juramentis veterum Francorum* protulit in Academiæ elegantiorum literarum Parisinæ Commentariis Tomo II. Licet autem sollicite antea hic Conjuratores examinarentur, an a labe & affectibus immunes essent, crebra tamen nihilominus periuria fiebant; & crebris juramentis adsuefactus populus hinc etiam miras jurationum formulas in sermone communi, in minutissimis etiam rebus asserendis, adhibebat. Et prava hæc consuetudo, Conjuratoribus illis licet dudum abrogatis, apud nos adhuc observatur. Purgatio autem criminum per sacramenta mediis temporibus Canonica, hoc est, sacræ scripturæ & legibus ecclesiasticis conveniens, earumque auctoritate permissa vocabatur, atque ita a *vulgaribus* distinguebatur, quales erant *duelli*, *ferri candentis*, *aquæ calidæ* & *frigidæ*, *panis hordeacei* &c. ab Ecclesia reprobatæ. Agobardus Lugdunensis Archiepiscopus peculiari libello sententias Scripturæ congessit *contra damnabilem opinionem putantium divini judicii veritatem igne vel aquis vel conflictu armorum patefieri*. Exstat is Operum Agobardi editionis Baluzianæ Tom. I. pag. 301.

guli quinis solidis, id est, cc. den. culpabiles judicentur, ipse vero cui imputatum fuerit, excepta caussa vel capitale & delatura, cc. den. qui faciunt sol. xv. (1) culpabilis judicetur.

### Titulus LII.

*De Testibus adhibendis.*

I. SI quis testis necesse habet, ut donet, & fortassis testis non vult ad placitum venire, ille qui eos necessarium habet, manire illos debet cum testibus, ut de eo quod viderunt testimonium præbeant; & si venire noluerint, & eos Sunnis non detinuerit unusquisque illorum DC. den. qui faciunt solid. xv. culpabilis judicetur.

II. Si vero præsentes in testimonium fuerint vocati, & ea quæ viderunt, testimonium præbere noluerint, & perbanniti (2) fuerint, DC. den. qui faciunt solid. xv. culpabilis judicetur.

### Titulus LIII.

*De fide facta* (3).

I. SI quis Ingenuus aut Lidus alteri fidem fecerit, & noluerit solvere, tunc ille cui fides facta est, in noctes XIIII. sive XL. aut quomodo placitum fecerit, is qui fidem dedit, ad domum illius, qui fidem accepit, cum testibus venire debet, vel cum illis qui pretium adpretiare debent. Si is fidem factam noluerit solvere, DC. den. qui faciunt solid. xv. culpabilis judicetur.

II. Si vero adhuc supra dictum debitum solvere noluerit, debet eum manire, & Nestigantio (4) sic admallare: Rogo te Tunzino, ut Neistigante Gasachio (5) meum illum, qui mihi fidem fecit, legitimum enim mihi debet debitum (& nominare debet, quale debitum debeat, & unde fidem fecit) secundum Legem Salicam mihi adstringas. Tunc Tunzinus dicere debet: Ego Nestigantio Gasachio illo (6) tuo in hoc Mallo, quod Lex Salica habet. Et tunc ipse cui fides facta est debet testificare, ut nulli alteri nec solvat, nec pignus donet solutionis, antequam impleat quod fidem fecit; & sic festinanter ipsa die ad domum illius qui fidem ei fecit, cum testibus ambulare debet, & rogare, ut debitum suum illi solvat, & si hoc noluerit, solem ei collocet *, & si ei solem collocaverit, tres solidos super debitum addat, & sic usque ad tres vices, per tres Manitas ** facere debet, & super tres vices, ista omnia facta si noluerit componere, usque ad novem solidos debitum ascendat, id est, ut per singulas admonitiones vel solem collocatum *** terni solidi accrescant.

III. Si vero nec fidem factam ad placitum legitime factum voluerit persolvere, tunc ille cui fides facta est, ambulet ad Gravionem (7) loci illius, in cujus pago manet, accipietque festucam, & dicat verbum: Tu Gravio rogo te; homo ille qui mihi fidem fecit, quem legitime habeo admallatum **** secundum Legem Salicam, & in hoc quod Lex Salica habet & continet, & ego super me & super fortunam meam pono, quod securus mitto super fortunam suam manum. Et dicat de quanta caussa quantum ei fidem fecerit. Tunc Gravio roget septem Rathimburgios (8), qui secum ambulent ad domum illius, qui fidem fecit: dicat,

* Al. *Culcet*. ** Al. *Nunidnas*. *** Al. *Culcatum*. **** Al. *Adita bitum*.

(1) *Sol. XV.*) Corrige cum Wendelino: *sol. V.*

(2) *Perbanniti.*) peremptorie citati, edicto seu *banno* judicis, ad comparendum in judicio. *Bann* est *mandatum*, *edictum*, *a been* apud Saxones superstite, quod *jubere*, *mandare* significat.

(3) *De fide facta.*) h. e. de obligatione vel obstrictione fidei suæ de re quavis, e. gr. de pecunia certo termino solvenda.

(4) *Nestigantio*, *Neistigante.*) Sicut nomina Titii & Sempronii in Jure Romano de incertis personis dicebantur, si casus proponeretur, ita hic eodem modo *Nestigans* vel *Nestigantius* in scenam prodit. Fabricata est hæc vox a Barbaris ex *nesciens*, passive pro *ignoto* vel *incerto* usurpato. Et hoc ex loco videtur mos ad nos derivatus, incertum nomen litera N. exprimendi: & observavit Mabillonius hanc notam jam ante annos octingentos tum in Mss. tum in editis libris, maxime vero in Epistolis Frotharii Episcopi Tullensis adhibitam fuisse. Vid. Acta S. Benedict. Sec. IV. p 291. Unde fallitur Menardus, qui in Observationibus ad librum Sacramentorum p. 383. existimat, notam illam N. non fuisse in usu, nisi paullo ante annum millesimum. In Francicis autem monumentis præter N. sæpius etiam *ille* de *incerto homine* usurpatur, quod vel Marculfi Formulas evolventi frequenter obviam fiet. Sic Græci eodem modo τὸν δεῖνα, & Galli *un tel* scribunt, cum significant certum hominem, quem tamen nominare nequeunt.

(5) *Gasachio.*) *Gasachio* est *adversarius*, cum quo quis litigat; formatum autem vocabulum a *sache*, caussa, lis. In Catechesi Theotisca pag. 64. inter peccata criminalia referuntur *Rixa*, *secchia*. Glossarium Rabani Mauri Ms. *Lites*, *sachea*. Glossæ Keronis: *Rixa*, *seccho*. Eadem vox *sache* adhuc nobis de re, quæ in judicio agitur, adhibetur, Glossæ interlineares Codicis Theodosiani *Gasacchio*, *causator* exponunt.

(6) *Illo tuo.*) Ille hic idem est, ac *cujuscunque sit nominis*. Vide, quæ paullo ante ad vocem *Nestigans* dicta sunt.

(7) *Gravionem.*) Vide Notas in Catechesi Theotisca p. 149. seqq. & supra ad Tit. XXXV. leg. 5.

(8) *Rathimburgios.*) Mss. Guelferbytana duo *Racinebu*r*gios*, tertium *Ragimburgios* scripserunt. Glossæ veteres interlineares: *Rachinburgii*, *judices*. Appendix ad Form. Marculfi c. 1. *Et dum hæc causa apud ipsum Comitem vel ipsos Racimburgios diligenter fuit inventa vel inquisita vel legibus definita*. Eædem cap. 4. *Ab ipsis missis dominicis vel illo Comite seu & ab ipsis Rachimburgiis . . . fuit judicatum*. Unde disci-

dicat, si præsens est, voluntate tua solve homini isto, de eo quod ei fidem fecisti, & elige duos ex his quos volueris, quibus eum quod solvere debes, adpretiato (1), & hoc quod debes, secundum justum pretium solve ac satisfac. Quodsi audire noluerit præsens, aut si absens fuerit, statim Rathimburgii adpretiato pretio, & quod debito secundum justum pretium satisfaciat, & quantum valuerit debitum quod debet, hoc de fortuna sua tollat, & ipsa lege duas partes ille, cujus caussa est, ad se revocet, & tertiam partem in Frido (2) Gravio ad se recolligat, si tamen Fridus vim de ipsa caussa non fuit solutus.

IV. Si Gravio invitatus fuerit, & non venerit, si Sumis eum non detinuerit, aut certa ratio dominica (3) eum non distulerit, ut ibi (4) non ambulet (5), neque mittat, ut cum justitia exigatur debitum, aut se redimat, aut de vita componat.

## Titulus LIV.

*De andocmito* (6).

I. SI quis Gravionem ad res alienas tollendum invitaverit, & eum legitime jach-

---

discimus, Rachimburgiorum officium fuisse Comiti in judicio assidere, caussas perpendere, in jus inquirere, & secundum leges illud definire, quod etiam ex lege Salica & ceteris Veterum locis elucet. Formula vetus Cautionis de infracturis: *Contigit quod cellarium vel spicarium vestrum infregi, & exinde annonam vel aliam raupam in solidos tantum furavi, dum & vos & advocatus vester exinde ante illum Comitem interpellare fecisti, & ego hanc causam nullatenus potui denegare, sic ab ipsis Racinburgiis judicatum, ut perivadium meum eam contra vos, hoc est, componere, vel satisfacere debeam . . . sed dum ipsos solidos minime habui, unde transsolvere debeam, sic mihi aptificavit, ut brachium in collum posui & per comam capitis mei coram præsentibus hominibus tradere feci, mea ratione, ut interim, quod ipsos solidos vestros reddere potuero, & servitium vestrum & opera qualecunque vos vel juniores vestri injunxeritis, facere & adimplere debeam; & si exinde negligens vel jactivus apparuero, spondeo me contra vos, ut talem disciplinam supra dorsum meum facere jubeatis, quam super reliquos servos vestros.* Capitular. lib. V. 16. *Si aliquis homo ad palatium venerit pro causa & antea sue Episcopo suisque ministris, quæ ecclesiastica sunt, & quæ secularia suo Comiti non innotuerit in mallo ante Rachinburgios, aut si causa sua in mallo fuit & ante Rachinburgios & hoc sustinere voluerit, quod ipsi legitime judicaverunt* &c. Formula Andegavensis XLIX. *Veniens illi & Germanos suos illi Andecavis civitate, ante viro illuster illo Comite vel reliquis racimburdis qui cum eo aderant, quorum nomina per subscriptionibus atque signacola subter tenentur inserta, interpellabat aliquo homine, nomen illo* &c. Unde apparet, Rachimburgios sententiis Comitum nomina sua subscripsisse. Mentioque eorum fit in Capitulari sub Pippino Rege composito Cap. VI. ubi *Racimburgii* audiunt. In Antiquitatibus Fuldens. lib. II. Trad. 38. legitur: *Totum & integrum tradiderunt coram testibus & Regenburgis.* Et recte omnino Bignonius Racimburgios putat esse eosdem cum iis, qui postea Scabini dicti fuerunt, de quorum officio in Notis ad Catechesin Theotisc. p. 128. seq. egimus. Certe eadem munia utrique peregerunt, atque ut septem Scabini Comiti in judicio assidebant, ita Racimburgii pari numero eidem affuerunt in mallo, ut clarum est ex nostro hoc Legis Salicæ loco, & præterea ex Tit. LX. qui integer de *Rachimburgiorum officio* agit. Quibus consonat Lex Ripuariorum Tit. XXXII. leg. 3. ubi legitur: *Ante Comitem cum septem Rachimburgiis in arabo jurare debet.* Non autem dicti sunt a *rekenen*, ut Wendelinus putat; neque a *bürge*, sponsor, ut secundum Guillimannum *sponsores litis* exponendi veniant: sed a *bergen*, occultare, servare, & *rache*, caussa. Kero in Glossis: *Causa, rahcha. Causæ rahchu. Causam, rahhau.* Idem: *Rem, rachha. Rebus, rahhohom.* Rachimburgi igitur erunt *caussarum servatores* vel *conservatores*, quemadmodum etiam nostro tempore certi judicii in urbe Roma assessores vocantur *Conservatori*.

(1) *Adpretiato.*) Verbum *adpretiare* barbaris est *pretium statuere rei alicujus*. Lex Bajoariorum Tit. XIII. cap. 8. *Si quis alterius caballo aut bovi vel cuilibet quadrupedi unum oculum excusserit, adpretiet illud pecus, quid valet, & tertiam partem componat.* Lex Alamannorum Tit. LXXV. *Illam optimam vaccam IV. tremisses licet adpreciare.*

(2) *Frido.*) sive *in solutionem fredi* h. e. fisci. *Friede* superiores Germani, Saxones *frede* dicunt. Sed de his supra jam ad Tit. XIV. leg. 5. actum est.

(3) *Ratio dominica.*) hoc est negotium dominicum, Vide eandem locutionem supra Tit. I. leg. 3.

(4) *Ibi.*) pro *eo*.

(5) *Ambulet.*) eat. *Ambulare* pro *ire* Lindenbrogiana Legis Salicæ editio Tit. LII. leg. 1. usurpat, ubi dicit: *Ad domum illius cum testibus ambulare debet.* Excerpta de Theoderico Rege, Ammiano Marcellino per Valesium adjecta p. 670. *Ambula Constantinopolim ad Justinum Imperatorem.* Anastasius Bibliothecarius. *Qui semper callem rectitudinis ambulasti.* Auctor Vitæ S. Udalrici: *Signo vespertinali sonante, statim surrexit, & ad ecclesiam ambulavit.* Hinc Gallicum *aller* contractum esse jam Valesius junior vidit, a Menagio laudatus.

(6) *De andocmito.*) Codex Guelferbytanus habet *andometo*. Cum autem *mitan* & *smitan* sit *jactare, jacere*, ut supra ad Tit. XXX. ostendimus, & *ando* sit *alius* ut Tit. X. leg. 5. Tit. XLI. leg. 15. & Tit. XLIIX. leg. 3. dictum, inde credo, legendum hic esse *de andosmito*, atque exponendum: *de alius projectione*, sive *declaratione*, quod caussa ceciderit, & desertæ actionis pœnam incurrerit, terminis juridicis non observatis. Appendix ad Formulas Marculfi Cap. IV. *Cum resedissent venerabilis ille Aba, & inlustris vir ille in villa illa in pago illo, ubi ille Comes esse videtur per jussionem domni, & gloriosi illius Regis ad universorum causas audiendum, vel recta judicia in Dei nomine terminandum, ibique veniens ille advocatus monasterii illius, vel illius Abatis, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei, dum diceret, eo quod legitimum colonitium partibus monasterii sancti illius, vel illius Abatis ad villam illam de parte genitricis suæ redeberet, & negligens & jectivus exinde adesset, sed ipse homo de præsenti adstabat, & ipsam causam nullatenus potuit denegare, & ad ipsum*

jachtivum (1) aut admallatum non habuerit, qui eum rogat, ut injuste aliquid tollat * (2), antequam eum per legem habeat admallatum, aut consecutum quod ei in Mallo fidem fecisset, VIIIM. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur.

II. Si vero Gravio invitatus ad alterius caussam supra legem aut debitum aliquid præsumpserit; aut Weregeldum (3) suum redimat, aut de vita componat.

TITULUS LV.

*De rem præstata* (4).

I. SI quis alteri de rebus suis aliquid præstiterit, & alius ei reddere noluerit, sic eum debet mallare. Cum testibus ad domum illius, cui rem suam præstitit, accedat, & sic contestetur ei: Quia res meas noluisti reddere quas tibi præstiti in hoc, eas tene nocte proxima, quod Lex Salica continet. Et sic ei solem collocet (5): & si nec tunc voluerit reddere, adhuc super septem noctes similiter facere debet: & si nec tunc voluerit reddere, ad alias septem noctes similiter facere debet; & si nec tunc voluerit reddere, ad alias septem noctes id faciat. Post quas ad hunc cum testibus venire debet, & roget, ut sibi debitum suum reddat, & si nec tunc reddiderit, solem ei collocet, & si per tres vices solem collocaverit, & si nec tunc reddere voluerit, aut fidem facere, super illos VIIII. solidos, qui per tres amonitiones adcreverunt super debitum superius adhuc amplius, (MALB. *Tauthe*) (6), DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur.

T I-

* Al. *Fiscare debeat*.

---

*ipsum colonitium se recognovit, & per manus ipsum hominem ipsius Abatis reddidit.*

(1) *Jachtivum.*) *Jactivus* idem est ac *admallatus*, hoc est, *ad judicium citatus*. Vide supra ad Tit. XL. notata. *Notitia de Jactivis* in Appendice Form. Marculfi cap. XXII. hæc habet: *Notitia qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco, qui dicitur ille, in mallo publico, ante virum illum Comitem, vel reliquos quam plurimos bonos homines, qui subter firmaverunt, repetebat ei, dum diceret, eo quod hominem aliquem nomine illum, ante ipsum Comitem adhamitum habuisset: ad placitum venit, ipse ille placitum suum custodiebat, & nec ipse ille ad id placitum venit, nec missum invicem suum direxit, qui ullam soniam nuntiaret; & placitum suum neglexit, & jactivus exinde remansit. His præsentibus.* A *jactivus* autem factum est a Gallis tandem *jetif*, & inde Belgicum *ketyf*, quod Kilianius non adeo commode per *captivus* explicare videtur. Proprie enim eum denotat, qui *ob malefacta condemnatus*, atque adeo *miser* est. Henricus Alcmariensis in Historia Vulpeculæ lib. I. cap. 10.

*Wodoch ick lyn ghes. hendet groff*
*Van Reynken, dem fuer quaden ketyf.*

Ibidem cap. 14.

*De Konnynck sprack; we is so soth,*
*De Reynken dar brynghen dat drydde both,*
*Un eyn oghe heft to vele, edder eyn lyff,*
*Dat sulve wagen umme den bœsen ketyff.*

(2) In calce, *Fiscare debeat.*) De *fisci* voce supra actum. Hic *fiscare* idem est ac *confiscare, in fiscum publicum redigere*. Glossæ Græco-Latinæ: ταμιεύω, *fisco, proscribo*: ταμίευσις, *proscriptio*.

(3) *Wereguldum.*) *Vir* apud Hispanos *varon*, apud Anglo-Saxones *were*, in Evangeliis Gothicis *wair*. Harmonia vetus Evangel. Cottoniana: *thia uueror afterg.ngun*; secuti sunt viri. Alibi eadem Harmonia *faruua rahtun uueror*, vocat *peccatores*. Hinc *werwolf* est λυκάνθρωπος. *Gult, Geld, Gilt*, præstationem, compositionem designare supra ad Tit. II. leg. 1. demonstratum est. De verbo itaque ad verbum *weregildum* est hominis compositio, quo sensu etiam hic & in veteribus legibus aliis semper positum invenitur. Capitulare III. an. 813. c. 6. *Si quis Comes in suo comitatu occisus fuerit, in tres werigildos, sicut sua nativitas est, componere faciat.* Henrici III. diploma an. 1056. datum, apud Nic. Zillesium: *Si aliquis ex familia interfectus fuerit, pretium illius, id est weregelt . . . totum Abbatis erit*, Alia exempla Cangius & Bignonius ad Form. Marculfi ed. Baluz. p. 900. suppeditabunt. Anglo-Saxones hominis compositionem simpliciter *wera* vocabant. Ab hoc autem *weregildo* differebat olim *widrigildum*, quod erat compositio quævis alii rei æquivalens, sive quodcumque, quo alia res judicialiter compensabatur. Formatum id erat a *wider*, re, iterum, adversus, contra, ἀντι; sed uti *wider* vulgo *wir* & Sax. *wedder* communiter *weer* pronuntiatur, ita evenit, ut jam *wehrgeld* in genere nobis sit *retributio*, & *pretium damni dati* vel *dandi*. Cum autem in prioribus Legis Salicæ Titulis *weregeldum* semper *leudis* aut *leodum* vocatum sit, inde apparet, posteriora hæc prioribus successu temporis addita fuisse.

(4) *De rem præstata.*) Latinius alia Exemplaria: *de re præstata*, Gallice *de prest*. *Prester* enim iis est *credere, mutuo dare*, e Latino nempe *præstare* formatum. Vid. Juretus ad Symmachum pag. 263. 264. Apud Marculfum lib. II. cap. 1. pag. edit. Bignon. 54. *caballorum prestus* est idem ac *caballorum præstatio* sive *mutuatio*. Et in Chartis monasticis frequens est *Præstariæ* nomen, quæ est charta, per quam alicui aliquid de bonis monasterii in beneficium ad vitam utendum ab Episcopo vel Abbate datur, vel creditur. Traditiones Fuldenses lib. I. *Ea ratione ut per vestram præstationis chartam ad vitam meam illud habere possim.* Eædem alibi: *Ut, quod trado per vestram præstariam, ad vitam meam possideam.* Formulæ Præstariarum hujusmodi habentur apud Marculfum lib. II. cap. 40. atque in Appendice ad Form. Marculfi cap. XXVII. XXIIX. & XLII. Libellus de cetero, quo præstatio ejusmodi obtinebatur, *Precaria* vocabatur, cujus specimina etiam apud auctores citatos vide. Evolvi etiam de his poterit Bignonius in Notis ad Marculfum pag. 331.

(5) *Solem ei collocet.*) Vid. supra Tit. XL. & quæ ad illum diximus.

(6) *Tauthe.*) Præpositio *ad* Germanis superioribus est *zuo*, Saxonibus *to*, & crassius etiam inter ruricolas *tau*. Sequens *the* Saxonibus *de* est *hic*. Sed quoniam hoc in ablativo casu, quem *zu* nostrum regit, *dem*, vel veteri more, ut in Otfrido aliisque Auctoribus Theotiscis passim obvium est, *themo* efferendum est; inde idem & hic decaudatum; & *themo* restituendum esse, vero mihi simile est.

Sic

## TITULUS LVI.
### *De manu ab Æneo redimenda* (1).

I. SI quis ad Inium mallatus fuerit, & forsitan convenerit, ut manum suam redi-



---

Sic vero *tau themo* locutionem antecedentem *adhuc amplius* clare exprimere quis non videt?

(1) *De manu ab Æneo redimenda.*) Glossæ Pithœi: *de Caldario*. *Æneus* sive *inius* hic pro *aheno* ponitur. Glossæ: χαλκεῖον, *olla*, *æneum*, *vitiarium*. Salvianus lib. VII. p. 145. *Propheta* (Ezech. 24.) *dicit: O civitas sanguinum! æneum, in quo est ærugo, non exiet de eo: quia sanguis non exiet de eo. Civitatem, ut videmus, æneo & iniquitatem sanguini comparavit. Ut intelligamus scilicet sic esse in civitate populi iniquitatem, sicut in æneo sanguinem bullientem.* Infra in nostra Lege Tit. LXVII est *æneum portare, ubi striæ cocinant*. Adde his Tit. LIX. Probatio autem per aquam ferventem quomodo facta sit, ex iis, quæ Gregorius Turonensis lib. I. de Gloria Martyrum cap. 81. retulit, discere licet. Integrum ideo locum afferimus: *Arianorum*, ait, *presbyter cum diacono nostræ religionis altercationem habebat, proferens contra Dei Filium, ac Spiritum sanctum, ut mos est genti illi, venenosas adsertiones. At ille cum diu multumque de fidei nostræ ratione disseruisset & hæreticus perfidiæ obcæcatus caligine, quæ erant vera, respueret, juxta illud, quia in malevolam animam non introibit sapientia, adjecit, dicens: Quid longis sermocinationum intentionibus fatigamur? factis rei veritas adprobetur: succendatur igni æneus, & in ferventi aqua anulus cujusdam projiciatur. Qui vero eum ex ferventi unda sustulerit, ille justitiam consequi comprobatur: quo facto, pars diversa ad cognitionem hujus justitiæ convertatur. Intellige itaque, & tu hæretice, si hæc pars nostra Spiritu sancto adjuvante compleverit, nihil in sancta Trinitate dissonum, nihil esse dissimile fatearis. Consensit hæreticus huic diffinitioni, & inito usque mane placito, discesserunt: sed fidei fervor, per quem hæc primum diaconus protulerat, cœpit inimico insidiante tepescere. Diluculo autem surgens, brachium infundit oleo, unguento conspergit. Sed tamen loca sancta circuit, & Dominum deprecatur. Quid plura? circa horam tertiam in foro conveniunt. Concurrit populus ad spectaculum. Accenditur ignis, æneus superponitur, fervet valde, anulus in unda ferventi projicitur. Invitat primum diaconus hæreticum, ut ipse eum a calore auferat. Sed statim recusavit, dicens: Qui hanc sententiam protulisti, debes auferre. Diaconus vero licet trepidus, tamen denudat brachium. Cumque ipsum vidisset unguentis hæreticus presbyter delibutum, exclamavit dicens: Magicis artibus te elitandum putasti, ut hæc unguenta diffunderes, nec valebunt ista quæ agis. His ita litigantibus, supervenit diaconus ab urbe Ravenna, Jacinctus nomine, sciscitansque quæ esset hæc altercatio, ut veritatem cognovit, nec moratus, extracto a vestimentis brachio, in æneum dextram mergit. Anulus enim, qui ejectus fuerat, erat valde levis ac parvulus, nec minus ferebatur ab unda, quam vento possit ferri vel palea: quem diu multumque quæsitum, infra unius horæ spatium reperit. Accendebatur interea vehementer focus ille sub dolio, quo validius fervens non facile adsequi possit anulus a manu quærentis, extractumque tandem, nihil Diaconus sensit in carne sua: sed potius protestatur, in imo quidem frigidum esse æneum, in summitate vero calorem teporis modici continentem. Quod cernens hæreticus, valde confusus, injecit audax manum in æneo, dicens: Præstabit mihi hæc fides mea. Injecta manu, protinus usque ad ipsa ossium internodia omnis caro liquefacta defluxit: & sic altercatio finem fecit.* Similis historiola de anulo in ignem projecto ab eodem Gregorio Cap. 14. Libri de Gloria Confessorum profertur. Pithœus ex veteri membrana fragmentum, quo ritus circa judicium aquæ calidæ usitati describuntur, nobis produxit; quod inserere hic placet.

*Judicium aquæ calidæ & ferri candentis.*

*Inquisitus aliquis de furto, luxuria, adulterio, vel qualicunque re alia, & nolens confiteri magistro seniori, vel missu senioris, ista erit ratio. Pergens sacerdos ad Ecclesiam induat se vestimentis sacris, excepta casula, ferens in læva Evangelium sanctum cum Crismario & patrociniis Sanctorum, caliceque & patena, expectante eum plebe cum fure vel cujuscunque criminis implicato in atrio Ecclesiæ, & dicat coram astanti plebe in ostio Ecclesiæ.*

*Videte, fratres, Christianæ legis officium: Ecce lex in qua est spes & remissio omnium peccatorum, hic chrismatis unctio, hic corporis & sanguinis Domini consecratio. Videte ne tantæ beatitudinis hæreditate & consortio privemini, implicantes vos sceleri alieno, quia scriptum est, Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, damnabuntur. Deinde vertens, se ad sceleratum, dicat tam ei quam plebi:*

*Interdico tam tibi quam & omnibus astantibus, o homo, per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, per tremendum diem judicii, per mysterium baptismatis, per venerationem omnium sanctorum, ut si de hac re culpabilis es, aut fecisti, aut scisti, aut bajulasti, aut consensisti, aut post actam culpam denominatam sciens factoribus iuuisti &c. Ecclesiam Dei non intro eas, Christianæ societati non miscearis, si reatum nolueris confiteri admissum, antequam judicio examineris publico.*

*Deinde designet locum in atrio Ecclesiæ, ubi ignis fieri possit ad caldariam suspendendam, in qua aqua bulliens efficiatur, aut ferrum ignitum: Ita tamen ut prius locus ille aqua benedicta aspergatur, nec non & aqua quæ in caldaria est propter illusiones dæmonicas. Et his dictis imponat introitum. Ant. Justus es Domine. Ps. Beati immaculati. Resp. Custodi me Domine. vers. De vultu tuo. Off. De profundis. Com. Amen dico vobis quidquid orantes.*

*Post celebrationem missæ pergat Sacerdos cum plebe ad aquam vel ferrum benedicendum. Oremus. Deus Judex justus &c.* Ut ab Auctuar. referuntur lib. 4. Annal. Bojor. Ms. quod ad finem ita est in vet. Ex. *eripuisti: Ita clementissime dominator oramus & petimus, ut quisquis innocens de hoc crimine prænominato in hanc aquam manum miserit, vel ferrum portaverit, sanam & inlæsam eam educat, per te salvatorem & redemptorem totius orbis, qui venturus es judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.*

*Omnipotens sempiterne Deus, qui es scrutator occultorum cordium, te.* Hic definit plane vet. exemplar. Formulas Exorcismorum ad maleficia in purgationibus hisce reprimenda nobis conservavit Lindenbrogius in Codice Legum antiqu. pag. 1299. seqq. Videntur autem hæc purgationum vulgarium genera potius inventa fuisse a majoribus nostris adhuc ethnicis, ut facinorosi, combustionis metu territi, eo facilius confiterentur crimina commissa. Ut solemnius omnia fierent, res certis precationum formulis peragebatur; & sub gentilismo lebes sacer, cujus in sacrificiis usus, ad aquam calefaciendam adhibitus fuisse videtur. Ex isto enim sacerdotes sive Aliorunæ, quando hostiarum sanguine repletus erat, divinationes captabant & occulta prius patefaciebant. Unde ei divinitus quid inesse creditum. Craterem ejusmodi æne-

redimat, & juratores (1) donet; & si talis caussa est, de qua si legitime convictus fuisset, xv. sol. componere deberet, tunc cxx. den. qui faciunt sol. III. manum suam redimat; quod si amplius ad manum suam redimendam dederit, fredus exinde solvatur Gravioni quantum de ipsa caussa, si convictus fuisset. Si vero maior causa est, unde MCC. den. qui faciunt sol. XXX. poterat componere, & convenit, ut manum suam redimat, CCXXXX. qui faciunt sol. VI. manum suam redimat. Quod si amplius dederat, fredum solvat, quantum si de caussa convictus fuisset. Si vero major culpa fuerit, unde si probatus fuisset, MMD. den. qui faciunt sol. LXII. cum dimidio, culpabilis judicetur, & convenit ut manum redimat, DC. den. qui faciunt sol. XV. solvat: quod si amplius dederit, fredus exinde solvatur *, tantum quantum si de caussa illa probatus fuisset. Ista redemptio usque ad Leudem permanet (2). Si vero Leudi alteri imputaverit, & eum ad æneum habet amallatum, & convenit ut manum suam redimat, solid. XXX. donet; quod si amplius dederit, fredus de ipso leudi solvatur.

## TITULUS LVII.

### *De Gravione occiso.*

I. SI quis Gravionem occiderit, XXIIIIM. den. qui faciunt solid. DC. culpabilis judicetur.

II. Si quis Sagbaronem (3), aut Gravionem, qui puer regius fuerat, XIIM. den. qui faciunt sol. CCC. culpabilis judicetur.

III. Si quis Sacebaronem, qui Ingenuus est, & se vel alium Sacebaronem posuerit (4), occiderit, XXIIIIM. den. qui faciunt solid. DC. culpabilis judicetur.

IV. Sachibarones vero in singulis Mallebergiis (5) plus quam tres esse non debent (6), & si de caussa ** illi aliquid sanum dixerint, penitus Gravio nullam habeat licentiam removendi.

T I-

* Al. *Exinde Gravioni solvatur.* ** Al. *Et si causa aliqua ante illos secundum legem fuerit definita, ante Gravionem eam removere non licet, si illi securitatem præstiterint.*

---

æneum, amphoras circiter viginti capientem, quem Cimbri secum habebant in Italica expeditione, Strabo lib. VII. descripsit, qui & Cimbros Augusti amicitiam expetentes, eidem lebetem, apud ipsos sacerrimum, dono misisse refert. Herodotus libro IV. etiam Scythas vas ejusmodi sacrum habuisse prodit. Gentilium sacris abolitis, striges & maleficas mulieres lebete quoque sacro in conventibus suis usas fuisse ex Tit. LXVII. leg. 1. apparet. Nec abrogatus est lebetis sive ænei judicium in purgationibus; sed ei saltem preces Christianæ adjunctæ. Hincmarus de divortio Lotharii & Tetbergæ, Operum ed. Sirmondi Tom. I. pag. 598. dicit, se interrogatum esse, quid de eodem judicio sentiret, *quoniam*, ut verba habent, *quidam dicant nullius esse auctoritatis sive credulitatis judicium, quod fieri soleat per aquam calidam, sive frigidam, neque per ferrum calidum, sed adinventiones sint humani arbitrii, in quibus sæpissime per maleficia falsitas locum obtineat veritatis, & ideo credenda esse non debeant.* In Responsione quidem Hincmarus objectiones has refutare, & judicia ejusmodi S. Scripturæ conformia esse ostendere conatur. Sed argumenta, quibus utitur, debilia esse, lector ingenio & judicio præditus facile agnoscet. Unde Sylvester PP. II. recte ad Lambertum Episcopum Moguntinum rescripsit: *Ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censuerunt Canones: & quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum.* Plura non congerimus. Videri ea possunt in Glossographis, Lindenbrogio & Cangio, ut & in Pithœi & Bignonii Notis ad Legis nostræ locum præsentem.

(1) *Juratores.*) Vide quæ ad Tit. LI. leg. 3. dicta sunt.

(2) *Usque ad Leudem permanet.*) Sive ad compositionem integri hominis, qua nempe integer homo redimitur.

(3) *Sagbaronem.*) Sagbaro lege sequenti *Sacebaro* & leg. 4. *Sachibaro* scribitur. In Mss. Guelferbytanis *Sacibaronem* & *Sagibaronem* invenimus. In Glossis Pithœi dicuntur *quasi Senatores*. Bignonius viros ætate & sapientia maturos interpretatur, quibus ob peritiam legum & multarum rerum experientiam judicibus consilium dandi & controversias definiendi facultas erat. Nomen ipsorum compositum est a *Sacbe*, caussa, controversia, de quo supra, & *baro* vir, de quo etiam antea actum, ut adeo *sachbaro* idem sit ac *sachman*, vel, quod nomen familiæ honestæ adhuc adhæret, *Sacman*; eoque denotetur proprie *vir controversiarum*, sive *qui controversias intelligit, & secundum leges dirimere potis est*. In veteribus monumentis hi *sachbarones* Latine *boni homines* vocantur; & post Comitem, & Rachimburgios sive Scabinos, hoc est, judices collocantur. Formula Judicii a Cangio Glossar. Tom. I. pag. 583. citata: *Ibique residebant in placito N. Comes, & ibi sedebant de judicibus N. N. Ibique residebant cum eis de bonis hominibus N. N.* Pronunciationis formula ibidem; *Et nos qui superius N. Comes, cum memoratis judicibus & bonis hominibus ... judicavimus.* Appendix ad Form. Marculfi cap. LI. *Non minima, sed maxima vertitur discordia inter illum & illum. Venientes in loco illo, ante bonos homines, repetebat ipse ille in causa sua vel conjugis suæ illius adversus ipsum lui . . . Exinde taliter ab ipsis bonis hominibus fuit judicatum* &c.

(4) *Posuerit.*) *Ponere* hic usurpatur pro *ligare* seu in *custodiam dare*, Simili modo Germani dicunt, *einen setzen*, vel, ut supra allegavimus ad Tit. XXXV. leg. 1. *possen*.

(5) *Mallebergiis.*) H. e. conventibus judicialibus. Vide supra ad Tit. II. leg. 1. notata. Editio Lindenbrogiana non male in Lege nostra addit, Mallobergium esse *plebem quæ ad unum mallum convenire solet*.

(6) *Plus quam tres esse non debent.*) Ne scilicet multitudo Legisperitorum differentibus sententiis judices turbet. *Tres homines* qui supra in Titulo *de Reipus* (qui XLVII. est) requiruntur, etiam Sachbarones esse videntur.

## TITULUS LVIII.

### *De corporibus expoliatis* (1).

I. SI quis corpus occisi hominis, antequam in terram mittatur *, expoliaverit, (MALB. *Cheo mosido*) (2), MMD. den. qui faciunt solid. LXII. & dimidium culpabilis judicetur. Et antiqua lege (3), si corpus jam sepultum exfodierit, & expoliaverit, wargus (4) sit usque in diem, qua cum parentibus (5) ipsius defuncti convenerit, & ipsi pro eo rogent, ut inter homines liceat ei accedere; & quicunque antea ei aut panem (*6*), aut hospitale (*7*), sive uxor sua, sive proxima, ei dederit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur. Tandem auctor ex scelere qui hoc admisisse probatur, (MALB. *Thurnicale*) (8), VIIIM. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur.

II. Si quis hominem mortuum, super alterum in petra aut in nauso ** (*9*), miserit (10), (MALB. *Idulgus*) (11), sol. XXXV. culpabilis judicetur.

III. Si quis tombam *** (12), super mortuum hominem exspoliaverit, (MALB. *Turnicha-*



* Al. addunt: *in furtum*: al. *per furtum*.

** Al. *Nausbo*.

*** Al. *Tomolam*.

(1) *De corporibus expoliatis.*) *Corpus* hic pro *cadavere* sive homine mortuo sumitur. Leges Romanas de violatione sepulcrorum & spoliatione mortuorum agentes, longo ordine recenset Bignonius ad h. l.

(2) *Cheo Mosido.*) Legendum, ut supra ad Tit. XVII. leg. 1. clare satis ostendimus, *chreomordo*, quod significat *hominem mortuum* sive *cadaver exspoliaverit*.

(3) *Antiqua lege.*) Nota Titulum XVII. ubi hæc extant, *antiquam legem* a Clodoveo hujus Tituli auctore vocari.

(4) *Wargus.*) Glossæ interlineares Thuani: *dejectus*. Lex Ripuariorum Tit. LXXXV. *Wargus sit, hoc est, expulsus*. Ita & Codices Guelferbytanus & Gothanus præferunt. Sidonius Apollinaris lib. I. Epist. 4. *Fœminam quam forte Vargorum (hoc enim nomine indigenas latrunculos nuncupant) superventus abstraxerat*. Hier. Vignierius in Alsaticis pag. 128. *Alienigenæ, id est, Warganei, qui manserint in banno, dabunt Comiti 4. denarios*. Anglo-Dani illi, qui seculo duodecimo Constantinopolin profugerant, atque ob fortitudinis laudem custodiam palatii, & thesaurorum imperialium ibi pro se & posteris suis meruerant, *waringi*, *varingi*, *weringi*, & Græce Βαρέγγοι, hoc est, *extorres* vel *exsules*, ut Ordericus Vitalis lib. IV. pag. 508. habet, dicti sunt. Videantur de iis Scriptores Byzantini, & præterea Willelmus Malmesburiensis lib. II. c. 13. Saxo-Grammaticus lib. XII. Villeharduinus & notæ ad eum Cangii. Anglo-Saxones littera *r* paullisper transposita pro *wargo* vulgo *wræca* dixere. Bensonio in Vocabulario Anglo-Saxonico *wrecca*, *wreccea* & *wræcca* vel *wræccea* est *exsul*, miser; *wræcfull*, laboriosus; *wræcfullif*, exsilium; *wræcnian*, peregrinari; *wræcstao*, exsilii locus. Radix non est Latinorum *vagus*, ut Wendelinus putat, sed nostrum *werffen*, jacere, ejicere, quod olim & *wergen* enunciatum fuisse debuit. *Wargus* itaque proprie est *ejectus*, *exsul*. Quia autem hoc modo ejecti olim plerumque, ut vitam sustentarent, latrociniis se dedebant, hinc & *wargus* pro *latrone* in usum venit, de quo alibi agimus.

(5) *Parentibus.*) hoc est, *consanguineis*.

(6) *Panem.*) Victum quemcunque. Sic etiam sub *panis quotidiani* nomine in Oratione Dominica *omnia ad vitam sustentandam necessaria* intelliguntur; & *lechem* apud Hebræos *panem* non solum, sed & *alimenta quævis* denotat. Græcum ἄρτος eodem modo adhibitum reperitur. Marcus Aurelius lib. IV. Ἄρτους οὐκ ἔχω, φησί, καὶ ἐμμένω τῷ λόγῳ. Aulus Gellius lib. IX. cap. 9. (*Aliqua hic deesse videntur*. N. C.) *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit*. Uti autem a *potus* fit *potagium*, & a *vino vinagium*, ita & a *panis* formatum exstitit *panagium* pro *victu*. Hinc vero compositum factum est *apanagium*, & Gall. *apanage*, quod significat, bona, quæ minoribus natu filiis *ad panagium* sive *ad vitæ necessaria* comparanda conceduntur. Aliæ aliorum a Menagio allatæ hujus vocis derivationes, a nostra hac, quam & Nicotius, Stephanus & Schilterus approbarunt, diversæ, ne hilum quidem valent.

(7) *Hospitale.*) Lindenbrogiana editio habet: *hospitalitatem*; quæ vox hoc sensu etiam Tit. LIX. leg. 1. occurrit. Hoc ultimo loco editio Lindenbrogiana *hospitium* ponit, pro quo & *hospitale* barbaris usitatum est. Nos inde nostrum *Spital* fecimus, quo pro *Xenodochio* utimur.

(8 *Turnichale.*) Leg. *Turnichalt*, quod supra ad Tit. XVII. leg. 2. exposuimus.

(9) *In petra aut in nauso.*) Vid. supra Tit. XVII. leg. 4. & quæ ibi annotavimus.

(10) *Miserit.*) Mittere hic pro *ponere* usurpatur. Eodem modo Tit. XVII. leg. 4. dictum est: *Super alium miserit*. Et Tit. XXII. leg. 4. *Cum ligaturis in aliquo loco miserit*. Tit. XXXVII. leg. 4. *Si quis .... ubilibet aliquid de furato miserit, nesciente domino*. Et infra Tit. LXIX. leg. 3. *dimiserit* usurpatum est pro *deposuerit*. Lex Salica Edit. Pithœanæ Tit. LVII. leg. 3. *Si quis aristatonem, hoc est, staplum super mortuum missum capulaverit*. Edmundus Martene de Antiquis Monachorum Ritibus Tom. II. pag. 543. *In Dedicatione Ecclesiæ hoc tantummodo additur, ut per omnia altaria luminaria mittantur*. Verbum inde *mettre* Galli pro *ponere* etiam adhibent. Dicunt quoque *mettre un habit*, quemadmodum Tertullianus de Pallio habet *ponere vestem* pro *induere*. Vid. Salmasii notas ad hunc locum pag. 369. *Mets de table* & Ital. *messo* est *ferculum*; quasi dicas *missum* vel *positum* in mensam, ut edatur.

(11) *Idulgus.*) Restituo: *Ibar legut*, sive *ibar legit*, quod est, *supermiserit*. Tatianus II. 4. *Ubar inon*; super eum. Et sic in omnibus Glossariis nostris hæc præpositio scribitur. Aliquando & *upar* invenitur. *U* fere ut *i* pronunciari notum est. Nos hinc adhuc *über* dicimus. *Legen* est *mittere*, sive *ponere*.

(12) *Tombam.*) Alibi scriptum est *tomolam* & *tumulum*. *Tomba* idem est ac *tumba*, Græce τύμβος, & ab eo Gallorum *tombe* & *tombeau*, sepulcrum, prodiit. Hic tamen exterior sepulcri pars, sive cooperculum ejus intelligi videtur. Hæc enim olim pretiose quandoque exornabantur, &, quod fures appeterent, habebant. Jornandes de rebus Geticis: *Noctuque secreto cadaver est terra reconditum, cujus coopercula primum auro, secundo argento, tertia ferri rigore communiunt*. Eodem sensu Petrus Cel-

*nichalis* ) (1), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

IV. Si quis *cheristaduna* * (2), super hominem mortuum capulaverit, (MALB. *Mandoado* (3), aut *Silave*) (4), quod est porticulus ** (5), super hominem mortuum dejecerit, de unaquaque (MALB. *Chreo burgio* ***) (6), DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis judicetur.

V. Si quis basilicam (7) super hominem mortuum expoliaverit, (MALB. *Chre ottarsino*) (8), MCC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

T I-

* Al. *Aristatonem*. ** Al. *Staffius*. *** Al. *Chreobardio*.

Cellensis Lib. V. Epist. 16. dicit: *Ut evolem & visitem Tumbam pretiosi Martyris S. Thomæ*. Et lib. VI. Epist. 12. *Non solum Angli, sed & Galli quasi ad solemnes epulas & ad fertilissimas jubilationes concurrunt ad Tumbam prædicti Sancti*. Inscriptio Christiana apud Gruterum 1170. 4.

*Exornans rutilum pretioso marmore tumbum,*
*In quo poscentes mira superna vident.*

(1) *Turnichalis*.) Leg. *Turnichalt*, ut ante.

(2) *Cheristaduna*.) Reliquæ omnes editiones & manuscripta *aristatonem* præferunt, de quo supra ad Tit. XVII. leg. 5. Wendelinus & Cangius ex hac voce *Cheristatuna* corruptum esse statuunt. Nec refragor. Quid, si autem *Cheristaduna* contractum esset ex *Christ statuna*, ut indicaretur *Christi statua*, hoc est, *signum crucis Christi?* Hoc enim, more ab antiquo ad nos derivato, adhuc sepulcris ex ligno fabricatum communiter imponitur. *Statuæ* autem vocem in *statuna* mutatam aliquando fuisse, indicat eius diminutivum *statuncula*, pro *iconcula* veteribus adhibitum. Fragmentum Petronii Tragurianum: *Ita ex hac massa fabri sustulerunt & fecerunt catilla & paropsides, statuncula* &c. Gregorius Turonensis lib. I. cap. 5. *Hic (Chus) primus statunculam adorandam diaboli instigatione constituit*.

(3) *Mandoado*.) Ego hoc ipso Germanice reddita puto verba *hominem mortuum*. *Man* enim denotat *hominem*. Glossæ Keronis: *Homo, man. Hominis, mannes. Hominum, manno. Hominibus, mannum*. Breviarium rerum fiscal. Caroli M. pag. 321. *Et est unus manus, qui arat annis singulis jurnales VIIII. seminat, & introducit*. Ubi *unus manus* idem est, ac *ein man* sive *homo quidam*. Et sequens *doado*, Saxonibus *dode*, Germanis superioribus *toter*, *mortuum* designat. Kero: *Mortuum, totan*. Hoc autem non intellexere Legis Salicæ Emendatores posteriores, qui ex Glossa *mandoado* vocem *mandualem* fecerunt. Ita enim editio Lindenbrogiana & Pithœana: *Si quis aristatonem, hoc est, staplum super mortuum missum capulaverit, aut mandualem, quod est structura, sive selave, qui est ponticulus* &c. Ubi nota *structuram* sumi pro *cancello*, atque ita non a *struere* Latinorum, sed a Germanico *stricken*, innectere, implicare, derivatum. Glossa apud Pithœum *mandualem* exponit *cancellum, qui desuper tumulum stat*. Unde apparet de pallio hic exponi non posse. Notandum autem, nobis *mantel* non solum dici pallium, sed etiam omne id quod aliud quid circumdat. Ita *mantel des schlosses* est murus arcis; *mantel des camins* est structura, quæ camini focum circumdat. *Mandel* inde vocamus mergitum metas, quæ messis tempore in agris eriguntur; quia scilicet una mergite erecta reliquæ circum eandem statuuntur. In Germania superiori, ubi mergites paullo crassiores fiunt, quindecim metam eiusmodi constituunt, unde ibi vox *mandel* etiam pro *quindecim* dicitur. In Saxonia vero viginti mergites metam conficiunt, quæ *stige*, hoc est, *statio* vocatur; quia mergites erectæ in ea stant. Unde apud Saxones etiam *stiege* vulgo *viginti* significat.

(4) *Silave*.) In edit. Lindenbr. & Pith. *Selave*, in Ms. Guelferbytano *salive*; in alio Codice *Sillabe* scribitur. Pithœus a *seule*, columna, deflectendum; Wendelinus quasi *parvam Salam* dictum putat. Sed exponitur mox *porticulus*, qualem nos *laube*, Sax. *loeve*, dicimus. Veteres crassius etiam aliquando *louba* exprimebant. Glossæ Mss. Florentinæ: *Umbraculum, louba*. Eadem & Glossarium Ms. Lindenbrogianum habet. Papias: *Tempes, laubia vulgo dicitur*. Placitum Ludovici Imp. anni 904. apud Ughellum Tom. I. pag. 851. peractum dicitur *in palatio, quod est fundatum juxta basilica beatissimi Principis Apostolorum, in laubia magiore ipsius Palatii*. Fulcuinus de Gestis Abb. Lobiensium cap. 1. *Obumbraculum ad temperandum solis æstum, quod Lobiam vocant*. Et paullo post: *Teutones adstipulare videntur: nam locus ille eorum lingua Lobach dicitur; & Lo quidem vocant obumbrationem nemorum, Bach autem rivum: quæ duo si componantur, faciunt umbraculi rivum*. Quia autem umbracula hujusmodi primitus ex viridibus ramis fiebant, inde a foliis quæ nobis *laub*, nomen acceperunt. Præcedens *sil*, *sel*, vel *sal* mihi idem videtur ac nostrum *sele*, anima. Keronis Glossæ: *Animam, sela. Animas, selo*. Dani animam *siel*, Belgæ *siele*, Angli *soule*, Anglo-Saxones *saul*, *sawl*, *sawal*, *sawel*, & veteres Gothi *saiwala* vocant. Vid. Junii Glossar. Gothicum pag. 288. Si igitur componas *sel* vel *siel* & *lave*, prodibit *selave* & *silave*, & *porticulum* vel *tegmen animæ* sive *defuncti*, hoc est, ædiculam super sepulturam alicujus constructam denotabit.

(5) *Porticulus*.) Minor porticus, ædicula super sepulcrum alicujus. Engelhusii Vocabularium Ms. *Likhus, porticus*. Editiones Lind. & Pith. nec non duo Mss. Guelferbytana erronee *ponticulus* hic posuere.

(6) *Chreo burgio*.) Aliud exemplar Heroldinum habuit: *chreobardio*; pro quo tamen *chreoburgio* restituendum puto. *Bergen* enim est *condere, recondere, occultare, tegere*. Et inde *burg* proprie *reconditorium* vel tegmen. Sic *Chreoburgio* verbotenus erit *hominis mortui reconditorium* seu *tegmen*. Nostrum vero *burg* etiam de sepulcro usitatum fuisse, docent nos Glossæ Lipsianæ his verbis: *Burgisli, sepulchrum, quasi tegmen hominum & operculum*

(7) *Basilicam*.) Editio Lindenbr. & Pithœana hic legit: *Si quis domum in modum Basilicæ factam super hominem mortuum expoliaverit*. Unde elucescit, *basilicas* appellatas esse ædiculas quasdam, quas Franci veteres Magnatum tumulis imponebant, quod formam basilicarum seu ædium sacrarum referrent. Talis ædicula fuit fortassis, quæ super sepulcrum S. Martini exstructa primitus fuit *cellula*, a Perpetuo deinde Episcopo Turonensi in Basilicam splendidam mutata, indice Gregorio Turonensi lib. II. cap. 14. Idem Gregorius de Gloria Confessorum cap. 51. meminit *basilicæ sepulchri S. Severini*. In Formulis Andegavensibus frequenter *basilica sancti illius, basilica domni illius* &c. nominantur, in quibus placita habita fuisse apparet.

(8) *Chreottarsino*.) Leg. *chreo karchino*; ita

ho-

### Titulus LIX.

*De despectionibus* (1).

I. SI quis ad Mallum venire dispexerit, aut quod ei Rathimburgiis fuerat indicatum adimplere noluerit, si nec de compositione, nec ad Æneum, nec de ulla lege fidem facere voluerit, tunc ad Regis præsentiam ipse manniri debet, & ibidem cum duodecim testibus ire debet, qui per singula placita jurati dicant, quod ibidem fuisent, ubi Rathiburgii ei indicaverunt, ut ad Æneum ambularet, aut per compositionem fidem faceret, & ille dispexerit. Iterum alii tres jurare debent, quod ibidem fuissent, post illam diem, quo ei Rathenburgii indicaverunt, aut per *Æneum*, aut per compositiones (2) se educeret: hoc est, de illa die in quadraginta noctes in Mallobergo iterum solem collocaverit, & nullatenus legem voluerit implere. Tunc eum debent mannire ante Regem in XIIII. noctes; & tria testimonia jurando dicant, quod eum mannisset; & si nec tunc venerit, ista omnia novem testimonia jurati dicant, sicut superius diximus. Similiter illa die si non venerit, collocent ei solem iterum, & illa tria testimonia quæ ibidem fuerint ubi collocaverit solem. Tunc cum ista omnia impleverit, qui eum admallat, & ille qui admallatur ad nullum placitum venerit, & pro lege se educere noluerit, tunc Rex, ad quem mannitus est, extra sermonem ponet (3), & ita ille culpabilis, & res suæ erunt in fisco, aut ejus cui fiscus dare voluerit; & quicumque ei aut panem dederit, aut in hospitalitatem collegerit, sive sit uxor sua, aut proxima (4), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur, donec omnia secundum legem, ea quæ illi injuncta sint, componat.

II. Si quis alterum in Mallo per legem vicerit, & is fidem facere dispexerit, aut pretium solvere, tunc Rathinburgii eum debent attendere, secundum legem qualis causa esse videtur, & ille qui eum mallavit ad casam suam, ei nuntiare debet pretium aut debitum; & si tunc ei satisfacere noluerit, tunc per legem debet attendere, & postea Grafio ad casam suam invitari, ut quod lex est, is de causa & rebus suis secundum legem referat.

### Titulus LX.

*De Rathinburgiis* (5).

I. SI quis Rathinburgii legem voluerit dicere in Mallebergo residentes, cum causam inter duos discusserint, debet eis qui causam requirit dicere: Dicite nobis Legem Salicam. Si illi tunc noluerint dicere, tunc iterum qui causam requirit, dicit: Vos tangano, ut mihi & isto legem dicatis. Bis aut tertio hoc debet facere. Si vero illi noluerint dicere, tunc qui causam repetit debet dicere: Ego vobis tangano (6) usque quo mihi



---

*hominis demortui basilica* Germanice nominatur. *Chreo* enim *cadaver* aut *hominem demortuum* esse, supra ostendimus. *Karchino* est nostrum *kirche*, rusticis Thuringis *kerche*, Saxon. *kerke* & paullo crassius pronunciatum *karke*, κυριακὴ, dominica ædes, basilica. Egimus hac de voce fusius dissertatione peculiari Bibliothecæ Hist. Philolog. Theologicæ, quæ Bremæ imprimitur, inserta. Quæ maxime Reverendus Diecmannus opposuit, ingeniosa sunt; nostra tamen necdum improbare possumus.

(1) *De despectionibus*.) h. e. de contemtu judicii vel contumacia. *Dispicere* in hac ipsa lege, *contemnere*.

(2) *Aut per æneum aut per compositiones*.) Leg. *ut per æneum aut per compositionem*.

(3) *Extra sermonem ponet*.) Infra Tit. LXXVI. leg. 1. *Rex, ad quem mannitum est, eum extra sermonem suum ponat*, Supra Tit. XIV. leg. 5. occurrit puella, quæ *in verbo Regis* est. *Sermo* autem hic & *verbum*, tuitionem, defensionem aut mundeburdium significat. Vide supra ad Tit. XIV. leg. 5. notata.

(4) *Proxima*.) Amica, consanguinea. Nota sunt verba Legis: *Diliges proximum tuum* &c. Pro consanguineo Leg. Burgund. Tit. XXXVI. occurrit in verbis: *Pretium ei, qui est proximus mulieri, quam adulteravit ... cogatur exsolvere*. Recurrit eodem sensu Legis Sal. Tit. LXV.

(5) *De Rathinburgiis*.) Lege *Rachinburgiis*, ut ad Tit. LIII. leg. 3. demonstratum est: ubi & significatio vocis exposita.

(6) *Tangano*.) Sic & duo Codices Guelferbytani: tertius vetustior habet *tangono*. Wendelinus putat, idem esse, ac Belgicum *Ick bedinghe uch*: Ego vos interpello. Nec multum ideo abit a Pithœo, qui *tangano* pro *adjuro* admittit. Melius quadrat vetus verbum *tigan*, quod & *thingan* scriptum fuisse Mylius in Archæologo Teutone asserit. Glossæ Keronis: *Petat, dike. Petierit, dikit. Petierit, digi. Petitio, digi. Petitionis, dikii*. Otfridus lib. I. cap. 4. *Vuarun thiggenti*; erant orantes sive orabant. Id. lib. V. cap. 16. *Thar ir xi mir es thigget*; quando a me id petieritis. Colloquium Christi cum Samaritana vers. 41. *Herro, ih ticho ze dir*; Domine, oro ad te. Suecis adhuc *tiggia* est *emendicare*, *tiggare*, mendicus. & *Tiggebroedere*, fratres mendicantes, vulgo *Bettelmoenche*. Ab hoc igitur *thiggan* vel *tingan* aut *tengan* vel crassius pronunciato *tangan* formatum est *tanganare*, rogare, orare, precari, supplicare. Et *ego vos tangano* idem est, ac *ego vos precor*. A verbo hoc in supplicationibus solenni porro formatum fuit, nomen *tanganum* pro *oratione*, præfatione aut benevolentiæ captione usitatum. Lex Ripuar. Tit. XXX. leg. 1. *Dominus ejus pro eo* (servo) *interrogatus, respondeat & sine tangano loquatur & dicat*. Eadem Lex Tit. LVIII. leg. 20. *Servi autem Ecclesiarum, non per actores, sed ipsi pro semetipsis in judicio respondeant & sacramento absque tangano conjurent*. Porro Tit. LIX. leg. 8. *Quia dum interpellatur, respondeat ad interrogationes & sine tangano loquatur & dicat: Non malo ordine, sed per testamentum hoc teneo*. Præsamen autem hic per *tanganum* indicari, ex Saxonum dialecto conjicimus, quibus inde *betengen* est *incipere*, *moliri*; quia plerumque res quascunque ab oratione incipere solemus. Quamquam, ut verum fatear, nec hæc mea con-

mihi Legem dicatis Salicam. Tunc feptem de illis Rathenburgiis, collocato fole, IX. folid. culpabilis unufquifque judicetur. Quod nec fic legem dicere voluerint, nec folvere, nec fidem facere, tunc folem illis iterum collocet, & fic poftea XV. folidis unufquifque culpabilis judicetur. Si vero Rathinburgii non fecundum Legem judicaverunt Salicam, his, contra quos fententiam dederunt, folidos XV. folvant.

II. Si vero Rathenburgii illi legem dixerint, & ille, contra quem dixerunt, eis contradicat, & hoc fuftinere noluerit; eos enim contra legem judicaffe fibi putat; & id comprobare non poterit, unicuique de feptem Rathinburgiis DC. denar. qui faciunt folid. XV. folvat.

TITULUS LXI.

*De chren ceude* (1).

I. SI quis hominem occiderit, & in tota facultate non habuerit, unde totam legem impleat; duodecim juratores dabit, quod nec fubtus terram, neque fupra terram plus de facultate habeat, quam donavit. Et poftea debet in cafam fuam intrare, & de quatuor angulis terræ pulverem in pugno colligere & poftea in duropello (2) ftare, & intus cafam cuptare

ptare

conjectura hic mihi fatisfacit. In re dubia itaque aliam propono, quæ præ ceteris mihi placet. Habemus nos Saxones vocem *tange*, Germ. *zange* pro *forcipe* vel *tenaculo*, unde conjicio fuiffe nobis olim quoque verbum *tangen* pro *tenere*, *detinere*. Hinc Latinum *tanganare* effet *tenere*, *retinere*, Gall. *arreter*; & fubftantivum *tanganum* in Lege Ripuaria *detentio*, *captio*, *captura*.

(1) *De Chren ceude.*) Lex agit de iis, qui publice & folemniter demonftrant, quod nil amplius omnino in bonis habeant, quo occifum hominem componere poffint. Debuit hujufmodi homo, hanc fuam inopiam publice profiteri modo præfcripto; deinde domum fuam intrare, & pulverem ex quatuor angulis collectum in limine domus conftitutus trans fcapulas jacere in proximiorem agnatum vel cognatum, & fic porro. Editiones Lind. & Pith. nec non Codices Guelferbytani *chrene cruda* & *chrenchruda* præferunt, atque etiam ita in Tituli noftri lege 2. fcribitur. Goldaftus & Spelmannus *viridem herbam* interpretantur. Sed hic non *de herba*, fed *de pulvere* trans fcapulas jacto fermo eft. Wendelinus quafi *reine keurde*, five *purificationis approbationem* dictam putat. Sed hoc modo Belga noftri temporis, nullatenus autem Francus ævi vetuftioris loqui poteft. Nos exclamationem bonis cedentis effe conjicimus, quæ a Saxonibus, cum quibus vetuftiffimorum Francorum dialectum exacte conveniffe fæpius experti fumus, profertur: *rene herute*. Sæpius jam *chreo* pro *reo* vel *ref*, cadaver; & *cheriftiao cheretoge* pro *heretog* fupra dictum vidimus, & infra *chervioburgius* ex *Herbarius* factus occurrit: atque ita & hic *chrene* pro Sax. *rene*, Germ. *reine*, pofitum eft, quod *purum* fignificat. *Herut* Saxonice *vacuum*, *ubi nihil eft*, item, *foras*, notat. Germani *herraus* dicunt. Olim *herutz* pronunciatum fuiffe conjicio ex *hutz* ejufdem fenfus vocula, quæ inde contracta eft. Aftronomus in Vita Ludovici Pii fub finem narrat, Imperatorem hunc morientem virtute, quanta potuerit, dixiffe bis: *Hutz*, *hutz*; quod fignificet, *foras*, *foras*. Integrum ergo *chrene chruda*, vel *chrenechruta* fignificat *pure* vel *omnino vacuum* fc. eft domicilium, *nihil omnino eft intus*. Et qui verbis proteftabatur fe omnibus bonis cedere, re ipfa colligendo pulverem ex quatuor angulis, eumque foras jaciens oftendebat hoc fymbolo, fe nihil amplius exinde poffidere. Lex de cetero Chrenecrudæ five ceffionis bonorum, qua, fi homicida tantum in bonis non haberet, ut compofitionem homicidii folvere poffet, agnati ejus & cognati fucceffive eam adimplere, aut bonis etiam cedere cogebantur, ufque dum Legi fatisfactum effet, ab antiquiffimis temporibus apud Germanos obtinuit. Tacitus jam dixit: *Quanto plus propinquiorum, quo major affinium numerus, eo gratiofior fenectus. Sufcipere tam inimicitias patris feu propinqui, quam amicitias neceffe eft. Nec implacabiles durant. Luitur etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero; recipitque fatisfactionem univerfa domus: utiliter in publicum; quia periculofiores funt inimicitiæ juxta libertatem.* Interim tamen fub hujus legis rigore multi innocentes gemebant, & familiarum integrarum bona aliquando diffipabantur. Unde Childebertus Rex Decreti fui Cap. XVI. ftatuit: *De Chrenecruda Lex, quam Paganorum tempore obfervabant, deinceps nunquam valeat; quia per ipfam cecidit multorum poteftas.*

(2) *In duropello,*) Ms. unum Guelferb. *in durbio hoc eft limitare*; alterum: *in durlilo hoc eft liminare*. Edit. Lindenbr. & Pith. *in durpilo hoc eft liminari*. Gloffæ Pithœanæ: *In liminari five veftibulo*. Kilianus in Etymologico Belgico: *Deurpel*, *limen*, *hypothyrum*, *lapis liminaris*, *quafi dicas deur-pael*. Et hæc ratio vocis non inepta eft. *Dur* veteribus eft noftrum *thüre*, janua. Caffari Gloffæ Otfridinæ: *Duron*, *thüren*, *thor*. Gloffæ Lipfianæ: *Duiri*, *januas*. Altera pars vocis *pello* eft Sax. *pal*, Germ. *pfal*, palus. Unde *duropellum* vel *durpilum* eft limen five trabs liminaris, quam nos indito fibilo *die dürfchwelle* & brevius *die fchwelle* vocamus, Saxones pro eo contracte *full*, Angli *fill*, Galli *feuil*, Itali *foglia* limen vocant. Ex quo prodiit vox inferioris Latinitatis *folium* pro *limine* adhibita, maxime autem pro *limine Confeffionis*, ad quod fubfiftebant, qui pietatis ergo Sanctorum fepulcra vifitabant, quod Græci recentiores σόλιον efferunt. Sidonius Apollinaris Lib. IV. Epift. 18. *Sic & dilecti folium Felicis honorans*.. Anglo-Saxones *ful*, *fyl* pro *trabe* vel *columna* ufurparunt, unde & noftrum *feule*, & Saxonicum *füle* venit; quorum itaque radix etiam *pal*, palus eft. Ernulfus Epifcopus Roffenfis de Ecclefia Roffenfi: *Debet & tres fulivas, id eft, trabes magnas fupponere*. Ibidem: *Sciendum eft, quod omnes fulivæ, quæ in ponte illo ponentur, tantæ groffitudinis debent effe, quæ bene poffit fuftinere omnia gravia pondera fuperjacentium plancarum & omnium defuper tranfeuntium rerum*. Spelmannus hic notat, Anglo-Saxonicum exemplar habere hic *fylla*, ubi in Latino eft *fuliva*. Noftri Saxones vocem *doerfüll* etiam adhibuerunt pro *palo*, five *columnula*, quæ in januæ medio erecta & firmata valvis utrifque in claufura continendis infervit, eandemque jam contracte *doeffel* appellant. Et veteres jam hoc fen-

fu

ptare (1) debet, & ſic de ſiniſtra manu trans ſuas ſcapulas jactare (2) ſuper proximiorem parentem (3). Quod ſi jam pater, aut mater, ſeu frater pro ipſo ſolverunt, ſuper ſororem tunc matris, aut ſuper ejus filios debet illam terram jactare: quod ſi iſti non fuerunt, ſuper tres de generatione patris & matris, qui proximiores ſunt: & poſtea in camiſia (4) diſcinctus, diſcalceatus (5), palo (6) in manu ſupra ſepem ſalire (7) ut pro medietate (8) quantum pro compoſitione (9) deberet, aut quantum lex addi-

---

ſu illam habuerunt. Gloſſæ Latino-Theotiſcæ apud Lindenbrogium: *Poſtes, turſule*. In Formulis Lindenbrogianis cap. CLV. *homo aliquis . . illas res vel illas villas . . . ad integrum conceſſit & confirmavit per portas & oſtia. Et dictam donationem . . . . conſignavit, tradidit & veſtivit, & per durpilum & feſtucam, ſibi foras exitum, alienum, vel ſpoliatum in omnibus eſſe dixit, & omnia wirpivit*. De limine certe hic *durpilum* intelligi nequit, quia illud non adeo facile removeri poteſt; ſed potius de columnula illa in januæ medio erecta, ad quam poſtes vel valvæ concluduntur, quæque adeo principaliter firmandæ & occludendæ inſervit.

(1) *Cuptare.*) Mss. duo Guelferbytana habent *captare* atque ita & editiones ceteræ. Wendelinus verba *intus caſam cuptare debet* exponit: *demiſſo vultu cernuo atque oculis in terram defixis aut etiam clauſis, pudibundus ab aliis extra domum ſtantibus avertere ſua lumina, illorum conſpectu indigna*. *Kuppen*, pergit, nobis derivatur a *kop*, demiſſo vertice: & cum pueri ludunt *Apodidraskindam*, *is qui obtectus ſedet & cernuus kuppen dicitur: cumque, ut hoc faciat, jubent, ſic loquuntur: kupt uch, cuptate*. Sed hæc, ut verum fatear, non adeo quadrant. Nil enim de obtecto capite aut oculis clauſis lex habet. Vetuſtius Ms. Guelferbytanum, quo ante alios uſi ſumus, ejus verba ſic profert: *Et ſic poſtea in dorſo ſuper illo limitare ſtare debit, & intus in caſa reſpiciens, & ſic de ſenextra mano* &c. ubi animadvertes *cuptare* vel *captare* interpretatum eſſe per *reſpicere*. Reſpicere autem & circumſpicere nobis olim *capen* vel *capſen*, jam *gaffen* dicitur. Teutoniſta. *Capen, umſien, viſere, circumſpicere, reſpicere, luſtrare. Caper, die al dynck beſyen will, luſtro*. Hinc nomen *Cappenbergæ* caſtri Weſtphaliæ in excelſo monte ſiti, quæ ſedes quondam S. Godefridi Comitis Cappenbergenſis erat, in Vita hujus ſancti viri longiore, cap. I. *mons ſpectabilis* exponitur. Et vita ejuſdem brevior ſtatim ab initio dicit: *Cappenberga a ſitus ſui qualitate mons ſpeculationis interpretatur*. Burchard von Hohenvels, Poeta nondum editus, Cant. XVII.

*Das er anders nith en ſchaffet,*
*Wan das er ſi kapfet an.*

Gaſſari Gloſſarium Otfridinum: *Kapfetun, gaffent, ſahent*. Mylius in Archæologo Teutone: *Kapfan Otfrido adſpicere. Gaffen Alemannis, gapen Belgis, kapen Saxonibus inferioribus*. Ex *capen* itaque Franci veteres Latina terminatione data, *capere*, & inde frequentativum *captare* fecerunt, quod *reſpicere, anxie circumſpicere*, denotat. Inde clarum eſt, pro *cuptare* in hoc Heroldino exemplari *captare* reſtituendum eſſe.

(2) *Trans ſuas ſcapulas jactare.*) Reliquæ editiones & Mss. *ultra ſuas ſcapulas* ponunt. Indicatum autem eſt hoc ritu, hominem hæc peragentem omnia ſua pro derelicto habere. Vere enim, ut Bignonius ait, relinquimus ea, a quibus oculos & anticam corporis partem retrahimus, & poſteriora tantum oſtendimus. Germani hinc dicunt *etwas mit dem rücken anſehen*, pro *aliquid penitus derelinquere*. A jactatione autem ſuper ſcapulas Gallis proverbium ortum eſt, *Riche par deſſus les èpaules*, quod a Pithœo annotatum uſurpatur de eo, *qui bonis omnibus ceſſit, & nil amplius poſſidet*.

(3) *Parentem.*) h. e. conſanguineum.

(4) *In camiſia.*) Camiſia eſt interula. Paullus Feſti abbreviator: *Supparus, veſtimentum puellarum lineum, quod & ſubucula, id eſt, camiſia dicitur*. Vetus interpres Lucani ad illum verſum:

*Suppara nudatos cingunt anguſta lacertos,*

addit: *Supparum eſt genus veſtimenti, quod vulgo camiſia dicitur, id eſt, interula*. Guibertus de Novigento lib. III. de Bello ſacro: *Lineam interulam, quam nos camiſiam vocamus* &c. Ibid. lib. VIII. *Conciſam camiſiam, quam ſubuculam dicunt*. Eginhardus de Carolo Magno: *Ad corpus camiſiam lineam & feminalibus lineis induebatur*. Vita B. Alcuini cap. 25. *Exſpoliavit ſe omnibus veſtimentis præter ſola camiſia & femoralibus*. Alia exempla apud Gloſſographos & Bignonium ad h. l. vide. Ex *camiſiæ* voce Gallorum *chemiſe*, & noſtrum *hempt* factum eſt, quod olim & *himit* ſcripſimus. Lex Bajoar. Tit. VII. cap. 4. *Indumenta ſuper genucula levavit, quod himilzorum vocant*. Ubi *himitzorum* legendum eſſe nota. Gloſſæ Mss. Florentinæ: *Sagum, filz, hemetlachin*. Eædem: *Camiſile, hemitlachin*. Ubi obſerva *Camiſile* dictum eſſe veſtimentum, quod ſupra interulam proxime induebatur. Ex *camiſile* Galli fecerunt ſuum *camiſole*, & his nos etiam vocem *cammiſol*, ut pleraque alia veſtimentorum nomina, debemus.

(5) *Diſcinctus, diſcalceatus.*) Cingulum dominationis & dignitatis ſignum. Homo qui bonis ceſſit hinc Pithœo notante, Artic. 72. Conſuet. Borbon. & c. 20. Alverniæ, artic. 4. Marchiæ 64. *deſceint & ſans houſcaux* dicitur: Et *rendre & donner la ceinture & laiſſer les houzeaux* eſt *bonis cedere*. Apud nos, qui vita mulctandi ſunt, vulgo etiam *diſcalceati* ſententiam ſubeunt.

(6) *Palo.*) Per *palum* hic Wendelinus & Cangius *ligonem* denotari putant, quæ Gallis *pelle*: hocque ipſo indicari, ei, qui chrenecrudam fecit, nihil amplius reſtare, quam, ut oblocet ſe, & fodiendo atque operando victum quærat. Sed nos *mit dem ſtocke davon geben*, h. e. *cum baculo abire* dicimus pro *omnia ſua derelinquere*, aut *bonis omnibus cedere*. Unde *palum* ego hic pro *baculo craſſiore*, quo itinerantes utuntur, quique nobis *ſtock* nominatur, ſumi exiſtimo. Forte ipſa vox *pali* hic ex illa *baculi* contracta eſt.

(7) *Supra ſepem ſalire.*) Ut indicet nempe, fores jam alii domino traditas eſſe.

(8) *Pro medietate.*) h. e. pro ſua cujuſque parte.

(9) *Quantum pro compoſitione deberet.*) Ed. Lind. & Pith. hic ſcribunt *diger eſt*. Ms. unum Guelferb. oſtendit: *diriger eſt*, ſed ita, ut media ſyllaba *ri* ab eadem manu, qua primitus ſcripta eſt, deleta, & ſolummodo *diger eſt* relictum ſit. Alterum Ms. ponit: *quantum de compoſitionem degere*. Puto autem & hic, & in Heroldino exemplari pro *deberet*, legendum eſſe, *deger eſt*. Vox *deger* Germanica eſt, & apud Saxones reſtat, pro *ſufficienter, quantum ſatis eſt*, uſitata. Synonymum ejus eſt *doegent*, a *taugen*, Sax. *doegen*, valere, præ-

addicat, illi tres ſolvant de materna generatione: hoc & illi alii qui de paterna generatione veniunt, facere debent.

II. Si vero aliquis ex illis pauperior fuerit, & non habet unde integrum ſolvat debitum, quicumque de illis plus alio habet exſolvat, & iterum ſuper illum chrene chruda, ille qui eſt pauperior, jactet, ut ille totam legem ſolvat: quod ſi hic etiam non habet, ut legem ſolvat, & totam legem componat, tunc illum, qui homicidium fecit, tollit, qui eum in fide ſua habet, & per quatuor Mallos præſentem faciat; & ſi eum per compoſitionem aut fidem nullus ſuorum tulerit (1), hoc eſt, eum redimat, aut pro eo perſolvit, tunc de vita componat.

III. At præſentibus temporibus (2), ſi de ſuis propriis rebus non habuerit unde tranſſolvere aut ſe de lege defenſare poſſit, omnis cauſa ſuperius comprehenſa ad caput ſuum pertinet obſervare.

## TITULUS LXII.

### *De alodis* (3).

I. SI quis mortuus fuerit, & filios

---

præſtare, derivatum a quo & *deger* deſcendit. Locutio itaque illa: *quantum pro compoſitione deger eſt*, idem ſignificat ac *quantum pro compoſitione ſufficiens eſt*.

(1) *Tulerit*.) h. e. liberaverit vel redemerit.

(2) *At præſentibus temporibus*.) Hæc periodus Legi de chrene chruda adjecta fuit, poſtquam Childebertus Rex eam abrogaſſet.

(3) *De Alodis*.) Si recenſere, expendere, aut refutare vellemus ea, quæ Juriſconſulti aliique viri celebres de Alodii etymologia, definitione ac natura in medium protulerunt, integri libri materia adeſſet. Unde ſpatii temporiſque ratione habita, dicemus ſaltem breviter, quid vere & unde ſit alodium. Primo autem notandum, temporibus veterum Regum Francorum duas bonorum ſpecies fuiſſe, *propria* nempe & *fiſcalia*. Marculfus lib. I. c. 2. *Ille Epiſcopus ... Monaſterium in pago illo aut ſuper ſua proprietate, aut ſuper fiſco noſcitur ædificaſſe*. Bona *fiſcalia* erant, quæ a Rege vel Principibus, aut etiam ab Eccleſiis cuidam certis ſub conditionibus ad vitam dabantur, & *beneficia* appellabantur; ex quibus poſtea *feuda* enata. Vid. Bignonii not. ad Marculf. p. 251. ſeq. qui hujus diſtinctionis egregia exempla profert, quæ apud illum videnda. *Propria* iterum diſtinguebantur in *alodium* ſeu proprium hereditate acceptum, & quæ *ex comparatu* ſeu *conquiſitu* provenerant, quibus adnumerabantur mancipia, & *præſidium* ſive pecunia, veſtes & utenſilia domus. Quæ autem ex comparatu enata erant, cum ad heredem perveniſſent, etiam ad alodium referebantur. Hinc Adnunciatio Ludovici Regis: *Et illorum alodes de hereditate, & de conquiſitu & quod de donatione noſtri Senioris habuerunt*. *Alodium* porro vel *paternum* vel *maternum* erat. Inde apud Marculf. lib. II. c. 12. *terra paterna* & *alode paterna* ad diſtinctionem maternæ nominantur. In Traditionibus Fuldenſ. lib. II. Emhildis Abbatiſſa donat *propriæ hereditatis ſuæ terram in diverſis videlicet locis tam de paterno, quam de materno jure ad ſe pertinentem*. Alibi frequenter *paternum & maternum alode*. Alodii etiam pars erat *terra Salica*, quæ ſpeciale quoddam jus habebat affixum, ut paullo poſt videbimus. Alodium autem Latine in Lege noſtra *hereditatem* vocari clarum eſt. Sic & apud Reginonem ad an. 777. ſcribitur: *Sacramenta ſecundum conſuetudinem dederunt, ut perderent ingenuitatem & omnem hereditatem niſi conſervarent ſuſceptam Chriſtianitatem*. Annales Fuldenſes, eandem rem referentes, pro *hereditate* hic proprietatem ponunt. *Ibi*, inquit, *Saxones baptizati ingenuitatem & omnem proprietatem ſuam, ſecundum morem gentis, abdicantes, regi tradiderunt* &c. Et hereditatem autem & proprietatem hanc veteres Annales Loiſeliani *alodum* notanter vocant, ut tribus vocabulis unam rem denotari intelligas. Verba eorum ſunt: *Ibi multitudo Saxonum baptiſati ſunt, & ſecundum morem illorum, omnem ingenuitatem & alodum manibus dultum fecerunt, ſi amplius mutaſſent* &c. Eadem fere verba Annales Bertiniani habent. Egoliſmenſis vero in Vita Caroli M. rem his verbis narrat: *Ibi multitudo Saxonum baptizata eſt, & ſecundum morem illorum omnem ingenuitatem illorum & alodem manibus gurpierunt, ſi amplius mutaſſent*. Epiſt. Johannis PP. VIII. *Proprietates Boſonis & Engeltrudis, quas vos alodium dicitis, filiabus eorum heredibus reſtituantur*. In legibus Alamannorum cap. LVII. alodium hoc *terra patris*, vel, ut alii Codices habent, *paternica*; in Lege vero Ripuariorum Tit. LVI. leg. 4. *hereditas aviatica* dicitur. Lindenbrogius Scholiaſtis Ms. in Terentii Hecyram verba citat, qui *fructum, quem Lemni uxoris reddunt prædia*, interpretatur: *Prædia, id eſt, alode, alodium*. Gloſſæ veteres apud eundem Lindenbrogium: *Allodium, id eſt, prædium*. Eædem ibidem: *Allodium dicitur hereditas, quam vendere vel donare poſſum, ut mea propria*. Leges Longobardorum lib. II. Tit. VIII. leg. 9. *Si prædium, id eſt, alodium, habuerit, ipſum in fiſcum Regis recipiatur*. Lex Bajoariorum Tit. II. c. 1. §. 3. *Ut nullus Bajuarius alodem aut vitam ſine capitali crimine perdat, id eſt, ſi aut in necem Ducis conſiliatus fuerit, aut inimicos in provinciam invitaverit, aut civitatem capere ab extraneis machinaverit, & exinde probatus inventus fuerit, tunc in Ducis ſit poteſtate vita ipſius & omnes res ejus & patrimonium*. Ubi vides alodium *res* & *patrimonium* vocari. Gaufridus Vindocinenſis Epiſt. lib. I. Epiſt. 2. *Anteceſſores monaſterium fundaverunt, & B. Petro in patrimonium & alodem proprium cum rebus ad ipſum pertinentibus obtulerunt*. Alia exempla Gloſſographi ſuppeditabunt. Nos ex his concludimus *alodium* ſecundum veterum ſententiam eſſe *poſſeſſionem ſive prædium proprium a parentibus per hæreditatem acceptum, ab omni ſervitio liberum nulliuſque juri obnoxium, quod ad heredes libere & ſine contradictione Principis tranſit*. Is autem qui alodium poſſidebat, *poſſeſſor* dicebatur, (vid. ſupra Tit. XLIV. leg. 15.) Germanice *otelman* ſive, ut nunc dicimus, *edelman*, a veteri nempe voce *ot* ſcilicet, *poſſeſſio*, de qua plura in magno opere Etymologico ſub voce *Adel* in medium proferemus. Gregorius Turon. lib. III. de Miraculis S. Martini cap. 23. *Erant enim ingenui & poſſeſſionem propriam poſſidentes*. Ab eodem *ot*, poſſeſſio, & *alt*, Saxonibus *al*, *ale*, vetus, formatur *alod*, *alodium*, & *veterem, avitamque poſſeſſionem vel proprietatem denotat*. Reliquæ hujus vocis rationes apud Lindenbrogium, Pithœum, Wende-

filios (1) non dimiserit, si pater aut mater superstites fuerint, in ipsam hereditatem succedant.

II. Si pater & mater non superfuerint, & fratrem aut sororem dimiserit, in hereditatem ipsi succedant.

III. Si isti non fuerint, tunc soror matris in hereditate succedat.

IV. Si vero soror matris non fuerit, sic soror patris in hereditate succedat.

V. Et postea sic de illis generationibus, quicumque proximior fuerit, ipsi in hæreditate succedant, qui ex paterno genere veniunt.

VI. DE TERRA VERO SALICA (2) IN MULIEREM NULLA PORTIO HEREDITATIS TRAN-

---

delinum & Cangium in Glossariis, Stephanum Paschierium in Disquisit. Francic. lib. II. c. 15. Galandum in Libello *contre le Franc-Alleu* sine nomine editum p. 22. sq. Oliv. Vredium Flandriæ Ethnicæ Cap. XX. Martinium in Etymologico, Bignonium ad Form. Marculfi pag. 273. Skinnerum in Etymologico Anglicano, Schilterum Praxeos Juris Rom. in foro Germanico Tom. II. Exerc. ad ff. XVI. §. 84. aliosque plures prolatæ, neque regulis rectæ derivationis, neque sensui vocis genuino conformes sunt. De alodiis nuper & Christianus Thomasius Jurisconsultus celeberrimus erudite egit in Selectis Capitibus Juris Feudalis Germanici Auctori veteri de Beneficiis præmissis; ubi tamen miror cap. XVI. erroris incusari, qui alodium bona paterna vel aviatica denotare statuunt; cum vox ipsa hunc sensum nobis suggerat, & tot auctorum testimonia adsint. Si bona aliter quam per hereditatem acquisita alodium vocantur, hoc abusive paullisper factum est.

(1) *Filios.*) Filii vox hic pro *liberis*, *filiis* nempe & *filiabus* ponitur. Et Lex Ripuariorum verba, *si quis filios non dimiserit*, ita profert: *Si quis absque liberis defunctus fuerit.* Filiæ enim omnino, filiis non existentibus, alodiorum heredes erant, exceptis saltem terris, ad domum sive curtem defuncti pertinentibus, quæ masculis solummodo obveniebant, ut mox videbimus. Paullo ante attulimus locum ex Epistola Johannis VIII. Papæ, qua vult alodia restitui Bosonis & Engeltrudis filiabus & heredibus. Gregorius Turonensis lib. VII. cap. 40. de uxore Mummoli: *Mulieri nil amplius, quam ea, quæ de parentibus habuerat, relinquens.* Speciatim filiæ ex hereditate vestimenta matris, pecuniam, & mancipia recipiebant secundum Legem Angl. & Werinorum, cujus Titulo VI. de alodibus Lege I. dicitur: *Hereditatem defuncti filius non filia suscipiat: Si filium non habuit, qui defunctus est, ad filiam pecunia & mancipia; terra vero ad proximum paternæ generationis consanguineum pertineat.* Lex familiæ apud Burchardum Wormatiensem: *Si ex familia vir aliquis & uxor ejus obierint & filium cum filia reliquerint, filius hæreditatem servilis terræ recipiat, filia autem vestimenta matris & pecuniam operatam recipiat.*

(2) *De terra salica.*) Ms. Guelferbytanum *Saligam* præfert. Pithœus indicari putat *terram, quæ hostibus devictis Regi militibusque Saliis sorte obtigit.* Ejusdem sententiæ fuit & Rhenanus & Lindenbrogius. Wendelinus interpretatur, *fundum vel prædium quod Salicus sive nobilis & liber homo possidet.* Glossæ Mss. Florentinæ: *Terra salica, selilant.* Glossarium vetus Ms., quod Lindenbrogiani nomine sæpius citavimus: *Curtis, selehoff.* Cum autem *hoff* nobis sit ambitus, circuitus, sive quicquid aliud incingit & concludit (ut *der hoff um den Mond*) inde *selehoff* verbotenus erit *ambitus salæ* sive *domus villicæ*. *Sal* enim *domum curtis præcipuam* denotare supra ad Tit. XIX. leg. 7. fuse ostendimus. Et *Salbuch* est *curtis sive domus villicanæ codex*, in quo bona ejusdem & reditus describuntur. Hinc vero elucet, *Seliland* nil aliud esse quam *terram, quæ ad salam sive domum curtis præcipuam pertinet.* Latinum itaque nomen *Salicus* hic non a Francis Saliis, sed a Germanico *sala*, domus, formatum est. Donatio Caroli M. Ecclesiæ Tigurinæ facta, quam Pithœus & Lindenbrogius adducunt: *Atque insuper in Honica duos mansos & dimidium, præter Salicam terram, de nostra propria manu in suam manum, ut justum est, percepit.* Charta in Goldasti Alemann. Tom. II. n. 28. *Statuimus inter nos, ut ... decimam ... concederemus, hoc est in Mechingen simul cum Salica terra & hobis: & in Goldahum de Salica terra simul cum illa hoba, quæ illi adjacet.* Alia Charta ibidem num. 74. *Et ille a nobis accipiat in beneficium in tempus vitæ suæ, quod habemus in Maingas, excepta Salica terra nisi IV. jugera ex ipsa.* Traditiones Fuldenses lib. III. 28. *Centum quinquaginta terræ salicæ & ecclesiam cum omni decimatione ad eam pertinentem.* Traditio Ms. Henrici Sancti ad monasterium Fuldense: *Cum omni utilitate, quæ pertinet ad eum locum, mancipiis, hubis, terra salica, pratis, pascuis, molendinis &c.* Alia Traditio Fuldensis Ms. *Dedit illi beneficium, quod prædicta tenuit Acela, excipiens unam curtem Mulinhusen vocatam, ejus scilicet terram salicam, cum triginta tribus hubis.* Vetus Catalogus Ms. redituum Abbatiæ Fuldensis: *Et in Isinesheim terræ salicæ agri CXXII. mansi censuales XXVII. vineæ mansuales XII. aliæ IV. .... In Medebach mansi censuales VI. & dimidia censualis VIII. terræ salicæ LVII. Agrorum in Chaltebach terræ salicæ in uno campo LXXX. agri, in alio XC. in tertio XL. Mansi censuales XVII. vinearum agri X.* Ex quibus simul videmus, *salicam terram* censui non subfuisse; quæ scilicet alodii pars erat. Diversæ autem in curte domus cum essent, eæ, quæ ad principem ædem pertinebant, etiam *salicæ* dicebantur. Exemplum præbet Charta apud Goldastum num. 74. ubi legitur: *Tam marchis, quam ædificiis (excepta domo salica) curtilibus, terris, pratis &c.* Decimæ domui herili adhærentes etiam *salicæ* audiebant. Ita *decima salica* occurrit in descriptione hubarum ad curiam Furde pertinentium apud Freherum in Originibus Palatinis. Charta Henrici II. Imp. de anno 1003. in Zyllesii Defensione Monasterii S. Maximini: *De Ecclesiis vero & de omnibus per totam abbatiam salicis decimationibus, nulli omnino beneficium aliquod concedi permittimus &c.* Conradi Imp. Charta de anno 1026. ibidem: *Relictis videlicet illis & specialiter delegatis quibusdam curtibus & villis ac Ecclesiis omnibus ubicunque in S. Maximini prædio jacentibus, cum cunctis salicis decimationibus, unde necessaria tantummodo suis deberent procurare fratribus &c.* Ibidem in Diplomate Henrici III. Imp. de anno 1044. legitur: *Et omnes salicas decimationes, quas in usus hospitum, peregrinorum ac pauperum destinamus.* Eadem locutio & in alio Henrici III. diplomate de anno 1056. occurrit. *Terra* vero *Salica* apud Marculfum terra *paterna*, & in Lege Ripuariorum *aviatica*, ita κατ' ἐξοχὴν dici videtur, quia principem in patrimonio locum obtinebat.

TRANSIT (1), SED HOC VIRILIS SEXUS ACQUIRIT, HOC EST, FILII IN IPSA HEREDITATE SUCCEDUNT. SED UBI INTER NEPOTES AUT PRONEPOTES, POST LONGUM TEMPUS (2), DE ALODE TERRÆ CONTENTIO SUSCITATUR, NON PER STIRPES, SED PER CAPITA DIVIDANTUR.

### TITULUS LXIII.

*De eo qui se de parentilla (3) tollere vult.*

I. SI quis de parentilla tollere se voluerit, in Mallum aut in Tunchinium (4) admallere debet * (5), & ibidem quatuor fustes aluinos (6) super caput suum frangere debet in quatuor partes, & illas in Mallo jacere debet, & ibi dicere: Quod se & de juramento, & de hereditate, & de tota ratione (7) illorum ** tollat: & sic postea, si aliquis de suis parentibus aut moriatur, aut occidetur, nulla ad illum compositio hereditatis perveniat. Simili modo, si ille moriatur, ad suos parentes non pertineat caussa nec hereditas ejus, sed a modo cum duodecim juratoribus se exinde educat.

TI-

* Herold. in marg. MALB. *ante tunchinum aut centenarium ambulet.* ** Al. *Illorum secatione.*

(1) *In mulierem nulla portio hereditatis transit.*) Justum hoc aliquomodo erat. Qui enim ædes paternas reciperent, debebant etiam habere, unde eas sustentarent. Servitiorum etiam militarium onus non filiabus, sed filiis incumbebat, quod sumtus plures requirebat. Et filiæ præterea, cum per matrimonia in alienas familias deferrentur, ibi unde viverent, inveniebant. Interim dura quibusdam veteribus hæc lex visa est, ut apparet ex Marculfi lib. II. Form. XII. ubi legitur: *Dulcissimæ filiæ meæ illi, ille. Diuturna, sed impia, inter nos consuetudo tenetur, ut de terra paterna sorores cum fratribus portionem non habeant, sed ego perpendens hanc impietatem, sicut mihi a Domino æqualiter donati estis filii, ita & a me sitis æqualiter diligendi, & de rebus meis post meum discessum æqualiter gratulemini; ideoque per hanc epistolam te, dulcissima filia mea, contra germanos tuos, filios meos illos, in omni hereditate mea, æqualem* & *legitimam esse constituo heredem, ut tam de alode paterna, quam de comparato, vel mancipiis, aut præsidio nostro, vel quodcumque morientes reliquerimus, æqua lance cum filiis meis, germanis tuis, dividere, vel exæquare debeas, & in nullo penitus portionem minorem quam ipsi, non accipies, sed omnia inter vos dividere, vel exæquare æqualiter debeatis. Si quis vero* &c. Legis autem, qua filiæ ab hereditate partis alodii excludebantur, meminit etiam Marculfus lib. II. Form. 10. quæ ita incipit: *Dulcissimis nepotibus meis illis ille. Dum & peccatis meis facientibus genitrix vestra filia mea illa, quod non optaveram, tempore naturæ suæ complente ab hac luce discessit. Ego vero pensans consanguinitatis casum dum & per legem cum cæteris filiis meis avunculis vestris in alode mea accedere minime potueratis, ideo per hanc epistolam, vos dulcissimi nepotes mei, volo ut in omni alode mea, post meum discessum, si mihi superstites fueritis, hoc est, tam terris, domibus, accolabus mancipiis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus, immobilibus, peculio utriusque sexus majore, vel minore, omnique suppellectile domus, & quodcumque dici potest, quicquid supradicta genitrix vestra, si mihi superstes fuisset, de alode mea, recipere potuerat, vos contra avunculos vestros filios meos, præfatam portionem recipere faciatis, & dum ipsi filiæ meæ genitrici vestræ quando eam nuptam tradidi in aliquid de rebus meis, mobilibus, drappis, fabricaturis, vel aliqua mancipia in sol. tan. dedi, vobis hoc in parte vestra supputare, contra filiis meis faciatis: & si amplius nobis insuper de præsidio nostro obvenerit, tunc cum filiis meis avunculis vestris, portionem vobis ex hoc debitam recipiatis, & quicquid exinde de omnibus superius conscriptis, facere volueritis, liberam in omnibus habeatis potestatem.*

(2) *Inter nepotes aut pronepotes post longum tempus.*) Filias tandem etiam, deficientibus masculis, ad hereditatem terræ salicæ admissas, lex Ripuariorum clarissime indicat, ubi ait: *sed dum virilis sexus exstiterit, femina in hereditatem aviaticam non succedat.* Sexu enim virili non existente, regula hæc sublata erat. Quod dicitur *post longum tempus*, de *quinta generatione*, ut opinor, intelligendum est. Quemadmodum & in Lege Anglorum & Werinorum Tit. VI. leg. 8. statuitur: *Usque ad quintam generationem paterna generatio succedat. Post quintam autem filia ex toto, sive de patris sive de matris parte in hereditatem succedat, & tunc demum hereditas ad fusum a lancea transeat.*

(3) *De parentilla.*) De agnatione vel familia. Tollebant se autem olim a parentela, sive agnatos suos repudiabant, propter onera inimicitiarum, vindicandæ mortis, & juramenti, ut bene Bignonius notat.

(4) *In mallum aut in tunchinium.*) Tunchinium hic *Decaniam*, cui *Tunginus* sive *Decanus* præerat, designat.

(5) *Admallare.*) Rectius Codex Guelferbytanus hic *ambulare* habet.

(6) *Quatuor fustes aluinos.*) Reliquæ editiones melius *alninos* scribunt. *Super caput jactio fustium* est *signum abjectionis, rejectionis*, & *abnegationis*. Fustes autem *alnini* hic usurpabantur; quia Germanicum *ellern*, alninus, cum Saxonico *oellern* & Germanico *eltern* parentes, unius fere soni est, atque adeo eorum symbolum esse potest. A fractione autem hac fustis, quando amicitiæ renunciatur, reliqua nobis est locutio *mit einem brechen*, h. e. *amicitiæ cum aliquo habitæ renuntiare, sive se ab alicujus consuetudine separare.* Pithœus testatur, suos habere similis sensus phrasin: *rompre le fust avec quelqu' un.*

(7) *Ratione.*) *Ratio* hic non est vocabulum Latinum, sed idem cum Gallico *race* & Italico *razza*, progenies, linea generationis. Utrumque derivatum est neque a *radice*, ut putat Menagius, neque a *radius*, ut statuit Guyetus; sed a Germanico *reiss*, ramus, crassiuscule pronunciato. Ipsa vox *rami* frequenter lineam generationis designat: Persius Satyra III.

*Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis.*

In quem locum vetus Scholiastes hæc commentatur: *An oportet te arrogantia inflatum dissilire, quod in aliquo nobili Tusco stemmate millesimus a magno auctore numereris, & ramum aliquem ac lineam successionis a Genealogia stemmate numeratus obtineas.*

### TITULUS LXIV.

*De barovveno* (1).

I. SI quis alteri de manu aliquid per vim tulerit & raubaverit (2), aut expoliaverit, MCC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis judicetur, & rem pro capitale restituat.

II. Si vero quicumque desuper hominem aliquid in tertia manu miserit, & ei per virtutem (3) aliquid tulerit, (MALB. *Charovveno*) M. CC. den. qui faciunt solid. XXX. culpabilis judicetur.

### TITULUS LXV.

*De compositione homicidii.*

I. SI cujuscunque pater occisus fuerit, medietatem filii in compositione colligunt, & aliam medietatem parentes qui proximiores (4) fuerunt, tam de paterna quam de materna generatione dividunt. Quodsi de paterna vel materna parte nullus proximus fuerit, portio illa ad fiscum perveniat, vel cui fiscus concederit.

### TITULUS LXVI.

*De homine in hoste occiso.*

I. SI quis hominem occiderit in hoste (5), tripla compositione componatur, sicut in patria componere debuit.

II. Si quis hominem Ingenuum, qui Lege Salica vivit, in hoste in companio de companiei suorum (6) occiderit, secundum quod in patria si ipse occisus esset, componere debuisset, in triplo componat.

III. Si quis hominem Ingenuum, qui Salica lege vivit, in hoste occiderit, (MALB. *Leudardi* (7) *tres pellia*) (8), XXIIIIM. den. qui faciunt sol. DC. culpabilis judicetur.

IV. Si vero in triste dominica, ille qui occisus est, occisus fuerit, (MALB. *Leudardi tres pellia*) LXXIIM. denar. qui faciunt solid. MDCCC. culpabilis judicetur.

### TITULUS LXVII.

*De herburgium* (9).

I. SI quis alterum chervioburgum, hoc est Strioportium (10), clamaverit, aut illum qui Inium dicitur portasse (11) ubi

---

(1) *De barovveno.*) Ed. Lind. & Pith. *charoena*. Vet. Cod. Th. *charœna*. In nostro itaque exemplari *h* loco *ch* positum & *charoweno* legendum est, quomodo etiam paullo post scribitur. Est autem hoc idem ac Saxonicum *geroven*, vel Germ. *gerauben*, & *rapinam* designat, ut supra ad Tit. XX. leg. 10. fusius monstravimus, ubi integra fere lex hæc nostra & iisdem verbis exstat.

(2) *Raubaverit.*) Hoc est *rapuerit*. Vide supra l. c.

(3) *Per virtutem.*) H. e. *per vim*. Sic in lege præcedente, ubi per vim exstat. Codex Expilii apud Bignonium habuit *per virtutem*. Vid. supra Tit. XV. leg. 2.

(4) *Medietatem parentes qui proximiores.*) Ita, & Tacito teste, apud veteres Germanos, *universa domus recipiat satisfactionem*.

(5) *In hoste.*) H. e. in exercitu. Lex Salica emendata tit. XXXII. leg. 6. *Si quis alteri imputaverit, quod scutum suum projecisset in hoste.* Eadem Tit. XXIIX. leg. 1. *Si quis lidum alienum, qui cum domino suo in hoste fuerit* &c. Capitular. lib. I. c. 135. *Quæ in hoste factæ sunt traditiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant.* Centum alia exempla reperies apud Glossographos. Itali adhuc *oste* & Galli *ost* pro exercitu habent. *Sire de l'ost* apud Borellum est *dux exercitus*. Formatum esse a Latino *hostis* omnes agnoscunt. Inde autem veniunt *Hostenditiæ*, quarum mentio fit Lib. II. Feud. Tit. 40. §. Præterea. *Ostendienst*, servitium bellicum, quod vasallus domino præstare tenetur, ut observavit Freherus. Pithœus & alii etiam vocem *otage* inde arcessunt: ego tamen adhuc de ea hæreo. De *hostenditiis* elegans Jo. Strauchii dissertatio nota est.

(6) *In hoste in companio de companiei suorum.*) Hæc idem sunt ac *in exercitu in loco prælii de sociis suis* &c. In priori igitur loco *companium* positum est pro *campanium*, quæ vox primo pro *planitie*, deinde pro *campo militari*, loco prælii, atque *omni expeditione bellica* sumitur; Gall. *campagne*. Glossæ: *Campania* πεδίον. Posteriori loco *companies* idem est ac *societas, contubernium*, Gallis postea *compagnie*, & olim etiam *companage*. Rabelais lib. III. 4. *Pain & vin. Et en ces deux sont comprinses toutes especes d'alimens. Et de ce est dit le companage en langue Goth.* Et socius ὁμότροφος est *compagnon*, qui eundem nobiscum panem edit. Psalm. XLI. 10 *Homo pacis meæ, qui edebat panem meum*. Caninius hoc *compagnon* a *Compaganus*, Lipsius a *combino*, alii a *combenno*, quod est *eodem curru utens*, derivant. Nos tamen cum Menagio & Casanova deductionem a *pane* meliorem credimus. A *compagnon* vulgus nostrum habet *kumpan* & *kumpe*, pro *socio*; & Saxones *kümpsche* pro *socia*.

(7) *Leudardi.*) Lege *Leuda dri*, quod est, *leudat* sive *componat ter* sive *tripliciter*. *Dri* est *ter* & *tres*. *Leuda* est nostrum *leide*, componat, ut supra ostendimus ad Tit. XIX leg. 3.

(8) *Tres pellia.*) Restitue: *tres gelda*; quod itidem est *tripliciter componat*. *Gelda* est nostrum *gelte* a *gelten*, componere. Vid. Tit. II. leg. 1.

(9) *Herburgium.*) *Herburgius* in Lege ipsa est *Cheruioburgus*. Utrumque vero ex *herburii* voce corruptum est, quæ *veneficum* designat. Vide his supra annotata ad Tit. XXII. leg. 1. Helvetii adhuc veneficum *herberger* vocant, quod Wendelinus erronee ab *hare*, *hoere*, meretrix deducit.

(10) *Strioportium.*) Hoc est, qui striges ad nocturna sacra deportare creditur vulgo. Hinc restat locutio: *der Teufel hat ihn geritten*, quod proprie est *diabolus eum equitavit*, sive *diabolum portavit*; translate vero: *incitatus est a Diabolo*, aut *audacissime egit*. Mulieres autem maleficas certis temporibus in locis solitariis convenire & cum diabolo rem habere jam ab antiquo plebeja traditio fuit.

(11) *Qui Inium dicitur portasse.*) De hoc æneo sive Caldario vide supra ad Tit. LVI. leg. 1.

ubi Strias (1) cocinant (2), & eum convincere non poterit, MMD. den. qui faciunt solid. LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

II. Si quis mulierem Ingenuam ſtriam clamaverit, aut meretricem, & convincere non poterit, VIIMD. denarios, qui faciunt ſolidos CLXXXVII. culpabilis judicetur.

III. Si ſtria hominem comederit, & convicta fuerit, VIIIM. den. qui faciunt ſol. CC. culpabilis judicetur.

TITULUS LXVIII.

*De caballo excorticato* (3).

I. SI quis caballum extra conſilium domini ſui decorticaverit, (MALB. *Leudaras*) DC. den. qui faciunt ſolid. XV. culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura. Et ſi confeſſus fuerit, capitale tantum reſtituat: ſi vero negat, & convictus fuerit, ſolidos XV. componat.

TITULUS LXIX.

*De eo qui hominem vivum* (4) *de furca tulerit.*

I. SI quis hominem vivum de furca tollere præſumpſerit, & fuga lapſus fuerit, ille qui eum tulerit, aut vitam pro ipſo amittat, aut VIIIM. den. qui faciunt ſolidos CC. culpabilis judicetur.

II. Si vero quis hominem mortuum de furca ſine voluntate aut conſilio judicis, aut ipſius cujus cauſſa eſt, tulerit, pro culpa, qua ſuſpenſus eſt, quidquid exinde lex docuerit, ille qui eum tulerit culpabilis judicetur.

III. Si quis hominem de bargo vel de furca dimiſerit ſine voluntate Judicis, MDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. culpabilis judicetur.

IV. Si quis ſine conſenſu judicis, de ramo (5) ubi incrocatur (6), deponere præſumpſerit, MCC. denar. qui faciunt ſolid. XXX. culpabilis judicetur.

T I-

---

(1) *Strias.*) Hic poſitum eſt pro *ſtriæ* ſeu *ſtriges*. Strix proprie eſt avis ex noctuarum ſive bubonum genere, in quam mulieres maleficas ſe transformare & infantium in cunis ſanguinem ſugere vetuſtas credidit. Plinius: *Eſſe*, inquit, *in maledictis jam antiquis ſtrigem convenit: ſed quæ ſit avium conſtare non arbitror*. Ovidius lib. VI. Faſtorum:

*Sunt avidæ volucres, non quæ Phineia menſis*
*Guttura fraudabant, ſed genus inde trahunt.*
*Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ,*
*Canities pennis, unguibus hamus ineſt.*
*Nocte volant, pueroſque petunt nutricis egentes,*
*Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.*
*Carpere dicuntur lactentia viſcera roſtris,*
*Et plenum poto ſanguine guttur habent.*
*Eſt illis ſtrigibus nomen. Sed nominis hujus*
*Cauſſa, quod horrenda ſtridere nocte ſolent.*
*Sive igitur naſcuntur aves, ſeu carmine fiunt,*
*Næniaque in volucres falſa figurat anus;*
*In thalamos venere Procæ* &c.

Plautus Pſeudol. *Strigibus vivis, convivis inteſtina quæ exedant*. Eadem ſuperſtitio & veteres Germanos tenuit, ut ſtriges pro maleficis mulieribus haberent. Ugutio: *Stricæ, quædam monſtra dicuntur, quæ magicis cantibus in feras tranſeunt*. Gloſſæ Lat. Græcæ: *Striga*, λεισριγὼν καὶ γυνὴ φαρμακίς. Capitula ad Leg. Alaman. c. 22. *Si quis alterius ingenuam decriminat, ſeu ſtria aut herbaria ſi ſit, & eam priſerit*. Capitulare pro partibus Saxoniæ cap. 6. *Si quis a diabolo deceptus crediderit, ſecundum morem paganorum, virum aliquem aut feminam ſtrigam eſſe, & homines comedere*. Plura apud Lindenbrogium & Cangium vide. Hincmarus de divortio Lotharii & Tetbergæ ad XV. interrogationem: *Quidam veſtibus carminatis induebantur, vel coopertebantur; alii autem cibo a ſortiariis dementati, alii vero tantum carminibus a ſtrigis faſcinati & quaſi enerves effecti, reperti ſunt; quidam autem a lamiis ſeu genichialibus feminis debilitati* &c.

(2) *Cocinant.*) Pithœus & Lindenbrog. *cocinunt*. Ugutio: *Cocino, as, ſæpius coquere, & cocinarius, i. coquus & cocinator*. Chrodegangus in Reg Canon. cap. 13. *Laici cocci ad cocinandum tantum ingrediantur*. Hinc *cucina* pro *coquina*; unde Gallicum *cuiſine* prodiit. Gloſſæ veteres: Μαγειρεῖον, *cucina, carnificina*.

(3) *De caballo excorticato.*) Vid. ſupra ad Tit. XLI. leg. 17.

(4) *Hominem vivum.*) In quæſtionibus adhibendis reus aliquando revinctis poſt tergum manibus ab arbore ſuſpendebatur, donec veritatem confiteretur. Gregorius Turonenſis lib. V. cap. 49. de Presbytero Riculfo: *Nulla res, nullum metallum, tanta verbera potuit ſuſtinere, ſicut hic miſerrimus. Ab hora tertia diei, revinctis poſt tergum manibus, ſuſpenſus ad arborem dependebat; ad horam vero nonam depoſitus, extenſus ad trochleas cædebatur fuſtibus, virgis, ac loris duplicibus, & non ab uno vel duobus, ſed quot accedere circa miſeros potuiſſent artus, tot cæſores erant. Cum autem jam in diſcrimine eſſet, tunc aperuit veritatem*. Gallonius in libro de Martyrum Cruciatibus pag. 11. ſuſpenſionis hujuſmodi in furca varios modos delineavit.

(5) *De ramo.*) Quia verbum *incrocare*, ſive unco ſuſpendere, ſequitur, inde ego concludo, ob crimina quædam reos acuminatis ramis incrocatos, ſive iis per cutem aut carnoſas partes adactis ad arbores ſuſpenſos fuiſſe. Turcæ adhuc crudeliſſimi ſupplicii genus habent, & uncis ferreis Chriſtianos captivos, ſi deliquerint, aliquando injiciunt, atque ita miſera, & lenta morte enecant.

(6) *Incrocatur.*) Unco ſuſpenditur. *Croc* & nobis & Gallis *uncum* denotavit. Arngrimus Jonas Specim. Islandiæ pag. 40. *Thorarinus krocur, id eſt, uncus*. Inde Latinum *incrocare* & Gallicum *encroier*, unco ſuſpendere. Gloſſæ Latino-Gallicæ in Ms. Thuani: *Cacuminare, encroier*. Cangius hoc verbum Poetis Provincialibus uſitatiſſimum fuiſſe aliquot exemplis oſtendit. Ex quibus unum & alterum annoto. Le Roman de Pariſe la Ducheſſe Ms.

*Si ſoit pandus as forches & ovent encroez.*

Idem alibi:

*Je te ferai la hure antor le colnoer,*
*Et pandre as forches & au vent encroer.*

Le Roman d'Auberì Ms.

*Ferai vous pandre & encrouer au vent.*

Le Roman de Gaydon Ms.

*Or eſt Thibaus as forches encroez.*

Chronicon Ms. Bertrandi du Gueſclin:

*Si vous verray a un arbre encrouër,*

Tacitus jam de Germanis: *Proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt*.

### TITULUS LXX.

*De eo, qui filiam (1) alienam acquisierit (2), & se retraxerit.*

I. SI quis filiam alienam ad conjugium quæsierit præsentibus suis & puellæ parentibus, & postea se retraxerit, & eam accipere noluerit, (MALB. *Frifra sigena*) (3), MMD. denarios, qui faciunt solidos LXII. & dimidium, culpabilis judicetur.

### TITULUS LXXI.

*De basilica incensa (4).*

I. SI quis voluntario ordine, aut fortasse per negligentiam, Basilicam incenderit, (MALB. *Alu trude theo tidio*) (5), VIIIM. den. qui faciunt sol. CC.

### TITULUS LXXII.

*De terra commendata (6).*

I. SI quis alteri avicam terram suam commendaverit, & ei noluerit reddere, si eum admallaverit, & convinxerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

### TITULUS LXXIII.

*De cultello sexxaudro (7).*

I. SI quis alteri cultellum furaverit, & ei fuerit adprobatum, ipsum in loco restituat, & insuper DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.



---

(1) *Filiam.*) *Filia* hic pro *puella* ponitur, ut Gallicum *fille*.

(2) *Acquisierit.*) Melius editio Lindenbrogiana, *quæsierit*; ut etiam mox in ipso contextu positum est. In tertio Codice Guelferbytano titulus hic verbis his constat: *De eo, qui filiam alienam sponsaverit, & non vult accipere,*

(3) *Frifra sigena.*) Sax. *fryen*, Germ. *freyen* est *matrimonium inire*, *nubere viro*, vel *ducere uxorem*. Proprie ego hoc idem significare puto ac *amare*. Et restat in Evangeliis Gothicis *frigan* eo sensu. Venus sive Dea amoris hinc Germanis *Frea*, *Freca*, vel *Fricca* dicta est; unde dies Veneris Sax. *Fridag*, Germ, *Freytag*. Sequens *fra* est nostrum *Frau*, Sax. *fru*, uxor, conjux, proprie vero *domina*, a *fro*, dominus, derivatum, de quo alibi. *Frifra* ergo idem est ac *ad conjugium quæsiverit* sive *duxerit uxorem*. Et *sige na* distincte legendum est. *Sige* descendit a *ziben*, trahere; & *na* nostrum *nach*, *post*, *retro* significat. Inde *sige na*, vel *zige na* verbotenus denotabit: *traxerit retro* sive *retraxerit*, quod verbum in Lege exstat.

(4) *De basilica incensa.*) Hæc Lex in vetustissimo Codice Guelferbytano non exstat: ut temporibus Pipini vel Caroli M. eam accessisse putes.

(5) *Alu trude theo tidio.*) Corruptus locus restituatur: *Alah truhtenes tibio*. Harmonia Evangeliorum vetustissima inter Codices Cottonianos, cujus excerpta nobis Hickesius dedit: *That uuerod other bed umbi thena alah utan Hebreo liudi*; multitudo autem reliqua exspectat circa templum, extra erant Hebræi homines. Ibidem: *So bie thuo thena uuirog drog ald after them alahe*; dum autem thus ferret vetulus in templum. Vide Hickesii Grammat. Franco-Theotiscam pag. 102. Pro *trude theo*, ego lego, *truhtenes*, ut sit genitivus a *truhtin* dominus, deus. Kero: *Dominus*, *truhtin*. *Domini*, *truhtines*. *Domino*, *truhtine*. Apud Notkerum Psalm. XXVII. 9. *throhtin* scribitur. Symbolum Athanasianum in Catechesi Theotisca pag. 68. *Truhtin fater*, *truhtin sun*, *truhtin heilago geist*; Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus. Ad quem locum plura de hac voce vide in Notis nostris pag. 136. Uti vero in Lege nostra *alah truhtenes*, ita apud Otfridum *druhtines haus* vocatur *templum Domini* sive basilica. Ultimum jam *tidio*, in *dibio* mutatum, reddit verbum *incenderit*; ut supra ad Tit. XIX. leg. 1. satis ostendimus. Vides inde Latine verti verba: *basilicam incenderit*.

(6) *De terra commendata.*) Titulus hic ultimus est editionis Lindenbrogianæ & Pithœanæ. In Mss. vero nostris plane non legitur. In uno eorum Carolino ævo exarato ejus loco sequens Titulus exstat: *De invitus trito. Si quis pitto alterius excusserit, malb. invitus tritto CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. Si vero contra voluntatem domni, & negare voluerit, & ei fuerit adprobatum, capitale in locum restituat, & insuper MCCCC. den. qui faciunt solid. XXX. culp. jud. excepto capitale & delatura*. Eandem hanc legem ex Codice Mazariniano Baluzius in Legis Salicæ Tit. LXXII. edidit. In rubrica & in textu ibi est, *in victu stricto*. In Codice vero Pithœano idem hoc barbarum verbum *uuistritto* scriptum invenit. Ubique *uuidu snitto* legendum est. *Wide* Saxonibus, *weide* Germanis est *salix*; & *snidan* vetus, Sax. *sniden*, Germ. *schneiden*, incidere, excutere. Unde barbara locutio *salicis excussionem* designat; quæ eo gravius puniebatur, quia magnus salicum usus est in sepibus conficiendis. Salices in Lege Bajoar. Tit. XXI. c. 6. & 7. *vegetes* vocantur. Glossæ Ratisbonenses sæculo IX. conscriptæ: *Salix*, *uuida*. Ex hoc Franci latinizantes paullatim *uuitus* & tandem *pittus* fecisse ac pro *salice* usurpasse videntur. Pro 1400, *denariis* autem, 1200. restituendi sunt, qui solidos XXX. conficiunt, aut pro *solidis XXX.* reponendi sunt *solidi XXXV.* qui faciunt 1490. *denarios*.

(7) *De cultello sexxaudro.*) Alterius cultri furtum hac lege prohibetur. *Sex* & *sabs* denotat *cultrum*. Ælfrici Glossæ Anglo-Saxonicæ; *Cultellus*, *sex*. Glossæ in Dialogum Gregorii Mss. *Flebodomum*, *blodsæx*. Glossarium Ms. Florentinum: *Semispathium*, *sabs*. Witichindus lib 1. *Cultelli nostra lingua sachs dicuntur*. Anonymi Rhythmus S, Annonis §. 21,

*Ziu Duringen du dir siddi uuas,*
*Daz si mihili mezzir hiezin sabs.*

Gœli, Poeta Ms,

*Suuen sin langes sachs versneit,*
*Der sprach nie ach noch uuort,*

Idem; *Bind das ostersachs zer segen siten.*
Meister Chunrad von Wurtzburg Ms. Poeta:

*Uns kere nicht sin spitzig sachs.*

Hinc *scharsachs* in Silesia & alibi est *novacula*. Psalterium Anglosax. Ps. LI. 2. habet *nægelsax*, pro quo in alio Codice exstat *scersex*. Plura vide in Dissertatione nostra de Usu & præstantia studii etymologici in Historia c. 1.

### TITULUS LXXIV.

*De threodiba* (1).

I. SI quis hominem Ingenuum seu in sylva, seu in quolibet loco occiderit, & ad celandum igne combusserit, XXIIIIM. den. qui faciunt sol. DC. culpabilis judicetur.

II. Si quis Antrussionem vel feminam taliter interfecerit, aut celaverit, aut igne cremaverit, LXIIMD. den. qui faciunt solid. MDCCC. culpabilis judicetur.

### TITULUS LXXV.

*De muliere gravida occisa.*

I. SI quis mulierem gravidam occiderit, XXIIIIM. den. qui faciunt solid. DC. culpabilis judicetur. Et si probatum fuerit, quod partus ille puer fuerit, simili conditione pro ipso puero DC. solid. culpabilis judicetur.

II. Si quis puellam intra duodecim annos usque ad duodecimum impletum occiderit, sol. CC. culpabilis judicetur.

III. Si vero majori ætate usque ad sexagesimum annum, quousque partum habere potuerit, occiderit, XXIIIIM. den. qui faciunt solid. DC. culpabilis judicetur.

IV. Si postea fuerit occisa, quando jam partum amplius habere non potuerit, sol. CC. culpabilis judicetur.

### TITULUS LXXVI.

*De Antrussione.*

I. SI Antrussio Antrussionem de quacumque caussa admallare voluerit, ubicumque eum invenire potuerit, super septem noctes cum testibus eum rogare debet, ut ante judicem ad Mallobergo de caussa quæ imputatur ex hoc respondendo debeat convenire. Si eis ibidem non convenerit, aut iste venire distulerit, qui ipsum admallaverit, in nubi (2) eum solsatire debet. Sic postea iterata vice ad noctes XIIII. eum rogare debet, ut ad illum Malbergo debeat venire ad dandum responsum. Et qui admallatur, si eo venerit, tunc qui eum admallavit, si caussa minor fuerit, aut minus quam XXXV. solid. componatur, debet ibi sextus Wedredo (3) jurare; & ille postea qui rogatus fuerat, si se ex hoc idoneum esse cognoscat, se debet postea cum duodecim per sacramenta absolvere. Si vero major caussa fuerit, quam XXXV. solidis culpabilis inveniatur, seu adhuc majori numero superest, ut unde minus quam XLV. solidi non judicentur, ipse qui eum rogavit, cum novo Wedredo debet jurare; & ille qui rogatus est, si se idoneum agnoscit, se cum octavo decimo datis sacramentis absolvere debet. Si certe talis fuerit caussa unde XLV. sol. aut amplius usque ad leudem componere debet, ipse qui eum rogavit, debet duodecimus Wedredo jurare; & ipse qui rogatus est, si se innocentem esse cognoscit, vicesimus quintus datis sacramentis absolvere se debet. Si vero de leude eum rogatum habuerit, debet qui eum rogavit cum XII. Wedredo jurare & ipsas XIIII. noctes Æneum calefacere; & si ad ipsum placitum venire despexerit, aut manum suam in Æneum mittere noluerit, quicumque Antrusco ille de caussa superius comprehensa per sacramenta absolvere se non potuerit, aut manum suam pro leude in Æneum mittere despexerit, aut in placitum venire distulerit, tunc ille qui eum rogatum habuit, solem ei collocare debet, ad ipsam vero diem, in Mallobergo ipso, in XL. noctibus. Si nec ibi se conduxerit, tunc ille qui eum rogatum habuit, solem collocet: postea illum ad præsentiam Regis ad noctes XIIII. rogare debet, & ibidem duodecim testes ponere, qui per singulas vices tres jurati dicant, quod ibi fuissent, ubi illi admonitio ad XIIII. noctes solem collocasset, & ille de sacramento se non absolvat, nec manum suam pro leude in Æneum posuisset. Similiter & alii tres testes dicant, quod in XL. noctibus sole ei collocato,

---

Notum autem præterea est *au* ut *o* pronunciari. Unde quod voci *sex* connectitur *audro*, efferendum erit *odro*. Jam vero clarum nobis est, *oder* vel *other* veteribus *alium* vel *alterum* significasse. Harmonia Evangelii Cottoniana: *Duo allaro manno gihuilic odron manno so hie auillie that infirio barn guodes angegin duon*; Quilibet homo alteri faciat, quicquid vult boni, ut vicissim illi faciant homines. Eadem Harmonia: *Gi sculum niman lon alles thes unrehtes thes gi othron hier gilesteat*; Recipietis retributionem omnis injustitiæ, quam aliis feceritis. Eadem: *Suo keat juburg othar*; Quærite vobis urbem aliam. Eadem alibi: *Thuo bigan erlo gihuilic the othremo scanuuon*; Tum virorum quilibet cœpit alterum intueri. Eadem: *Ni im inthorfta im thuo after otharu nuordu furthor gibiodan*; Non illi posthac opus fuit, ut iis amplius aliis verbis præciperet, Alibi ibidem: *Kiesan im otherna niud,amtnana naman*; Eligant illi aliud nomen gratum. Sed hæc satis. Ex his enim clarissime elucet *Sexxaudrum* significare *cultrum alterius* sive *alius*. Legem de cetero de cultelli furto posterius Legis Salicæ exemplar a Lindenbrogio publicatum sub Titulo XXIX. §. 12. habet.

(1) *Chreodiba*.) Cadaver vel corpus mortuum vocatur *chreo*. Vide supra ea, quæ ad Tit. XVII. leg. 1. protulimus. *Dila* est *incensio* vel *incenderit*, ut etiam ostensum est ad Tit. XIX. leg. 1. Hinc *Chreo diba* idem est ac *corporis mortui combustio*, vel *corpus mortuum combusserit*.

(2) *In nubi*.) De novo, denuo. Sic a *novellus* Franco-Galli pariter suum *nouveau* fecerunt.

(3) *Wedredo*.) Egimus supra ad Tit. LI. leg. 3. de conjurationibus, & ostendimus, cum incusatus alicujus delicti jurasset, eos vicissim jurasse, se credere illum vera jurasse,

atque

cato, & ille nullatenus de Antruſſione Gavialto eſtre (1) legibus dixiſſet. At tertia vice tria teſtimonia ſimiliter dabit, qui dicant qualiter eum ad præſentiam Regis venire rogaſſet: & ſi nec tunc venerit, ipſa novem teſtimonia, ſicut ſuperius diximus, jurati dicant. Similiter illa die, ſi non venerit, collocet ei ſolem, & illa tria teſtimonia, quæ ibi fuerant quando ſol collocabatur. Si iſta omnia impleverit qui eum admallat, & ille qui admallatur ad nullum placitum venire voluerit, tunc Rex ad quem mannitum eſt, eum extra ſermonem ſuum ponat, & quicumque eum aut paverit, aut hoſpitium illi dederit, ſi fuerit uxor propria, ſol. xv. culpabilis judicetur, donec omnia, quæ illi imputantur, legibus componat.

II. Si Antruſſio Antruſſionem pro qualibet cauſſa manierit, aut fidejuſſorem quæſierit, & eum ſecundum legem non rogaverit, ſol. xv. culpabilis judicetur; excepto quod prætermittit cauſſa illius, anno integro nullatenus terminetur.

III. Si Antruſſio contra Antruſſionem teſtimonium juraverit, ſol. xv. culpabilis judicetur.

## TITULUS LXXVII.

### *De eo qui in aliena domo reſedit.*

I. SI quis ſuper Ingenuum in domo ſua reſedit, aut alius Ingenuus voluntate ſua lapidem ſuper tectum jactaverit in illius contumeliam, vel aliorum quicumque in domo ſua reſederunt, pro unaquaque perſona quinos denarios ſolid. culpabilis judicetur.

*Tom. II.*

II. Si certum fuerit, qui jactaverit, & illud fecerit, vii. ſol. culpabilis judicetur.

## TITULUS LXXVIII.

### *In quantas cauſſas Thalaptas (2) debeant jurare.*

I. SI amplius juraverit quam tres cauſſas, rem illam in capite perdat; & quantum lex de cauſſa illa habuerit, culpabilis judicetur; & de illis qui juraverunt tres, qui ſeniores fuerunt, xv. ſol. culpabiles judicentur, & reliqui juratores quinis ſolidis componant. Poſſunt autem jurare de dote, de re in hoſte perdita, & de homine qui in ſervitium revocatur.

## TITULUS LXXIX.

### *De delatura.*

I. SI quis hominem occiderit, & quod lex habuit pro eo dederit, ſolid. xxx. pro delatura componat.

II. De puero, aut liberto, ſolid. xv. *

III. De furtibus vero aliis, vii. ſol.

IV. Cauſſæ vero Dominicæ in triplo componuntur.

## TITULUS LXXX.

### *Incipiunt chunnas (3).*

I. HOc eſt, unum THOALASTHI (4), ſolid. iii. culpabilis judicetur.

II. SEXAN CHUNNA (5), ſolid. xv. culpabilis judicetur.

III. SEPTUN CHUNNA (6), ſol. xvii. culpabilis judicetur.

K 2 IV.

* Alias, *XXV.*

atque hoc ipſo prolatum juramentum firmaſſe. Saxonibus *wedder*, Germanis *wieder* eſt *viciſſim*, & ſupra *widrigildum* pro *retributione*, ſive *eo*, *quod viciſſim pro aliqua re datur*, habuimus. *Ed* porro Saxonibus, & *eid* Germanis, denotat *juramentum*, ut notum eſt. Rabanus Maurus in Gloſſario Ms. *Jusjurandum*, *eidſuart*. Eſt igitur *wedredo*, reciprocum jusjurandum, ſive conjuratio, ut vocant, plurium; id quod etiam Wendelinus jam vidit. Verbotenus reddere poſſes *rejuramentum*, ſive quod iterum ab aliis repetitur.

(1) *Gavialto eſtre.*) H. e. ſe non teneri, ſive non obligatum vel devinctum eſſe. *Teneri* hoc ſenſu nos efferimus noſtra lingua *gehalten ſeyn*. Unde evidens eſt, *gavialto* illud hinc corruptum, & forte primitus *gahaltan* ſcriptum fuiſſe. Errant Wendelinus & Cangius, *ghevillich*, i. e. volens, paratus, lubens, hic ſiſti opinantes. Hunc enim ſenſum textus non admittit. *Eſtre* pro *eſſe* eſt Infinitivus a tertia Præſentis *eſt* formatus, quem Galli adhuc adhibent. Itali *eſſere* efferunt, quod jam apud Plautum occurrit.

(2) *Thalaptas.*) Germ. *zwey*, Sax. *twe* duo, in Lege noſtra ſcribitur *thue*, *theu* & *tho*, ut ex Tit. LXXX. & aliunde apparet. Hic vero idem *tha* effertur. *Leiben* porro & Angl. *lyban* denotat *manere*, *reſiduum eſſe*, ut alibi clarius demonſtrabimus. Unde AS. *enlyf*, & apud Tatianum *einlif*, jam contracte *eilf* nobis, qui per denarios ab antiquo numeramus, eſt *unum reſiduum*, ſive *unum ſupra* (*decem*), hoc eſt *undecim*, & antiquum *zuelif*, Sax. veteribus *tuelif*, Germ. jam *zwoelfe*, duo ſupra decem, h. e. *duodecim*. Pro legis Salicæ ſcriptura idem *thalap* efferendum erit. Ab hoc autem *thalap* venit *thalapta*, duodecimus, ut a Sax. twelfe *twelfte*, & a Germ. zwœlfe, *zwoelfte*. Ubi itaque dicitur *thalaptas jurare*, hoc idem eſt, ac *duodecimum jurare*; quæ phraſis in Tituli LXXVI. lege prima occurrit, & Germanice eſt: *ſelb zwœlfte ſchweren*.

(3) *Chunna.*) Centena. Vide ſupra ad Tit. II. leg. 10. notata. Gloſſæ Florentinæ Mss. *Centurio vel tribunus*, *hunno*.

(4) *Unum THOALASTHI.*) Emendanda, ut ſupra ad Tit. II. leg. 1. dictum eſt, *unum tho alaſthi*; quod eſt: *unum* ſive *una denariorum centena*, ſunt *duo ſc. ſolidi & dimidium ſolidi*.

(5) *SEXAN CHUNNA.*) Sexcentenæ denariorum. Kero: *Sex*, *ſex*, *ſehſim*. In Harmonia Cottoniana *ſehs* & *ſehſi* ſcribitur. V. Hickeſii Grammat. Franco-Theotiſc. pag. 48. Denarii autem 600. per 40. diviſi accurate faciunt ſolidos XV.

(6) *SEPTUN CHUNNA.*) Septem denariorum centenæ per 40. diviſi dant ſolidos XVIIS. Unde apparet hic numerum parem pro impari poſitum aut literam *S* indicem *ſemis*, a ſcriba omiſſam.

IV. Theu walt chunna (1), sol. xxx. culpabilis judicetur.

V. Thue septen chunna (2), sol. xxxv. culpabilis judicetur.

VI. Theu wenet chunna (3), sol. xlv. culpabilis judicetur.

VII. Tho to condi weth chunna (4), sol. lxii. & dimidio culpabilis judicetur.

VIII. Fit ternu sunde (5), sol. c. culpabilis judicetur.

IX. Acto et usunde (6), sol. cc. culpabilis judicetur.

X. Theo tho sunde tertheo chunna (7), sol. dc. culpabilis judicetur.

XI. Fit terno sunde thue aptheo chunna (8), sol. dccc. culpabilis judicetur.

# EPILOGUS.

Sciendum autem est, quod in quibusdam Legibus Salicæ inveniuntur capitula principalia lxv. in aliis lxx. in nonnullis lxxx. etiam paulo plus aut minus. Sunt qui habeant compositiones ccclviii. ac etiam plus minusve. Inquirendum igitur erit in compositionibus Legis Salicæ, quid varietatis, & quem numerum minimum, quem maximum habeant. Divisiones namque compositionum sunt ccclviii. varietates autem xxxi. quæ ita inveniuntur.

Incipiunt autem a vii. denariis; ut,

I. Si quis agnum furaverit. I.
Inde ad decem denarios venit; ut,
II. Si quis alterius messem damnaverit. I.
Inde ad solidum unum; ut
III. Qui porcellum, qui sine matre, & reliqua. I.
Inde ad solidum unum & tremissem; ut,
IV. Qui alterius servum cædit. I.
Inde ad solidos tres; ut,
V. Si quis tres capras furaverit, & hæc compositio 43. in locis habetur. XLIII.
Inde ad iii. solidos & denarium unum; ut,
VI. Si quis viduam in conjugium sociare voluerit, & reliqua. I.
Inde ad solidos quinque:
VII. Hi sunt qui in raptu solvunt compositionem, & hæc compositio habetur in 2. locis. II.
Inde ad solidos sex,
VIII. Pro redemtione servi, ut non castretur, & hæc compositio in 5. locis habetur. V.
Inde ad solidos vii. & denarium; ut,
IX. Si quis scrovam subbatit in furtum. I.
Inde

(1) *THEU WALT CHUNNA.*) Legendum, *theuwalf*, quod Titulo LXXVIII. *thalap* expressum erat, & *duodecim*, ut ibi ostensum, significat. Denarii vero 1200. per 40. divisi dant solidos XXX. in lege indicatos.

(2) *THUE SEPTEN CHUNNA.*) Supra Tit. II. leg. 10. scribebatur: *thua septun chunna*. Bis autem septem centenæ sive 1400. denarii per 40. divisi exhibent accuratissime solidos XXXV.

(3) *THEU WENET CHUNNA.*) Lege: *theu nuene chunna*, quod est: *bis novem centenæ*. Germ. *neune*, Sax. *negen*, in Harmonia Cottoniana *niguni* est novem. Bis vero novem centenæ sive 1800. divisi per 40. reddunt solidos XLV. uti etiam in textu nostro exstat.

(4) *THO TO CONDI WETH CHUNNA.*) Corrige: *Tho tosondi vuesh chunna*. In hisce *tho* est *duo* vel *bis*. Sequens *tosondi* nostrum *tausent*, Sax. *dusent*, Tatiano *thusant*, in nostra Lege mox *tusunde*, mille. *Vuesh* idem est ac Saxonicum *fief* & Angl. *fiue*, quod hi tanquam *feif* enunciant, & *quinque* significat. Jam vero 2500. denarii per 40. divisi dant *solidos LXII. cum dimidio*. Unde supra Tituli II. legem 11. correximus, ut videri ibi poterit.

(5) *FIT TERNU SUNDE.*) Lege: *fitter tusunde*, quod est *quater mille*. Quatuor esse *fitter* jam ante ad Tit. II. leg. 5. ostendimus. Et hæc calculatio bene se habet.

(6) *ACTO ET USUNDE.*) Lege: *actoe tusunde*. Prius *actoe* est nostrum *achte*, octo. Apud Tatianum *ahtho* & in Harmonia Cottoniana *ahto* scribitur. Denarii etiam 8000. exactissime solidos CC. reddunt.

(7) *THEO THO SUNDE TERTHEO CHUNNA.*) Restitue: *Theo thusunde fitter chunna*. Duo enim millia & quadringenti denariorum, sive 2400. denarii sunt *solidi sexcenti* in textu expressi.

(8) *FIT TERNO SUNDE THUE APTHEO CHUNNA.*) Restitue: *Fitter hunde thue ahtheo chunna*; quod verbotenus est: *quater centum bis*, sc. sumtum, est *octingenti*. Recte autem Wendelinus, qui chunnas has Legis Salicæ optime restituit, addit, paragraphum hunc, quia per centenas denariorum numerare desinat, & saltem solidorum calculum simpliciter ponat, supernumerarium videri. *Hunt* de cetero pro *centum* Tatianus cap. CCXXXVI. 7. habet, pro quo nos jam *hundert* dicimus, quod tamen proprie non *centum*, sed *centenarium* denotat,

Inde ad solidos VIII. ut,
X. Si quis alterum de clauso pugno, & hæc compositio in 5. locis habetur. V.
Inde ad solidos XII. & denarium; ut,
XI. Si quis ministerialem in mortis periculo. I.
Inde ad solidos XV. ut,
XII. Si quis sponsam alterius tulerit, hæc compositio in locis 93. habetur. XCIII.
Inde ad solidos XVII. cum dimidio; ut,
XIII. Si quis alterius vaccam furaverit, hæc compositio in 4. locis habetur. IV.
Inde ad solidos XXII. cum dimidio; ut,
XIV. Si quis tributarium Romanum in pelagus. I.
Inde ad solidos XXV. ut,
XV. Si quis servum ministerialem occiderit, hæc compositio in 2. locis habetur. II.
Inde ad solidos XXX. ut,
XVI. Si quis ancillam furaverit, hæc compositio in 26. locis habetur. XXVI.
Inde ad solidos XXXV. ut,
XVII. Si quis alterius servum furaverit, hæc compositio in 29. locis habetur. XXIX.
Inde ad solidos XLV. ut,
XVIII. Si quis Waranionem furaverit, hæc compositio in locis 41. habetur. XLI.
Inde ad solidos L. ut,
XIX. Si quis Romanum in pelagus. I.
Inde ad solidos LXII. & dimidium; ut,
XX. Si quis hominem vult percutere gladio, hæc compositio in 38. locis habetur. XXXVIII.
Inde ad solidos LXX. ut,
XXI. Si quis servum aut ancillam de ministerio. I.
Inde ad solidos LXXV. ut,
XXII. Si quis servum ministrantem in hoste occiderit. I.
Inde ad solidos XC. ut,
XXIII. Si quis taurum regis furaverit, hæc compositio in 3. locis habetur. III.
Inde ad solidos C. ut,
XXIV. Si quis Romanum occiderit, hæc compositio in 31. locis habetur. XXXI. *
Inde ad solidos CLXXXVII. & dimidium; ut
XXV. Si quis mulierem striam clamaverit. I.
Inde ad solidos CC. ut,
XXVI. Si quis hominem ingenuum occiderit, hæc compositio in 25. locis habetur. XXV.
Inde ad solidos CCC. ut,
XXVII. Si quis Litum in hoste occiderit, hæc compositio in 2. locis habetur. II.
Inde ad solidos DC. ut,
XXVIII. Si quis hominem ingenuum in hoste, hæc compositio in 11. locis habetur. XI.
Inde ad solidos DCC. ut,
XXIX. Si quis mulierem habentem in utero. I.
Inde ad solidos DCCCC. ut,
XXX. Si quis Romanum vel Litum in truste. I.
Inde ad solidos MDCCC. ut,
XXXI. Si quis hominem in truste dominica, hæc compositio in 2. locis habetur. II.

* Herold. *XIII.*

*F I N I S.*

# PACTUS *

## PRO TENORE PACIS

### Dominorum CHILDEBERTI & CHLOTARII Regum.

*Circa annum Chriſti DXCIII.*

I. UT quia multorum inſaniæ convaluerunt **; malis pro immanitate ſcelerum digna reddantur. Id ergo *** decretum eſt, ut apud quemcunque, poſt interdictum, latrocinius comprobatur, vitæ incurrat periculum.

II. Si quis ingenuam perſonam pro furto ligaverit, & negator extiterit, XII. juratores medios electos dare debet, quod furtum, quod objicit, verum ſit. Quod ſi latro redimendi ſe habet facultatem, ſe redimat. Si facultas deeſt, tribus mallis, parentibus offeratur. Et ſi non redimitur, de vita componat.

III. Qui furtum vult celare, & occulte ſine judice compoſitionem acceperit, latroni ſimilis eſt.

IV. Si homo ingenuus in furto inculpatus, ad æneum provocatus (1) manum incenderit, quantum inculpatur, furtum componat.

V. Si ſervus in furto fuerit inculpatus, requiratur a domino ut ad viginti noctes ipſum in mallum præſentet. Et ſi dubietas eſt, ad ſortem ponatur (2). Quod ſi placitum ſunnis non detricaverit (3), & alias xx. noctes ita fiet. Et perſecutor cauſæ de ſuis conſimilibus tres, & de electis aliis tres dabit, qui ſacramenta firmarent per placita, quod lex Salica habet, fuiſſe completum. Et ſi dominus ſervum non præſentaverit, legem unde inculpatur componat, & de ſervo faciat ceſſionem.

VI. Si ſervus minus tremiſſo involaverit (4), & mala ſorte priſerit, dominus ſervi tres ſol. ſolvat, & ſervus ille CCC. ictus accipiat flagellorum (5).

VII. Si quis mancipia aliena injuſte tenuerit, & inter dies XL. non reddiderit, ut latro mancipiorum teneatur obnoxius.

VIII. Si litus, de quo inculpatur, ad ſortem ambulaverit, mala ſorte priſerit, medietatem ingenui legem componat, & juratores ſex medios electos dare debet.

* Al. Ms. *Pactum*. ** Al. *Et quia multorum inſaniæ convaluerat*. *** Eccard. *Idcirco*.

---

(1) *Ad æneum provocatus.*) Vide tit. 55. legis Salicæ. *Bignonius*.

(2) *Ad ſortem ponatur.*) Sive judicium Dei vel purgationem vulgarem ſubeat. Hæc enim *ſors* vocabatur. Exempla aliquot ſequuntur. *Eccardus*.

(3) *Detricaverit.*) H. e. *impedierit*. Simplex *tricare* expoſuimus ſupra. *Eccard.*

(4) *Involaverit.*) Noſtris *voler*. Optatus lib. 4. *De involato gremio*. Et infra: *Poſſeſſio Dei eſt turba fidelium, ex quo cotidie fur diabolus cupit aliquid involare*. Juvat ſic recenſere plurium vocum noſtrarum origines, quas barbaras aut novitias plerique exiſtimant. Vet. Gloſſar. κλέπτω, *furor, involo*. Hygenus fab. 201. *Bignon.*

(5) *CCC. ictus accipiat flagellorum.*) Vide ad tit. XIII. leg. Sal. Flagella porro aliud ab ictibus in l. 2. Cod. Th. de curſu publico. Vide Philonem contra Flaccum pag. 998. *Bignon.*

# DECRETIO CHILDEBETI REGIS.

*Data circa annum DXCV.*

Childebertus Rex Francorum, vir inluſter (1). Cum in Dei nomine nos omnes Kalendas Martias (2) de quaſcunque conditiones * (3) una cum noſtris optimatibus (4) pertractavimus, ad unumquemque notitiam volumus pervenire.

I. ITa Deo propitiante Antonaco ** (5) Kalendas Martias anno viceſimo regni noſtri convenit, ut nepotes ex filio (6) vel ex

* Eccard. *De quibuſcunque conditionibus*.

** Idem, *Attiniaco*.

(1) *Vir inluſter.*) Rationes, cur Reges Francorum Merovingicæ ſtirpis ſe *Viros illuſtres* vocaverint in Diplomatibus ſuis, affert Mabillonius Rei Diplom. Lib. II. cap. 3. quæ Lectori curioſo ſufficere poſſunt. *Eccard.*

(2) *Kalendas Martias.*) Regum Francorum primæ lineæ mos erat ab antiquo derivatus, conventum populi ſingulis annis Kalendis Martii celebrare. Ad hunc omnes armis inſtructi venire debebant. In eo leges ferebantur optimatum ſive Principum conſilio: expeditiones bellicæ ordinabantur, & controverſiæ, quæ populo erant, dirimebantur. Conventus hic *Campus Martius* vocabatur. Gregorius Turonenſis lib. II. cap. 27. *Tranſacto anno, juſſit* (Clodoveus) *omnem cum armorum apparatu advenire phalangam, oſtenſuram in Campo-Martio ſuorum armorum nitorem*. Plura in Cangio vide. Poſtea idem conventus *Campus-Majus* vel *Maji-campus* dictus eſt, ex quo a Pipino in Kalendas Maji translatus eſt. *Eccard.*

(3) *Conditiones*, alias *Conditionibus*.) H. e. *negotiis* vel *rebus*. Vide exempla ſimilia in Cangio. *Eccard.*

(4) *Cum noſtris optimatibus*.) De his nonnulla ad Marculf. lib. 1. cap. 25. adnotavimus. Olympiodorus apud Photium, *τῶ μετὰ Ῥοδογαΐσου Γοτθῶν οἱ κεφαλιῶται ὀπτιμάτοι ἐκαλοῦντο, εἰς δώδεκα συντείνοντες χιλιάδας*. *Bignonius*.

(5) *Antonaco*, alias *Attiniaco*.) Locus eſt durante ſecunda Regum noſtrorum dynaſtia percelebris. Palatium quippe fuit, in quo plerique conventus habiti. Vita Ludovici Pii: *Dominus Rex conventum generalem coire juſſit in loco cui vocabulum eſt Attiniacus &c.* Ibidem indictum placitum a Lothario apud Nithardum lib. 2. Rodulfus quoque Rex Franciæ (inquit Frodoardus ad ann. DCCCCXXIV.) placitum tenuit apud Attiniacum; ac tandem cum Carolo Rege fœdere Remis inito, Attiniacum reddidit an. DCCCCXXIX. Vicus eſt in ultimis Rhemorum finibus cis Moſam ſitus, qui antiquum nomen hodie retinet *Attigny*. Hic vero omnia quotquot vidi exemplaria, Reg. Oiſel. c. 2. non *Attiniaco*, ſed *Antonaco* habent, quod etiam editio Tillii nominatim exhibet. Eſt autem *Antonacum* oppidum ad Rheni fluenta Romanis notiſſimum; cujus meminit Itinerarium Æthici, quod vulgo Antonino adſcribitur. Notitia imperii occidentalis ſub diſpoſitione ducis Moguntiacenſis Præfectum militum Acintenſium Antonam locat. Quod etiam Alemannis a Juliano ereptum, munitionibus deinde inſtructum, & mœnibus reparatis ornatum fuiſſe narrat Ammianus Marcellin. lib. 18. Regum tandem Francorum palatium fuit, & ſedes eorum qui Weſtriæ Auſtraſiæ ſeu Franciæ orientali imperarent. Fortunatus lib. 10. carm. 12.

*Antonacenſis caſtelli promptus ad arces*
*Inde prope accedens, ſarcina pergo ratis.*

Mox:

*Denique dum præſunt Reges in ſedibus aulæ,*
*Ac menſæ officio prandia feſta colunt,*
*Retibus inſpicitur quo ſalmo faſce levatur,*
*Et numerat piſces, cum ſit in arce ſedens:*

& cetera quæ ſequuntur. Quibus verbis eleganter publici conventus ſolemnibus diebus a Regibus noſtris haberi ſoliti deſcribuntur. Calendis Martii ut plurimum primæ familiæ Reges conveniebant. Feſtis poſtea diebus Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes celebrari placita moris erat. Qua occaſione lubet hic adſcribere Roberti R. diploma B. Dionyſii monachis conceſſum. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Robertus divina ordinante clementia Rex Francorum ſemper Auguſtus &c. Curtem itaque noſtram cum in ipſo caſtello haberemus, ut nos ab inquietudine ipſius Eccleſiæ & fratrum ibi Domino famulantium longe faceremus, Deo & glorioſo protectori noſtro S. Dionyſio ex conſultu Archiepiſcoporum & Epiſcoporum quorum nomina ſubterſignavimus, & optimatum Francorum, placuit ſerenitati noſtræ ab hodie & deinceps remittere ut ſolemnem curiam, hoc eſt, in natale Domini, in theophania, in Paſcha & in Pentecoſte, neque nos neque ſucceſſores noſtri in ipſo caſtello ulterius ullo modo præſumamus celebrare. Data VIII. Kal. Febr. Indict. II. anno I. regnante Roberto Rege glorioſo.* Unde & judiciarii conventus (Parlamenta vocabant) quater in anno, in Natali Domini, in Purificatione, Paſcha & Pentecoſte, haberi ſoliti. Sed ut ad Antonacum revertamur, caſtellum eſt ad Rhenum non longe a Confluentibus, Coloniæ paret, *Andernach* vulgo vocant; quæ vox cum non longe ab *Antonaco* abſit, proximior eſt *Anternaco*. Sic enim illud ipſum caſtrum, de quo ſermo eſt, AnnalesFuldenſes vocantſub an.DCCCLXXVI. *Hludovicus* (Germaniæ Rex) *quadam nocte ſe ſubtraxit de caſtris, & Rheno flumine tranſito, in caſtello Anternaco cum ſuis conſedit*. Bignon.

(6) *Nepotes ex filio*.) Ea, quæ in hoc loco conſtituuntur, in controverſiam deinde venere ſub Ottonis M. regno. Decretum autem Childeberti tunc ignotius eſſe debuit. Alias enim non opus fuiſſet, ut nepotum cauſſa duello vindicaretur. Notabilis eſt Witichindi hiſtorici ea de re locus, ubi lib. II. p. 644. ſcribit: *De legum quoque varietate facta eſt contentio, fuereque, qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemque legitime cum filiis ſortiri, ſi forte patres eorum*

ex filia ad aviaticas res (1) cum avunculos (2) vel amitas α sic venirent in hæreditatem tanquam si pater aut mater vivi fuissent. De illos tamen nepotes β (3) istud placuit observari qui de filio vel filia nascuntur, non qui de fratre.

II. In sequenti hoc convenit una cum leudis γ (4) nostris ut nullus de crinosis δ (5) incestum usum sibi societ conjugio, hoc est, nec fratris sui uxorem (6), nec uxoris suæ sororem, nec uxorem patrui sui ε, aut parentis consanguinei. Si quis uxorem patris acceperit, mortis periculum ζ incurrat. De præteritis vero conjunctionibus, quæ incestæ esse videntur η, per prædicationem Episcoporum (7) jussimus emendari. Qui vero Episcopum suum θ noluerit audire, & excommunicatus fuerit (8), perennem condemnationem apud Deum sustineat, & insuper de palatio nostro sit omnino extraneus (9), & omnes facultates (10) suas parentibus legitimis amittat qui noluit sacerdotis sui medicamenta sustinere ι.

III. Similiter Trejecto κ (11) convenit no-

α Idem, *Cum avunculis vel amitis.* β Idem, *De illis tamen nepotibus.* γ A. Mss *Cum leodes.* It. *leodis.* δ Al. *Criminosis.* ε Eccard. *Patris sui.* ζ Idem, *Mortem.* η Idem, *Incestis conjunctionibus.* θ Eccard. *Episcopo suo.* ι Idem, *Facultates suæ legitimis parentibus veniant.* Reliqua desunt. κ Idem, *Trajecti.*

*rum obiissent avis superstitibus. Unde exiit edictum a Rege, ut universalis populi conventio fieret apud villam, quæ dicitur Stela, factumque est, ut caussa inter arbitros judicaretur debere examinari. Rex autem meliori consilio usus, noluit viros nobiles ac senes populi inhoneste tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni jussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios: & firmatum est, ut æqualiter cum patruis hereditatem dividerent pacto sempiterno.* Eccard.

(1) *Aviaticas res.*) Et hic & in Lege Ripuariorum sunt *alodia*, *veteres possessiones*, aut *avita bona*. Eccard.

(2) *Avunculos.*) Ii hic sunt clare, quos paullo ante Witichindus *patruos* vocavit. Galli *oncle* de fratre patris & matris usurpant. *Eccard.*

(3) *De illos nepotes.*) Nota significationem vulgarem vocis *nepotis* & Gall. *neveu*. Eccard.

(4) *Leudis.*) Alii Codices habent: *cum leodes*. Supra ad Legem Salicam notavimus, *leudem* accipi pro *compositione hominis*; hic autem *leudus* venit pro *homine*, *vasallo*, *fidelique* maxime nobiliori, qui nulli præterquam principi obnoxius erat: & vox hæc a *leiten*, dirigere, ducere, derivatur, denotatque proprie eum, *qui sub alio est*, vel *qui ab alio ducitur, dirigitur & regitur*. Fredegarius Scholasticus Chronici cap. 27. *Quod cum loco, nomine Caraciaco, Theudericus cum exercitu castra metasset, hortabatur a leudis suis, ut cum Theodeberto pacem iniret.* Paullo post ibidem: *Quem undique cum jam exercitus circumdasset, & Theudericum leudes sui tenebant, ne illuc graderetur, misit Uncilenum* &c. Gregorius Turonensis lib. II. c. 42. *Hæc dedit leudibus ejus, ut super eum invitarentur.* Pro omnibus tamen *subditis*, ingenuis etiam, acceptum Cointio videtur ex loco Fredegarii cap. 58. de Dagoberto dicentis: *Cumque Lingonas civitatem venisset, tanta in universis leudibus suis, tam sublimibus, quam pauperibus judicabat justitia, ut crederetur omnino fuisse Deo placabile: ubi nullum intercedebat præmium, nec personarum acceptio, nisi sola dominabatur justitia, quam diligebat altissimus.* Pro omnibus subditis etiam Leudis vox usurpata est in *leudesamii* seu *leudesamiti* vocabulo, quod apud Marculfum lib. I. c. 40. exstat, & *juramentum fidelitatis ab omnibus pagensibus seu subditis Regi præstandum* denotat, uti id in Notis ad Catechesin Theotiscam p. 109. & 110. demonstravimus. Alia de *leudis* voce vide apud Lindenbrogium, Spelmannum, Cangiumque, nec non in Bignonii notis ad Form. Marculfi lib. I. cap. 40., & in Ruinarti Notis ad Gregor. Turon. pag. 98. & ad Fredegar. p. 634. Nos addimus saltem, nobis Germanis adhuc *leute* de *hominibus* in genere & in specie de *iis*, *qui in heri cujusdam familia vivunt*, dici. Ita Latinum *homo* & Germanicum *man* de *homine* & *viro* quocunque, nec non etiam de *vasallo* & *subdito* adhibetur. *Eccard.*

(5) *De crinosis.*) Hoc est, de *Francis ingenuis*. Vide supra dicta ad Leg. Sal. ed. Herold. Tit. XXVIII. leg. 2. Baluzius quidem in Codice Tiliano invenit *de criminosis*; sed hoc sibi hic non constat, & ex errore scribæ irrepsit. Sic & Tit. VII. Leg. Bajoar. cap. 5. in Codice S. Vincentii Metensis *criminis* erronee legitur pro *crines*. Eccard.

(6) *Fratris sui uxorem.*) Hæ nuptiæ jam in Legis Salicæ ed. Herold. Tit. XIV. leg. 12. prohibitæ erant. Et apparet, hanc Childeberti constitutionem Legis Salicæ ulteriorem expositionem circa matrimonia prohibita continere. *Eccard.*

(7) *Per prædicationem Episcoporum.*) Sic Synodus Aurelian. III. c. X. *Illud etiam adjiciendum esse credidimus, ut in Episcopi discussione consistat de his qui in civitate sua & territorio consistunt, & tali sunt ordine sociati, utrum ignoranter ad illicita conjugia venerint, an per contumaciam quæ sunt interdicta præsumpserint &c.* Bignonius.

(8) *Excommunicatus fuerit.*) Synodi Aurelianens. III. anno 26. regni ejusdem Childeberti cap. X. *Non prius ad communionem recipiantur quam incesti adulterium separatione sanaverint.* Synodi Turonicæ II. cap. XXI. *Quandiu in tanto versatur scelere, a Christiano cœtu atque convivio & Ecclesiæ communione privabitur.* Itaque cum Charibertus Rex uxoris suæ sororem connubio junxisset, a B. Germano Parisiensi Episcopo communione privatus est cum uxore. Gregor. Turonens. lib. 4. cap. 26. Id impune ante fecerat Chlotarius Rex. Idem Gregorius lib. 3. cap. 6. De anathemate vide Lindenbrog. pag. 1353. S. Jo. Chrysost. περὶ τοῦ μὴ δεῖν ἀναθεματίζειν ζῶντας ἢ τεθνεῶτας. Ibidem. *Bignonius.*

(9) *De palatio sit extraneus.*) Excommunicationis effectus ad temporalia. *Bignon.*

(10) *Et omnes facultates* &c.) Vides hic originem Episcopalis in matrimonia potestatis. *Eccardus.* (Additio Collect.) *Vide, quæ supra dicta sunt ad Pactum Legis Salicæ antiquum Tit. XIV. Leg. 12.*

(11) *Trejecto.*) Intelligitur autem *Trajectum superius* ad Mosam. Gregorius Turonensis lib. II. c. 5. *Trajectensem urbem* vocat, quam Ruinartus in additis notis male *Trajectum inferius* interpretatur. Inferius enim jam est *Ultrajectum ad Rhenum*; superius vero *Mastrichtum*, sive *Trajectum ad Mosam*. Vita S. Amandi ab auctore æquali scripta *Trejectensium ecclesiam* nominat. Eo enim Tungrorum Episcopatus, Aduatica ab Attila eversa, translatus est, qui tandem Leodium devenit. Annales Bertiniani ad an. 871. *municipium Trejectum* commemorant. Vide plura in Valesii Not. Gall. pag. 559. 560. *Eccard.*

nobis campo ut quaslibet res ad unum Ducem vel judicem pertinentes per decem annos quicunque inconcusso jure possedit, nullam habeat licentiam intertiandi, nisi tantum causa orphanorum usque ad viginti annos licentiam tribuimus. Quod si quis α super hoc judicium præsumpserit intertiare, sol. xv. solvat, & rem quam male intertiavit β amittat. De reliquis vero conditionibus omnes omnino causas tricenaria lex (1) excludit, præter id quod in alia regna hucusque detenuit.

IV. Pari conditione convenit Kal. Mar. omnibus nobis adunatis ut quicunque admodum γ (2) raptum facere præsumpserit, unde impiissimus vitius adcreverat, vitæ periculum δ feriatur; & nullus de optimatibus nostris de tam turpissimo vitio præsumat pro ipso precare, sed unusquisque admodum inimicum Dei persequatur. Qui vero edictum nostrum ausus fuerit contemnere, in cujuslibet judicis pago primitus admissum fuerit, ille judex ε solatio (3) collecto ipsum raptorem occidat, & jaceat forbattutus (4). Et si ad Ecclesiam confugium fecerit, reddatur ab Episcopo, & sine ulla precatione exinde separentur ζ. Certe si η ipsa mulier postea raptori consenserit, ambo pariter in exilio transmittantur. Et si foras Ecclesiam capti fuerint, ambo pariter occidantur, & facultates illorum parentibus legitimis dentur, & quod fisco nostro debetur θ adquiratur.

V. De homicidiis (5) vero ita jussimus observari, ut quicunque ausu temerario alium sine causa occiderit, vitæ periculum ι feriatur, & nullo pretio redemptionis se redimat aut componat κ. Et si forsitan convenerit ut ad solutionem quisque λ descendat, nullus de parentibus aut de amicis ei quicquam adjuvet. Nisi qui præsumpserit ei aliquid adjuvare, suum widrigildum μ (6) omnino componat. Quia justum est ut qui injuste novit occidere, discat juste morire (7).

VI. De farfaliis ν (8) ita convenit, ut quicunque in mallo præsumpserit farfalium mi-

α Idem, *Si quis . . .* β Idem, *Et rem intertiatam.* γ Deest in Eccard. δ Eccard. *periculo.* ε Eccard. *Judex loci illius.* ζ Idem, *Separetur.* η Idem, *Et si.* θ Idem, *Debitum est.* ι Idem, *periculo.* κ Idem, *Se redimere unquam valeat.* λ Idem, *Ad compositionem quis.* μ Idem, *Quisquis fecerit suum Weregildum.* ν Idem, *Farfalio.*

(1) *Tricenaria lex.*) Theodosii junioris. Valentinianus Novell. lib. 2. tit. 8. *Humano generi profunda quiete prospexit*, & tit. 12. ubi Anianus. Procopius de bello Wandalico lib. 1. pag. 94. Νόμου δὲ ὄντος Ῥωμαίοις, ὧν τινες οὐχ ὑπὸ τῆς οἰκείας χειρὶ τὰ σφέτερα αὐτῶν ἔχοιεν, καὶ τρίβοιτο χρόνος εἰς τριάκοντα ἐνιαυτοὺς ἥκων, τούτοις δὲ οὐκέτι εἶναι κυρίοις ἐπὶ τοὺς βιασαμένους ἰέναι, ἀλλ' ἐς παραγραφὴν αὐτοῖς ἀποκεκλεῖσθαι τὴν ἐς τὸ δικαστήριον εἴσοδον· νόμον ἔγραψεν ὅπως ὁ τῶν Βανδίλων χρόνος, ὃν ἐν γε τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ διατρίβοιεν, ἐς ταύτην δὴ τῆς τριακονταετοῦς παραγραφῆς ἥκιστα φέροιτο. Edictum Theoderici R. cap. LXIX. *Tricennalis legis saluberrimum constitutum.* Leg. Wisigothor. lib. 10. tit. 2. l. 3. & l. 4. *Tricennalis ergo transcursio temporum cum jam sic constanter inoleverit in negotiis actionum ut non jam quasi ex instructione humana, sed veluti ex ipsa rerum processisse natura videatur.* Constitutio Chlotarii Ms. Vide Synodum Aurelian. III. cap. XII. ubi tricenaria tempora Ecclesiæ quoque obstare scribitur. Id postea immutatum, & quadraginta annorum præscriptione contra eam opus est. Vide Cod. de triginta vel quadraginta ann. præscript. *Bignon.*

(2) *Quicunque admodum.*) Ubi *admodum* positum est pro *a modo*. Formulæ Sirmondicæ c. 28. *Ita & admodum liceat inantea ipsas res quiete tenere & possidere.* Appendix ad Form. Marculf. cap. 24. *Ita & admodum memoratus ille* &c. Ludovicus Pius in Epistola ad Sicharium Archiep. Burdegalensem Capitular. ed. Baluz. T. I. p. 559. *Qui in hoc negotio nostræ admodum jussioni parere neglexerit.* Eccard.

(3) *Solatio.*) H. e. *auxilio*, *adjutorio*. Vid. Baluzii Notas ad h. l. Capitul. T. II. pag. 988. *Eccard.*

(4) *Et jaceat forbattutus.*) Sive tanquam aliquis, qui occisus est ab eo, quem per vim primus aggressus erat. Hujus enim significationis vocabulum esse, apparet ex Leg. Ripuar. Tit. LXXVII. qui *de Homine forbatudo* agit, & in Appendice Marculfi ex Form. XXIX. quæ *Notitia de homine forbatuto* inscribitur. Ad de Form. secundum jus Romanum XXX. quæ apud Lindenbrogium est Form. CXIX. Putaverim tamen ferme legendum esse: *& faciat forbattutum*; ut significetur idem ac, *& declaret, eum fuisse primum aggressorem*, atque ita morte jure dignum. Sic enim in ceteris locis legitur. Formula vetus XXIX. *Cum armis suis super me venit, & colpus super me misit, & sic mihi dominus directum dedit, ego ipsum de armis meis percussi & tales colpus ei dedi, pro quibus mortuus est, & quod feci, super me fecit, & ego hodie facio infra damnum* (Lindenbr. *in fordanno*) *& forbatudum infra noctes XLII.* &c. Formula Romana XXX. similia profert de aliquo, qui aggressorem suum occiderat. Inter cetera ait: *Et sic est veritas, absque ulla fraude vel conludio, & in sua culpa secundum legem ipsum forbatudum fecit.* Vox ipsa descendit a *for*, ante, prius, & *battudus*, quod hic idem est ac *qui percussit*, a *battere*, cædere, percutere, derivatum; unde Galli adhuc suum *battre* & Itali *battere* eodem sensu habent. Vides hinc *forbattutum* etiam vi originis esse, *qui prius percussit*, sive aggressorem. *Eccard.*

(5) *De homicidiis.*) Aliqua hujus Legis exstant Capitular. lib. VII. cap. 256. *Eccard.*

(6) *Widrigildum*, alias *Weregildum.*) Sed differentia est inter utrasque voces. *Widrigildum* est compensatio cujuslibet rei; *Weregeldum* autem compositio hominis, quæ in prioribus Legis Salicæ Titulis *Leudis* dicitur. Vide, quæ supra monuimus. Postea demum *Weregeldum* utrumque denotavit, ob rationes, quas adduximus. *Eccard.*

(7) *Morire.*) Et hinc Ital. *morire* & Gall. *mourir*. Eccard.

(8) *De farfaliis*, alias *de farfalio.*) Ante legem hanc exstat lex *de raptu*, deinde alia *de homicidio*, & sequitur eandem lex *de furibus & malefactoribus*. Sola igitur lex *de adsalitione inimica* omissa est, quam *farfalio* denotari non incongruum est. *Adsalitionem* enim Leg. Sal. Tit. XVI. leg. 4. & Tit. XVIII. leg. 1. & 2. *falchio* in Malbergo dictam fuisse ostendi-

minare, ſine dubio ſuum Widrigildum [α] componat; quia omnino volumus ut farfalius reprimatur. Et ſi forſitan, ut adſolet, judex hoc conſenſerit, & fortaſſe adquieſcit iſtum farfalium cuſtodire, vitæ periculum per omnia ſuſtineat [β].

VII. De furibus & malefactoribus ita decrevimus obſervare, ut ſi quinque aut ſeptem bonæ fidei homines abſque inimicitia interpoſita criminoſum cum ſacramenti interpoſitione eſſe dixerint, quomodo ſine lege involavit, ſine lege moriatur [γ]. Et ſi judex comprehenſum latronem convictus fuerit relaxaſſe, vitam ſuam amittat, & hæc diſciplina in populo modis omnibus obſervetur.

VIII. Similiter Kal. Mar. Colonia convenit, & ita bannivimus (1), ut unuſquiſque judex criminoſum latronem ut audierit, ad caſam ſuam ambulet, & ipſum ligare faciat; ita ut ſi Francus fuerit, ad noſtram præſentiam dirigatur; & ſi debilior perſona fuerit, in loco [δ] pendatur.

IX. Si quis Centenarium aut quemlibet judicem noluerit ſuper malefactorem ad prindendum adjuvare, ſexaginta ſolidis omnino condemnetur.

X. Et quicunque ſervum criminoſum habuerit, & ei [ε] judex rogaverit ipſum præſentare, & noluerit, ſuum widrigildum [ζ] omnino componat.

XI. Similiter convenit ut ſi furtum factum fuerit, capitale de præſenti centena reſtituat, & cauſator Centenarium cum centena requirat.

XII. Pari conditione convenit ut ſi una centena in alia centena veſtigium ſecuta fuerit, & invenerit, vel in quibuſcunque fidelium noſtrorum terminis veſtigium miſerit, & ipſum in aliam centenam minime expellere potuerit, aut convictus [η] reddat latronem, aut capitale de præſenti reſtituat, & cum duodecim perſonis ſe ex hoc ſacramento exuat.

XIII. Si ſervi Eccleſiarum aut fiſcalini furtum admiſerint, ſimilem pœnam ſuſtineant, ſicut & reliquorum ſervi Francorum.

XIV. Die Dominico [θ] ſimiliter placuit obſervare ut ſi quiſcunque [ι] ingenuus, excepto quod ad coquendum vel ad manducandum pertinet, opera alia in die dominico facere præſumpſerit, ſi Salicus [κ] fuerit, ſolidos quindecim componat; ſi Romanus, ſeptem & dimidium [λ]. Servus vero aut tres ſolidos reddat, aut de dorſo ſuo componat. *Aſclipiodus recognovit* [μ].

XV. [ν] De chrenechruda lex, quam paganorum tempore obſervabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipſam cecidit multorum poteſtas.

Datum pridie Kal. Mar. anno XX. [ξ] regni Domni noſtri Colonia feliciter. Amen.

*Hæc in Editione Lindenbrogii adduntur.*

EXPLICIUNT LEGIS SALICÆ LIBRI III. QUAM CLODOVEUS REX FRANCORUM STATUIT, ET POSTEA UNA CUM FRANCIS PERTRACTAVIT, UT AD TITULOS ALIQUID AMPLIUS ADDERET, SICUT A PRIMO USQUE AD SEPTUAGESIMUM OCTAVUM PERDUXERIT. INDE VERO CHILDEBERTUS POST MULTUM TEMPUS TRACTAVIT, UT QUICQUID INVENIRE POTUERIT, IBI CUM SUIS FRANCIS ADDERET: HOC EST, A LXXVIII. USQUE AD LXXXIIII. QUICQUID INVENIT DIGNE IBIDEM IMPOSUISSE COGNOSCITUR. ITERUM CUM HOS TITULOS CLOTHARIUS A GERMANO SUO SENIORE GRATANTER EXCEPIT, SIC ET IPSE SIMILITER CUM REGNI SUI SAPIENTIBUS INVENIT, UT A LXXXIIII. ADDERET, ET ITA PERFECTUM PERDUXIT. ET INDE, QUÆ IPSE INVENIT, AD FRATREM SUUM RESCRIPTA DIREXIT. ET ITA INTER SE FIRMAVERUNT (2), UT ISTA OMNIA QUÆ CONSTITUERUNT, INVIOLABILITER, OMNIQUE TEMPORE CONSERVATA FUISSENT.

α Idem, *Weregildum*. β Eccard. *Incurrat*. γ Eccard. *Contra legem furtum perpetravit, ſecundum legem moriatur*. δ Eccard. & Lindenbr. *In collo*. ε Deeſt in Eccard. ζ Eccard *Weregildum*. η Eccard. *Convictum*. θ Idem, *Diem dominicum*. ι Idem, *Quicunque*. κ Idem, *Francus*. λ Deſunt in Eccard. μ Deſunt in Eccard. ν Caput iſtud deeſt in omnibus antiquis codd. quos vidit Baluzius, habetur tamen in quibuſdam editionibus. ξ Al Mss. *Anno XXI*. al. *XXII*. al. *XXV*.

dimus ſupra; quod nomen a *fallen*, ruere, cadere, labi, irruere, adſalire, deducendum. *Fal* hinc in Gloſſis Rabani Mauri Mss. eſt *caſus*, irruitio, adſalitio, pro quo nos *fall* dicimus. *Far* apud veteres ſæpe, præſertim in compoſitione, pro *for* vel *vor* uſurpatur. Ita Kero & alii *farworfan*, projici; *farakiſiit*, perſpexerit; & centum his ſimilia habent. Ut autem *forbattutus* antea erat, *qui prius percuſſerat*; ita hic *farfalius* ſignificat *prius factam adſalitionem*, *ſive aſſultum inimicum*. Hinc autem cum turbæ multæ ex vindicta ſequantur, præſertim ſi auctorem adſalitionis eam publice minatum fuiſſe, atque ita cogitanter perpetraſſe conſtet, weregildum ille ſuum merito componere, ſive vitam redimere aut mortem ſubire cogebatur. Nos Germanice jam *farfalium* redderemus *forfall*. Eccard.

(1) *Bannivimus*.) *Bannire* idem eſt ac *jubere*, injungere, Sax. *been*, Germ. *gebieten*. Eccard.

(2) *Firmaverunt*.) *Firmare* eſt *ſacramento ſe obligare*. Vid. Cangius in *Firma* & *Firmare*. Eccard.

# DECRETIO CHLOTARII (1) II. REGIS.

*Data circa annum Christi DXCV.*

I. DEcretum est ut quia in vigilias constitutas * nocturnos fures non caperent, eo quod per diversas intercedente conludio (2) scelera prætermissa custodias exercerent, centenas fieri. In qua centena aliquid deperierit, capitale qui perdiderat recipiat, & latro insequatur. Vel si in alterius centena appareat, & adhuc admoniti si neglexerint, quinos sol. condemnentur. Capitale tamen qui perdiderat, a centena illa accipiat absque dubio, hoc est, de secunda vel tertia custodia.

II. Si vestigius comprobatur latronis (3), tamen præsentia nihil longe multando: ** aut si persequens latronem suum comprehenderit, integram sibi compositionem accipiat.

III. Quod si in truste invenitur, medietatem compositionis trustis adquirat (4), & capitale exigat a latrone.

IV. Si quis in domo alterius, ubi clavis est, furtum invenerit, dominus domus de vita componat.

V. Si quis cum furto capitur, antedictæ subjaceat legi.

VI. Si de suspicione inculpatur, ad sortem veniat.

VII. Si mala sorte priserit, latro tamen, ad utramque partem sint ternas personas electas, ne conludius fieri possit.

VIII. De servis Ecclesiæ, aut fisci, vel cujuslibet, quicunque inculpatur, ad sortem veniat, aut ad plebium (5) promoveatur, aut ipse precius (6) a domino reformetur. Nam probati periculo subjacebunt.

IX. Si quis cujuslibet de potentioribus servis, qui per diversa possident, de crimine habetur suspectus, domino secretius cum testibus condicatur, ut intra viginti noctes ipsum ante judicem debeat præsentare. Quod si in statutum tempus interludente conludio non fecerit, dominus status sui juxta modum culpæ inter fredum & faidum *** (7) compensabitur.

X.

* Eccard. *Quia in vigiliis constitutis.* ** Al. Ms. *Militando*: Lindenbr. *multandus.* *** Al. *Fredum & foedum.* Al. *Inter fredum & fredum.*

(1) *Decretio Chlotarii.*) Hæc constitutio pars superioris esse videtur, pacti scilicet inter Childebertum & Clotharium initi, tum quod pactum illud, quod antecedit, fine congruenti & epilogo careat, tum quia pacis fœdus dicitur, neque tamen ulla pacis mentio, de qua in fine hujusce constitutionis agitur vers. 17. ut ex Ms. supplevimus, & versic. 17. Itaque cum præcedenti conjungi debet. *Bignonius.*

(2) *Conludio.*) Marcell. lib. 18. & 30. Symmach. lib. 1. ep. 5. lib. 3. ep. 20. & 50. lib. 4. ep. 36. Majoriani Novella de episcopali judicio. Edictum Theoderici cap. 114. Decretio Childeberti supra cap. 7. Leg. Bajuvar. tit. 8. cap. 6. l. 11. Cod. de jurisdict. Glossæ: *Conludium*, *συνδυασμός*. Aliæ: *compactum*, *collusio*. Bignon.

(3) *Vestigius comprobatur latronis.*) Infra vers. 16. *Si quis ad vestigium minandum*. Vide leg. Salic. tit. 39. *Bignon.*

(4) *Trustis adquirat.*) Quid trustis hic? *Bignon.*

(5) *Ad plebium.*) Id. *æneum*, seu *inium*, ut in Ms. Nam de sortibus hic agitur & purgationibus. *Bignon.*

(6) *Precius.*) Inde nostrum *preiss* etiam est generis masculini. *Eccard.*

(7) *Inter fredum & faidum.*) Ita hunc locum optime restituit Baluzius. *Fredum* est, quod Regi vel fisco solvitur, ut pacem ab ipso habeat criminosus: *Faidum* vero vel *faida*, quod læsi vel occisi parentibus & propinquis a reo solvitur, ne vindicent injuriam illatam vel mortem agnati. Is enim mos erat apud Francos veteres, omnesque reliquos Germanos, ut inimicitias privatas armis persequerentur, qui principis imperio aut Legum auctoritate omnino non prohibebatur, quamvis certis finibus coercitus esset. Si itaque quivis aut vulneratus, aut certe occisus fuisset, tunc propinqui illius & affines, seu & amici in unum conveniebant, injuriam vi & armis ulturi. Vid. Marculfi Form. 18. Lib. II. & ibi Bignonium. Schilterus in Praxi Juris Romani in foro Germanico T. II. Exerc. in ff. 19. §. 8. faidam bene dicit esse *pœnam læso competentem: pro qua alias bellum privatum sive diffidatio malo more erat introducta*. Et cum ibidem pleraque veterum loca adduxisset, addit; *est igitur faida pœna pecuniaria saltem, ex solo hominis facto, in quod culpa dolusve cadit, læso competens, & ita vindictam damni injuria dati denotans*. Alias recentiorum sententias præterimus. Glossæ: *Faida, vindicta mortis*. Regino lib. II. de Eccles. discipl. cap. 5. *Vindicta parentum, quod faidam dicimus*. Lex Saxon. Tit. XIII. *Si animal quodlibet damnum cuilibet intulerit, ab eo cujus esse constiterit, componatur, excepta faida*. Add. Lex Bajoar. Tit. XIII. fin. Lex Alamann. Tit. LXXIV. c. 2. Lex Langob. lib. I. Tit. XXI. c. 3. Capitular. Caroli M. lib. IV. cap. 27. & 55. &c. *Fehde* apud nos adhuc est *inimicitia capitalis*. Teutonista: *Veede*, *orloch*, *creghe*. *Veeden*, *orloghen*, *creghen*. Anglosaxonibus *fæhd*, Angl. *feud*; Belgis *veede*, *veide*, *veete*, inimicitia, aperta simultas, odium. Anglosax. *fah*, Angl. *foe* est *inimicus*, *hostis*. Omnia sunt a veteri *fian*, odisse, in Evangel. Goth. Matth. V. 43. reliquo. Kero quoque habet: *odire*, *fien*. *Odisti*, *fietos*. Glossarium Boxhornianum prius: *Exosi*, *fieta*. Hinc inserto *n* venit Sax. *fiend* & German. *feind*, inimicus. *Fi* & *pfuy*, interjectio-

nes

X. Si servus ante admonitum dominum defuerit, capitale dominus restituat, & de servo faciat cessionem; ut cum inventus fuerit, detur in vindictam.

XI. Si quis occulte de re sibi furata a quolibet latrone compositionem acceperit, utraque latronis culpa subjaceat; fur tamen judici præsentetur.

XII. Ut continuo capitale ei qui perdiderit reformare (1) festinet, & latronem perquirat. Quem si in truste perinvenerit, medietatem sibi vindicet vel delaturam. Si fuerit de facultate latronis, & qui damnum pertulit, farciatur. Nam si persequens latronem ceperit, integram sibi compositionem simul & solutionem, vel quicquid dispendii fuerit revocavit; fredus tamen judici, in cujus pago est, reservetur.

XIII. Nullus latronem, vel quemlibet culpabilem, sicut summis Episcopis convenit, de atrio Ecclesiæ (2) trahere præsumat. Quod si sunt Ecclesiæ quibus atria clausa non sint (3), ab utraque parte parietum terræ spatium arpennis (4) pro atrio observetur.

XIV. Nullus confugiens foris ante dicta loca pro operarum cupiditate se dicat exire. Quod si fecerint, & capti fuerint, ad dignum sibi supplicium condemnentur.

XV. Quod si cujuslibet servus deserens suum dominum ad Ecclesias confugerit, & ibi primitus dominus ejus advenerit, contentio excusatur (5): reddatur furtum, ut se de pretio redimat.

XVI. Si quis ad vestigium minandum, vel latronem persequendum admonitus venire noluerit, quinque sol. condemnetur.

XVII. Ea quæ in Dei nomine pacis tenore (6) constituimus, in perpetuum volumus custodire.

XVIII. Hoc statuentes, ut si quis ex judicibus hoc decretum violare præsumpserit, vitæ periculum subjacere cognoscat.

EXPLICIT.

---

nes apud nos abominandi, ex eodem fonte profluunt. Qui *faidam* nondum composuerat & inimicos legitimo modo placaverat, *faidosus* dicebatur. Eginhardus Rabano Abb. ii: *Pro eo quod faidosus sit, & cum inimicis suis & his qui vitæ suæ insidiantur, hoc iter agere non audeat*. Lex Frisionum in Additione Tit. I. *Homo faidosus pacem habeat in Ecclesia, in domo sua, ad Ecclesiam eundo, de Ecclesia redeundo, ad placitum eundo, de placito redeundo*. Plura de *faida* Lindenbrogius, Spelmannus, Cangius in Glossariis, Sirmondus in Notis ad Capitular. edit. Baluz. p. 79. Vreedius Flandriæ Ethnicæ lib. II. c. 20. & alii dabunt. A *faida* est *diffidare*, Gall. *deffier*, & Germ. *bevehden*, bellum indicere, inimicitiam publicam declarare; & *diffidatio*, Gall. *deffis*, inimicitiæ declaratio, belli denunciatio. Vid. Vossius de vitiis serm. pag. 679. & Menagius in Etymologico Gallico. Germania præsertim a magni Interregni temporibus diffidationibus hisce privatis misere turbata fuit, donec Legibus Imperatoriis abrogatæ sunt. Constitutio Criminalis Bambergensis §. 154. *Welcher jemand wider recht und billigkeit muthwilliglichen bevehedet, den richtet man mit dem schwert, vom leben zum todt; doch ob einer seiner vehd halb von der oberhand erlaubnis hette, oder der, den er also bevehedet davor sein, seiner herschafft oder der iren feindt worden were, oder sunst zu solcher vehede rechtmessig getrungen ursach hette, so mœchte er auf sein aussfuhrung derselben guten ursachen peinlich nicht zu straffen sein*. Leges Imperii hac de re tanquam in vulgus JCtorum notas præterimus. *Eccard.*

(1) *Reformare.*) Restitui forte debet, *revocare*; quod eodem hoc in paragrapho repetitur. *Eccard.*

(2) *Atrio Ecclesiæ.*) Vide Concil. Tolet. XII. c. 10. can. *Diffinivit*. 35. caus. 17. qu. 4. Ivon. part. III. c. 121. Capitular. lib. 1. cap. 134. lib. 4. cap. 13. 28. lib. 5. cap. 155. 156. Vide titul. in utroque Cod. de his qui ad Ecclesias confugiunt; Sozomenum lib. 5. de Stilicone; Homiliam S. Chrysostomi de sacerdotio pag. 549. Leo Marsican. lib. 3. cap. 26. *Atrium ante Ecclesiam, quod nos Romana consuetudine paradisum dicimus*. Vide notas Lindenbrogii ad Pauli Diaconi historiam Longobardorum. *Bignon.*

(3) *Quibus atria clausa non sint.*) Concil. Tolet. XIV. triginta passus tribuit. Vide constitutionem Honorii Ms. ubi quinquaginta passus tribuuntur. *Bignon.*

(4) *Arpennis.*) Vide notas ad veteres formulas (sive Appendicem Marculfi) tit. 50. Agrimensores pag. 297. Pontanum Origin. lib. 5. pag. 579. Gregorius Turonens. lib. 1. cap. 6. *Unum stadium habet aripennes quinque*. Leg. Bajuvar. tit. 1. cap. 14. num. 2. ubi dicitur arpentum, leg. Wisigoth. lib. 8. tit. 4. l. 25. & lib. 4. tit. 1. l. 14. *Bignon.*

(5) *Contentio excusatur* &c.) Bignonius in veteri Codice sequentia invenit: *Omnium rerum excusatio* (leg. *excusatus*) *reddatur futurum* (l. *fugitivus*) *aut si de* (l. *inde*) *pretium domino reformetur. De fiscalibus aut contra dominum censuimus pro tenore pacis jubemus, ut in truste electi centenarii* (*electorum Centenariorum*) *ponatur pro* (*per*) *quorum fide* (*fidem*) *atque solicitudine* (*solicitudinem*) *pax prædicta servetur. Et quia propitiante Domino inter nos germanitatis charitas indisrupto vinculo custodiatur, Centenarii inter communes provincias licentiam habeant latrones persequi, vel vestigia assignata minare, & in truste, qua defecerit* (*defecerint*) sicut dictum *est, causa remaneat. Ita ut continuo capitale ei qui perdiderit reformare festinet* (*festinent*) *& latronem perquirat*, (*perquirant*), quem *si in truste perinvenerit* (*perinvenerint*) *medietatem sibi vindicat*, &c. Ut supra cap. 12. quod ejusdem Codicis auctoritate, trajectum, inde auferri & hic legi debet. Eadem autem fere in Salicæ Legis exemplari ex Codice Guelferbytano a nobis supra edito Tit. LXXXVIII. exstant. *Eccard.*

(6) *Pacis tenore.*) Decretionem Clotharii esse partem Pacti inter Childebertum & Clotharium paullo ante positi ex his verbis manifestum est. In Pacti enim inscriptione *pro tenore pacis* inter utrumque Regem id confectum esse dicitur; & ne minima tamen in eo *pacis* mentio facta cernitur. Hic vero in Decretione eadem inscriptionis verba repetuntur. Pactum igitur debuit inchoasse Librum Legis Salicæ quartum, eundemque cum Decretione Clotharii constituisse. *Eccard.*

LEX

# LEX SALICA
## REFORMATA
### *CUM NOTIS HIERONYMI BIGNONII & JO. GEORGII ECCARDI.*

---

PROLOGUS (1) LEGIS SALICÆ

( *Editionis Lindenbrogianæ.* )

PLacuit atque convenit inter Francos & eorum Proceres, ut propter servandum [α] inter se Pacis studium [β] omnia incrementa veterum rixarum resecare deberent: & quia ceteris Gentibus juxta se positis fortitudinis brachio præminebant, ita etiam Legum auctoritate præcellerent; ut juxta qualitatem caussarum sumeret actio criminalis terminum. Extiterunt igitur inter eos electi de pluribus quatuor viri, his nominibus, WISOGASTUS, BODOGASTUS, SALOGASTUS, & WIDOGASTUS [γ] in villis quæ ultra Rhenum sunt, SALEHEIM, BODAHAIM & WINDOHAIM: qui per tres Mallos convenientes, & omnem caussarum originem [δ] sollicite discutiendo tractantes, de singulis JUDICARE [ε] decreverunt HOC MODO.

Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi, DCCXCVIII. [ζ] Indictione VI. Dominus Karolus Rex Francorum inclytus hunc libellum tractatus [η] Legis Salicæ scribere ordinavit [θ].

α Al. *Pro servando.* β Al. *Studio.* γ Al. *Wisogastis, Arogastis, Salegastis & Vindogastis.*
δ Al. *Omnes caussarum origines.* ε Al. *Judicium.* ζ Al. *DCCLXXVIII.* al. *DCCLXVIII.*
η Baluz. *Tractati.* θ Baluz. *Jussit.*

---

(1) Alter Prologus, qui item exstat apud Lindenbrogium, omittitur, quia idem fere est, ac ille qui Pacto veteri præpositus est integro priori articulo, usque, *De legum* [illegible]
( Nota Collect. )



# CAPITULA
# LEGIS SALICÆ.

I. DE *Mannire*.
II. *De furtis Porcorum*.
III. *De furtis Animalium*.
IV. *De furtis Ovium*.
V. *De furtis Caprarum*.
VI. *De furtis Canum*.
VII. *De furtis Avium*.
VIII. *De furtis Arborum*.
IX. *De furtis Apium*.
X. *De damno in messe, vel in qualibet clausura*.
XI. *De servis vel mancipiis furatis*.
XII. *De furtis ingenuorum vel infracturis*.
XIII. *De furtis servorum* *.
XIV. *De ingenuis hominibus qui ingenuas mulieres rapiunt*.
XV. *De eo, qui hominem ingenuum expoliaverit*.
XVI. *De eo qui villam alienam adsalierit*.
XVII. *De eo qui mortuum hominem expoliaverit*.
XVIII. *De Incendiis*.
XIX. *De Vulneribus*.
XX. *De eo, qui hominem innocentem & absentem ad Regem accusaverit*.
XXI. *De Maleficiis*.
XXII. *De eo qui mulieri ingenuæ manum strinxerit*.
XXIII. *De eo qui navem sine permissu domini moverit aut furaverit*.
XXIV. *De furtis in Molino commissis*.
XXV. *De Caballo sine permissu domini sui ascenso*.
XXVI. *De his qui pueros vel puellas occiderint vel totonderint*.
XXVII. *De Adulteriis Ancillarum*.
XXVIII. *De Libertis dimissis*.
XXIX. *De furtis diversis*.
XXX. *De Locationibus*.
XXXI. *De Debilitatibus*.
XXXII. *De Conviciis*.
XXXIII. *De Via lacinia*.
XXXIV. *De eo qui hominem Ingenuum sine causa ligaverit*.
XXXV. *De Venationibus*.
XXXVI. *De Sepibus*.
XXXVII. *De Homicidiis servorum, vel ancillarum*.
XXXVIII. *De Quadrupedibus, si hominem occiderint*.
XXXIX. *De Vestigio minando*.
XL. *De Caballis furatis*.
XLI. *De his, qui aliena mancipia sollicitaverint*.
XLII. *De Servo, qui de furto fuerit interpellatus*.
XLIII. *De Homicidiis Ingenuorum*.
XLIV. *De Homicidiis a contubernio factis*.
XLV. *De Homicidiis in convivio factis*.
XLVI. *De Reippus*.
XLVII. *De eo qui villam alienam occupaverit, vel si duodecim mensibus eam tenuerit*.
XLVIII. *De Affatomie*.
XLIX. *De Filtortis, hoc est, qualiter homo furatas res interciare debet*.
L. *De Falso Testimonio*.
LI. *De Testibus adhibendis*.
LII. *De eo qui fidem factam alteri reddere noluerit*.
LIII. *De eo qui Grafionem ad res alienas tollendas injuste invitaverit*.
LIV. *De re præstata*.
LV. *De manu ab Æneo redimenda*.
LVI. *De eo qui Grafionem occiderit*.
LVII. *De Corporibus expoliatis*.
LVIII. *De Incendio vel expoliatione Ecclesiæ, sive homicidiis clericorum*.
LIX. *De eo, qui ad mallum venire contempserit*.
LX. *De Rachimburgiis, qui secundum legem non judicant*.
LXI. *De Chrenechruda*.
LXII. *De Alode*.
LXIII. *De eo qui se de parentela tollere vult*.
LXIV. *De Charoena*.
LXV. *De Compositione Homicidii*.
LXVI. *De Homine in hoste occiso*.
LXVII. *De eo, qui alterum hereburgium clamaverit*.
LXVIII. *De Caballo excorticato* **.
LXIX. *De eo, qui hominem de bargo vel de furca dimiserit*.
LXX. *De eo, qui filiam alienam quæsierit & se retraxerit*.
LXXI. *De Terra condemnata*.

* Addit Baluz. *vel infracturis*.  ** Baluz. *Excoriato*.

I N-

# INCIPIT LIBER LEGIS SALICÆ. (1)

TITULUS I.

*De Mannire* (2).

I. SI quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit, & non venerit: si eum sunnis non detinuerit (3), DC. denariis, qui faciunt solidos XV. culpabilis judicetur.

II. Ille vero qui alium mannit, si non venerit, & eum sunnis non detinuerit, ei quem mannivit, similiter DC. den. qui faciunt sol. XV. componat.

III. Ille autem qui alium mannit, cum testibus ad domum illius ambulet, & sic eum manniat, aut uxorem illius, vel cuicunque de familia illius denunciet, ut ei faciat notum, quomodo sit ab illo mannitus.

IV. Nam si in jussione Regis fuerit occupatus, manniri non potest.

V. Si vero infra pagum in sua ratione fuerit, potest manniri, sicut superius dictum est.



(1) *Legis Salicæ.*) Zosimus lib. 3. Τὸ Σαλίων ἔθνος Φράγκων ἀπόμοιρον. Ammianus Marcellinus lib. 17. de Juliano: *Petit primos omnium Francos, eos videlicet quos consuetudo Salios appellavit.* Idem Zosimus lib. 3. Julianum refert Saliorum ope Quados penitus excidisse, quos demum in numeros militares adscripsit: Καίσαρ Σαλίους τὲ καὶ Κουάδων μοῖραν, καὶ τῶν ἐν τῇ Βαταβίᾳ νήσῳ τινὰς τάγμασιν ἐγκατέλεξεν, ἃ δὲ νῦν ἐφ' ἡμῶν ἔτι δοκεῖ περισώζεσθαι. Quos Saliorum ordines suo tempore durare ait. Ideoque in Notitia utriusque imperii inter auxilia palatina sæpe Saliorum numeri memorantur: *Sub dispositione Magistri militum præsentalis per orientem Batavi seniores, Braccati juniores, Salii Constantiani.* In Occidente vero sub dispositione Magistri peditum, *Salii Tubantes Augustei, cum eorum clypeis.* Ibidemque, *Sagittarii Nervii, Salii Gallicani.* Et inter equitum vexillationes intra Gallias cum viro illustri Magistro militum Galliarum, *Salii seniores*; alibi, *Salii juniores.* Francorum quippe multitudo non in palatio modo, ut ait Ammianus, ea tempestate florebat, sed & auxilia militaria numerosque complebat. Sed unde Saliorum appellationem traxerint ignotum est. Nam quod plerique a fluminibus sic nominatos esse contendunt, nec confirmare nec refellere in animo est. Tantum dicam nihil adferri quo mihi quidquam ex his opinionibus probetur. Quod vero doctissimus Pithœus & Vignerius de saltu commenti sunt, id belle & acute magis quam vere dictum. Neque suffragatur Ammianus, dum ait consuetudine Francorum partem Salios vocari, cum liquido constet consuetudinem pro more gentis ab illo usurpatam. Longe itaque Romanas ejusmodi barbararum appellationum etymologias fugere debemus, ne cum illis ineptiamus qui Longobardos a longis barbis dictos somniarunt, cum tamen inter Germanicarum gentium barbara vocabula apud Tacitum reperiantur. Idem & de Burgundionibus statuo, qui itidem a Tacito nominantur; quos tamen Jordanus a Burgis Romanis appellatos esse contendit. Ut tamen nihil prætermittam, Salicem oppidum Mœsiæ apud Ammianum lib. 31. legitur, unde Salios deducere possent qui somnia sua obtrudere gestiunt, quandoquidem & ex Pannoniis aut etiam ex Scythia Francos oriundos asserunt quidam apud Gregorium. Igitur supervacuo labore & anxia curiositate rejecta, nihil certi de vetustissimis rebus sine coætaneis scriptoribus posse dici pronuntiemus. Porro hæc lex una ex duabus est, quibus Franci regebantur, altera vero lex Ribuariorum. Sic accipio Einhardi memorabilem locum de vita Karoli M. *Franci duas habent leges plurimis in locis valde diversas*; quibus Karolum capitula pleraque addidisse scribit, quæ quidem hodie exstant. Hæc quoque lex est qua sub Friderico Ænobarbo Francorum nobilissimos Salicos adhuc usos fuisse testatur Ottho Frisingensis lib. 4. cap. 32. qua usam fuisse Matthildem Comitissam in diplomatibus suis apud Sigonium de regno Italiæ lib. 8. ipsa docet, qua tandem vetustate abolita, Juris Francici præcipua capita in locum ejus nomenque immigrarunt; præcipue illud decantatissimum quod regni nostri velut tutelam continet. De tempore vero quo lata est, & quid quoque tempore additum vel immutatum sit, jam accurate a nobis disputatum est. *Bignonius.*

(2) *De Mannire.*) Adnuntiatio apud Pistas DCCCLXIV. cap. VI. *Et quia non habent domos ad quas secundum legem manniri & banniri possint, dicunt quod de mannitione vel bannitione legibus comprobari aut legaliter judicari non possunt.* Bignon.

(3) *Si eum sunnis non detinuerit.*) Editio Germanica legis Salicæ, ut testatur Pithœus: *Si in mallum vocatus fuerit, & is qui vocatus est non venit, si eum aut infirmitas aut ambascia dominica detinuerit &c. Ambascia* leg. Burgund. addit. 1. Tit. 17. *In ambascia sua asinum alienum detinere pro opera.* Germ. *Ambacht*; inde *Ambasiator.* Petrus de Vineis lib. 1. ep. 8. lib. 3. ep. 82. inde *Ambachti* Gallorum clientes Cæsari. *Bignon.*

## TITULUS II.

### *De furtis porcorum.*

I. SI quis porcellum lactantem furaverit (1) de hranne * (2) prima aut de mediana, & inde fuerit convictus, cxx. den. qui faciunt sol. iii. culp. jud. excepto capitali & dilatura (3).

II. Si vero in tertia hranne furaverit, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. & dil.

III. Si quis porcellum de sude furaverit (4), quæ clavem habet, ɪdccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp. judic. exc. cap. & dil.

IV. Si quis porcellum in campo inter porcos ipso porcario custodiente furaverit, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud. excepto cap. & dil.

V. Si quis porcellum furaverit, qui sine matre vivere potest, xl. den. qui faciunt solidum i. culp. jud. exc. cap. & dilat.

VI. Si quis scrovam subbattit in furto, hoc est, porcellos a matre subtrahit, cclxxx. den. qui faciunt sol. vii. culp. jud. except. cap. & dil.

VII. Si quis scrovam ** cum porcellis furaverit, dcc. den. qui faciunt sol. xvii. s. (5) culp. jud. exc. cap. & dil.

VIII. Si quis porcellum anniculum furaverit, cxx. den. qui faciunt sol. iii. culp. jud. exc. cap. & dilat.

IX. Si quis porcum bimum, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. & dil.

X. Si quis tertussum porcellum furaverit usque ad anniculatum, cxx. den. qui faciunt sol. iii. culp. jud. exc. cap. & dil.

XI. Si quis vero porcum post anniculatum furaverit, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. & dil.

XII. Si quis verrum *** (6) furaverit, dcc. den. qui faciunt sol. xvii. s. culp. jud. exc. cap. & dil.

XIII. Si quis scrofam **** ducariam (7) furaverit, dcc. den. qui faciunt sol. xvii. s. culp. jud. exc. cap. & dil.

XIV. Si quis majalem sacrivum (8), qui dicitur votivus (9), furaverit, & hoc cum testibus ille, qui eum perdidit, potuerit adprobare, quod sacrivus fuisset, dcc. den. qui faciunt sol. xvii. s. culp. jud. exc. cap. & dil.

XV. Si quis majalem non sacrivum furaverit, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. & dil.

XVI. Si quis tres porcos vel amplius usque ad sex capita furaverit ɪcccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. exc. cap. & dil.

XVII.

* Al. *Chranne*. ** Al. *Scrofam*. *** Al. *Verrem*. **** Al. *Scrovam*.

(1) *Furaverit.*) Sic infra passim hoc Tit. & in seqq. ubicunque *furatus fuerit* legis, in Ms. *furaverit* scriptum est. Sic Symmachus lib. 2. ep. 48. Glossarium Tit. XXIX. in legibus Bajuvariorum. *Bignon.*

(2) *Hranne.*) Hara Varroni R. R. lib. 3. cap. 10. *Bignon.*

(3) *Excepto capitali & dilatura.*) Damnum & dilatura. Leg. Rip. Tit. XVII. Præter capitale subreptum, & præter dilaturam, hæc etiam multa infertur excepto capitali, id est, præter subreptum vel ejus rei pretium, ut infra Tit. XI. Dilatura vero est id quod interest propter moram. Jacobus Cujacius. Non autem pretium delationis aut fredi, ut male apud Pithœum & Lindenbrogium glossæ vett. quibus non eo statim fides habenda quod illi scripserint. Mihi namque constat edita glossaria ineptorum hominum & insciorum opera, a quibus nonnisi vestigium vocum antiquarum quærendum est. Hæc dixisse sufficiat. Nam non semel ab illis infra dissentimus; nec illi sumus qui adeo religiose editas quisquilias observemus ut integrum judicium non retineamus. *Bignon.*

(4) *De sude furaverit.*) Observa gravius puniri qui e stabulo seu hara subripiunt, denique si quid clausum, ut infra sepe, quam qui in campo. Sic l. ult. §. 1. D. de Abigeis *plenius coercendus &c.* quamquam Cujacius hoc Tit. & observat. 6. cap. 8. ex Græcis legat *lenius*, πρᾳότερον, adducto Justini loco de Scythis. *Bignon.*

(5) *Sol. XVII. S.*) Litera S hoc loco & sequentibus *Semissem* denotat. *Eccardus.*

(6) *Verrum.*) *Verrus* hic pro *verre* adhibetur, qui Gallis dicitur *Verrat*, Germanis *bær*, Sax. *kæmpe*. Eccard.

(7) *Scrovam ducariam.*) Codex Thuani, *scrofam*, id est scrofam quam ceteræ sequuntur. Virgilius: *Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.* Tertullianus adversus Judæos: *cum ducator ejus in ea pati haberet.* Sic ducator navis, l. Quemadmodum. §. Si navis, ad leg. Aquil. Et quod propius ad hunc locum accedit, glossæ vet. *Ducale*, ἀγωγεὺς ὁ τῶν κτηνῶν. Glossæ quippe adjumenta quæ agmen ducunt respiciunt. Vide Savaronem in notis ad Sidon. pag. 350. *Bignon.*

(8) *Sacrivum, qui dicitur votivus.*) Sacrivus Varroni dicitur ad sacrificium destinatus. Tertullianus tamen de sanguine reprobi bovis mori optantis. Ea vero vox translata est ad illos qui locis sanctis devovebantur, ut apud Gregor. Turon. Porro sacrivi istud vocabulum reliquum est ex ethnicis observationibus, quibus tum Salii tenebantur cum scribi leges suas jusserunt; etsi remanserit tanquam de votivis rebus ageretur, quæ sanctis quibusdam devotæ sunt. Et quod hic ex Gregorio Turonensi affertur, ejus exemplum hodie exstat in agnis sancti Petri, ex quorum lana fit pallium. Sacrivus pro votivo accipitur in Concilio Antissiodor. Can. 3. *Non licet inter sentes aut arbores sacrivas vel ad fontes vota exsolvere.* Bignonius.

(9) *Votivus.*) Gregor. Turonens. de miraculis lib. 1. cap. 97. *Anus exigua pauculos gallinarum pullos habebat, quos ex voto Basilicani ditioni subdiderat.* Idem lib. 2. cap. 31. *Illud memoratu dignum est, quæ sit mansuetudo pecorum in hac basilica* (S. Juliani Brivatensis) *votivorum &c. De his vero quæ votiva sunt nulli penitus quippiam subtrahere licet, nullus priusquam ad basilicam veniat aut commutare præsumit aut emere.* Sic & de glor. confessor. cap. 3. Vide de equis a Cæsare Rubiconi consecratis, Sueton. lib. 1. cap. 81. *Bignon.*

XVII. Si quis de grege xv. (1) porcos (2) furaverit, & reliqui ibi remanserint, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud. excep. cap. & dil.

XVIII. Si quis xxv. porcos furaverit, & de grege illo amplius non fuerit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud. exc. cap. & dil.

XIX. Si autem aliqui ex iisdem porcis supra xxv. porcos remanserint, & non fuerint furati, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud. exc. cap. & dil.

XX. Si vero L. porcos furaverit, & aliqui remanserint, IID. den. qui faciunt sol. LXVII. s. culp. jud. exc. cap. & dilatura.

### Titulus III.
### *De furtis animalium.*

I. SI quis vitulum lactantem furaverit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

II. Si quis anniculum animal, aut bimam vitulam furatus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. & dil.

III. Si quis vaccam cum vitulo furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud. exc. cap. & dilatura.

IV. Si quis vaccam sine vitulo furaverit, ICC. den. qui faciunt sol. xxx. culp. jud. exc. cap. & dil.

V. Si quis vaccam domitam (3) furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud. exc. cap. & dil.

VI. Si quis bovem furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud. exc. cap. & dil.

VII. Si quis taurum gregem (4) regentem (5) furaverit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit, hoc est, trespellius, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

VIII. Si quis taurum furaverit, qui unum gregem regit, & junctus nunquam fuit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud. exc. cap. & dil.

IX. Si quis bimum taurum furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud. exc. cap. & dil.

X. Si quis taurum Regis (6) furaverit, IIIDC. den. qui faciunt sol. xc. culp. jud. exc. cap. & dilatura.

XI. Si quis XII. animalia furaverit, ut nec unum quidem animal ex eis remanserit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud. exc. cap. & dil.

XII. Si autem XII. furaverit, & insuper aliqua remanserint, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud. exc. cap. & dilatura. Et usque ad xxv. uno judicio terminantur.

XIII. Si quis xxv. animalia furaverit, & insuper aliqua remanserint, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud. exc. cap. & dil.

### Titulus IV.
### *De furtis ovium.*

I. SI quis agnum lactantem furaverit, VII. den. culpabilis judicetur, excepto capitali & dilatura.

II. Si quis anniculum vel bimum berbicem (7) furaverit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

III. Si vero II. aut III. furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culpabilis judicetur, exc. cap. & dil. qui numerus usque ad XL. bervices observatur.

IV. Si vero L. berbices aut LX. vel amplius furaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud. exc. cap. & dil.

### Titulus V.
### *De furtis caprarum.*

I. SI quis capritum [α] (8) sive capram, aut duas capras vel tres furatus fuerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur, excepto capit. & dil.

II. Si vero supra tres capras furaverit, DC. den. qui faciunt sol. III. [β] culp. jud. exc. cap. & dil.



[α] Al. *Caprum*. [β] *Seu potius* xv.

(1) *XV. Porcos.*) Quidam decem oves gregem esse putaverunt, porcos etiam quinque vel quatuor abactos, l. ult. D. de Abigeis. *Bignon.*

(2) *Si quis de grege XV. porcos.*) Nam & sues gregatim pascuntur, in tit. D. ad leg. Aquil. ex Homero. *Bignon.*

(3) *Si quis vaccam domitam.*) An gravidam quæ tauri ruentis in venerem pondus toleravit? Vide tamen Columellam de domitis bobus. Forte cicurem & mansuefactam, ut intelligatur de ea quæ in villa nutritur, non de aliis quæ cum grege in agris vagantur. *Bignonius.*

(4) *Taurum gregem regentem.*) Virgil. Georg. 3. *Quem legere ducem, & pecori dixere magistrum.* Seneca Hippolyto act. 1. sc. 2. *ductor indomiti gregis.* Claudianus de quarto consulatu Honorii:

*Sic pascua parvus*
*Vindicat; & necdum firmatis cornibus audax*
*Jam regit armentum vitulus.*

Seneca ep. 90. *Mutis gregibus aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine actoris ceteros mares vicit.* Vide de ariete gregis ductore Basilium in Psalm. 28. *Bignonius.*

(5) *Gregem regentem.*) Atqui armentum est, non grex. Sed non mirum, si id nostri non curarunt. Nam a Jurisconsultis ipsis confundi videmus, l. 2. §. 2. D. ad leg. Aquil. l. 22. de leg. 1. *Bignon.*

(6) *Taurum Regis.*) Vide libros Regum, de Regibus Edon. *Bignon.*

(7) *Bervices.*) Paulus Diaconus lib. 5. cap. 40. Ulpianus in l. 2. §. 2. de Abigeis. *Qui porcum vel capram vel vervicem abduxit.* Vulgata editio habet *vervicem*, sed Florent. *bervicem*. Bignon.

(8) *Capritum.*) Hircum, *cabrit*. Eccard.

III. Si quis buccum (1) furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud. exc. cap. & dil.

### TITULUS VI.

### *De furtis canum* (2).

I. SI quis canem Seusium (3) furaverit, aut occiderit, qui magister sit (4), IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. judicetur, excep. capitali & dilatura.

II. Si quis vero Seusium reliquum (5), aut Veltrem (6) porcarium (7), sive Veltrem leporarium (8), qui & Argutarius (9) dicitur, furatus fuerit, vel occiderit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud. exc. cap. & dil.

III. Si quis vero canem custodem domus (10) sive curtis, qui in die ligari solet (11), ne damnum faciat, post solis occasum solutum, furatus fuerit vel occiderit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis vero canem pastoralem * (12) furatus fuerit vel occiderit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

### TITULUS VII.

### *De furtis avium.*

I. SI quis acceptorem ** de arbore (13) furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur, exc. cap. & dil.

II. Si quis acceptorem de pertica furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud exc. cap. & dil.

III. Si quis acceptorem intra clavem (14) repositum furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis sparvarium furaverit, CXX. den.

* Al. *Canem pastorem.* ** Al. *Accipitrem*

---

(1) *Buccum.*) Gallis *bouc*, nobis *bock*, caper. Galli hinc habent *bique* pro *capra* & *bicbe* pro cerva. Cervus enim nobis etiam *bock* dicitur. *Eccard*

(2) *De furtis canum.*) Vide Columellam lib. 7. cap. 12. Virgil. Georg. 3. *Nec tibi cura canum fuerit postrema.* Bignon.

(3) *Canem Seusium.*) Hermannus Nuenarius in lib. de origine Francor. porcarium canem interpretatur vel doctum ad investigandos apros; fortasse doctus ad venandum aut indagandum. Sidonius Rutilius Itinerar.

*Instrumenta parat venandi villicus hospes,*
*Atque olidum doctas nosse cubile canes.*

Germani dicunt *Ein scus huntd*, vel *Schuynhuntd*. At in legibus Alamannorum & Bajuvarior. *Loitbihunt* vocatur, quasi manu ducatur, *leithen* ducere, *hundt* canis. Nos *Limter* ab ea fortassis origine. Exemplar Φ habet *segusium*, omnino recte, qui canis Gallicus a loco dicitur Arrian. in cynegetico Ms. Vide leg. Burgund. addit. 1. tit. 10. leg. Alamannor. tit. 82. leg. Baiuvar. tit. 19. cap. 1. num. 1. 2. 3. Gloss. vet. *Suses, magni canes*; Papianus tit. 20. *Bignon.*

(4) *Qui magister sit.*) Forte, *dressè a la chasse*, aut qui alios possit ducere. Canis venatitius apud Ruffinum antiquit. Judaicarum lib. 4. cap. 6. Canis doctus leg. Alaman. tit. 79. c. 1. n. 1. Fortasse & canis ductor, ut in leg. Alaman. tit. 28. Bojorum tit. 19. cap. 1. Fridericus Imper. de arte venandi cap. 6. *Bignon.*

(5) *Seusium reliquum.*) Unum ex multis, inter ceteros. *Bignon.*

(6) *Veltrem.*) Vide Franc. Pithœi notas. Joh. Belius indicavit hanc vocem apud Xenophontem in cynegetico latere. *Bignon.*

(7) *Porcarium.*) Leg. Alaman. tit. 28. *Canis porcaritius.* Bignon.

(8) *Veltrem leporarium.*) Vide Lindenbrog. glossar. leg. Burgundionum addit. 1. cap. 10. Alaman. tit. 82. Bajuvar. tit. 19. cap. 1. 6 5. Firmicum tit. 5. cap. 8. *Bignon.*

(9) *Qui & Argutarius.*) *Qui ciat occultos & signis arguat hostes.* Gratius de venatione. F. Pithœus. Hic tamen de cane leporario agitur, quem argutarii quoque nomine vocitatum docet hic locus, ab argutis naribus & acri olfactu nomen sortitum. Valerianus Cemel. omil. 10. *Hic in conflictu æmulis cursibus auo lepori imminet, ille argutis naribus cervi vestigia latentis inquirit.* [illegible] Sophocli & Xenophonti in cynegetico. *Bignon.*

(10) *Custodem domus.*) Leg. Alaman. tit. 82. Fris. tit. 4. Bojor. tit. 19. *Bignon.*

(11) *Qui in die ligari solet.*) Cato rei rust. c. 124. *Bignon.*

(12) *Canem pastoralem.*) Leg. Fris. tit. 4. Justin. in legibus Georgicis vocat κύνα ποιμαίνοντα. Jac. Cujac. Joseph. lib. 4. cap. ult. κυνὸς ἤτοι θρεπτικοῦ, ἢ ποιμνίων φύλακος. Sophocles vocat κύνας βοτῆρας, hoc est, τὰς ποιμενικὰς κύνας. *Bignonius.*

(13) *Acceptorem de arbore.*) Gregor. Turonens. de miracul. lib. 2. cap. 16. in leg. Frisionum Tit. IV. num. 3. *canis acceptoritius*. Leg. Bojor. Tit XIX. cap. 1. leg. Burgund. addit. 1. Tit. 11. edit. Til. leg. Alaman. Tit. 99. Glossæ vett. *acceptor*, ἱέραξ. Acceptor & accipiter dicitur. Virgilius enim accipiter dixit, Lucilius acceptor. Sosipater Charisius. Acceptor *domitus* in leg. Ribuar. Tit. XXXVI. n. 11. qui idem est ac accipiter. Communiter autem accipitrem sparvarium reddimus; quamquam hic clare distinguantur infra num. 4. Sed scite hic distinguuntur, non male a vulgo nostrati conjunguntur. Idem enim utriusque genus, quamquam diversæ species. In ejusmodi venatione tribus variis avium speciebus utuntur, aquila, falcone, accipitre. Priores duæ pinnariæ sunt, seu lorariæ; ultima buccellaria, cujus rursum sunt quinque species. Primus est *autour* dictus, femina. Secundus *autour* mas & parum capiens. Tertiæ speciei deest masculus. Quarta sparvarius est, & quinta Salech omnium minimus. *Tardif* artis falconariæ cap. 1. & 8. Porro *acceptor* ad verbum est *autour*. Quarta species sparvarius dicitur fringilarius Thuano lib. 1. de re accipitraria; quamquam astures vocet Thuanus ex Julio Firmico ibidem, & Volaterannus lib. 25. *Astorgios ponit Pausanias, quos Italici astores dicunt, astures alii vocant.* Ita Fridericus de arte venandi lib. 2. c. 29. *Sparvarii sunt minores aliis avibus de rapina, quibus frequentius utuntur homines; & quia secundum formam membrorum & [illegible] plumagii similes sunt asturibus, licet sint alterius speciei, tamen illi qui appropinquant formæ membrorum convenienti, & pulchro plumagio, austurum sunt laudabiliores.* Bignon.

(14) *Intra clavem.*) Observa majorem pœnam in furto rei intra clavem servatæ, ut in [illegible] & 4. Bign...

den. qui faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

V. Si quis anserem domesticum aut anetam [α] (1) furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

VI. Si quis gallum [β] aut gallinam furaverit, vel cygnum [γ] aut gruam domesticam, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

VII. Si quis turturem [δ] de reti alterius, aut quamlibet aviculam de quolibet laqueo vel decipula furatus fuerit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

### TITULUS VIII.

*De furtis arborum.*

I. SI quis pomarium sive quamlibet arborem domesticam extra clausuram exciderit, aut furatus fuerit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. judicetur, excepto capit. & dil.

II. Si quis vero pomarium aut quamlibet arborem domesticam infra clausuram (2) exciderit (3), aut furatus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis jud. exc. cap. & dil.

III. Hanc quoque legem & de vitibus furatis observari jussimus.

IV. Si quis in sylva alterius materiamen [ε] furatus fuerit, aut incenderit, vel concapulaverit, aut ligna alterius furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud. exc. cap. & dil.

### TITULUS IX.

*De furtis apium.*

I. SI quis unum vas apium (4) de intro clave [ζ] aut sub tecto furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. excepto cap. & dil.

II. Si quis unum vas cum apibus, ubi amplius non fuerit, furaverit, IDCCC. denariis, qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, exc. cap. & dil.

III. Si quis unum vas cum apibus inter alia vasa sub tecto aut sub clave furaverit, causam (5) superius comprehensam convenit observare.

IV. Si vero unum vas cum apibus foris tecto, ubi amplius non fuerit, furaverit, causam superius comprehensam componat.

V. Si quis ex plurimis usque ad sex vasa foris tecto furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud. exc. cap. & dil.

VI. Si vero septem aut amplius furaverit, & adhuc aliqua remanserint, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

VII. Si autem septem aut amplius furaverit, ita ut nulla remaneant, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

### TITULUS X.

*De damno in messe vel in qualibet clausura (6).*

I. SI quis animal, aut caballum, vel quodlibet pecus in messe sua invenerit, penitus eum lædere (7) non debet.

II. Quod si fecerit, & confessus fuerit, capitale in locum restituat, ipsum vero debile, quod percussit, ad se recipiat.

III. Si vero confessus non fuerit (8), & inde fuerit convictus, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis animal aut caballum aut jumentum in furto punxerit (9), DC. den. qui

α Al. *Anetem.* β Al. *Coccum.* γ Al. *Cicinum*, al. *cisnum.* δ Al. *Si quis aucellum de trappa furaverit.* ε Al. *Matriamen.* ζ Al. *De intro clavem.*

(1) *Anetam.*) Forte anserem feminam, aut anatem, leg. Alaman. Tit. XCIX. num. 19. *Anethapich* in leg. Bajuvar. Tit. XX. cap. 3. accipiter anetas capiens. Speculum Saxon. Tit. 3. art. 51. *Bignon.*

(2) *Infra clausuram.*) De clausura vide infra Tit. X. in rubrica. *Bignon.*

(3) *Exciderit.*) Virgilius eclog. 3.
*Atque mala vites incidere falce novellas.* Bign.

(4) *Vas apium.*) Apiaria, in leg. Wisig. lib. 8. Tit. ult. l. 2. & 3. *Si quis apiaria in civitate aut in villa forsitan construxerit, & alii damnum intulerit, statim moneatur ut eas in aliis locis transferre debeat, ne forte in eodem loco hominibus aut animalibus damnum inferant.* Leg. 3. *Si quis ingenuus in apiariis furti caussa fuerit deprehensus.* Porro in leg. Bajuvar. Tit. XXI. c. 8. advertenda hæc: *Si apes, id est examen alicujus ex apili elapsum fuerit.* Et cap. 9. *Si autem in capturis quæ ad capiendas apes ponuntur, id est, vasculis apum,* ( evolaverunt apes, supple) *simili modo* ( ut supra cap. 8.) *interpellat eum cujus est vasculum.* Vide rei rusticæ auctores. *Bignon.*

(5) *Causam.*) Id est, rem, ut infra Tit. XI. n. 2. Vide notas ad Marculfum lib. 1. cap. 1. *Bignon.*

(6) *Clausura.*) Leg. Wisigothor. lib. 8. Tit. XI. *Si pecus absque damno in clausuram mittatur*, supra Tit. VIII. n. 2. Capitul. lib. 5. cap. 279. *domus & villas & septa villarum, & piscatoria manufacta, & quidquid fossis aut sepibus vel etiam alio clausarum genere præcingitur.* *Clos, closture* nostris. *Bignon.*

(7) *Penitus eum lædere.*) L. 39. D. ad leg. Aquil. Sic illud expellere debet quomodo si suum deprehendisset, alioqui actio est ex lege Aquilia. Nam si quod damnum ex ea re cepit, habet proprias actiones, de pastu scilicet, l. 14. de præscript. verbis. Itaque qui alienum pecus in agro suo deprehenderit, non jure id includit. Hæc Pomponius. Aliud tamen hodie servatur. Nam includimus secundum legem municipalem. Vide *Rat* in consuetud. Pict. Speculator. Tit. de actore. Vers. *sed pone juven.* Bartol. ad l. 9. §. 1. de damno infecto. Contra Oldrad. Vide *Mingon* ad consuetudines Andeg. Godofred. ad l. 39. ad leg. Aquil. *Bignon.*

(8) *Confessus non fuerit.*) Sumptum ex lege Aquilia, in qua inficiatione lis crescit. *Bignonius.*

(9) *Punxerit.*) In Heroldino exemplari legitur *pinxerit*. In vetustissimo Codice Guelfer-

qui faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. & dil.

V. Si quis in messe sua, pecora aliena invenerit, quæ pastorem non habeant, & ea inclauserit α ut nulli penitus innotescat, & aliqua ex ipsis pecoribus perierint, ıcccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud. exc. cap. & dil.

VI. Si quis animal, vel quodlibet pecus, per suam negligentiam nocuerit, & hoc domino ejus confessus fuerit, capitale in locum restituat, & illud debile ad se recolligat.

VII. Si vero negaverit, sed tamen convictus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. & dil.

VIII. Si alicujus porci, aut quælibet pecora, pastore custodiente in messem alienam cucurrerint, & ille negando fuerit convictus, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. & dil.

IX. Si qua pecora propter damnum messis alienæ inclausa fuerint, aut minantur (1), qui ea excutere vel expellere præsumpserit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culpabilis jud. exc. cap. & dil.

X. Si alicujus pecora propter damnum inclausa fuerint, damnum æstimatum reddat, & insuper x. den. persolvat.

XI. Si quis propter inimicitiam, aut propter superbiam, sepem (2) alienam aperuerit, aut in messem aut in pratum, vel in vineam, sive in quemlibet laborem (3) quælibet pecora miserit (4), & testibus fuerit convictus, ei cujus labor est, æstimationem damni reddat, & insuper ıcc. denar. qui faciunt sol. xxx. culp. judicetur.

TITULUS XI.

*De servis vel mancipiis furatis.*

I. SI quis servum aut ancillam alterius furaverit, ıcccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culpabilis jud. exc. cap. & dil.

II. Si servus aut ancilla cum ipso ingenuo de rebus domini sui aliquid portaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. exc. cap. & dilat. atque causam, quam superius diximus, culpabilis judicetur.

III. Si quis servum alienum occiderit, aut vendiderit vel ingenuum dimiserit (5), ıcccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis homo ingenuus alienum servum in texaga secum duxerit, aut aliquid cum eo negociaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud. exc. cap. & dil.

V. Si quis servum aut ancillam valentem sol. xv. aut xxv. (6) furaverit, aut vendiderit, seu porcarium, aut fabrum, sive vinitorem, vel molinarium, aut carpentarium, sive venatorem β, aut quemcunque artificem, ııDCCC. den. qui faciunt sol. LXX. culp. jud. exc. cap. & dil.

VI. Si quis puerum aut puellam de ministerio dominorum furaverit, I. den. qui faciunt sol. xxv. in capitale restituat, & insuper ıcccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. jud.

T I-

α Al. *Inclauserit*. β Al. *Veneratorem*. Al. addunt: *sive scantionem*.

serbytano Lex hæc plane non exstat. In altero legitur, *in furtu punxerit*; & in tertio, *in furtum punxerit*. Heroldi tamen lectionem præfero, quia addita Malbergi vox *stalacha* ex *malatha*, pinxerit, prodiisse videtur. *U* & *i*, cum in loquendo apud Gallos sonu sibi vicina sint, facile confunduntur. *Eccard.*

(1) *Minantur.*) Hieremias Thren. cap. 3. *Me minavit & adduxit in tenebras*. Vide libros Regum. Minare est agere. Victor Uticensis lib. 11. *Illa beatorum turba expellentibus quibusdam Æthiopibus minata est foras*. Quæ vox apud nos integra conservatur. Anianus ad Pauli sentent. lib. I. Tit. XVIII. actum interpretatur, quo pecora minare consuevimus. Cujac. ad eum locum. Apulejus lib. 9. *Jumenta bibendi caussa prominabat*. Et lib. 3. *Nos duos asinos minantes baculis exigunt*. Festus: *Agasones, equos agentes, id est, minantes*. Mox: *Agere modo significat ante se pellere, id est, minare*; glossema videlicet Pauli Diaconi. Unde Cujacius dicit se assentiri Ant. Oisellio, qui in Ausonii epig. de Myronis Bucula, *me movebat ut suam*, legebat, *minabat*. Bignon.

(2) *Sepem.*) Prudentius Hamartigenia:

*Quamvis maceries florentes ambiat hortos,*
*Sepibus & densis vallentur vitrea rura,*
*Aut populata rodet gemmantia germina bruchus,*
*Aut avibus discerpta feris lacerabitur uva.*

Vide infra Tit. XXXVI. de sepibus. Vide Columellam, Catonem, Palladium, de maceriis & sepibus. *Bignon.*

(3) *Quemlibet laborem.*) Græcis ἔργον: ἐν τοῖς ἔργοις, pro in arvis, in cultis, Xenophon in cynegetico. Eustathius odyss. ξ. Hesiodus, ἔργα καὶ ἡμέραι. *Bignon.*

(4) *Pecora miserit.*) Gregor. Turonens. de miracul. lib. I. de Chunis seu Hunnis Gallias vastantibus: *Hostis in circuitu depopulabatur villas, domos tradebat incendio, agros vineasque pecoribus intromissis vastabat*. Alioqui si aperta esset terra, nec sepe aut vallo defensa, impune erat, ut & consuetudinibus nostris. Pithœus. Sic Cicero pro Cæcinna: *Si via sit immunita, jubet lex qua velit agere jumentum*. Defendere porro eo sensu apud Columellam & in legibus Wisigoth. *Bignon.*

(5) *Ingenuum dimiserit.*) Pro, libertate donaverit, ut infra Tit. 28. *Bignon.*

(6) *Valentem sol. XV. aut XXV.*) Varium mancipiorum fuit pretium, ut & ceterarum rerum venalium, pro tempore scilicet & mancipii qualitate. Finge aliud esse in novitio, aliud in veteratore, aliud in artifice, in erudito. Vide Titul. de ædilitio edicto, & Pignorium de servis. Communis tamen æstimatio fuit viginti aureorum, l. 31. D. de minorib. l. 1. Cod. de comm. serv. manumiss. Greg. Turon. lib. 3. cap. 15. sunt XII. solidi, leg. Burgund. Tit. LVII. Concil. Matiscon. I. ann. 18. Guntchramni R. cap. 16. *Sancimus ut nullus Christianus Judæo deinceps debeat deservire; sed datis pro quolibet bono mancipio duodecim solidis, ipsum mancipium quilibet Christianus seu ad ingenuitatem seu ad servitium licentiam habeat redimendi*. Bignon

### TITULUS XII.

*De furtis ingenuorum vel infracturis* [α].

I. SI quis ingenuus (1) foris [β] casa quod valet duos den. furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis jud. exc. cap. & dil.

II. Si vero foris casa quod valet XL. den. furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. jud. exc. cap. & dil.

III. Si quis ingenuus casam effregerit, & quod valet duos den. furaverit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud. exc. cap. & dil.

IV. Si vero quinque aut supra quinque den. furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis jud. exc. cap. & dil.

V. Si quis ingenuus clavem effregerit, aut adulteraverit (2), & sic domum ingressus fuerit, & inde aliquid per furtum tulerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur, exc. capit. & dilat.

VI. Si vero nihil tulerit, sed fugiens evaserit, propter effracturam tantum ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis jud.

### TITULUS XIII.

*De furtis servorum.*

I. SI quis servus foris casa quod valet duos den. furaverit, & inde convictus fuerit, aut flagellis (3) CXX. ictus (4) accipiat, aut pro dorso suo (5), CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

II. Si vero furaverit, quod valet XL. den. aut castretur, aut CCXL. den. qui faciunt sol. VI. reddat. Dominus autem servi, qui furtum fecerit, capitale in locum restituat.

### TITULUS XIV.

*De ingenuis hominibus, qui ingenuas mulieres rapiunt.*

I. SI tres homines ingenuam puellam de casa aut de screona [γ] (6) rapuerint, unusquisque eorum ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. judicetur.

II. Illi vero alii qui super tres fuerint, unusquisque eorum CC. den. qui faciunt sol. V. culpabilis judicetur.

III. Qui cum sagittis fuerint, unusquisque eorum CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. judicetur.

IV. Raptor vero, IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. culp. jud.

V. Si vero puella quæ trahitur (7), in verbo Regis (8) fuerit, propter fredum, IID. den. qui faciunt LXII. S. cogatur persolvere.

VI. Si vero puer Regis, vel litus (9), ingenuam feminam traxerit, de vita componat.

VII. Si vero ingenua fœmina quemquam de illis sua voluntate secuta fuerit, ingenuitatem suam perdat (10).

VIII. Si quis sponsam alienam tulerit (11), & sibi in conjugium copulaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. culp. jud.

IX. Sponso autem ejus, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

X.

[α] Lindenbr. *Effracturis*. [β] Al. *Si quis homo ingenuus de foris*. [γ] Al. *Screona*, al. *Screuna*.

(1) *Si quis ingenuus.*) Hic passim duæ tantum hominum species, servi & ingenui, non liberti, nec libertini. *Bignon.*

(2) *Aut adulteraverit.*) Glossæ interlin. Thu. *& eam furtive aperit*. Videndum an recte. *Bignon.*

(3) *Aut flagellis.*) Patibulo condemnabantur servi pro furto aut latrocinio, ni esset qui redimeret. Gregor. Turonensis de miracul. lib. 2. cap. 16. Et etiam aliquando liberi. Idem de mirac. lib. 1. cap. 73. Seneca epist. 7. *Latrocinium aliquis fecit, meruit ut suspendatur*. Gregor. Turonens. de glor. confessor. cap. 101. Idem de miracul. B. Martini lib. 1. cap. 21. lib. 3. cap. 53. *Bignon.*

(4) *CXX. ictus.*) Franc. Pithœus. Capitular. lib. 3. cap. 31. ubi quædam annotavi. Josephus lib. 4. cap. ult. ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιήσας, πληγὰς μιᾶς λειπούσας τεσσαράκοντα τῷ δημοσίῳ σκύτει λαβὼν *&c.* Synodi Matisconens. sub Guntchramno R. cap. 8. *Si quicunque Clericus hoc implere distulerit, si junior fuerit, uno minus quadraginta ictus accipiat; si honoratior, triginta dierum inclusione multetur*. Victor Uticensis pag. 21. *& fustes accipiat*. De quadraginta ictibus vide Buxtorfium Synag. Jud. pag. 410. *Bignonius.*

(5) *Pro dorso suo.*) Sic corium servi redimere, leg. Frison. Tit. 3. num. 4. Sic apud Jurisconsultos sanguinem suum redimere.

(6) *Screona.*) Cod. Thuani, *screuna*. Non potest esse scrinium. Fr. Pithœus feliciter interpretatus est cameras in humum demersas & fœno oneratas, in quibus hyeme puellæ conveniunt; idque etiam cum integro nomine apud rusticos campanos remanere testatur, quod Germanis consuetum. Tacitus: *Solent & ulteraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi & receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt, & si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt quod quærenda sunt*. Infra Tit. XXIX. num. 33. *Si quis screonam quæ clavem habet effregerit, & aliquid furaverit*. Des-Accords librum fecit *Escrenes*, a jocis ibi habitis. *Bignon.*

(7) *Trahitur.*) Id est, rapitur, ut supra num. 1. & 4. & infra Tit. XXIX. num. 38. Marculfus lib. 2. cap. 16. & cap. 39. formulæ leg. Rom. cap. 16. Synodus Turonens. II. cap. 21. *Ut nullus ingenuam puellam absque parentum voluntate trahere aut accipere præsumat*. Vide Virgilium 2. Æneid. de Cassandra:

*Ecce trahebatur passis Priameia virgo*
*Crinibus*. Bignon.

(8) *In verbo Regis.*) Vide leg. Rib. Tit. XXXV. n. 3. *Bignon.*

(9) *Litus.*) Gloss. interlin. Th. *fiscalinus vel sanctuarius*. Bignon.

(10) *Ingenuitatem suam perdat.*) Senatusconsultum Claudianum. Marculf. lib. 2. cap. 29. *Bignon.*

(11) *Tulerit.*) Id est, abstulerit, ademerit. Glossæ vet. barbaræ Mss. *ademtis, tultis*. Notæ ad Marculfum lib. 1. cap. 28. *Bignon.*

X. Si quis puellam, quæ druchte [α] (1) ducitur ad maritum, in via adsalierit (2), & cum ipsa violenter mœchatus fuerit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud.

XI. (3) Si quis ingenuus ancillam alienam in conjugium acceperit, ipse cum ea in servitium implicetur (4).

XII. Si quis uxorem alienam vivo marito tulerit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud.

XIII. Si quis cum ingenua puella per virtutem [β] (5) mœchatus fuerit, IID. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud.

XIV. Si quis cum ingenua puella desponsata ea consentiente in occulto mœchatus fuerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

XV. Si quis lidam alienam in conjugium sociaverit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis judicetur.

XVI. (6) Si quis sororis [γ] aut fratris filiam (7), aut certe alterius [δ] (8) gradus consobrinam, aut fratris uxorem, aut avunculi, sceleratis nuptiis sibi junxerit, huic pœnæ subjaceat, ut a tali consortio separetur. Atque, etiam si filios habuerint, non habeantur legitimi heredes, sed infamia sint notati (9).

T i-

[α] Al. *Quæ de druchte.* [β] Al. *Per vim.* [γ] Al. *Sororem.* [δ] Al. *Ulterius.*

(1) *Druchte.*) Pacta, promissa; a fide, quæ *drouu* Germanis. Aventinus in glossario. *Bignonius.*

(2) *Adsalierit.*) Infra Tit. XV. n. 4. *Bign.*

(3) Tertull. lib. I. ad uxorem. *Bignon.*

(4) *In servitium implicetur.*) Infra Tit. XXVII. num. 3. Sic apud nos, *en formariage le pire emporte le bon.* Vide Burchardum in lege familiæ. *Bignon.*

(5) *Per virtutem.*) Per vim, leg Alaman. Tit. V. v. 2. & 5. ubi facto opponitur. Leg. Longobard. Tit. I. & Tit. XVII. l. 4. *Et collegerit se una pars cum virtute, & dixerit, Eamus. & expellamus eos de ipso loco per virtutem foras.* Tertull. adversus Judæos: *Nam præter quod omnibus notum est Orientis virtutem* (id est, vires) *auro & argento pollere solitam.* Anastasius Bibliothecarius ex Theophane ad an. Christi DCXXV. *Imperator* Heraclius) *ordinavit alium Prætorem nomine Bahanem & Theodorum Sacellarium cum virtute Romaica, & adversus Arabes misit.* Theophanes dixit μετὰ Ῥωμαϊκῆς δυνάμεως. Eo retulerim illud Virgilii: *Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* Et sane præcipua militaris virtus fortitudo est, unde virtus etiam in malam partem, pro vi, aut pro copiis: nos, *forces.* Franci quidem fortitudinem præcipuam virtutem habuerunt, & vi virtutis nomen tribuerunt. Prudentius hamartigenia: *Insultat virtute pari, sed dispare fato.* Idem ibidem: *Pœnarum virtutis non intellecta coercet.* Paulus Warnefrid. lib. 6. cap. 27. *Qui Gisulfus tempore Johannis Papæ cum omni sua virtute Campaniam venit, incendia & deprædationes faciens &c.* Sic Tertullianus de pallio: *Præsentis imperii præsens virtus.* Per fortiam, leg. Ribuar. leg. Bajuvar. Marculfus lib. I. cap. 28. *Bignon.*

(6) Etsi caput hoc in quibusdam Mss. reperiatur, ut in cod. Jac. Augusti Thuani, Anton. Oisellii, & in Metensi, abest tamen a plerisque. Regii quidem & phyliracei duo non habent, & recte. Nemo quippe dixerit hanc legem Salios redolere, sed continuo Romanam esse omnes agnoscent. Unde irrepserit manifestum est. Particula enim est interpretationis Aniani ad leg. 3. Cod. Th. de incestis nuptiis. Sane lege Salica de incestis nuptiis nihil cautum fuisse adfirmare ausim, cum in Decreto suo Childebertus Rex sanctionem ea de re ediderit: *Nullus incestum usum sibi societ conjugio, hoc est, nec fratris sui uxorem, nec uxoris suæ sororem, nec uxorem patrui, aut parentis consanguinei. Si quis uxorem patris acceperit, mortem incurrat. De præteritis vero incestis conjunctionibus, per prædicationem Episcoporum jugimus emendari.* Quod malum in Gallia primis Francorum temporibus, ut qui aut pagani adhuc aut recens Christiani fuerint, grassatum fuisse ex repetitis canonum sanctionibus videre est. Synodi Agathensis c. 61. Epaunensis c. 30. Aurelianensis III. c. 10. Arvernensis c. 2. Aurelianensis IV. c. 27. Turonicæ II. sub Chariberto R. c. 22. in qua referuntur excerpta ex libris sacris, canonibus superioribus, & legibus quæ huc pertinebant; nominatimque hæc constitutio laudatur: *Itemque ait sacra sententia legum, quæ in hac explanatione omni homini tam docto quam indocto aperta est, ut quisquis aut sororis aut fratris filiam aut certe gradu* (lege, *ulterioris gradus*) *consobrinam aut fratris uxorem sceleratis nuptiis sibi junxerit, huic pœnæ subjaceat, & de tali consortio separetur, & reliqua.* Vide Capitul. lib. VI. cap. 410. lib. legum Theodosii 3. cap. 12. contra illicita conjugia & de viduis, synod. Paris. III. c. 4. tomo 2. Concil. pag. 638. *Bignon.*

(7) *Fratris filiam.*) Hanc certe conjunctionem Romani quoque aspernati sunt, Senatu licet in gratiam Claudii decernente ut justæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ in posterum statuerentur. Sed, ut Tacitus scribit, nemo repertus est nisi unus talis matrimonii cupitor. Jurisconsulti quidem satis docent reprobata fuisse hæc conjugia, dum quod ejusmodi matrimonii caussa datum esset, caussa non sequuta condictione sine caussa repeti ajunt. Papinianus in leg. ult. de condict. sine caussa. *Bignon.*

(8) *Alterius.*) Oisellii cod. *ulterius*. Legendum ut in Aniano, *ulterioris*.

(9) *Infamia sint notati.*) Hæc ex Aniani mente, non ex Impp. sententia. Neque enim quid simile in lege ipsa reperire est. Sed ex quo Gothus ille legerat incestis nuptiis contractis neminem ex ejusmodi conjunctione neque uxorem neque dotem neque liberos sperare debere, continuo ille spurios infamia notari commentus est, certe præter constitutionis mentem. Spurios sane illegitimæ conjunctionis & natalium pœnam nota quadam sustinere nemo ambigit. Vere Plutarchus: Τοῖς μητρόθεν ἢ πατρόθεν οὐκ εὖ γεγονόσιν ἀνεξάλειπτα παρακολουθεῖ τὰ τῆς δυσγενείας ὀνείδη παρὰ πάντα τὸν βίον, καὶ πρόχειρα τοῖς ἐλέγχειν καὶ λοιδορεῖσθαι βουλομένοις. In eam sententiam videndus Cassiodorus lib. 2. epist. 11. & Josephus lib. 4. cap. ult. Idipsum tradit Calistus PP. in epist. ad fratres per Galliam constitutos cap. 1. ex quo Burchardus lib. 7. cap. 1. *Conjunctiones consanguineorum prohibete, quod eas & divinæ & seculi prohibent leges &c. Leges vero seculi infames tales vocant, & ab hereditate repellunt.* Leg. Wisigoth lib 3. tit. 5. cap. 1. *Bignon.*

TITULUS XV.

*De eo qui hominem ingenuum expoliaverit* [α] (1).

I. SI quis hominem ingenuum in superventu (2) expoliaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culpabilis jud.

II. Si Romanus homo Francum [β] expoliaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culpabilis judicetur.

III. Si vero Francus (3) Romanum expoliaverit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

IV. Si quis hominem præceptum regis habentem contra ordinationem regis adsalire, vel viæ laciniam (4) ei facere præsumpserit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud.

V. Si quis hominem ingenuum dormientem furtu expoliaverit, IIII. den. qui faciunt sol. C. culpabilis judicetur, excepto capitali & dilatura.

TITULUS XVI.

*De eo qui villam alienam adsalierit.*

I. SI quis villam alienam adsalierit (5), ipse & omnes qui convicti fuerint, quod in ejus contubernio fuissent, IID. qui faciunt sol. LXII. s. unusquisque ipsorum culpabilis judicetur.

II. Si quis villam alienam adsalierit, & ibidem ostia fregerit, canes occiderit vel homines plagaverit, aut in carro aliquid inde abduxerit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud. & quicquid inde abstulerit (6), in locum restituat.

III. Et quanticunque in ejus contubernio fuisse convicti fuerint, unusquisque illorum IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. judicetur.

TITULUS XVII.

(7) *De eo qui mortuum hominem expoliaverit.*

I. SI quis hominem mortuum, antequam in terram mittatur, furtu expoliaverit, IIII. den. qui faciunt sol. C. culpabilis judicetur.

II. Si quis hominem mortuum effoderit, & expoliaverit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud. Et postea parentes defuncti (8) judicem rogare debent, ut inter homines non habitet (9) auctor sceleris, & qui ei hospitium dederit, antequam parentibus satisfaciat, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

III. Si quis mortuum hominem aut in nosso (10), aut in petra, quæ vasa ex usu sarcophagi dicuntur, super alium miserit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud.

IV. Si quis aristatonem (11) super hominem mortuum capulaverit, de unoquoque DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

TITULUS XVIII.

*De incendiis* (12).

I. SI quis casam quamlibet intus hominibus dormientibus incenderit, ei cujus casa fuit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culpabilis judicetur, excepto capitali & dilatura. Et quanticunque intus fuerint & evaserint, mallare eum debent, & unicuique illorum IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. componat, & quicquid ibi perdiderint, in locum restituat. Et si aliquis intus arserit, ille qui incendium misit, parentibus defuncti VIII. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur.

II. Si quis spicarium aut macholum [γ] cum annona incenderit, IID. denar. qui faciunt sol. LXII. s. culpabil. jud, excepto capitali & dilatura.

III. Si quis sudem cum porcis, scuriam cum animalibus, vel fenile incenderit, IID. denar. qui faciunt sol. LXII. s. culpabilis judicetur, excepto capitali & dilatura.

IV.

α Al. *De superventis & expoliationibus.* β Al. *Si Romanus hominem Francum.*
γ Al. *Machadum.* Al. *massolum.* Al. *mastatum.*

(1) *Expoliaverit.*) *Depouiller.* Salvianus lib. 7. *Punit expoliatores domorum, cum sit expoliator provinciarum.* Bignon.

(2) *Superventu.*) Paulus Varnefridus pag. 280. *Super eos veniens*; & passim, in Bibl. *irruit super eos.* Gallice, *courir sus.* Seneca de ira lib. 1. *Germanis quid animosius, quid ad incursum acrius.* Bignon.

(3) *Si vero Francus.*) Observa majorem pœnam adversus Romanum quam adversus Francum. *Bignon.*

(4) Alias, *Viæ lacinam.*) Vet. cod. Thuani, *viæ laciniam*, Vide infra titul. 33. *Bignon.*

(5) *Villam alienam adsalierit.*) Vide l. 11. D. ad leg. Jul. de vi publica. *Bignon.*

(6) *Et quicquid inde abstulerit.*) Id est, capitale, ut supra & infra passim. *Bignon.*

(7) *De sepulchro violato.*) Vide infra Tit. 57. *Bignon.*

(8) *Parentes defuncti.*) Julius Capitol. in Maximino juniore: *Quædam parens sua libros Homericos dedit.* Lampridius in Alexandro: *Amicos & parentes Alexander si malos reperit, aut punivit &c.* Vide Notas ad Marculf. lib. 2. cap. 14. *Bignon.*

(9) *Ut inter homines non habitet.* Vide leg. Ribuar. tit. 87. *Bignon.*

(10) *In nosso.*) Gloss. interlin. cod. Thuan. *in sarcophago ligneo.* Bignon.

(11) *Aristatonem.*) Vide infra Tit. LVII. n. 3. Fr. Pithœum. Vide & Lindenbrogium ad Ammianum, de purpura avulsa a sepulchro Domitiani. *Bignon.*

(12) *De incendiis.*) De incendiariis, de arsis. Vide *Beaumanoir* cap. *de haute justice.* Bignon.

IV. Si quis concisam [α] (1) (2) vel sepem alterius capulaverit vel incenderit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

### Titulus XIX.

*De vulneribus.*

I. SI quis voluerit alterum occidere, & colpus (3) ei fallierit (4), vel cum sagitta toxicata (5) eum percutere voluerit, & ei ictus fallierit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culpabilis judicetur.

II. Si quis hominem in capite ita plagaverit, ut sanguis ad terram cadat, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

III. Si quis hominem in capite ita plagaverit, ut inde tria ossa exeant, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

IV. Si quis hominem in capite ita plagaverit, ut cerebrum appareat, & tria ossa desuper cerebrum exierint, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

V. Si vero intra costas vulnus intraverit & usque ad intrania [β] pervenerit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

VI. Si vero plaga ipsa semper currit, & ad sanitatem non pervenerit IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud. excepta medicatura, quæ est CCCLX. den. qui faciunt sol. IX.

VII. Si quis ingenuus ingenuum fuste [γ] percusserit, & tamen sanguis non exierit, usque ad tres colpos, pro unoquoque ictu CXX. den. qui faciunt sol. III. solvat.

VIII. Si vero sanguis exierit, ita componat, veluti eum de ferramento vulnerasset, id est, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

IX. Si quis alterum clausa manu, id est, pugno percusserit, CCCLX. den. qui faciunt sol. IX. culp. jud. videlicet ut pro unoquoque ictu III. sol. reddat.

X. Si quis alterum in via adsalierit (6), & expoliare tentaverit, & ille fuga evaserit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

XI. Si vero ceperit eum, & expoliaverit, IID. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud. exc. capitali & dilatura.

### Titulus XX.

*(7) De eo qui hominem innocentem & absentem ad regem (8) accusaverit.*

I. SI quis hominem innocentem & absentem de culpis minoribus ad regem accusaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culpabilis judicetur.

II. Si vero tale crimen imputaverit, unde mori debuisset, si verum fuisset, ille qui eum accusaverit, VIII. den. (9) qui faciunt sol. CC. culp. jud.

T I-

[α] Al. *Concidem.* [β] Al. *Intranea.* [γ] Al. *De fuste.*

(1) *Concisam.*) Concædes dicit Tacitus, sicut Cæsar & Marcellinus. Vide Fr. Pithœum & Spartianum in Hadriano. Describitur a Sangallensi lib. 2. cap. 2. Paulus Warnef. lib. 3. cap. 4. Strabo lib. 4. de Britannis: [illegible] &c. Bignon.

(2) *Concisam.*) Al. *concidam*. Sed Guelferbytana manuscripta etiam *concisam* ponunt. *Eccard.*

(3) *Colpus.*) Vet. cod *colaphus*. Unde nostris, *coup*. Bignon.

(4) *Fallierit.*) Fallire a verbo fallere; nobis, *faillir*. Bignon.

(5) *Sagitta toxicata.*) Venenatis sagittis usos olim Gallos, etiam in venatu, Plinius auctor est lib. 27. cap. 11. ut & Cornelius Celsus. A. Gellius ex Plinio; & Admiranda sub nomine Aristotelis; quod Germanis in usu esse hodie quoque audivi. Barbaræ gentes ubique fere & olim utebantur, & hodie quoque utuntur. Longum esset exempla recensere. De Getis Ovidius non uno loco; Tristium lib. 5. de Ponto lib. 1.

*Qui mortis sævo geminent ut vulnere causas,*
*Omnia vipereo spicula felle linunt.*

Romani quin etiam usi aliquando sagittis ejusmodi, ni Plinium de omni hominum genere loquutum fuisse intelligamus lib. 18. cap. 1. *Nos & sagittas ungimus, & ferro ipsi nocentius aliquid damus*. Porro in leg. Baiuvar. multo minor est multa, duodecim scilicet solidorum, etiam si quis non modo sagittam toxicatam emiserit, sed etiam si alium vulneraverit, tit. 3. cap. 6. Gregorius Turonens. lib. 2. S[illegible] *cum [illegible] effudere illitas herbarum venenis*. Sidonius in panegyrico Majoriani vers. 400.

*teretes pars explicat arcus,*
*Spiculaque infusum ferro latura venenum,*
*Quæ feriant bis missa semel.*

D. Ambrosius de Tobia cap. 7. *Quasi servus sagitta toxicata ictus paullulum procidens, tandem victus veneno procumbit; aut quasi piscis qui fuscina fuerit infixus, quocunque fugerit, vulnus vehit*. Bignon.

(6) *Adsalierit.*) Supra Tit XIV. num. 10. Tit. XV. n. 4. Tit. XVI. n. 1. & 2. Infra Tit. XXXVII. num. 2. Tit. XLIV. n. 1. Marculfus lib. 1. cap. 29. *Adsalissetis & graviter livorassetis*. Vide Notas. Idem lib. 1. cap. 37. Vide Notas. Capitul. lib. V. cap. 364. ex legibus Bajuvar. *Bignon.*

(7) *De accusatoribus calumniantibus*. Bignonius.

(8) *Ad regem.*) Hoc est, *apud Regem*. Nota autem in uno Guelferbytano hæc in titulo deesse. *Eccard.*

(9) *VIII. den. &c.* Ergo lege Salica calumniatori mulcta pecuniaria infligitur, lege vero Romana talio. Vide notas ad veteres formulas secundum legem Romanam cap. 29. Anastas. Bibliothecar. in Leone IV. pag. 293. & quæ ad eum locum notavi. Postea vero ubique fere observari cœpit in Gallia. Brito Philippid. pag. 324.

*Quidam autem in melius juri contraria mutans,*
*Constituit pugiles, ut in omni talio pugna*
*Sanguinis in causis ad pœnas exigat æquas,*
*Victus ut appellans, sive appellatus eadem*
*Lege ligaretur, mutilari aut perdere vitam.*
*Moris enim extiterat apud illos hactenus ut si*
*Appellans victus in causa sanguinis esset,*
*Sex solidos decies cum nummo solveret uno,*
*Et sic impunis amissa lege maneret, &c.*

Sed

## Titulus XXI.

*De maleficiis* (1).

I. SI quis alteri herbas (2) dederit bibere, & mortuus fuerit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis jud.

II. Si vero biberit, & mortuus non fuerit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. ille qui dedit, pro aliquo maleficio, culp. jud.

III. (3) Si quis alteri aliquod maleficium superjactatus fuerit [a] (4) sive cum ligaturis (5) in quolibet loco miserit (6), IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud.

IV. Si quis mulieri herbas dederit, ut infantes habere non possit (7), IID. den. qui faciunt solidos LXII. s. culp. jud.

## Titulus XXII.

*De eo qui mulieri ingenuæ manum strinxerit* (8).

I. SI quis homo ingenuus fœminæ ingenuæ manum aut digitum strinxerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

II. Si vero brachium strinxerit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

III. Si autem super cubitum (9) manum miserit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. jud.

IV. Si ergo mamillam strinxerit (10), IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

## Titulus XXIII.

*De eo qui navem sine permissu domini moverit aut furaverit* (11).

I. SI quis sine permissu navem alienam movere præsumpserit, & cum ea flumen transierit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

II. Si vero ipsam navem furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud. exc. cap. & dilatura.

III. Si quis navem vel ascum (12) de intro clavem furaverit, ICCCC. denar. qui faciunt sol. XXXV. culp. jud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis ascum de intro clavem repositum, & in suspenso pro studio positum furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

## Titulus XXIV.

*De furtis in molino commissis.*

I. SI quis ingenuus (13) in molino alieno annonam (14) furaverit, ei cujus molinus est, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. judicetur. Ei vero cujus annona est, simi-



[a] Al. *Superjactaverit.*

Sed tandem sublatus est, & ad jus Salicum reditum; scilicet ut accusatores calumniari deprehensi mulcta pecuniaria & præterea in id quod interest condemnentur. *Bignon.*

(1) *De maleficiis.*) Seu potius de veneficiis. *Bignon.*

(2) *Herbas.*) Vide Gregorium Turon. pag. 491. veteres formulas incerti auctoris (sive Appendicem Marculfi) cap. 34. & notas. Id a medicina petitum, quæ remedia ut plurimum ex herbis deducit. Vide Homerum de Machaone. Manilius lib. 3. de medicina:

*Et vitæ succos miscere salubres.*

At magia ex medicina nata. Plinius lib. 30. cap. 1. Claudianus:

*Pocula nec tristi gramine mista bibunt.*

Virgilius Georg. 3.

*Miscueruntque herbas & non innoxia verba.*

Gratianus Imper. in l. 6. Cod. Th. de indulgentiis criminum: *Qui noxiis quæsita graminibus, & diris immurmurata secretis, mentis & corporis venena composuit.* Bignon.

(3) Gregorius Turonens. de miracul. lib. 2. cap. 44. & 45. *Bignon.*

(4) *Maleficium superjactatus fuerit.*) Nostris, *Jetter du sort.* Porro jactare pro jacere non novum. Frontinus Agrimensor. pag. 57. de arboribus imminentibus, quarum fructus in fundum vicini decidunt. *Bignon.*

(5) *Cum ligaturis.*) Tertullianus pag. 824. *In remediis naturalia plurimum, aliquid & magia circumligat, medicina cum ferro & poculo occurrit.* Idem de spectaculis: *Magicis devinctionibus perfici.* Bignon.

(6) *Miserit.*) Mittere, pro ponere. *Bignonius.*

(7) *Ut infantes habere non possit.*) Ἀτόκιον. Plin. lib. 29. cap. 4. ubi de Palangio: *Vis ea annua est, quam solam ex omni atocio dixisse fas sit; quoniam aliquarum fœcunditas plena liberis tali venia indiget.* Fallitur vero Plinius. Apud Christianos certe abominandum illud est. Tertullianus, Minutius, Arnobius. Idem Plinius lib. 27. cap. 8. *Fecunditatem restituere ademptam veneficiis.* Bignon.

(8) Credo non tam hic agi de dolore quam de pulsata verecundia & immodesta contrectatione & impudica. Vide Herodotum de legatis Persarum apud Macedones. *Bignon.*

(9) *Super cubitum.*) Nam ut Tacitus ait, *partem vestitus superioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos.* Bignon.

(10) *Mamillam strinxerit.*) Ovidius:

*Forma mamillarum quam fuit apta premi.*

Injuriarum apud Romanos actio competit. *Bignonius.*

(11) Argumentum est hic titulus scriptam esse legem, cum adhuc paludicolæ essent Franci, cui usui ascus; & cum mare vel flumina accolerent in Belgio, ubi aquæ multæ. *Bignon.*

(12) *Vel ascum.*) Hodie *nascon*, vel *ascon*, alveolus cujus in paludibus frequens usus. Vide Rapini epigramma. Forte hic ab utribus quibus flumina permeari sæpe dictum est. Marcell. Notitia. *Bignon.*

(13) *Ingenuus.*) Id est, liber. Marculfus lib. 2. cap. 32. & Notæ. Gregorius Turonens. lib. 8. cap. 41. *Bignon.*

(14) *Annonam.*) Gregorius Turonens. lib. 8. cap. 42. *Ita ut annonas, fœnum, vinum, & quicquid reperire potuisset &c.* Capitular. lib. 4. cap. 25. Glossæ: *annona*; σιτηρέσιον. Nam de annona militari agitur, sed ab eadem origine. Inde est *area annonaria*; leg. Burgund. Tit. 23. cap. 2. qui annonam dederit servo fugitivo, leg. Longob. lib. 1 Tit. 25. l. 25. annona ad caballos, Capit. lib. 4. cap. 73. Vide lib. 1. cap. 112. 125. leg. VVisigot. lib. 12. Tit. 1. l. 2. lib. 9. Tit. 2. l. 6.

similiter DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur, excepto capit. & dilatura.

II. Si quis ferramentum de molino alieno furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

III. Si quis sclusam (1) de farinario alieno ruperit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

## TITULUS XXV.

### *De caballo sine permissu domini sui ascenso.*

I. SI quis caballum sine permissu domini sui ascenderit, & eum caballicaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud. Et pro eo, quia descenderit α, similiter aliis DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. judicetur.

## TITULUS XXVI.

### *De his qui pueros vel puellas occiderint vel totonderint.*

I. SI quis puerum infra duodecim annos sive crinitum (2), sive incrinitum occiderit, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culp. jud.

II. Si quis puerum crinitum sine voluntate parentum totonderit (3), IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

III. Si vero puellam totonderit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud.

IV. Si quis fœminam gravidam occiderit, XXVIII. den. qui faciunt sol. DCC. culpabilis judicetur.

V. Si quis infantem in ventre matris suæ, aut natum antequam nomen habeat infra VIII. β noctes occiderit, IIII. den. qui faciunt sol. C. culp. jud.

VI. Si quis puellam ingenuam infra annos, antequam infantes possit habere, occiderit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud.

VII. Si quis fœminam ingenuam postquam infantes cœpit habere, occiderit, XXIV. den. qui faciunt sol. DC. culp. jud.

VIII. Si quis fœminam postquam infantes habere non potuerit, occiderit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud.

IX. Si quis puer infra duodecim annos aliquam culpam commiserit, fredus ei non requiratur.



α Al. *Pro equam quam ascenderit.*

β Alias, IX.

(1) *Sclusam.*) Cassiodorus Senator lib. 2. cap. 19. *Universis Gotthis & Romanis, & his qui portubus vel clusuris præsunt.* Balsamon ad epist. Basilii ad Amphiloch. can. 55. *Clausura S. Basilii*, εἰς τὴν κλεισούραν τοῦ ἁγίου Βασιλείου. Translatio martyrum Georgii, Aurelii, & Nataliæ pag. 47. *Ne forte eis improvisis aut legatio fraudulenta fiat, aut certe magis hostilis impetus superveniens cunctarum ad sese viarum aditus continuis satagat obfirmare custodiis, atque ea permaxime loca quæ ab angusti tramite callis exclusas appellant.* Bignon.

(2) *Sive crinitum.*) *Quilibet capillatorum* in Edicto Theoderici R. cap. 145. Decretum Childeberti R. cap. 3. *ut nullus de crinosis.* Quod tamen abest a Mss. regiis, & φ. φ. Agathias tamen lib. 1. cap. 5. solos Reges Francorum cæsariem prolixam gerere scribit, subditos omnes circumtonsos esse, nec illis longiorem comam concedi. Quod ita accipiendum censeo, ut Romanos tantummodo tonsos fuisse intelligamus, aut Reges quidem longam gestasse cæsariem, sed crinium flagellis discriminatam & optime comptam, quod aliis non licuit. Capillati Alpium populi, Plinio. Inde & Comata Gallia eidem lib. 4. cap. 17. Capilli apud quasdam gentes probro. Idem Plin. lib. 6. cap. 13. Majores crines & indumenta pellium inhibentur l. ult. Cod. Th. de habitu quo uti oportet int. urb. Claudianus de quarto consulatu Honorii:

*Ante Ducem nostrum flavam sparsere Sicambri*
*Cæsariem.*

Idem de Bello Getico:

*Crinigeri sedere patres, pellita Getarum*
*Curia, quos plagis decorat numerosa cicatrix.*

Sidonius lib. 1. epist. 2. lib. 3. ep. 3. lib. 5. ep. 13. Isidorus lib. 16. c. 13. Jornandes in historia Gotth. Gregor. Turonens. lib. 6. cap. 24. lib. 8. cap. 10. de vita patrum cap. 12. Claudianus in Eutropium lib. 1.

*Militet ut nostris detonsa Sicambria signis,*

Idem de laudibus Stiliconis lib. 1.

*Ingentia quondam*
*Nomina, crinigero flaventes vertice Reges.*

Ibidem: *Nec fida valenti*
*Dextera duxisset rutilantes crinibus alas.* Bign.

(3) *Totonderit.*) Tondere, videlicet deturpare, decusque capitis auferre. Ovidius:

*Turpe pecus mutilum est & sine crine caput.*

Unde decalvatio pœna in leg. Wisigot. & Capitul. Caroli M. De cura capillorum apud veteres, etiam apud barbaras gentes. Tertullianus de Pallio: *Numidas etiam equis cæsariatos juxta cutem tonsor, & cultri vertex solus immunis.* Franci vero specialiter capillum curabant, quo scilicet distinguerentur a Romanis subditis. Fere olim Galli comati, capillati Alpium populi Plinio. Posset tentari hunc locum accipi debere de clericatu. Nam & tum Episcopi sæpe inconsultis parentibus comam juvenibus tondebant, ut ad clericatum eos aggregarent. Quidam & invitos aliquando tondebant. Nam & sæpe vis fiebat, ut quis Clericus ordinaretur. Vide insigne exemplum in epistola Paulini, quæ est inter epistolas B. Augustini ep. 35. pag. 145. *Nam ego etsi a Delphino Burdegaliæ baptizatus, a Lampio apud Barcilonam in Hispania per vim inflammatæ subito plebis sacratus sim, tamen Ambrosii semper & dilectione ad fidem nutritus sum & nunc in sacerdotii ordine confoveor.* Gregor. Turonens. lib. 7. cap. 31. *Quia invitum aliquando eum totonderat, inhians facultati ejus*; quasi Episcopi Clericorum heredes fierent; quod notandum, & plenius expendendum. Conciliis itaque id prohibitum est. Vide & Capitul. lib. 5. c. 212. Prior tamen interpretatio magis arridet, ut quasi de atroci injuria puero & parentibus facta agatur, cum decus capitis præcipuum coma sit, unde & Clericis comam alere synodis prohibeatur, quasi in notam servitutis illud fieri videatur. Vide leg. Burg. Tit. 6. n. 4. & discute. *Bignon.*

## Titulus XXVII.

*De adulteriis ancillarum* (1).

I. SI quis ingenuus cum aliena ancilla mœchatus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

II. Si quis vero cum regis ancilla (2) mœchatus fuerit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

III. Si quis Francus alienam ancillam sibi publice junxerit (3), ipse cum ea in servitio permaneat (4).

IV. Si servus cum ancilla aliena mœchatus fuerit, & de ipso crimine mortua fuerit, servus ipse aut castretur (5), aut CCXL. den. qui faciunt sol. VI. culpabilis jud. Dominus vero servi capitale in locum restituat.

V. Si autem ancilla propter hoc mortua non fuerit, servus ipse aut CXX. ictus accipiat, aut CXX. den. qui faciunt sol. III. domino ancillæ cogatur persolvere.

VI. Si quis servus ancillam alienam (6) sine voluntate domini sui sibi in conjugium copulaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. aut CXX. ictus accipiat.

## Titulus XXVIII.

(7) *De libertis dimissis*.

I. SI quis lidum alienum, qui cum domino suo in hoste fuerit, sine consilio domini sui ante regem per denarium (8) ingenuum dimiserit, IIII. den. (9) qui faciunt sol. C. culp. jud. res vero ipsius lidi legitimo domino restituantur.

II. Si quis servum alienum ante regem per denarium ingenuum dimiserit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. jud. & capitale in locum restituat, & res servi ipsius proprius dominus recipiat.

## Titulus XXIX.

*De furtis diversis*.

I. SI quis tintinnum (10) de porcina aliena furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

II. Si vero de pecoribus tintinnum furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

III. Si quis skellam * de caballis (11) furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.



* *Al. Schellam. Al. Schillam.*

(1) *De adulteriis ancillarum.*) Adulterium hic improprie cum ancilla. Vide l. 6. D. ad leg. Jul. de adulter. Sic accipitur apud Ambrosium de Abrahamo lib. 1. cap. 4. *Omne stuprum adulterium est; & quicquid in ea quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur*. Sic fortasse Gregorius Turon. lib. 9. cap. 37. *Et licet esset vorax cibi ac potator vini extra modum quam sacerdotalem cautelam decet, tamen nullum de eo adulterium quispiam est locutus*. Sic etiam forte eodem lib. c. 34. in fine. *Bignon.*

(2) *Regis ancilla.*) In leg. Longob. lib. 2. tit. 9. l. 2. Rotharis Regis, mulier libera, quæ se servo conjunxit, potest impune a parentibus, id est, proximis, occidi intra annum. Post annum licet Gastaldio Regis, aut actori, aut Sculdasio, ipsam in curtem Regis ducere, & intra pensiles ancillas constituere, id est, quæ pensum faciunt; & leg. 3. Luitprandi eadem de re: *Sit ancilla palatii, & ipse servus similiter ad palatium replicetur; & filii qui ex eis nati fuerint, curti regiæ omnimodo serviant*. Ubi quod palatium dixit, mox curtem appellat. Ancilla regia in legibus Ribuar. Tit. LVIII. Ita Lindenbrogius; vel Tilii 60. num. 9. servi Regis passim, & fisci. *Bignon.*

(3) *Publice junxerit.*) Id est, uxorem duxerit. *Bignon.*

(4) *In servitio permaneat.*) Supra Tit. XIV. num. 11. *Bignon.*

(5) *Castretur.*) Castrationis pœna servo, non in adulterio tantum, sed & in furto, infra Tit. XLII. n. 4. κτλωοβέτει caulis abscissione puniti. Attaliates pag. 63. Juris Græco-Romani. *Bignon.*

(6) *Ancillam alienam.*) Foras nubere. Tertullianus ad uxorem lib. 3. *Foras nubere servis suis interdicunt*. *Formariage* in consuetudinibus nostris. *Bignon.*

(7) *De libertis dimissis.*) De eo qui alienum servum manumiserit. *Bignon.*

(8) *Ante regem per denarium.*) Marculfus lib. 1. cap. 22. ubi nonnulla notavimus, & vetus instrumentum denariale Caroli Calvi adduximus ex tabulario S. Martini Turonensis. Vuilhelmus Heda in historia Episcoporum Trajectensium p. 249. n. 13. *Egiboldus natione Frisius unanimi omnium voto XIII. Episcopus surrogatur in locum Odibaldi, vir non contemnendæ vitæ, litteris clarus, & ipsi Zuentiboldo Regi acceptus, qui ejus contuitu famulam quandam datis, ut lex Salica docet, in commutatione duobus mancipiis prius, & postea secundum legem Francorum denarium ejus excutiens, hoc modo servitutis vinculo liberavit, & donavit ingenuitati. Actum Niumagæ*. Synodus Lemovicensis Ms. dicta tertia. *Bignon.*

(9) *Den.* &c.) Quo casu nota libertatem manere, seu favore libertatis, seu quia ante Regem celebrata est, & mulctam tantum inferri cum peculio. *Bignon.*

(10) *Tintinnum.*) Nonius, & Isidorus lib. 3. cap. 22. Phædrus libro 2. *Clarumque collo jactans tintinnabulum*; leg. Gotth. lib. 12. Tit. II. l. 2. Burgund. Tit. IV. c. 5. Bojorum cap. 8. Tit. II. §. 1. Fortunatus lib. 2. de B. Medardo. Greges tinnibulatos dixit Sidonius lib. 2. ep. 2. Walafridus Strabo:

*Mala fidem, tintinna sonant documenta saluto.*

Leg. Wisigoth. lib. 7. Tit. 2. l. 11. leg. Burgund. Longobard. lib. 1. Tit. XXV. l. 31. Meminit & Ado Viennensis. Causa in bobus, ne in silvis aberrando amittantur; in equis præcipue sagenariis, ut & hodie, & in mulis onerariis, quo tinnitu mulceantur, & sono laborem leniant, in musicæ modum ita ferunt. Adeo musica brutis etiam imperat. Agatharchides lib. 5. de mari rubro cap. 30. Θρεμμάτων δὲ πλῆθος ἑαυτοῖς ἔχουσι συνεπόμενον, κώδωνας δὲ ἐξάπτουσιν ἐκ τῶν ἀρρένων πώλων, ὅπως ὁ ἀπ' αὐτῶν ψόφος διώκῃ τὰ θηρία. Male interpres, *ut tinnitus borum fures arceat fugetque*. Vide in historia Francor. de stratagemate per tintinnum. Aimoin. lib. 4. cap. 81. *Bignon.*

(11) *Skellam de caballis.*) Scella, vel scilla, equo-

IV. Si quis pedicam de caballis furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

V. Si caballi ipsi perierint, capitale in locum restituat.

VI. Si quis messem alienam per furtum metere, aut reffare [α], præsumpserit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

VII. Si quis hortum alienum ad furtum faciendum ingressus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

VIII. Si quis impotos de melario [β], aut de pyrario [γ] tulerit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

IX. Si vero in horto (1) fuerint, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

X. Si quis melarium aut pyrarium [δ] decorticaverit [ε], CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur.

XI. Si vero in horto fuerint, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XII. Si quis cultellum (2) alienum furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XIII. Si quis in napinam [ζ] (3), in fabariam, in pisariam, in lenticulariam, vel in his similia ad furtum faciendum ingressus fuerit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

XIV. Si quis in campo alieno linum furaverit, & hoc in caballo aut in carro duxerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XV. Si vero tantum tulerit, quantum in dorso suo portare potuerit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

XVI. Si quis in agro alieno arborem insertam (4) exciderit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis judicetur.

XVII. Si quis campum alienum araverit & seminaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur.

XVIII. Si vero tantum araverit, & non seminaverit, DC. den. qui faciunt XV. sol. culpabilis jud.

XIX. Si quis aratrum in campum alienum intrare prohibuerit, vel arantem foras jactaverit vel testaverit (5), DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

XX. Si quis pratum alienum secaverit, laborem suum perdat, & insuper DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XXI. Et si inde fœnum ad domum suam in carro duxerit, & discargaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

XXII. Si vero tantum tulerit, quantum in dorso suo portare potuerit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

XXIII. Si quis vineam alienam per furtum vindemiaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis judicetur.

XXIV. Et si inde vinum in carro ad domum suam adduxerit, & discargaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

XXV. De messibus autem similiter convenit observare.

XXVI. Si quis clausuram alienam ruperit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XXVII. Si quis in sylva materiamen alienum aut incenderit aut capulaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XXVIII. Si quis materiamen de una parte dolatum furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culpabilis judicetur.

XXIX. Si quis arborem post annum, quam fuerit signata (6), capulare præsumpserit, nullam exinde habeat culpam.

XXX. Si infra annum quis eam capulaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

XXXI. Si quis rete ad anguillas capiendas (7) de flumine furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. [η] culp. jud.

XXXII. Si quis statuam [θ] aut tremaclum

α Al. *Regare*. Al. *Trigaverit, aut meterit*. β Al. *Impotus de melario*. γ Al. *Pomario*.
δ Al. *Melarium aut perarium*. ε Al. *Excervicaverit*. ζ Al. *Navinam*.
η Lindenbr. habet IDCCC. den. sol. XLV. θ Al. *Stavam*.

equorum clitelliarorum tintinnabulum; qua voce Aquitani adhuc utuntur. Græcis κώδων, cujus etiam furem in legibus Georgicis Iustinianus coercet. *Esquil* Tolosatibus. Squillam pro tintinnabulo & nola vocat Petrarcha in poematibus Italicis. Et Ital. etiam hodie *squillare*. Bignon.

(1) *Si vero in horto.*) Major pœna si arborum furtum in horto fiat, ut supra. Vide. *Bignon.*

(2) *Cultellum.*) Vide glossas Agrimens. p. 172. *Bignon.*

(3) *Napinam.* Columella lib. 11. cap. 2. Sic rapinam facere, id est, rapos serere, usurpatur in l. 88. §. matre. D. de leg. 2. Columella lib. 2. cap. 2. Cato rei rust. cap. 31. Pictavis *nabine*, locus napis consitus, ut monuit Joh. Belius amicus carissimus. *Bignon.*

(4) *Arborem insertam.*) Servius Georgic. 2. vers. *Et sæpe alterius. Sane insitas arbores dicimus; insertas vero causas aut fabulas.* Ovidius:

*Firmaque adoptivas possidet arbor opes.*

De adoptione Suetonius: *Insertus est eadem figura.* Vide auctores rei rusticæ. *Bignon.*

(5) *Testaverit.*) Duo Guelferbytana Manuscripta eodem modo legunt. Sed restituendum: *restaverit*. Ita etiam ubi Tit. XV. leg. 4. editio Lindenbrogiana habet *testare*, Heroldina melius *restare*, & Bignoniana ac Baluziana *viæ lacinam facere* habent. *Restare* enim est *facere, ut restet, impedire, retinere*. Eccard.

(6) *Signata.*) An de signo quod imponebatur ad limites notandos, qua de re Siculus Flaccus: *Si notatæ arbores in regionibus finales observabuntur, intuendæ sunt notæ.* Leg. Longob. lib. 1. Tit 26. l. 3. *Si quis liber homo arborem ubi theclatura facta est, inter fines discernendos inciderit*. Vide Respons. Papiani Tit. 39. leg. Wisigotth. lib. 10. Tit. 3. l. 3. Bajuvar. Tit. XI. cap. 3. num. 2. Et ita Lindenbrogius putat, cujus sententiæ non accedo. Nam hic de finibus nullum verbum, & de anno quod additur contrarium evincit. Vide an huc faciat quod est in leg. Wisigotth. lib. 8. Tit. VI. ult. l. 1. in legib. Bojor. Tit. IX. cap. 12. *Signum quod propter defensionem ponitur &c.* Bignon.

(7) *Rete ad anguillas capiendas.*) *Hord* locus apud nos dicitur in flumine ubi retia tenduntur ad anguillas capiendas. Vide Martin. *Bign.*

clum α (1) vel vertuolum β (2) de flumine furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XXXIII. Si quis screonam, quæ clavem habet, effregerit, & aliquid furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

XXXIV. Etsi inde nihil tulerit, pro sola effractura, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XXXV. Si vero screonam, quæ sine clave est, effregerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XXXVI. Si quis cum servo alieno sine consensu domini sui aliquid negociaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XXXVII. Si quis mulieri brachile γ furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

XXXVIII. Si quis casam δ alienam sine permissu possessoris traxerit (3), ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis judicetur.

## TITULUS XXX.

### *De locationibus.*

I. SI quis furtim aliquem locaverit, ut hominem interficiat (4), & pretium propter hoc dederit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud.

II. Similiter & ille qui pretium accepit, ut hominem occideret, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culpabilis jud.

III. Si vero per tertium locatio ipsa fuerit transmissa, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culpabilis judicetur. Sic dans, accipiens, portans, unusquisque illorum culp. judicetur.

## TITULUS XXXI.

### *De debilitatibus.*

I. SI quis alteri manum aut pedem truncaverit (5), vel oculum effoderit ε aut auriculam (6), vel nasum amputaverit, IIII. den. qui faciunt sol. C. culp. jud.

II. Si vero manus ipsa ibidem mancata pependerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur.

III. Si manus ipsa perexcussa fuerit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud.

IV. Si quis pollicem de manu vel pede excusserit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis judicetur.

V. Si vero ipse pollex mancatus pependerit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

VI. Si secundum digitum, quo sagittatur, excusserit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis judicetur.

VII. Si quis tres sequentes digitos pariter uno ictu excusserit, IDCCC. denar. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

VIII. Si quis medium digitum ζ excusserit, DC. denar. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

IX. Si quis quartum digitum excusserit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

X. Si minimum excusserit, pariter DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XI. Si quis pedem alterius capulaverit & ibi mancatus remanserit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

XII. Si vero pes ipse perexcussus fuerit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. judicetur.

XIII. Si quis alteri oculum evellerit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud.

XIV. Si nasum excusserit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

XV. Si auriculum excusserit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XVI. Si quis linguam alterius amputaverit η, ut loqui non possit, IIII. den. qui faciunt sol. C. culp. jud.

XVII. Si dentem excusserit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

XVIII. Si quis ingenuus ingenuum castraverit, aut virilia truncaverit, ut mancus fiat, IIII. den. qui faciunt sol. C. culp. jud.

XIX. Si vero ad integrum tulerit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud.

## TITULUS XXXII.

### *De conviciis (7).*

I. SI quis alterum cenitum θ (8) clamaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.



α Al. *Tremaculum*. Al. *Tremagolum*. β Al. *Vertuolo*; *vericulum*. γ Al. *Brachialem*. δ Al. *Si quis per casam*. ε Al. *Effoderit*. ζ Al. *Medianum*. η Al. *Capulaverit*. θ Al. *Cinitum*; al. *cinidum*.

(1) *Tremaclum.*) *Tramail*. Bignonius.

(2) *Vertuolum.*) *Verreul*. Bignonius.

(3) *Casam alienam traxerit.*) Casam alienam trahere. Sic Gregorius Turonens. lib. 9. c. 35. *auferre villam*. Quamvis abolita sit Massurii Sabini sententia, qui putabat fundi furtum fieri posse. Instit. lib. 4. Tit. I. Trahere autem rapere est & invadere, supra Tit. XIV. n. 5. Sic Hieronymus ep. 3. ad Heliodorum: *Marcomani trahunt, vastant, rapiunt*. Bignon.

(4) *Locaverit, ut hominem interficiat.*) Juvenalis sat. 13.

*Si flectas oculos majora ad crimina, confer*
*Conductum latronem*. Bignon.

(5) *Truncaverit.*) H. e. absciderit. A *truncare* deinde Itali suum *trinciare*, & Galli *trancher* formarunt. His affine est nostrum *trennen*. Eccard.

(6) *Auriculam.*) Ex hoc diminutivo prodiit Gallicum *oreille*. Cum enim magnæ aures dedecori esse crederentur, diminutivum præ primitivo nomine placuit & in usum devenit. *Eccard.*

(7) Non de injuria tantum hic agitur, ut vulgo dicimus, sed de injuria quæ fit per convivia. Vide de judicio injuriarum apud Athenienses. *Bignon.*

(8) *Cenitum.*) Si fides gloss. apud Pithœum, cocles cenitus est. Sed vereor ne aliud hic intelligatur. Fortasse hic cenitus est eadem inflexione qua concagatus num. sequenti, is qui aliquando cœno & sordibus ad summam ignomi-

II. Si quis alterum concagatum (1) clamaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

III. Si quis alterum vulpeculam (2) clamaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

IV. Si quis alterum leporem (3) clamaverit, CCXL. den. qui faciunt sol. VI. culp. jud.

V. Si quæ mulier ingenua aut vir mulierem meretricem clamaverit (4), & non poterit adprobare, sol. XLV. culp. jud.

VI. Si quis alteri imputaverit, quod scutum suum projecisset in hoste, vel fugiendo præ timore, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

VII. Si quis alterum delatorem (5) clamaverit, & non potuerit comprobare, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

VIII. Si quis alterum falsatorem clamaverit, & non potuerit comprobare, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

TITULUS XXXIII.
*De via Lacina* (6).

I. SI quis Baroni viam suam obstaverit * (7), aut eum impinxerit (8), DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

II. Si quis mulieri ingenuæ viam suam obstaverit, vel eam impinxerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

III. Si quis viam, quæ ad farinarium ducit, clauserit (9), DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

TITULUS XXXIV.
*De eo, qui hominem ingenuum sine causa ligaverit* (10).

I. SI quis hominem ingenuum sine causa ligaverit, ICC. denar. qui faciunt sol. XXX.

* Al. *Obstruxerit*.

---

miniam perfusus est a populo; quod injuriæ genus apud Francos in usu. Vide l. 1. D. de extraordinar. criminib. §. 1. Ecclesiastici cap. 22. vers. 1. & 2. Auctor Etymologici: οἱ Ἀττικοὶ τὸν ἔτι περὶ ἁμαρτίαν τι χλωρᾷ πηλῷ χρίοντες ἐδημοσίευον. Alibi ibidem auctor: οἱ Ἀρχαῖοι ὅτε ἤθελον ὑβρίσαι τινὰ καὶ ἐμπαῖξαι, πηλῷ ἔχριον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Vide Gregor. Turonens. lib. 7. cap. 14. leg. Longob. Tit. XVI. l. 8. ubi de sponsa: *Perversi homines aquam sordidam & stercoratam super ipsam jactassent*. Bignon.

(1) *Concagatum*.) Gallis *conchiè*. Honos auribus, *chiard*, κοπρίας. Scaliger ad Festum, Casaubonus ad Suetonium. Imo non de vitio corporis, sed de injuria ab alio illata. Glossar. Pithœi: *conchagatum*, *sordidatum*. Bignon.

(2) *Vulpeculam*.) Herodes a Domino nostro ita vocatur Lucæ 13. *Bignon*.

(3) *Leporem*.) Timidum videlicet & fugacem. Græci proverbialiter δειλότερος λαγῷ φρυγός. Annales Fuldenses Carolum Calvum leporem vocant. Vide. Magnum certe apud Francos convicium fuisse hinc apparet quod fugam sibi exprobrari non patiebantur, quam dedecus extremum esse existimabant. De Gallis Ælianus de varia historia lib. 12. οὕτω δὲ αἰσχρὸν νομίζουσι τὸ φεύγειν, ὡς μηδὲ ἐκ τῶν οἰκιῶν καταλισθανουσῶν καὶ ἐμπιπτουσῶν πολλάκις ἀποδιδράσκειν. Nicolaus Damascenus historiarum scriptor Augusto & Herodi acceptissimus ἐν συναγωγῇ apud Abbatem Maximum eclog. c. IV. Κελτοὶ οἱ τῷ ὠκεανῷ γειτνιῶντες, αἰσχρὸν ἡγοῦνται τοῖχον καταπίπτοντα ἢ οἰκίαν φεύγειν. πλημμυρίδος δὲ ἐκ τῆς ἔξω θαλάττης ἐπερχομένης, μεθ' ὅπλων ἀπαντῶντες ὑπομένουσιν ἕως κατακλύζωνται, ἵνα μὴ δοκῶσι φεύγοντες τὸν θάνατον φοβεῖσθαι. Strabo lib. 7. ἀφοβίαν οἱ Κελτοὶ ἀσκοῦντες, κατακλύζεσθαι τὰς οἰκίας ὑπομένουσιν, quæ tamen ridet Strabo. Idipsum de Francis nominatim affirmat Laonicus Chalcondyles histor. lib. 11. pag. 59. Κελτοὺς δὲ φασὶ πρὸς φεύγειν αὐτοὺς ἐν ταῖς μάχαις οὐ θέμις νομίζειν, ἀλλὰ μαχομένοις πλάττεσθαι. καὶ ἀπὸ τούτου Κελτοὶ σφᾶς ἀξιοῦσι προέχειν τῇ ἀφυγομαχότητι, καὶ ἐπιτιμοτάτους εἶναι ἁπάντων. Bignon.

(4) *Meretricem clamaverit*.) Vide Consuetud. Campaniæ vet. p. 456. art. 45. *Bignon*.

(5) *Delatorem*.) Convicium illis temporibus non leve. Nam delatores, quibus alioqui præmia magna decernebantur, & a Tiberio custodia legum dicti apud Tacitum, ni fallor, sub malis Principibus sæviebant. Plinius panegyrico: *Vidimus delatorum indicium quasi grassatorum, quasi latronum*. Itaque id genus hominum omnes adversati, detestati, unde infamia; etsi initio bono publico essent introducti, ut & accusationes, quemadmodum Cicero in Verrem plene tractat. Martialis: *turba gravis paci &c.* Postea ex consuetudine fraudis & calumniæ etiam Principibus exosi. *Execrabiles nuntiatores* dicuntur qui fisco deferunt, l. 4. Cod. de delatorib. lib. 10. Itaque calumniantes ferro puniti, l. 5. eodem, & illis aliquando lingua evulsa, l. 2. Cod. Th. de petitionibus & ultro datis & delatoribus. Atque adeo in bonis caussis si idem delator tertio fuerit, capite punitur, l. 12. 13. 28. Cod. Th. eodem, quod scilicet jam deferendi studium quasi artem exercere videatur. Unde apparet delatoris nomen in convicium transiisse, quemadmodum latronis. Convicium est & injuria aliquem delatorem appellare, l. 3. Cod. de injuriis. Denique l. Græca, 7. Cod. de delatoribus statuit eum qui tyrannos deferat, μηδὲ μηνυτὴν καλεῖσθαι, sed calumniatorem. Non tamen eo facto delatio abolita; translata ea in palatinos, qui obtentu officii posterioribus Rom. imperii temporibus impune grassati sunt, l. 7. Græca, & l. 2. Cod. eodem. Tacitus lib. 4. *Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum per præmia eliciebantur*. Delatores strangulantur Capitul. lib. 7. cap. 177. eis lingua capulatur; aut convictis caput amputatur, ibidem cap. 360. Male glossæ interlin. Thuan. delatorem hoc loco interpretantur *mendacem vel latratorem*, ἴσως *raporteur* apud nos. *Bignon*.

(6) *De via Lacina*.) De via clausa, infra eod. Tit. n. 3. supra Tit. XV. num. 4. Vide leg. Ribuar. Tit. 82. Vide Agrimensores pag. 125. & in glossa Rigaltii. *Bignon*.

(7) *Obstaverit*.) In Heroldina editione erat *ortaverit*. Poterit tamen hic & *obstare* consistere; *impedire* enim denotat. Si autem alicui aditum ad aliquid impedio, demo illi rem desideratam. Hinc Gallicum *oter* ab *obstare* formatum pro *demere*, *auferre*, in usum venit. *Eccard*.

(8) *Impinxerit*.) Vide glossar. Agrimensorum pag. 180. *Bignon*.

(9) *Clauserit*.) Hieremias thren. cap. 3. *Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit*. Bignon.

(10) *Sine causa ligaverit*.) Additur sine causa,

xxx. culpabilis judicetur.

II. Si vero eum ligatum in aliquam partem duxerit, IDCCC. den. qui faciunt solidos XLV. culp. jud.

III. Si Romanus (1) Francum ligaverit sine causa, IOC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

IV. Si autem Francus (2) Romanum ligaverit sine causa, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

V. Si quis hominem noxium ligatum per vim tulerit grafioni, vitam suam redimat.

### TITULUS XXXV.

*De venationibus.*

I. SI quis de diversis venationibus aliquid aut furaverit, aut celaverit (3), IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. judicetur. Quam legem tam de venationibus quam & de piscationibus convenit observare.

II. Si quis cervum domesticum (4) signum habentem (5) aut occiderit, aut furaverit, qui ad venationem faciendam mansuetus factus (6) est, & cum testibus comprobare dominus ejus potuerit, quod eum in venatione habuisset, & cum ipso duas aut tres feras occidisset, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

III. Si quis vero cervum domesticum, qui in venatione adhuc non fuit, aut occiderit, aut furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. jud.

IV. Si quis cervum, quem alterius canes (7) moverunt aut lassaverunt, occiderit & celaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

V. Si quis aprum lassum, quem alieni canes moverunt, occiderit, vel furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

### TITULUS XXXVI.

*De sepibus.*

I. SI quis tres virgas, cum quibus sepes superligata est, vel retortas (8), quibus sepes continetur, capulaverit, aut tres cambortas excervicaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

II. Si quis per alienam messem, postquam germina produxerit, herpicem traxerit (9), aut cum carro sine via transierit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

III. Si quis per messem alienam, postquam in culmum erigitur (10), sine via cum carro transierit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

IV. Si quis per malum ingenium in curtem alterius, vel in casam, vel ubicunque miserit aliquid, quod furatum est, nesciente domino, cujus possessio est (11), & ibidem

---

sa, id est, innocentem. Alioqui licebat unicuique furem aut alium quemlibet reum privata auctoritate comprehendere & ligare, ut postea a judice condemnaretur. Quod si vel ipse qui ligaverat vel alius eum solvisset, pœna legitima multabatur leg. Ribuar. tit. 73. Nam & privati tenebantur latrones insequi in sua vicinia. Decretum Childeberti cap. 12. & 13. decretum Chlotarii c. 16. Locus Taciti de alea notatus a F. Pithœo nil ad rem. *Bignon.*

(1) *Romanus.*) In præfat. leg. Burgund. in præfatione edicti Theodorici: *Barbari Romanique*. Vide Notas ad Marculfum lib. 1. cap. 40. *Bignon.*

(2) *Si autem Francus.*) Observa minorem pœnam in Franco, ut supra cap. 15. Aliud in leg. Ribuaria, ubi majore mulcta Ribuarius quam Romanus damnatur. Sic in decreto Childeberti n. 7. *Bignon.*

(3) *Aut celaverit.*) Ergo aut de regia venatione generali, vere aut autumno, ut in annalibus vetustis, (quod vix credo) aut de quadam venatione quam in communi Franci faciebant, quemadmodum de quibusdam populis Aristoteles narrat, & Itineraria recentia. *Bignonius.*

(4) *Cervum domesticum.*) Institut. lib. 2. Tit. I. *Bignon.*

(5) *Signum habentem.*) Id est, nolam. Ita enim campanæ Ecclesiarum vocabantur. *Bignonius.*

(6) *Ad venationem faciendam mansuetus factus.*) Fortasse ut quemadmodum aucupes illice utuntur, ita & cervis cicuribus Franci venando uterentur, quo ceteros attrahere possent. Nam memini me uspiam legisse ejusmodi venationis modum. De anatibus qui alios inducunt in decipulas in Pictonibus docuit Belius. *Bignonius.*

(7) *Cervum quem alterius canes.*) Contra Justinianus Institut. lib. 2. Tit. I. §. *Illud quæsitum*. Bignon.

(8) *Vel retortas.*) Leg. Ribuar. Tit. 43. & 72. n. 1. 3. Constitution. Neapolitanæ: *Tortam vel virgam de nemore incidere*, lib. 3. tit. 38. cap. 4. Italis *ritorta*. Proverbium vulgare, *la reborte vaut mieux que le fagot*, cum appendix rem ipsam excedit. Docuit Belius. *Bignon.*

(9) *Herpicem traxerit.*) Varro lib. 4. *Irpices regula cum pluribus dentibus, quam item ut plaustrum boves trahunt, ut eruant quæ in terra sunt*, videlicet ad occandum. Id notaverat Jac. Cujacius. Nobis *herce*, quasi *herpce*; ἅρπαξ, κος. Euripides Cyclope. *Bignon.*

(10) *Postquam in culmum erigitur.*) Vide Ciceron. de senectute. *Bignon.*

(11) *Possessio est.*) Agrimensores pag. 299. *Possessiones sunt agri late patentes, publici privatique, quos initio non mancipatione, sed quisque ut potuit occupavit, unde & nuncupati. Fundus dictus quod in eo fundatur vel stabiliatur patrimonium.* Confer Siculum Flaccum pag. 4. Impp. Arcadius & Honorius in l. 11. Cod. de Episc. & Cleric. *In Ecclesiis, quæ in possessionibus, ut fieri adsolet, diversorum, vicis etiam, vel quibuslibet locis sunt constitutæ, Clerici non ex alia possessione vel vico, sed ex eo ubi Ecclesiam esse constiterit ordinentur*, & reliqua, quæ vide. Jornandes de rebus Getic. p. 2. *Taprobane quoque in qua exceptis oppidis & possessionibus dicunt munitissimas urbes &c.* Inde possessores in Cod. Th. & apud Cassiodorum, *Honoratis possessoribus & curialibus*, ad differentiam inquilinorum & colonorum, cujusmodi erat fere plebecula. Originem inde ducere libet quod major pars agrorum fuerit publicata, cum devicta fuit a populo Rom. quæcunque provincia. Itaque agri publici, proprie-

dem inventum fuerit, ille qui per malum ingenium hoc miserit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. culpabilis judicetur.

### TITULUS XXXVII.

*De homicidiis servorum & ancillarum.*

I. SI quis servus servum aut ancillam sibi consimilem occiderit, homicidam illum domini inter se dividant.

II. Si quis ingenuus servum alienum adsallierit, & expoliaverit, & convictus fuerit, quod ei plus, quam XL. denar. valent, tulisset, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. judicetur.

III. Si vero minus quam XL. den. valent tulerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

IV. Si quis servum alienum flagellaverit, & in XL. noctibus operare non potuerit, XL. denar. qui faciunt sol. I. & trianti uno [α] quod est tertia pars solidi, culpabilis judicetur.

V. Si quis homo ingenuus lidum alienum expoliaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis jud.

VI. Si quis servum alienum mortuum per furtum expoliaverit, & spolia ipsa plusquam XL. denar. valeant, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. jud.

VII. Si autem spolia minus quam XL. den. valeant, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

VIII. Si servus ingenuum hominem occiderit, ipse homicida pro medietate compositionis (1) hominis occisi parentibus tradatur; & aliam medietatem dominus servi se noverit soluturum, aut si legem intellexerit (2), potuerit se obmallare, ut leudem non solvat.

### TITULUS XXXVIII.

*De Quadrupedibus si hominem occiderint.*

I. SI quis homo a qualibet pecude domestica fuerit occisus, & hoc parentes illius testibus potuerint comprobare, quod dominus pecudis antea legem non adimpleverit, medietatem compositionis dominus ipsius quadrupedis cogatur exsolvere: ipsum vero quadrupedem, qui est auctor criminis, pro medietate compositionis restituat requirenti, eo videlicet modo, si dominus quadrupedis non intellexerit secundum legem (3) se defendere.

### TITULUS XXXIX.

*De vestigio minando (4).*

I. SI quis bovem aut caballum, vel quodlibet animal sibi furatum perdiderit, & eum per vestigium sequendo (5) fuerit consecutus infra tres noctes, & ille qui eum ducit, se comparasse aut cambiasse dixerit, vel proclamaverit, ille qui per vestigium sequitur res suas, debet per tertiam manum adhramire (6). Si vero jam tribus noctibus exactis, qui res suas quæsiverit, & invenerit, ille apud quem inveniuntur, si eas emisse aut cambiasse se dixerit, liceat ei adhramire. Quod si ille qui per vestigium sequitur, quod se agnoscere dicit, illo alio reclamante, per tertiam manum adhramire noluerit (7), nec solem (8) secundum legem culcaverit [β], sed ei violenter quod se agnoscere dicit, tulisse convincitur, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

TI-

[α] Al. *Triente.* [β] Al. *Collocaverit.*

prietas reipublicæ; possessio, privatorum. Id aliquatenus colligo ex Ciceronis Agraria 2. *Qui agrum Recentoricum possident, vetustate possessionis se, non jure, misericordia Senatus, non agri conditione defendunt. Nam illum agrum publicum esse fatentur; sed moveri possessionibus, amicissimis sedibus negant oportere.* Unde adsignatio agrorum quæ militibus fiebat, ejusmodi agris fiebat, ne quis putet proprietarios pulsos. Suetonius lib. 1. cap. 38. *Adsignavit agros, sed non continuos, ne quis possessorum expelleretur.* Jurisconsulti de agro militibus adsignato: *Modico honoris gratia possessori dato.* Sed discutiendum amplius, nam aqua adhuc hæret. Vide Tit. 43. num. 7. Symmachi notas p. 288. *Bignon.*

(1) *Medietate compositionis.*) Vide Tit. 65. num. 1. & 2. *Bignon.*

(2) *Legem intellexerit.*) Tit. 38. prox. in fine. *Bignon.*

(3) *Non intellexerit secundum legem.*) Supra Tit. prox. in fine. *Bignon.*

(4) *De vestigio minando.*) Vide Gregor. Turonens. de gloria confess. cap. 81. Decretionem Chlotarii n. 2. 16. *Bignon.*

(5) *Vestigium sequendo.*) Livius lib. 1. de Hercule & Caco: *Ipsa vestigia quærentem dominum eo deductura erant, aversos boves eximium quemque &c.* Jamblichus apud Photium num. 94. persecutionem Rhodanes & Synonidis a Dama Eunucho factam memorat; & pag. 239. ἐδίωκεν κατ' ἴχνη Ῥοδάνην καὶ Συνωνίδα, συνιέντες αὐτοὺς εἰκάζοντες εἶναι τοῦ λῃστοῦ. Inde investigare & ἐξιχνεύειν. *Bignon.*

(6) *Adhramire.*) Vide notas ad veteres formulas (sive Appendicem Marculfi) cap. 1. *Adhramire* ab affirmare, ut putat Belius, infra tit. 49. Vide Glossarium Pithœi ad Capitularia, ubi adferuntur versus. Sed fallitur Pithœus, dum jurare exponit, quod ipsi versus ab illo adducti evincunt. *Molt les oyssez arramir, serement faire & foy plevir.* Ubi diversa videntur adhramitio & sacramentum. Forte illud quod vernacule dicimus *arrer*, ab arra data. Instrumentum Tetbaldi apud Pithœum ad hunc locum. *Bignon.*

(7) Edit. Lindenbrog. *non offerre per tertiam manum voluerit.* Eccard.

(8) *Solem culcaverit.*) Infra Tit. 42. n. 9. & 52. n. 2. *adjurnatus*, Capitul. lib. 5. cap. 303. *De hominibus ecclesiasticis seu fiscalibus qui non erant adjurnati quando in Cenomanico pago fuimus.* Anglo-Saxonice *Andagar*. Bignon

### Titulus XL.

*De caballis furatis.*

I. SI quis caballum qui carrucam [α] trahit, furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

II. Si quis Waranionem homini Franco furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

III. Si quis caballum spadatum (1) furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. jud. exc. cap. & dil.

IV. Si quis Waranionem Regis furaverit, IIIDC. den. qui faciunt sol. XC. culp. jud. exc. cap. & dil.

V. Si quis admissarium cum grege, hoc est cum VII. aut XII. equabus furaverit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud. exc. cap. & dil.

VI. Si autem de grege minus fuerit usque VI. capita & pretium & causam superius intimatam convenit observare.

VII. Si quis poledrum [β] (2) anniculum vel bimum furaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud. exc. cap. & dil.

VIII. Si vero sequentem poledrum furaverit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud. exc. cap. & dil.

IX. Si quis jumenta aliena tribatterit [γ], & evaserint, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

X. Si autem mortua inde fuerint, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

XI. Si quis prægnantem equam furaverit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

XII. Si quis jumentum aut caballum furaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud. exc. cap. & dil.

XIII. Si quis admissarium (3) alienum [δ] sine consensu domini sui spadaverit (4), DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. judicetur. Et per unumquodque jumentum, quæ ille continere consueverat, triaen [ε] (5) componat (6), quod est tertia pars solidi, id est XIII. denarii & tertia pars unius denarii.

XIV. Si quis per superbiam aut inimicitiam caballos aut jumenta aliena tribatterit, vel debilitaverit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

XV. Si quis caballum alienum sine consensu domini sui excurtaverit [ζ] (7), CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

XVI. Si quis caballum alienum excorticaverit [η], CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

### Titulus XLI.

*De his qui aliena mancipia sollicitaverint.*

I. SI quis mancipium alienum sollicitaverit & convictus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

II. Si quis servum alienum plagiaverit, id est per circumventionem de servitio domini sui abstraxerit, & trans mare sive in quamlibet regionem ipsum duxerit, & ibidem a domino suo inventus fuerit, & ipsum a quo in patria plagiatus est, in mallo publico nominaverit, & tres ibidem testes domi-

α Al. *Carrugam*. Al. *carruam*. β Al. *Tuledrum*. Al. *poletrum*. Al. *pulletrum*. γ Al. *Trabatterit*, Al. *trebatterit, debilitaverit aut percusserit*. δ Al. *Admissarium caballum*. ε Al. *Triante uno*, Al. *triente uno*. ζ Al. *Scurtaverit*. η Al. *Excortaverit*.

(1) *Spadatum.*) Id est, spadonem factum, seu castratum, infra n. 13. Horum equorum Germanicis gentibus frequens usus, quod sint laboris & æstus patientissimi, maxime vero in bellis. Ammianus Marcellin. lib. 17. de Quadis & Sarmatis in ea Sarmatiæ parte quæ secundam prospectat Hannoniam: *Equorum plurimi ex usu castrati; ne aut feminarum visu exagitati raptentur, aut in subsidiis ferocientes, prodant hinnitu densiore vectores*. Equi ita mutili hodie ex Sarmatia & Ungaria in Gallias adducuntur multi, unde communi nomine originis ejusmodi *Ungres* vocamus. *Bignon.*

(2) *Poledrum.*) Pullum equinum, alias *puledrum*; quæ vox integra Italis usurpatur, *Pulledro*. *Poutre* Ronsardo & Amioto de femina, *Poudreau* de masculo. *Bignon.*

(3) *Admissarium.*) Leg. Alaman. tit. 69. Varro de re rust. lib. 2. cap. 2. *Bignon.*

(4) *Spadaverit.*) Id est, spadonem fecerit. Jac. Cujacius. Spadones autem a Spada Persiæ urbe, in qua primi eunuchi facti, si Stephano fides: Σπάδα οὐδετέρως, κώμη Περσικὴ ἐν ᾗ πρώτῃ εὐνουχισμὸς γέγονεν. Concilium apud Theodonis villam: *Si quis Presbyterum calumniatus fuerit & spadaverit*. Alio capite; *Si quis Presbyterum male tractaverit & spadaverit*. Anton. Augustinus emendat. Gratiani lib. 2. dialog. 11. legendum censet *spathaverit*. Male vulgo *spassaverit*. Bignon.

(5) *Triaen.*) Vetustior Codex Guelferbytanus eandem lectionem habet: tertius vero Codex ejus loci præfert: *triente uno*. Solidus supra in editionis Heroldi Tit. II. leg. 5. vocatus est *ymnis*, eins sive unitas. *Aen* hoc loco idem notat, *unum* nempe seu *solidum*. Antecedens *tri* erit itaque *tertia*, sc. pars, atque ita *triaen* conjuncte Latinum *triens* exprimet. *Eccard.*

(6) *Triaen componat.*) Sic vetus codex Thuani. Legendum *triente*: nisi legas triene. De triente vide Gregor. Turonens. de gloria confessor. cap. 109. & alibi. Vett. Formul. Lindenbrogii 143. *Bignon.*

(7) *Excurtaverit.*) *Curtare* est *caudam caballi abscindere*. In Legibus Wisigoth. lib. VIII. Tit. 4. §. 3. legitur *comam alieni caballi turpare aut caudam curtare*. Lex Burgund. Tit. LXXIII. leg. 3. *curtati caballi* meminit, hoc est, *cauda privati*. In hanc vero legem nostram quadrat & illud *decotaverit*, quod in quibusdam Mss. pro *excorticaverit* perperam scriptum inveneram. Monasticum Anglicanum Tom. I. p. 818. *Si ipse aliquos inveniret equites, in instanti equos decaudaret; si vero pedites, personas male tractaret*. Galli equum cauda carentem adhuc *courtaud* quasi *curtaldum* vocant. *Eccard.*

minus habere debet, & iterum, cum servus ipse citra mare vel de qualibet regione fuerit revocatus, in altero mallo debet nominare, qui eum plagiaverit, & ibidem similiter tres testes debent adesse. Ad tertium vero mallum similiter fieri debet, ut novem testes jurent, quod servum ipsum æqualiter semper super plagiatorem dicere audiisse it. Sic postea qui eum plagiaverit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis judicetur, excepto capitali & dilatura. Ea tamen ratione, ut nomina hominum & villarum æqualiter per totos tres mallos debeat nominare.

III. Si quis hominem ingenuum plagiaverit, vel vendiderit, & postea in patriam reversus fuerit, IIII. den. qui faciunt sol. C. culp. j d.

IV. Si quis hominem ingenuum vendiderit & postea in patriam ad propria reversus non fuerit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud.

## TITULUS XLII.

### *De servo qui de furto fuerit interpellatus.*

I. SI cujus servus de furto fuerit interpellatus, si talis causa est, unde ingenuus DC. den. qui faciunt sol. XV. componere debeat, servus super scamnum tensus CXX. ictus accipiat.

II. Si vero antequam torqueatur, fuerit confessus, & domino ejus ita placuerit, CXX. den. qui faciunt sol. III. pro dorso suo reddat, & capitale dominus servi in locum restituat.

III. Si autem talis culpa fuerit, de qua ingenuus ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. componere debeat, similiter servus CXX. ictus accipiat tensus.

IV. Et si in ipso supplicio (1) fuerit confessus, aut castretur (2), aut CCXI. den. qui faciunt sol. VI. solvat. Dominus vero servi capitale in locum restituat requirenti.

V. Et si servus confessus non fuerit, & ille, qui eum torquet, adhuc ipsum servum torquere voluerit, etiam nolenti domino servi pignus donare debet, & ipsum servum ad majora supplicia retinere. Et si postea servus ad majora supplicia traditus confessus non fuerit, qui eum torquebat, ipsum habeat; dominus vero servi, de quo jam pignus acceperat, pretium pro ipso servo suo suscipiat.

VI. Si vero supra dominum servus confessus fuerit, nunquam credatur.

VII. Si vero majori crimine servus inculpatus fuerit, de quo ingenuus IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. posset culpabilis judicari, & inter supplicia confessus fuerit, capitali sententia feriatur.

VIII. Si autem servus de quolibet crimine inculpatus fuerit, & dominus servi ipsius præsens adfuerit, ab eo, qui repetit, admoneatur, ut servum suum ad justa supplicia dare non differat. Et qui repetit, virgas paratas habere (3) debet, quæ in similitudinem minimi digiti grossitudinem (4) habeant, & scamnum paratum (5) habere debet, ubi servum ipsum tendere possit.

IX. Quod si dominus servi supplicia distule-

---

(1) *Et si in ipso supplicio.*) Supplicium pro tormento, ut infra n. 5. 8. Anianus in Caji epitome apud Aleandrum pag. 9. b. *Bignon.*

(2) *Castretur.*) Vide Sigonium de regno Italiæ lib. 6. ad annum 933. pag. 159. Castratur autem servus in adulterio supra Tit. 27. num. 4. *Bignon.*

(3) *Virgas paratas habere.*) Fustuarium supplicium Senatori lib. 4. epist. 10. Nam in leg. Burgund. Tit. 6. num. 11. *acceptis* CCC. *fustibus damnetur*. Ita leges illæ interpretantur quod aliæ frequentius dicunt CCC. *aut* CXX. *ictibus*. Vide pactum pro tenore pacis Dom. Childeberti & Chlotarii R. art. 6. Tit. 13. num. 1. Gregor. Turonens. lib. 1. cap. 41. *Monachos ad malitiam cogi jubet, nolentes fustibus præcipit verberari*, cap. 34. *tamdiu fustibus cæditur quoadusque putaretur exanimis*. Vide Victorem Utic. pag. 7. 14. 21. 31. 36. Sed ibi de flagellis; quæ sunt diversa. Vide l. 1. Cod. de cursu publico lib. 12. & discute. *Bignon.*

(4 *Minimi digiti grossitudinem.*) Caroli Calvi adnuntiatio apud Pistas an. DCCCLXIV. cap. 15. *Si vero servi ecclesiastici, aut Comitum, aut vassallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, quia in præfato Capitulari continetur ut sexaginta ictibus vapulent, & hac occasione indiscreti homines modum in disciplina non faciebant, constituimus fidelium nostrorum consensu atque consilio ut quorumcunque coloni & servi pro hoc convicti non cum grossa fuste, sed nudi cum virgis vapulent; & in civitatibus atque vicis seu villis Episcopi per suos ministros vel Presbyteros providentiam hanc cum reip. ministris accipiant, nec in hac causa modus disciplinæ transgrediatur*. Bignon.

(5) *Et scamnum paratum.*) Tormenti & quæstionis genus Turcis etiam nunc in usu; quod cum homines tendat, equuleum possumus appellare. Nam & medici unum ex instrumentis, quibus utuntur ad ossa componenda, scamnum vocant. Celsus lib. 8. cap. 20. de femore luxato: *Etiamnum valentius intenditur membrum super scamnum, cui ab utraque parte axes sunt, ad quos habenæ illæ diligantur; qui ut in torcularibus conversi rumpere quoque, si quis perseveraverit, non solum extendere nervos & musculos possunt*. Hippocrates docuerat περὶ ἄρθρων. Tensionem ad Trocleas vocat Gregor. Turonens. lib. 5. cap. 49. quem vide lib. 6. cap. 8. & 35. lib. 7. cap. 32. Vide Magium de tintinnabulis, & Gallonium. Abdias supposititius lib. 9. pag. 110. b. *Rex iratus jussit eum extensum torqueri & cæsum recludi carcere*. Martyrolog. Notkeri IV id. Martii pag. 792. *Apud Nicomediam B. Petri martyris jubente Diocletiano, eo quod de suppliciis martyribus irrogatis (nam unus erat ex sodalibus Dorothei & Gorgonii martyrum, qui in cubiculo Regis erant) liberius causaretur, in equuleo suspensus, & flagris toto laniatus corpore, aceto & sale perfunditur*. Idem idib. Martii de S. Matrona, quæ ancilla erat: *in scamno extenta atque ligata*. Gregor. Turonens. lib. 5. cap. 28. *ad stipitem extendi*. Ammian. Marcellin. lib. 14. *Eusebius vero objecta fidentius negans, suspensus in eodem gradu constantiæ stetit*. Vide notas Lindenbrogii pag. 22. *Bignon.*

ſtulerit & ſervus præſens fuerit, continuo ipſe qui repetit, domino ſervi ſolem collocet, & ad ſeptem noctes placitum concedat, ut ſervum ad ſupplicia tradat.

X. Si infra ſeptem noctes ſervum ad ſupplicia diſtulerit tradere, ſolem ei iterato is, qui repetit, collocet, & ſic iterum ad alias ſeptem noctes placitum tribuat, id eſt, ut XIV. noctes a prima admonitione compleantur.

XI. Quod ſi impletis XIV. noctibus ſervum noluerit ad ſupplicia dare, omnem cauſam & compoſitionem dominus in ſe excipiat; hoc eſt, ut ſi talis cauſa fuerit, de qua ingenuus DC. den. qui faciunt ſol. XV. componere debeat, tantum ipſe dominus ſervi reddat.

XII. Si vero major culpa fuerit, de qua ingenuus IDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. componere debeat, & dominus ſervum non præſentaverit, ipſum numerum ſolidorum reddat & capitale in locum reſtituat.

XIII. Quod ſi adhuc major culpa fuerit, quæ ſervo requiritur, dominus ſervi non ut ſervus, ſed ut ingenuus totam legem ſuper ſe ſolviturus accipiat.

XIV. Si autem ſervus abſens fuerit, dominum ſervi, is qui repetit, ſecretius admonere debet, ut ſervum ſuum infra ſeptem noctes (1) præſentem faciat; quod ſi non fecerit, tunc repetens ſolem illi cum teſtibus collocet; & ſi infra alias ſeptem noctes ipſum ſervum non præſentaverit, iterum repetens cum teſtibus ſolem ei collocet, & tertia vice adhuc ſeptem noctes placitum illi concedat, id eſt, ut totus numerus ad viginti & unam noctem perveniat. Quod ſi poſt tria placita ſervum noluerit ligatum ad ſupplicia dare, & per ſingula placita ſolem ei collocaverit, tunc dominus ſervi omnem repetitionem, ſicut ſuperius diximus, non ut ſervus, ſed quaſi ingenuus hoc commiſiſſet, talem compoſitionem repetenti reſtituat.

XV. Si vero ancilla in tali crimine inculpatur, de quo ſervus caſtrari debuerat, CCXL. den. qui faciunt ſol. VI. pro ipſa dominus reddat, aut CCXL. ictus accipiat flagellorum.

## Titulus XLIII.

### *De Homicidiis ingenuorum.*

I. SI quis ingenuus Francum, aut hominem barbarum (2) occiderit, qui lege Salica vivit, VIIIM. den. qui faciunt ſol. CC. culp. jud.

II. Si vero eum in puteum aut ſub aquam miſerit, XXIV. den. qui faciunt ſol. DC. (3) culp. jud.

III. Si autem de ramis, vel de hallis, aut de qualibet re eum cooperuerit aut incenderit, XXIV. den. qui faciunt ſolid. DC. culp. jud.

IV. Si quis eum occiderit, qui in truſte dominica (4) eſt, XXIV. denar. qui faciunt ſol. DC. culp. jud.

V. Si vero in puteum aut ſub aquam miſerit, aut de hallis vel de ramis eum cooperuerit, aut incenderit, LXXII. den. qui faciunt ſol. IDCCC. culp. jud.

VI. Si quis Romanum hominem, convivam regis (5), occiderit, XII. den. qui faciunt ſol. CCC. culp. jud.

VII. Si Romanus homo poſſeſſor (6), id eſt, qui res in pago, ubi commanet, proprias poſſidet, occiſus fuerit, is qui eum occidiſſe convincitur IV. den. qui faciunt ſol. C. culp. jud.

VIII. Si quis Romanum tributarium occiderit, IDCCC. denar. qui faciunt ſol. XLV. culp. jud.

IX. Si quis hominem invenerit in quadrivio ſine manibus & ſine pedibus, quem inimici ſui detruncatum dimiſerint, & eum vita privaverit, ſeu perceciderit (7), IV. den. qui faciunt ſol. C. culp. jud.

X. Si

(1) *Noctes.*) Vide notas ad Marculfum (ſive ad Appendicem Marculfi) cap. 2. Id quia nox die prior. An vero quia non a die oriundi, ut Cæſar; ſed a ſeptentrione, ubi hyems fere continua & longæ noctes, ut ab ea diei parte denominarent ex qua plurimum apud eos conſtabat. Etſi in compenſationem longiores dies ijdem illi habuerint. Inde Cimmeriorum fabulam fluxiſſe reor, & quod N. Paulus etiam fabulatur de tenebrarum regione. Quamquam, niſi fallat memoria, illi Haythonus Armenius concinat, plenius diſcutiendum. In legibus Canuti R. cap. 10. *Poſt duodecim hyemes*. Anglo-Saxones numeraſſe annos per hyemes palam eſt, ex quibus annus illis conſtabat. Bajuvarii per autumnos numerabant, l. Bajuvar. Tit. 7. cap. 19. num. 4. Adde Juvenalem ſatyr. 6. *Quinque per autumnos*. Servius ad eclogam 1. *Poſt aliquot ariſtas: quaſi ruſticus per ariſtas numeret annos. Aux baux; neuf annees & neuf cueillettes*. Bignon.

(2) *Barbarum.*) Gregorius Turonenſ. lib. 3. cap. 15. *Bignon.*

(3) *Sol. DC.*) Marculfus lib. 1. cap. 18. cum Notis. Paulus Warnefr. lib. 3. cap. 31. *Data eſt redemptio pro capite uniuſcujuſque vivi ſolidi ſexcenti*. Bignon.

(4) *In truſte dominica.*) *Amſtrutio* in cod. reg. Marculfus lib. 1. cap. 18. cum Notis, ubi *truſtem, id eſt fidem*. Decretio Chlotarii R. cap. 3. *Bignon.*

(5) *Convivam regis,*) Suetonius in Veſpaſiano cap. 2. Martialis lib. 9. epig. 93. Marcellinus lib. 15. Senator lib. 1. cap. 43. Lex Burgund. Tit. 38. n. 2. Claudianus in Eutropium lib. 2.

*Claro quod nobilis ortu*
*Conviva eſt domini.*

Jornandes de rebus Geticis cap. 33. de Berimundo: *Susceptus eſt cum filio ſuo a Rege Theoderico honorifice nimis, adeo ut nec conſilio ſuo expertem nec convivio faceret alienum*. Gallice *commenſal*. Vetus cod. Jac. Aug. Thuani habet, *in convivium*. Bignon.

(6) *Poſſeſſor.*) Vide ſupra ad Tit. 36. num. 4. & Gregor. Turonenſ. lib. 5. c. 28. *Bignon.*

(7) *Perceciderit.*) *Percædere* hic idem eſt ae *transjicere, transfigere, transverberare*. Galli

X. Si quis hominem ingenuum in puteum aut in pelagus, aut in quodlibet præcipitium, ubi periculum mortis esse possit, impinxerit, & ille qui projectus est, quolibet modo ab eodem periculo vivus evaserit, ille qui eum impinxerit, IV. den. qui faciunt sol. C. culp. jud.

XI. Si autem, qui præcipitatus est, mortuus fuerit, tota leude sua componatur. Atque ita unaquæque persona, quæ majori minorive compositione componi debuerat, si de præcipitio periculum mortis evaserit, medietate leudis suæ componatur, qua componi debuerat, si mortuus fuisset. Nam etsi mortuus fuerit, unusquisque secundum modum leudis suæ componatur.

XII. Si quis hominem ingenuum cuilibet socio suo de quolibet crimine accusaverit, & per ejus commotionem sive mendacium, ille qui accusatus est, occisus fuerit, si ei adprobatum fuerit, medietatem leudis ejus componat. Ille vero, qui eum occidit, secundum legem pleniter eum componat.

## Titulus XLIV.

*De Homicidiis a contubernio factis.*

I. Si quis collecto contubernio (1) hominem ingenuum in domo sua adsallierit, & ibidem eum occiderit, XXIV. den. qui faciunt sol. DC. culp. jud.

II. Si vero in truste dominica ille, qui occisus est, fuerat, LXXII. den. qui faciunt sol. IDCCC. culpabilis jud.

III. Quod si corpus occisi hominis tres plagas vel amplius habuerit, tres qui inculpantur, &, quod in eo contubernio fuissent, convincuntur, legem superius comprehensam singulatim cogantur exolvere. Alii vero tres de eodem contubernio IIIDC. den. qui faciunt sol. XC. unusquisque illorum culp. jud. Et tres adhuc in tertio loco de eodem contubernio IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. singuli eorum cogantur exolvere.

IV. Si vero Romanus vel lidus in tali contubernio occisus fuerit, hujus compositionis medietas solvatur (2).

## Titulus XLV.

*De Homicidiis in conviviis factis.*

I. Si in convivio ubi quatuor aut quinque fuerint homines, unus ex ipsis interfectus fuerit, illi qui remanent, aut unum convictum reddant, aut omnes mortis illius compositionem conjectent (3): quæ lex usque ad septem, qui fuerint in convivio illo, convenit observari.

II. Si vero in illo convivio [a] plus quam septem (4) fuerint, non omnes teneantur obnoxii, sed quibus fuerit imputatum, illi secundum legem componant.

III. Si quis foris casa, sive iter agens, seu in agro positus, a contubernio fuerit oc-

[a] Al. *In ipso contubernio.*

---

li eodem sensu *percer* habent, quod lubentius ego a *percædere*, quam ab Italico *pertugiare*, a *pertujus* formato, derivaverim. *Eccard.*

(1) *Contubernio.*) Sidonius lib. 3. epist. 9. *Inter armatos tumultuosos, virtute, numero, contubernio contumaces.* Ita emendavi. Marculfus lib. 2. cap. 16. Contubernium autem hic non est auxilium, ut male Lindenbrogius, sed cœtus est, manus, quo per turbam vis fieret; quod nomen inde deductum esse opinor, quod contubernium extrema & minima centuriæ particula erat quæ ducem haberet, cui præerat decanus, sive caput contubernii. Vegetius lib. 2. cap. 8. & 13. apud Cæsarem & Suetonium passim. At si quis decem virorum cœtum coegisset, turba erat, & de vi tenebatur, l. 4. §. 2. D. vi bonorum raptor. Unde & ibi Bartolus ex decem populum constare existimavit. Et si diligentius hoc caput legis Salicæ discutias num. 3. novem in contubernio ordine terno adsignari invenies. Porro qui convocata seditione villas expugnaverint, lege Julia de vi publica tenebantur; & qui hominem obsederit, incluserit concursu & turba, l. 3. §. 2. l. 5. D. ad leg. Jul. de vi publica. *Bignon.*

(2) *Medietas solvatur.*) Medietas tantum compositionis, & pœna minor in Romano aut liberto occiso a Francis. *Bignonius.*

(3) *Conjectent.*) Melius hoc est, quam quod supra in editione Heroldina habetur, *collectent.* *Conjectare* enim est *in unum conferre, contribuere*, συμβάλλειν. Unde συμβολὴ, *conjectio*, sive *quicquid aliquis in commune confert & quasi projicit.* Symbolum hinc Apostolicum a Notkero in Monumentis Catecheticis a nobis editis cap. III. pag. 80. *geuuerf* dicitur. Verba Notkeri sunt: *Daz Græci chedent* Symbolum, *Latini collationem. daz chedén uuir geuuerf; uuanda iz Apostoli gesamenoton, unde zesammine geuuurfen, daz iz zichen si christianæ fidei.* Capitulare anni 807. cap. 2. *Et unicuique ex ipsis qui in hoste pergunt, fiant conjectati solidi quinque a supra scriptis pauperioribus.* Hinc *conjectus* est contributio, collecta, quod quisque in unum confert ad exsolvendam certam pecuniæ summam, maxime quod olim regiis missis a populo in itinere exsolvebatur. Nos *schos*, Sax. *scot* vocamus. Vid. Cangius pluribus in Vocibus *Conjectare* & *Conjectus*. Eccard.

(4) *Plus quam septem.*) Æquitas summa. Turba enim potius esse videtur quam convivium. Inhumanum autem fuisset ab uno in turba commissum ceteros luere. Ausonius in ephemer.

*Sex enim convivium*
*Cum Rege justum; si super, convicium est.*

Regem convivii intelligit, ut sint numero septem. Convicium περιβόησις, vociferatio multorum incondite clamantium. Capitolinus in Vero: *Septem convivium, novem vero convicium.* Varro apud Gellium lib. 13. cap. 11. *Plures esse non convenit, quod turba est turbulenta.* Archestratus Syracusius vetus Poeta in γαστρονομίᾳ apud Athenæum lib. 1. pag. 3. non amplius quam quinque convivas admittit:

Πρὸς δὲ μιᾷ πάντας δειπνεῖν ἁβροδαίτῳ τραπέζῃ·
Ἔστωσαν δ' ἢ τρεῖς, ἢ τέσσαρες οἱ ξυνάπαντες,
Ἢ τῶν πέντε γε μὴ πλείους, ἤδη γὰρ ἂν εἴη
Μισθοφόρων ἁρπαξιβίων σκηνὴ στρατιωτῶν.

Apte itaque alludit Archestratus ad tentorium, sub quo unum decem hominum contubernium. Vide Vegetium. Quamquam in Platonis Symposio viginti fuerint convivæ. *Bignon.*

occisus; & tres vel amplius habuerit plagas, tres de eodem contubernio, qui convicti fuerint, singillatim mortis illius compositionem componant, & tres alii de ipso contubernio ICC. denar. qui faciunt sol. XXX. unusquisque illorum culpabilis judicetur. Et tres adhuc alii de ipso contubernio, DC. den. qui faciunt sol. XV. singuli eorum culp. jud.

## TITULUS XLVI.

*De reippus.*

I. SI quis homo moriens viduam dimiserit, & eam quis in conjugium voluerit accipere, antequam eam accipiat, Tunginus aut Centenarius Mallum indicent, & in ipso Mallo scutum habere debent, & tres homines (1) causas tres demandare; & tunc ille, qui viduam accipere vult, cum tribus testibus, qui adprobare debent, tres solidos æque pensantes & denarium habere debet α, & hoc facto, si eis convenit, viduam accipiat.

II. Si vero ista non fecerit, & sic eam acceperit, illi, cui reippus debetur, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. jud.

III. Si autem quæ superius diximus omnia secundum legem impleverit, & tres sol. & denarium ille, cui reippus debetur, acceperit, tunc eam legitime accipiat.

IV. Hoc discernendum videtur, cui reippus debeatur.

V. Si nepos fuerit sororis filius senior, ille reippum accipiat.

VI. Si vero nepos non fuerit, neptis filius senior ille accipiat.

VII. Quod si neptis filius non fuerit, consobrinæ filius, qui ex materno genere venit, ipse accipiat.

VIII. Si autem nec consobrinæ filius fuerit, tunc avunculus frater matris reippum accipiat.

IX. Si vero avunculus non fuerit, tunc frater illius, qui ipsam mulierem ante habuerat, si in hæreditatem defuncti fratris, id est, mariti mulieris illius venturus non est, ipse reippum accipiat.

X. Quod si nec ipse fuerit, tunc qui proximior fuerit post superius nominatos, qui singillatim secundum parentillam (2) dicti sunt, usque ad sextum genuculum, si in hæreditatem illius mariti defuncti non accedat, ipse reippum accipiat.

XI. Si autem nullus nisi post sextum genuculum proximus fuerit, in fiscum ipse reippus vel causa, quæ inde orta fuerit (3), colligatur.

## TITULUS XLVII.

*De eo qui villam alienam occupaverit, vel si duodecim mensibus eam tenuerit.*

I. SI quis super alterum in villam migrare voluerit, & aliqui de his, qui in villa consistunt, eum suscipere voluerint, & vel unus ex ipsis extiterit, qui contradicat, migrandi licentiam ibidem non habeat.

II. Si vero contra interdictum unius vel duorum in ipsa villa consedere præsumserit, tunc interdictor testari debet illi cum testibus, ut infra decem noctes inde exeat, & si noluerit, iterum ad ipsum cum testibus veniat, & testetur illi, ut infra alias decem noctes secedat. Quod si noluerit, iterum tertio placito, ut infra decem noctes exeat, denunciet. Si vero XXX. noctes impletæ fuerint, & nec nunc voluerit exire, statim illum manniat ad mallum, & testes suos, qui ad ipsa placita fuerunt, secum præstos habeat β. Si autem ipse, cui testatum est, venire noluerit, & eum aliqua sunnis non detinuerit, & secundum legem supra dictam testatus fuerit, tunc ipse, qui ei testatus est, super fortuna sua ponat, & grafionem roget, ut accedat ad locum, & ipsum inde expellat, & si ibi aliquid elaboravit, quia legem noluit audire, amittat, & insuper ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

III. Si vero quis alium in villam alienam migrare rogaverit antequam conventum fuerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culpabilis jud.

IV. Si autem quis migraverit in villam alienam, & ei aliquid infra XII. menses secundum legem contestatum non fuerit, securus ibidem consistat, sicut & alii vicini.

## TITULUS XLVIII.

*De Affatomie (4).*

I. HOc convenit observare, ut Tunginus vel Centenarius Mallum indicent,



α Al. addunt: *Et tres erunt, qui solidos pensare vel probare debent.* β Al. *Præstus.*

(1) *Tres homines.*) Infra Tit. LVI. num. 4. *Bignon.*

(2) *Parentillam.*) Vide infra Tit. LXIII. ubi nota ex Jornande. Fortunatus pag. 99.
*Juncta parentali culmine Roma fuit.*
Leg. Burgund. Tit. 85. art. 1. Capitolinus in Gordiano: *Duxit uxorem filiam Misithei doctissimi viri, quem causa eloquentiæ dignum parentela sua putavit, & Præfectum statim fecit.* Bignonius.

(3) *Causa quæ inde orta fuerit.*) Id est, pœna solemnium non servatorum. P. P. Ms. *Bignonius.*

(4) *De Affatomie.*) Forma est & modus possessionis transferendæ ex causa possessionis. Videantur veteres formulæ incerti auctoris (sive Appendix Marculfi) cap. 19. 20. 43. 57. & legis Romanæ cap. 15. Edictum Theodorici R. cap. 53. *Tres sufficiant curiales, dummodo vicinis scientibus impleatur corporalis introductionis effectus.* Vide ex consuetudinibus nostris Raguellum pag. 507. in verbo *saisine*. Videatur Andegavensis consuetudo, & acta possessionis. Traditio in donationibus necessario requirebatur. Vide l. 1. Cod. Th. de donationibus in verbo *Abscessu donantis*, l. 8. eod. Ad-

cent, & scutum in ipso mallo habeant; & tres homines causas tres demandare debent in ipso mallo, & requiratur postea homo, qui ei non pertinet, & sic festucam in laisum jactet, & ipsi, in cujus laisum festucam jactaverit, dicat verbum, de fortuna sua quantum ei voluerit dare. Postea ipse in cujus laisum festucam jactaverit, in casa ipsius manere & hospites tres suscipere, & de facultate sua, quantum ei datur, in potestate sua habere debet, & postea ipse, cui creditum est, ista omnia cum testibus collectis agere debet. Postea aut ante Regem, aut in Mallo legitimo illi, cui fortunam suam deputavit, reddere debet; & accipiat postea festucam in mallo ipso ante duodecim menses ipse, quem hæredem deputavit, in laisum suum jactet, & nec minus, nec majus, nisi quantum ei creditum est. Et si contra hoc aliquid dicere voluerit, debent tres testes jurati dicere quod ibi fuissent in Mallo, ubi Tunginus vel Centenarius indixerunt, & quod vidissent hominem illum, qui fortunam suam dedit in laisum illius, quem jam elegerat festucam jactare, & nominare illum debent, qui fortunam suam in laisum electi jactavit; nec non & illum in cujus laisum festucam jactavit, & hæredem appellavit, similiter nominent. Et alteri tres testes jurati debent dicere, quod in casa illius hominis, qui fortunam suam donavit, ille in cujus laisum festucam jactavit ibidem mansisset, & hospites tres vel amplius collegisset, & pavisset, & ei ibidem gratias egissent, & in beudo suo pultes manducassent, & testes collegissent. Ista omnia alii tres testes jurati dicere debent, quoniam in Mallo legitimo vel ante Regem ille, qui accepit in laisum suum fortunam in Mallo publico, hoc est ante Theada [α] vel Tunginum, fortunam illam, quem hæredem appellavit, publice coram omnibus festucam in laisum ipsius jactasset. Et hæc omnia novem testes debent adfirmare.

### Titulus XLIX.

*De filtortis, hoc est, qualiter homo furatas res intertiare (1) debet.*

I. SI quis, qui lege Salica vivit, servum aut ancillam, caballum, vel bovem seu jumentum, seu quamlibet rem suam sub alterius potestate agnoverit, mittat eam in tertiam manum, & ille, apud quem agnoscitur, debet adhramire (2), & si intra Ligerim aut Carbonariam (3) ambo manent, & qui agnoscit, & apud quem agnoscitur, in noctes quadraginta placitum faciant, & in ipso placito, quanticunque fuerint, qui rem intertiatam vendiderint, aut cambiaverint, aut fortasse in solutionem dederint, omnes intra placitum istum commoneantur, ut unusquisque cum negociatoribus suis alter alterum admoneat. Si quis vero commonitus fuerit, & aliqua sunnis eum non detinuerit, & ad placitum venire distulerit, tunc ille, qui cum eo negociavit, habeat tres testes, quod enuntiasset, ut ad placitum venire debuisset; & alios tres similiter habeat, quod cum eo publice negociasset: hoc si fecerit, exivit se [β] de latrocinio. Ille autem qui admonitus non venerit, super quem testes juraverint, erit latro illius, qui res suas agnoscit, & ei secundum legem ipsas componat, & insuper pretium illi reddat, qui cum eo negociavit. Ista omnia, ubi suus hamallus (4) est [γ], super quem res primitus agnita fuerit aut intertiata, fieri debent. Quod si trans Ligerim aut Carbonariam manet ille, apud quem res agnoscitur, in noctibus LXXX. lex ista custodiatur.

### Titulus L.

*De Falso Testimonio.*

I. SI quis falsum testimonium præbuerit, DC. denar. qui faciunt solidos XV. culp. jud.

II. Quod si aliquis alicui imputaverit, quod se perjurasset, & non potuerit adfirma-

[α] Al. *Theuda.* [β] Al. *Euuit se.* [γ] Al. *Ista omnia facere debet in mallo, ubi ipse amallus esse dignoscitur.* Al. *Istæ omnia in mallo debent fieri, ubi ille est hamallus, id est, qui suscepit causam ad mallandum in vicem alterius.*

Adfatimire, & adfatimus, leg. Ribuar. tit. 51. pag. 28. edit. Til. Epistolæ adfatimæ. Vet. form. Lindenbrogii 50. donatio est, ut videtur Francisco Pithœo. *Bignon.*

(1) *Intertiare.*) Franc. Pith. Gloss. Capitularium: ἔντριτος *sequester*, Ἔντριτος *intertius*, Glossæ Latino-Græcæ: *sequester*, μεσίτης, ἔντριτος, σωθηκοφύλαξ. Capitul. lib. 3. cap. 46. lib. 6. cap. 214. *Bignon.*

(2) *Adbramire.*) *Adhramire*, supra Tit. XXXVIII. Capitul. lib. 4. cap. 29. quod caput tribuitur Pipino Regi Italiæ in leg. Longob. lib. 1. Tit. 25. l. 76. Et quod in Capitul. lib. 3. cap. 58. in titulo dicitur *de sacramentis in palatio adhramitis*, in veteri Ms. capitulorum apud Aquas an. IX. sic exprimitur, *de sacramentis in palatio faciendis*. Sed hoc parum ad rem facit. Hoc autem caput Imp. Karolo tribuitur leg. Longobar. lib. 2. Tit. 55. l. 20. Vide formulas veteres cap. 1. 2. *Bignon.*

(3) *Carbonariam.*) Gregor. Turonens. lib. 2. cap. 8. Nithardus lib. 2. *Quamobrem cum paucis Karolus hoc iter accelerans ab Aquitania Carisiacum venit, & a Carbonariis & infra ad se venientes benigne suscepit. Mox cum Lodharius a Lodhuvico reverteretur, & omnes citra Carbonarias ad illum venirent, Mosa trajecta ratum duxit ut Sequanam usque procederet.* Idem lib. 4. pag. 366. *Bignon.*

(4) *Hamallus.*) Codex Guelferbyt. *gamallus*, editio Heroldina *rhamallus*. Vide, quæ ibi diximus. *Eccard.*

mare, DC. denar. qui faciunt sol. xv. culpab. jud.

III. Si alicui fuerit imputatum, quod se perjurasset, & hoc, qui imputaverit, adfirmare potuerit, tres de ipsis conjuratoribus [α] perjuri, unusquisque illorum DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud.

IV. Alii vero qui super ipsos tres (1) fuerint, quinis solidis culp. jud.

V. Ipse vero, cui imputatum fuerit, excepto causa vel capitali & dilatura, DC. denar. qui faciunt sol. xv. culp. jud.

### TITULUS LI.

*De Testibus adhibendis.*

I. SI quis testes necessarios habuerit, & fortasse ipsi ad placitum venire noluerint, ille qui eos necessarios habet, mannire illos debet cum testibus ad placitum, ut ea, quæ sciunt, jurantes dicant.

II. Si vero noluerint venire (2), & eos sunnis non detinuerit, unusquisque illorum DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud.

III. Si vero præsentes fuerint ad testimonium vocati, & noluerint jurando dicere ea, quæ sciunt, & forbanniti [β] fuerint, DC. den. qui faciunt sol. xv. unusquisque illorum culp. jud.

### TITULUS LII.

*De eo qui fidem factam alteri reddere noluerit.*

I. SI quis ingenuus aut lidus alteri fidem fecerit, tunc ille, cui fides facta est, XL. noctes aut quomodo placitum fecit, quando fidem ei fecit, ad domum illius cum testibus ambulare debet, vel cum illis, qui pretium adpretiare debent, & si noluerit fidem factam solvere, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud.

II. Si vero adhuc supradictum debitum solvere noluerit, debet eum sic admallare (3): *Rogo te, judex, ut hominem illum denominatum gasachionem meum, qui mihi fidem fecit, de debito tali denominato secundum legem Salicam mihi inde eum adstringas.* Tunc judex dicere debet: *Ego gasachium tuum illum in hoc mallo quod lex Salica habet.* Tunc ille cui fides facta est, debet testificari fidejussori, ut nulli alteri nec solvat, nec pignus donet solutionis, antequam ei impleat, unde fidem fecit. Et sic festinanter ad domum illius, qui ei fidem fecit, cum testibus accedat, & roget eum solvere debitum suum. Quod si noluerit, solem ei collocet. Et si ei solem culcaverit (4), tres solidos super debitum addat, & sic usque ad tres vices per tres mannitas facere debet. Istis igitur omnibus factis [γ], si adhuc noluerit debita componere, usque ad novem solidos debitum ascendat, id est, ut per singulas admonitiones (5) vel solem culcatum, terni solidi adcrescant. Si vero nec fidem factam in placito legitimo solvere voluerit, tunc ille cui fides facta est, ambulet ad grafionem loci illius, in cujus pago manet, accipiatque festucam, & dicat verbum istud: *Tu grafio, rogo te, quia ille homo denominatus, qui mihi fidem fecit, quem legitime habeo adjactivum (6) vel admallatum secundum legem Salicam, & ego super me,* &



[α] Al. *Juratoribus.* [β] Al. *Forbanniti.* [γ] Lindenbr. *Ista igitur omnia facta.*

(1) *Super ipsos tres.*) Tres tantum conjuratores gravius reliquis puniuntur; quia cum reo tres præcipue puto proximiores affirmabant, reliqui tantum probabant. Id patet ex formula vet. incerti auctoris 19. ubi tres aloarii & duodecim conlaudantes. Lege autem Alaman. Tit. 6. solus reus conceptis verbis jurabat, ceteri probabant. Vide notas ad Marculf. lib. 1. cap. 38. & ad Appendic. cap. 29. *Bignonius.*

(2) *Noluerint venire.*) De testibus cogendis agitur hoc capite, qui nolunt testimonii dicendi causa in judicio sistere, quo nomine olim Athenis actio prodita. Jul. Pollux lib. 8. Ἀπομαρτυρία δὲ κατὰ τῶν ἰδόντων μὲν, καὶ μαρτυρήσειν ὁμολογησάντων, ἐν δὲ τῷ καιρῷ τὴν μαρτυρίαν ἐκλειπόντων. τὸν δὲ οὐ βουλόμενον μαρτυρεῖν, ἐκλήτευον, ἀνάγκην τοῦ μαρτυρῆσαι προστιθέντες. ἔδει δὲ αὐτὸν ἢ μαρτυρεῖν, ἢ ἐξομόσασθαι, ὡς οὐκ εἰδείη, ἢ μὴ παρείη, ἢ χιλίας ἀποτίνειν. Æschines περὶ παραπρεσβείας. Quod & jure Romano observatum, ut inviti testimonium dicerent in causis criminalibus tantum, l. 4. 5. 8. & 19. De testibus. Ex constitutione vero Justiniani Græca, l. 16. Cod. eodem, etiam in civilibus causis coguntur inviti testes esse. *Bignon.*

(3) *Admallare.*) Vide infra ad Tit. LIX. Sic infra; *vel admallatus secundum legem Salicam.* Tit. LIII. n. 1. *secundum legem habeat admallatum.* Inde fortasse *hamallus* supra Tit. XLIX. *Bignon.*

(4) *Solem culcaverit.*) Solem occasum, quæ scilicet suprema tempestas observabatur, ut infra Tit. LXIX. Gregorius Turonens. lib. 7. cap. 23. ubi nos quædam congessimus non aliena. Unde & apud Marculfum lib. 1. cap. 37. *solsatire.* Romanis quoque idem usitatum fuisse fidem facit lex 12. tab. Illud ipsum significare videtur Homerus Odyss. μ.

> Ἦμος τ' ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη,
> Κρίνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων αἰζηῶν.

quibus verbis tempus vesperi designavit, καὶ μάλιστα τὸ τὴν ἑσπέραν ἐπιτείνει. ut Strabo interpretatur lib. 1. Vide supra Tit. XXXIX. infra LIV. & LX. Speculum Saxonicum lib. 3. cap. 40. Juvenalis sat. 13.

> *Hæc quota pars scelerum quæ custos Gallicus urbis*
> *Usque a lucifero donec lux occidat audit.*

Nortmannis hodie *clameur couchee.* Quod supra est, *Solem ei collocet*, & intra, *Solem collocatum*, id est diem constitutum, *jour assignè*, unde *adjourner*, diem dicere. Sol pro die. Archilochus, & ex eo Ronsardus. *Bignon.*

(5) *Singulas admonitiones.*) *Tria edicta*, P. P. Ms. *Pour chacun defaut*, F. Pithœus. *Doublement & tiercement*, in ordinationibus Regiis. *Bignon.*

(6) *Adjactivum.*) Vide notas ad Marculfum lib. 1. cap. 37. & Appendic. cap. 22. *Bignonius.*

*& super fortunam meam pono, quod securus mitto in fortunam illius manum:* & dicat de quanta causa ei fidem fecerat. Tunc Grafio congreget secum septem Rachinburgios (1) idoneos, & cum ipsis ad casam illius fidejussoris veniat, & roget eum, si præsens est, ita dicens: *Per voluntatem tuam solve homini isti, de quo ei fidem fecisti, & hoc quod debes secundum precium legitime preciatum (2) satisfacere stude.* Quod si tunc adimplere noluerit præsens, aut si absens fuerit, statim Rachinburgii precium adpreciatum (3), quantum debitum, quod debet, valuerit, de fortuna illius tollant. Et si fredus antea de ipsa causa non fuerat datus, duas partes ille, cujus causa est, ad se revocet, & Grafio tertiam partem obtineat.

III. Si autem Grafio (4) ibi invitatus non venerit, & Sunnis eum aliqua non detinuerit, aut certa ratio dominica (5), & si distulerit, ut ibi non ambulet, neque mittat, ut cum justitia (6) exigatur debitum, aut se redimat, aut de vita componat.

## TITULUS LIII.

### (7) *De eo qui Grafionem ad res alienas tollendas injuste invitaverit.*

I. SI quis Grafionem (8) ad res alienas injuste tollendas invitaverit, antequam gasachium (9) suum secundum legem habeat admallatum *, VIIIM. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud.

II. Si vero Grafio invitatus contra legem supra debitum justum aliquid amplius tulerit, aut se redimat, aut de vita componat.

## TITULUS LIV.

### *De Re præstata* ß (10).

I. SI quis alteri de rebus suis aliquid præstiterit, & ei reddere noluerit, sic eum debet mallare. Cum testibus ad domum illius, cui res præstavit, accedat, & sic contestetur ei: *Quia res meas noluisti reddere, quas tibi præstiti, in hoc eas tene nocte proxima quod lex Salica continet;* & sic ei solem collocet. Si nec tunc voluerit reddere, adhuc super VII. noctes similiter contestetur, sicut antea fecit, ut nocte proxima secundum quod lex Salica continet, res suas tenere debeat. Quod si nec tunc voluerit reddere, iterum post septem alias noctes ad eum similiter cum testibus veniat, & roget ut debitum suum reddat. Ergo si tunc noluerit reddere, nec fidem facere reddendi, supra debitum, quod ei præstitum est, & super illos novem solidos, qui per tres admonitiones accreverunt, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

## TITULUS LV.

### *De manu ab æneo redimenda.*

I. SI quis ad æneum (11) mallatus fuerit, & forsitan convenerit, ut ille, qui admallatus est, manum suam redimat, & jura-

* Al. *Antequam legitime admallatus aut fides ei facta fuerit.* Al. *Admallatum vel adjectivum.*
ß Al. *De Præstata.*

---

(1) *Rachinburgios.*) Glossæ interlinear. *judices.* Bignon.

(2) *Preciatum.*) Preciari apud Cassiodor. lib. 2. cap. 22. Sic depretiari Tertullian. adversus Marcion. lib. 1. cap. 6. *Bignon.*

(3) *Adpreciatum.*) Leg. Alaman. Tit. 75. *Illam optimam vaccam quatuor tremisses licet adpreciare.* Capitul. lib. 5. cap. 366. *Si quis alterius caballo aut bovi vel cuilibet quadrupedi unum oculum excusserit, adpreciet illud pecus quid valet, & tertiam partem componat.* Quod caput desumptum est ex legib. Bajuvar. Tit. 13. cap. 8. pag. 87. edit. Tilia. *Bignon.*

(4) *Grafio.*) Gloss. interlineares, *Comes*, Bignon.

(5) *Certa ratio dominica.*) Vetus cod. Thuan. *certe.* Vide supra Tit. 1. n. 4. & 5. *Bignon.*

(6) *Neque mittat, ut cum justitia.*) *Refus de faire justice.* Infra Tit. LX. *Bignon.*

(7) Vide leg. Ribuar. Tit. 53. pag. 26. edit. Til. & tabul. S. Dionysii in fol. min. *Bignon.*

(8) *Grafionem.*) Paulus Warnefr. lib. 5. cap. 36. pag. 303. Vide notas ad vet. formulas (sive Appendicem Marculfi) cap. 7. Judex fiscalis dicitur in textu leg. Ribuar. Tit. 55. pag. 29. edit. Til. *Si quis judicem fiscalem, quem Comitem vocant, interfecerit,* DC. *sol. mulctetur.* Deinde quia illa freda exigebant leg. Ribuar. cap. ult. exactores regii dicuntur a Suggero loco a Fr. Pithœo allato. Ideo autem mihi videtur dici judex fiscalis Comes, ad differentiam magistratuum municipalium. Illi enim etiam tum judicabant, ut patet variis ex locis, præcipue ex Gregor. Turonens. lib. 1. de miraculis c. 33. *Decretum est sententia primorum urbis.* Sunt & multa hujus rei alia exempla. De Comitibus autem vide notas ad Marculfum lib. 1. cap. 8. *Bignonius.*

(9) *Gasachium.*) Gloss. interlinear. cod. Thuan. *causatorem.* Bignon.

(10) *De Re præstata.* De rebus creditis, nostris, *De præst.* Optatus lib. 3. pag. 35. b. *Præcedente terrore creditores periculis vallabantur; & qui pro præstitis suis rogari meruerant, metu mortis humiles impellerentur in preces.* Juretus ad Symmach. pag. 263. 264. *Bignonius.*

(11) *Æneum.*) Examen aquæ ferventis, leg. Wisigothor. lib. 6. Tit. 1. c. 3. Adnuntiatio Caroli Calvi apud Pistas an. DCCCLXIII. cap. 20. *Si colonus vel servus inde reputatus fuerit, aut judicio Dei inde examinet; aut si convictus fuerit, hoc ut supra diximus unde mensuram adulteravit perdat, insuper & virgis nudo corio vapulet.* Capitul. lib. 4. cap. 13. Erat & aquæ frigidæ judicium, de quo Gregor. Turonens. lib. 1. cap. 69. & 70. de muliere adulterii a marito accusata, quæ Lugduni sententia judicis in Ararim probationis causa demersa est. De utroque Hincmarus de divortio Lotharii & Thetbergæ ad VI. interrog. *Sexta Interrogatio. Quidam dicunt nullius esse auctoritatis sive credulitatis judicium quod fieri solet per aquam calidam sive frigidam neque per ferrum calidum, sed adinventiones sunt humani arbi-*

juratores donet; si talis causa est, de qua legitime, si convictus fuisset, DC. den. qui faciunt sol. XV. componere debeat, tunc CXX. den. qui faciunt sol. III. manum suam redimat.

II. Si vero plus ad manum suam redimendam dederit, fredus Grafioni solvatur, tanquam si de ipsa causa convictus fuisset.

III. Si vero talis causa fuerit, de qua si convictus fuisset, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. debuisset solvere, & convenit, ut manum suam redimat & juratores donet, IX. sol. manum suam redimat.

IV. Quod si amplius dederit, fredus Grafioni solvatur, tanquam si de ipsa caussa convictus fuisset.

V. Quod si major culpa fuerit de qua LXII. s. sol. solvere, si convictus fuisset, deberet, & convenit, ut manum suam redimat, cum sol. XV. manum suam redimat.

VI. Et si amplius dederit, fredus Grafioni solvatur, tanquam si de ipsa causa convictus fuisset. Ista redemptio usque ad leudem sic permaneat.

VII. Si autem leudem alter alteri imputaverit, & eum ad æneum habet admallatum, & convenit, ut manum suam redimat, & juratores donet, cum solid. XXX. manum suam redimat.

VIII. Et si amplius dederit, fredum Grafioni persolvat, tanquam si de ipsa causa convictus extitisset.

## TITULUS LVI.

### *De eo qui Grafionem occiderit.*

I. SI quis Grafionem occiderit, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culpab. judicetur.

II. Si quis Sagibaronem a qui puer regis fuerat (1), occiderit, XII. den. qui faciunt sol. CCC. culp. judicetur.

III. Si quis Sagibaronem, qui ingenuus est, & se Sagibaronem posuit, occiderit, XXIIIIM. den. qui faciunt sol. DC. culp. judicetur.

IV. Sagibarones (2) in singulis mallober-giis



a Al. *Sacibaronem*.

*bitrii, in quibus sæpe per maleficia falsitas locum obtinet veritatis, & ideo credenda esse non debent.* Hincmarus. *Christianitas ex antiquo, quæ inter acta est & agenda judicia, sanxit & frequentavit judicium quod fit per aquam &c.* Et paullo post; *Quapropter fieri aquam ignitam ad hæc duo copulata in unum indaganda judicia, illud videlicet quod jam per aquam factum est, & illud quod per ignem fiendum est, licet sint pro temporum varietate disparia, sed unum sunt operationis mysterio, in quibus sancti liberantur inlæsi, & reprobi puniuntur addicti Ecclesiæ, quam designavit arca diluvii, creditur tradidisse auctoritas &c.* Deinde: *Constat nimirum, ut inquiunt, quia in aqua ignita coquuntur culpabiles, & innoxii liberantur incocti, quia de igne Sodomitico Lot justus evasit inustus &c.* Vide quæ apud Hincmarum post hæc sequuntur pag. 350. & pag. 357. *Aut sacramento aut Dei judicio expurgate &c.* Eodem pertinet quod refert Gregor. Turonens. de miracul. lib. 1. c. 81. de altercatione Presbyteri Arriani cum Diacono catholico pro fide catholica: *Accenditur ignis, æneus superponitur, fervet valde, annulus in unda ferventi projicitur &c.* Insignis locus, & qui omnino legem Salicam illustrat, & vetustissimam ejusce judicii formam docet, ut & de gloria confessor. cap. 14. Videndus idem Gregorius historiæ lib. 2. cap. 1. de S. Briccio Turonensi Episcopo. De ignitis vomeribus varii meminere. Leges vett. Capitula, Ivo Carnotensis, Burchardus, Pithœus, & Juretus. De aliis quoque purgationum generibus, juramento, duello, pane hordeaceo, caseo, crucis, nos quædam scripsimus. De ferro candenti vide Georgium Logothetam pag. 41. ubi etiam de duello. Additur de purgatione ferri igniti: Οὐκ ἔςι τῆς ῥωμαϊκῆς κατασκέσεως, βαρβαρικῇ δὲ παιδόσει περιῆπται, mox dicitur eum qui ex barbaris originem ducit, barbarico judicio uti debere. Vide & N. B. Eadem de re Pachymerius lib. 1. Cantacuzenus lib. 3. cap. 27. Hæc omnia judicia reprobavit Ecclesia. Agobardus contra scripsit pag. 287. De aquæ judicio videndus item Adhemarus, & ex eo Sirmondus ad Goffridum. Porro nostra memoria paucis abhinc annis solebant judices reos maleficii accusatos mergere, pro certo habentes incertum crimen hac ratione patefieri; quod scelus merito secundum Ecclesiæ canones amplissimi ordinis decreta resecarunt. Sic accipio Nithardum, dum ait Gerbergam ut veneficam aquis præfocatam, quia scilicet rea fuisse mersione apparuerat. Unde fortasse

*Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.*

Leg. Longob. lib. 1. Tit. 33. cap. 1. *Si quis servum alienum sine voluntate domini sui in sacramentum miserit, aut manum in caldaria mittere fecerit.* Æneum pro aheno. Vide Ezechielem 24. *Æneum in quo est ærugo &c.* Salvianus pag. 252. Infra Tit. 67. n. 1. *Æneum portare ubi striæ concinunt.* Pactum Childeberti & Chlotarii n. 4. *Ad æneum provocatus manum incenderit.* In Decretione Chlotarii num. 8. *Ad sortem veniat, aut ad plebejum promoveatur.* Forte legendum est, *æneum*, non *plebejum*. Tit. LIX. infra: *Ut per æneum aut per compositionem se educeret.* Bignon.

(1) *Sagibaronem qui puer regis fuerat.*) Ille qui judicia Regis exequebatur. Vid. leg. Burgund. de Wittiscalcis Tit. 76. edit. Til. *Saiones* apud Cassiodorum, Sed tamen hi judicabant. Infra vers. 4. *virisagi*, P. P. Ms. *Bignonius*.

(2) *Sagibarones.*) Viros ætate & sapientia maturos interpretor, quibus controversias definiendi facultas erat, adeo ut nec postea ab his Comes seu Grafio appellari possit, quemadmodum hic statuitur. Periti scilicet legum, quos postea *homines legales* dixerunt; quorum & consuetudinario veteri jure non minima auctoritas in plerisque causis, ut apud Matthæum Paris. & alios passim videre est. Illud ipsum est quod *judicium civium* vocat Gregor. Turonens. lib. 7. cap. 47. Dehinc & ex his delecti videntur qui legis Doctores in Adhemari Chronico, sub Ludovico Balbo, cujus particulam edidit Pithœus sub nomine *Fragmenti historiæ Aquitanicæ*, de Vulgrino Aquitaniæ Duce, qui contra Nortmannos Martiliacum castrum construxit, ibique misit *Rodetum*

giis (1), id eſt plebs (2), quæ ad unum mallum convenire ſolet, plus quam tres eſſe non debent (3), & ſi cauſa aliqua ante illos ſecundum legem fuerit definita, ante Grafionem (4) removere eam non licet.

### TITULUS LVII.

*De corporibus expoliatis* (5).

I. SI quis corpus hominis mortui, antequam in terram mittatur, per furtum expoliaverit, IID. denar. qui faciunt ſol. LXII. s. culp. judicetur.

II. Si quis tumulum ſuper hominem mortuum expoliaverit vel diſſipaverit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. jud.

III. Si quis ariſtatonem, hoc eſt ſtaplum α ſuper mortuum miſſum capulaverit, aut mandualem, quod eſt ſtructura, ſive ſelave β, qui eſt ponticulus (6) (7), ſicut more antiquorum faciendum fuit, qui hoc deſtruxerit, aut mortuum exinde expoliaverit, de unaquaque de iſtis DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. jud.

IV. Si quis hominem mortuum ſuper alium (8) in nauſo γ vel in petra miſerit δ ICCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. culp. jud.

V. Si quis corpus jam ſepultum effoderit, aut expoliaverit (9), Wargus (10) ſit, hoc eſt, expulſus de eodem pago, uſque dum cum parentibus defuncti convenerit, ut ipſi parentes rogati ſint pro eo, ut liceat ei infra patriam eſſe, &, quicunque antea panem, aut hoſpitalitatem (11) ei dederit, etiam ſi uxor ejus hoc fecerit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. jud.

VI. Auctor vero ſceleris hujus, ſi ipſe hoc fecit & comprobatus fuerit, vel alium ad iſtud faciendum locaverit, VIII. den. qui faciunt ſol. CC. culp. jud.

VII. Si quis domum in modum baſilicæ factam ſuper hominem mortuum expoliaverit, ICC. den. qui faciunt ſol. XXX. culp. jud. excepto capitali & dilatura.

T I-

α Al. *Staplos*. β Al. *Quod eſt ea ſtructura ſicut ſalive; al. ſive ſillabe*. γ Al. *Noſſo*.
δ Al. *In petra ſuper alium miſerit*.

---

*tum Giſdebertum legis doctum*, (al. peritum) *& amicum ſuum fideliſſimum nomine Ranulfum, fecitque eum Vicecomitem ſuum*. Adrevaldus de miracul. S. Benedicti lib. 1. cap. 25. *Viſum eſt Miſſis dominicis placitum Aurelianis mutare. Venientes igitur ad condictum locum magiſtri & judices, utraque ex parte acerrime decertabant. Aderant namque legum doctores tam ex Aurelianenſi quam ex Vvaſtinenſi provincia &c.* In diplomate Pipini Majoris domus pro S. Dionyſio: *Ubicunque eorum juſtitiam invenimus, ſicut prædeceſſores noſtri, ſeu Comites palatii noſtri, vel reliqui legis doctores judicaverunt*. Prima pars hujus vocis, *ſagibarones*, ad *ſaiones* accedit; de quibus paſſim Caſſiodorus, leges Wiſigotthor. & Concilia Toletana. *Bignon.*

(1) *Mallobergiis*.) Id eſt, locis tectis, inquit Belius, quia ſtatutum eſt conſtitutionibus Caroli M. ut locus malli ſub tecto foret. Capitul. lib. 3. cap. 57. lib. 4. cap. 28. in fine, *La Cour de Maubergeau a Poitiers*. Bignon.

(2) *Id eſt plebs*.) Ita Lindenbrogii editio & Mss. Guelferbytana duo. Baluzius perperam ponit: *id eſt ubi plebs*. Lex enim dicere vult *mallobergium* eſſe *plebem, quæ ad unum mallum convenire ſolet*. Eccard.

(3) *Plus quam tres eſſe non debent*.) Supra Tit. XLVI. num. 1. *Bignon.*

(4) *Ante Grafionem*.) Qui cum ſeptem judicat, ſupra Tit. LII. num. 2. Sagibarones vero numero tres. *Bignon.*

(5) Vide ſupra Tit. XVII. de ſepulchro violato. *Bignon.*

(6) *Ponticulus*.) Mos antiquæ ſepulturæ; de qua, & de poſitione columbæ, vide Paulum Warnefridum lib. 5. cap. 34. *Bignon.*

(7) *Ponticulus*.) Melius Heroldi editio: *porticulus*. Eccard.

(8) *Super alium*.) Sic intelligo Sidonium lib. 3. epiſt. 12. *Quid plura, jam niger ceſpes ex viridi, jam ſupra antiquum ſepulchrum glebæ recentes*. Nec audiendus Savaro pag. 203. ad verbum *torſi latrones*; tamquam illi ſpoliandi mortuos cauſa ſepulchrum violaſſent. Nam vetus erat ſepulchrum avi multo ante mortui. Videſis epiſtolam. *Bignon.*

(9) *Expoliaverit*.) Turonenſ. de glor. confeſſor. cap. 62. Franciſcus Pithœus ad verbum, *Corpus jam ſepultum*, & Tit. XVII. B. Baſilius: Πρὸς τοὺς πλουτοῦντας pag. 286. τάχα τὰ οὐδὲ περιμένουσιν οἱ οἰκέται τῷ πλουσίῳ κόσμῳ, ἀλλ᾽ ἐφησυχάσονται τὴν ταφὴν τοῖς κληρονόμοις λοιπὸν προσχαρίσαντες κατὰ τὴν εὔνοιαν, ἤ που καὶ καταφιλοσοφήσουσί σου τότε. ἀτεχνῶς καλῶς φησι καλλωπίζειν νεκρὸν, καὶ πολυτελῶς ἐκκομίζειν τὸν οὐκέτι αἰσθανόμενον. Τί δὲ οὐ βέλτιον τοὺς περιόντας κοσμεῖσθαι τῇ πολυτελεῖ καὶ ἐνδόξῳ περιβολῇ, ἢ συγκατασήπειν τῷ νεκρῷ τὰ πολυτίμητα τῆς ἐσθῆτος; τί δὲ μνήματος ἐπισήμου, καὶ ταφῆς πολυτελοῦς, καὶ δαπάνης ἀκερδοῦς ὄφελος; B. Ambroſius de Nabuthe cap. 1. *Eruderato paulo poſt tumulum; & ſi cognoſcis egentem argue; niſi forte hoc ſolum quod cum divite plura pereunt. Sericæ veſtes, & auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna viventium, non ſubſidia defunctorum ſunt*. Junge l. 14. §. 5. de religioſ. & ſumpt. funer. Ubi de ornamentis. Gregor. Turonenſ. lib. 8. cap. 21. leg. Wiſigotth. lib. 11. Tit. 2. l. 1. Bojorum Tit. 8. cap. 4. Vide Savaronem ad Sidonium pag. 161. Lindenbrogium ad Ammianum Marcell. lib. 16. Quintilianum declamat. 373. Paulum Diaconum lib. 4. cap. 49. Sidonius lib. 3. ep. 3. *Nec elutis veſtimenta, nec veſtitis ſepulchra tribuebant, juſte ſic mortuis talia juſta ſolventes*. l. 14. §. 4. D. de religioſ. l. 29. de in rem verſo. Proprie tamen ad pœnam hic ſubjectam attinet l. 3. §. 7. de ſepulcro violato. Vide locum & l. ult. de auro argento mundo. Lactantius lib. 2. cap. 4. Arnobius lib. 5. Mos ille in vulgo obſoletus, in funeribus Epiſcoporum & Presbyterorum retinetur. Vide Gravamina de Alliaco a P. Avenionenſibus. Vide Novell. 19. Leonis Sapientis, Photium Nomocan. Tit. 13. cap. 23. Tit. 19. cap. 27. l. 2. Cod. Th. de ſepulcro violat. l. 5. Cod. eod. l. 3. 7. 8. Cod. Th. de indulgentiis criminum, Valentis Novellam de ſepulcr. Concil. Toletan. IV. can. 45. Savaronem ad Sidon. pag. 211. *Bignon.*

(10) *Vvargus*.) Gloſſæ interlin. Thuan. *dejectus*. Vide leg. Ribuar. Tit. 87. *Bignon.*

(11) *Hoſpitalitatem*.) Hoſpitalitas Francorum. Videatur lex Burgund. Joſeph. lib. 4. cap. ult. pag. 109. Hic eſt aquæ & ignis interdictio. Sic infra Tit. LIX. *Panem dederit aut in hoſpitium collegerit*. Bignon.

### TITULUS LVIII.

*De incendio sive expoliatione ecclesiæ sive homicidiis clericorum.*

I. SI quis ecclesiam sanctificatam, vel ubi reliquiæ Sanctorum reconditæ sunt, incenderit, vel de infra ipsa ecclesia aliquam expoliationem de altari, aut de infra illam ecclesiam aliquid tulerit, VIII. denar. qui faciunt sol. CC. culp. jud. excep. cap. & dil.

II. Si quis Diaconum interfecerit, XII. den. qui faciunt sol. CCC. culp. jud.

III. Si quis Presbyterum interfecerit, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culp. jud.

IV. Si quis Episcopum interfecerit, DCCCC. sol. culp. jud.

### TITULUS LIX.

*De eo qui ad mallum venire contempserit.*

I. SI quis ad mallum venire contempserit, & quod ei a Rachinburgiis α judicatum fuerit, implere distulerit, si nec de compositione, nec de ulla lege fidem facere voluerit, tunc ad Regis præsentiam ipsum mannire debet, & ibidem XII. testes esse debent, qui per singula placita jurando dicant, quod ibidem fuissent, ubi Rachinburgii ei judicassent, & ille decretum judicium contempsisset; iterum alii tres jurare debent, quod ibidem fuissent, post illam diem, in qua ei Rachinburgii judicaverunt, ut aut per æneum aut per compositionem se educeret, hoc est de illa die in XL. noctes, in mallo iterum solem culcaverit, & nullatenus legem implere voluerit, tunc eum debet mannire ante Regis præsentiam in XIIII. noctes, & tria testimonia jurando dicant, quod eum mannisset. Quod si nec tunc venerit, & ista omnia novem testimonia conjurando, quæ superius diximus vera esse dixerint, similiter ei iterum solem culcet, & illos tres testes ibidem habeat. Ubi culcaverit solem, & ista omnia compleverit, qui eum admallat (1), & ille, qui admallatur, ad nullum placitum venire, nec per legem se educere β noluerit, tunc Rex, ad quem mannitus est, extra sermonem suum eum esse dejudicet; & ita ille culpabilis & omnes res suæ erunt in fisco, aut cui fiscus dare voluerit; & quicunque ei panem dederit, aut in hospitium collegerit, etiamsi uxor ejus (2) propria sit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud. donec omnia, quæ ei legibus imputantur, secundum legem componat.

### TITULUS LX.

*De Rachinburgiis qui secundum legem non judicant.*

I. SIquidem Rachinburgii in mallo residentes, cum causa discussa fuerit inter duos causatores, admoniti ab eo, qui causam requirit, ut legem Salicam dicant; & si legem dicere noluerint, tunc ab eo qui causam requirit, sint iterum admoniti usque in tertia vice. Quod si dicere noluerint, tunc dicat ille, qui causam requirit: *Ego vos tangano* (3) *usque dum vos inter me & contra causatorem* (4) *meum legem judicetis*. Et si tunc dicendi se legem distulerint, sole culcato septem de illis unusquisque CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

II. Et si adhuc tunc Rachinburgii despexerint, nec legem dicere voluerint, neque de tribus solidis compositionem facere, tunc unusquisque illorum septem, culcato sole DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

III. Similiter si comprobati fuerint legem non judicasse, septem ex eis unusquisque DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

IV. Si autem Rachinburgii legem judicant, & cui judicatum fuerit, hoc sustinere noluerit, & dicit contra legem judicasse sibi, & hoc comprobare non potuerit, contra unumquemque de septem Rachinburgiis, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

### TITULUS LXI.

*De Chrenechruda* (5).

I. SI quis hominem occiderit, & in tota facultate sua non habuerit, unde totam legem implere valeat, XII. juratores donet, quod nec super terram nec subtus terram (6) amplius de facultate non habeat, nisi quod donatum habet. Postea intrare debet in casam suam, & de quatuor angulis de terra illa in pugno (7) suo colligat,

α Al. *Racimburgiis*. β Al. *Edicere*.

(1) *Qui eum admallat*,) Supra Tit. LII. n. 1. *admallatus*. leg. Ribuar. Tit. 32. 3. *Conjurare debet quod eum ad strudem legitimam admallatum habet*. In edit. Til. Tit. est 34. num. 4. pag. 19. Marculfus lib. 1. cap. 21. *admallandum prosequendumque*. Notæ ibidem. leg. Ribuar. Tit. 52. num. 3. pag. 54. & Tit. 53. num. 1. edit. Til. *Bignon.*

(2) *Etiamsi uxor ejus*.) Vxor recipiens maritum punitur. *Bignon.*

(3) *Ego vos tangano* &c.) *Deny de justice*, ut supra de Grafione Tit. LII. Vide præfationem leg. Burgund. P. P. Ms. *Bignon.*

(4) *Causatorem*.) Gregor. Turonens. lib. 10. cap. 9. *Causaturus accessit*; lib. 9. cap. 3. *Exponens causas*; lib. 10. cap. 4. *Causatus cum socio*. Decretio Childeberti R. num. 12. *Causator Centenarium cum centena requirat*. Bignon.

(5) *De Chrenechruda*.) De cessione bonorum. *Bignonius*.

(6) *Nec subtus terram*.) Thesaurum aut quid aliud denotat. *Bignon.*

(7) *De terra illa in pugno*.) Vide leg. Alaman. Tit. 84. *Tollat de ipsa terra, quod Alamanni Curffodi* (alias Zurb) *dicunt*. Videantur vett. formulæ cap. 19. & Notæ. Mos Germa-

ligat, & ftare in durpilo α, hoc eft, in liminari, & intus captare β, & cum finiftra manu de illa terra ultra fuas fcapulas (1) jactare fuper quem proximiorem parentem habet. Quod fi jam pater aut mater, vel frater folverint, tunc fuper fororem matris, aut fuper fuos filios debet illam terram jactare, id eft fuper tres de generatione matris, qui proximiores funt; & poftea in camifia (2) difcinctus (3) & difcalciatus (4) cum palo γ in manu fupra fepem falire debet, ut pro medietate, quantum de compofitione diger eft (5), aut quantum lex dicat, illi tres folvant. Idem illi alii, qui de paterna generatione veniunt, facere debent. Si vero aliquis ex illis pauperior fuerit, & non habet, unde ad integrum debitum folvat, quicunque de illis amplius habet, iterum fuper illum chrenechruda ille qui pauperior eft jactet, & ille totam legem componat. Quod fi nec ipfe habuerit, ut totam legem perfolvat, tunc illum qui homicidium fecit ille, qui eum in fide fua habet per quatuor mallos præfentem faciat. Et fi eum nullus fuorum per compofitionem (6) voluerit redimere, de vita componat.

## TITULUS LXII.

### *De Alode* (7).

I. SI quis homo mortuus fuerit, & filios non dimiferit, fi pater aut mater fupertuerint, ipfi in hæreditatem fuccedant.

II. Si pater aut mater non fuperfuerint, & fratres vel forores reliquerit, ipfi hæreditatem obtineant.

III. Quod fi nec ifti fuerint, forores patris in hæreditatem ejus fuccedant.

IV. Si vero forores patris non extiterint, forores matris ejus hæreditatem fibi vendicent.

V. Si autem nulli horum fuerint, quicunque proximiores fuerint de paterna generatione, ipfi in hæreditatem fuccedant.

VI. DE TERRA VERO SALICA NULLA PORTIO HÆREDITATIS MULIERI VENIAT: SED AD VIRILEM (8) SEXUM TOTA TERRÆ HÆREDITAS PERVENIAT.

T I.

α Al. *In durbio.* β Al. *Intus in cafa afpiciat.* γ Al. *Cum palo.*

manicus, de quo Plinium accipio lib. 22. cap. 4. Sed & apud Romanos quid non diffimile obfervabatur, de cefpite &c. *Bignon.*

(1) *Ultra fuas fcapulas.*) Quaſi pro derelicto habeat. Vere enim relinquimus ea quibus oculos & anticam corporis partem retrahimus, & pofteriora tantum oftendimus. 3. Regum cap. 14. *Projicere poft corpus fuum.* Bignon.

(2) *Camifia.*) Eginhartus: *ad corpus camifiam lineam & feminalibus lineis induebatur.* Additio Capitul. Ludovici I. cap. 22. *Alioquin hoc omnino provideat ut camifas duas & tunicas duas & cucullas duas & cappas duas unusquifque monachorum habeat.* Victor Uticenf. lib. 1. *De palliis altaris, prob nefas, camifias fibi & femoralia faciebat.* Beda in Martyrologio XVIII. Kal. Januar. *De ipfis palliis altaris camifias fibi & femoralia faciebat.* Quæ fumpfit ex Victore proculdubio. Hieronymus ep. ad Fabiolam de vefte facerdotali: *Solent*, inquit, *militantes habere lineas, quas camifias vocant, fic aptas membris fuis & aftrictas corporibus &c.* Bignon.

(3) *Difcinctus.*) Hodie quoque bonis cedentes zonam folvunt; & zonam abjicere pro bonis cedere vulgo apud nos ufurpatur. Porro hic agitur de ceffione bonorum. *Bignonius.*

(4) *Difcalciatus.*) Vid. de calceis lib. Ruth. Calceus in Scripturis nota dominationis. Pfalm. *Extendam calceamentum meum fuper Idumæam.* Ad calceamentum pertinet, nefcio an huc faciat, quod fcribit Gregor. Turonenf. in vita B. Leobardi & B. Venantii, prifco Galliæ ritu ufitatum effe ut annulus porrigeretur fponfæ, unaque ofculum & calceamentum. De calceis Plutarchus in Tnefeo. Difcute. *Bignon.*

(5) *Diger eft.*) Regius cod. 2. *dederit.* Atqui nil dedit cum bonis cedat, nifi legas *dediffet*, aut illi fcripfiffent *dederit* pro *dediffet*, cum certum fit fatis malæ ne dicam peffimæ latinitatis auctores effe. Legerem, *indigens eft.* Vid. *Bignonius.*

(6) *Per compofitionem.*) Alibi in eadem lege, *Per compofitionem fe educere.* Infra LXVI. num. 1. & 2. *compofitionem quam infra patriam facere debuit.* Leg. Longobard. lib. 1. Tit. 2 l. 10. *de compofitionibus quæ ad palatium pertinent.* Bignon

(7) *De Alode.*) Alode aviatica hereditas dicitur in leg. Ribuar. Tit. 56. alias 58. p. 31. edit. Til. in fin. Tit. Vide Decretionem Childeberti R. num. 1. Aviaticum in conftitutione Conradi. In leg. Longobard. lib. 3. Tit. 8. l. 4. nepos eft, non hereditas; quamquam ibi male accepiffe videatur Lindenbrogius pag. 1360. de alode. Vide notas ad Marculfum lib. 1. cap. 2. & 12. ubi plura. Leg. Bajuvar. Tit. 2. cap. 1. n. 4. (in Lindenb. edit. 3.) edit. Til. pag. 31. leg. Bajuvar. Tit. 17. cap. 2. fic Lindenb.: Til 3. pag. 105. leg. Ribuar. Tit. 56. fic Lindenbr.) Tilio 58. pag. 30. Vide item leg. Angliorum Tit. 6. pag. 483. ubi de exclufione feminarum agitur. Et alia capita omnino cum hujus tituli capitibus componenda Capitul. lib. 1. cap. 126. *Ex beneficio fuam familiam nutricare faciat, & de fua proprietate propriam familiam nutriat.* Mox: *Si in beneficio aut in alode annonam habeat &c.* lib. 3. cap. 20. & cap. 81. *Quomodo eadem beneficia condricta fint, aut quis de beneficio fuo alodem comparavit vel ftruxit.* Bignon.

(8) *Sed ad virilem.*) *Dum extiterit*, leg. Ribuar. Tit. 58. Idem apud Athenienfes fancitum: Κρατεῖν δὲ τοὺς ἄρρενας, καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων, ἐὰν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι, καὶ ἐὰν γένει ἀπωτέρω. Demofthenes in Oratione πρὸς Μακάρτατον. Ubi illud quoque obfervare eft, feparationem quodammodo paternorum bonorum fieri. Ideo idem Demofthenes in Oratione πρὸς Λεωχάρη. Ἐν μὲν οὖν ὁμολογεῖται, τὸ κρατεῖν τῶν κληρονόμων τοὺς ἄρρενας, καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀρρένων. ἁπλῶς γὰρ τοῖς ἐγγυτάτω πρὸς ἀνδρῶν, ὅταν μὴ παῖδες ὦσιν, ὁ νόμος τὰς κλήσεις μὲν ἀποδίδωσιν. Quod fcilicet perpetuo obtinebat cum de legitimis hereditatibus agebatur. Lex vero Salica etiam in paterna hereditate. Idque olim apud Armenios obfervatum Juftinianus fuftulit Novell. 21. Sic Ribuarii leg. Ribuar. Tit. 58. Sic Saxones leg. Saxon. Tit. 39. Sic Angli vetufti leg. Angliorum Tit. 6. Sic olim Hebræi, unde refertur Jobum caviffe teftamento ut filiæ cum fratri-

buj

### Titulus LXIII.

*De eo qui se de Parentilla* (1) *tollere vult* (2).

I. SI quis de parentilla (3) tollere se voluerit, in mallo ante Tunginum aut Centenarium ambulet, & ibi quatuor fustes alninos super caput suum frangat, & illas quatuor partes, in mallo jactare debet, & ibi dicere, ut & de juramento, & de hæreditate, & de tota illorum se ratione tollat.

II. Et si postea aliquis de parentibus suis aut moritur, aut occiditur, nihil ad eum de ejus hæreditate, vel de compositione pertineat.

III. Si autem ille occiditur, aut moritur, compositio aut hæreditas ejus non ad hæredes ejus, sed ad fiscum pertineat, aut cui fiscus dare voluerit.

### Titulus LXIV.

*De Charoena* (4).

I. SI quis alteri de manu aliquid per vim (5) tulerit aut rapuerit, rem pro capitali restituat, & insuper ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis jud.

II. Si quis homini aliquid, quod ei in tertia manu [α] missum fuerat, per vim tulisse convincatur, ICC. denar. qui faciunt solidos XXX. culpabilis judicetur.

### Titulus LXV.

*De compositione Homicidii* (6).

I. SI alicujus pater occisus fuerit, medietatem compositionis filii colligant, & aliam medietatem parentes, qui proximiores fuerint, tam de paterna, quam de materna generatione dividant.

II. Quod si de una parte vel paterna vel materna nullus proximus fuerit, portio illa ad fiscum perveniat, vel cui fiscus concesserit.

### Titulus LXVI.

*De Homine in hoste occiso.*

I. SI quis hominem in hoste occiderit, triplici compositione componat, sicut in patria componere debuit, excepto si ex truste regali non fuerit ille homo.

II. Nam si ex truste regali fuerit, eadem compositione quam infra patriam facere debuit, culpabilis judicetur, hoc sunt denarii LXIIM. [β] qui faciunt solidos IDCCC.

### Titulus LXVII.

*De eo qui alterum Hereburgium clamaverit.*

I. SI quis alterum hereburgium clamaverit, hoc est, strioportium, aut qui æneum portare dicitur, ubi striæ (7) concinunt, & convincere non potuerit, IID. den. qui faciunt sol. LXII. S. culp. judicetur.

II. Si quis mulierem ingenuam striam clamaverit, aut meretricem, & convincere non potuerit, VIIMD. den. qui faciunt sol. CLXXXVII. [γ] culp. judicetur.

III. Si stria hominem comederit, & convicta fuerit, VIIIM. den, qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur.

### Titulus LXVIII.

*De Caballo excorticato* (8).

I. SI quis caballum alienum (9) sine consensu possessoris decorticaverit (10), & interrogatus, fuerit confessus, caballum ipsum in capite restituat.

II. Si vero negaverit (11), & convictus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. excepto cap. & dil. culp. judicetur.

T I-

[α] Al. *In tertiam manum.* [β] Forte *LXXIIM.* [γ] Adde *cum dimidio*. Ita Baluzius.

bus portionem ferrent, Job. cap. ult. Vide Marculfum lib. 2. cap. 12. Institut. Tit. de legitima agnator. successſ. §. *Ceterum: Ut plerunque hereditates ad masculos confluerent.* Videndus Philo de vita Mosis pag. 468. διὰ τί τὰς κληρουχίας ἄρρεσι δίδοσθαι, & pag. 469. *Bign.*

(1) *De Parentilla.*) De modo ejurandæ cognationis. *Bignon.*

(2) *Tollere vult.*) Propter onera inimicitiarum, vindicandæ mortis, & juramenti. Ut hereditas proximos, sic permulta onera sequuntur. Onera proximorum apud Athenienses, quæ mercede quadam hereditatis rependebantur. Vide Demosthenem in oratione πρὸς Μακάρτατον, *Bignon.*

(3) *Parentilla.*) Jornand. de regnorum successione pag. 11. *parentela conjuncti.* Vide supra Tit. 46. n. 10. *Bignon.*

(4) *De Charoena.*) Vet. cod. Thuan. *charoena.* Sic cod. Expilii. *Bignon.*

(5) *Per vim.*) Cod. Expilii, *Per virtutem*, Bignonius.

(6) *De compositione Homicidii.*) Tacitus de Germanis: *Luitur homicidium certo armentorum aut pecorum numero*, Vid. leg. Scotorum in lib. *Regiam majestatem.* Huc respicere videtur Salomon Proverb. 6, v. 35. *Nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Sic apud Afros. Leo African. part. 2. *Bignon.*

(7) *Striæ.*) Hincmar. de divortio Hlotarii & Tetberg. ad 15. interrogat. *Quidam vestibus carminatis induebantur vel cooperiebantur; alii autem cibo a sortiariis dementati, alii vero tantum carminibus a strigis fascinati, & quasi enerves effecti reperti sunt; quidam autem a lamiis sive genicbialibus feminis debilitati &c.* Bignonius.

(8) *Caballo excorticato.*) Ms. Expil. *decotato.* Apud nos vilissimi qui equorum morticinia decoriant, & fere intestabiles. *Bignon.*

(9) *Caballum alienum.*) An vivum, an mortuum? Puto mortuum, quia corium domini est. *Bignon.*

(10) *Decorticaverit.*) Decorticare supra Tit. 29. num. 10. *escorcher.* In cod. Ms. Lescurii & Expilii, *decotaverit*, id est, caudam abstulerit, & deturpaverit. *Bignon.*

(11) *Si vero negaverit.*) Inficiatione lis crescit, ut in lege Aquilia. *Bignon.*

## TITULUS LXIX.

*De eo qui hominem de bargo vel de furca dimiserit.*

I. Si quis hominem de bargo vel de furca sine voluntate judicis dimiserit, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. jud.

II. Si quis hominem sine consensu judicis de ramo (1), ubi incrocatur, deponere præsumpserit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

III. Si quis caput hominis (2), quod inimicus suus (3) in palo miserit (4), sine permissu judicis, aut illius, qui eum ibi posuit, tollere præsumpserit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

IV. Si quis vivum hominem de furca dimiserit, IIIIM. den. qui faciunt sol. C. culp. jud.

## TITULUS LXX.

*De eo qui filiam alienam quæsierit, & se retraxerit (5).*

I. Si quis filiam alienam ad conjugium quæsierit, præsentibus suis & puellæ parentibus, & postea se retraxerit, & eam accipere noluerit, IID. denar. qui faciunt solid. LXII. s. culpabilis judicetur.

## TITULUS LXXI.

*De terra condemnata (6).*

I. Si quis terram alienam condemnaverit (7), & ei fuerit adprobatum, IID. den. qui faciunt sol. LXII. s. culp. judicetur.

*( Explicit Lex Salica ex Editione Lindenbrogii; in Baluziana vero & Eccardina sequens additur Titulus.)*

T I-

---

(1) *De ramo.*) Mos Germanicus. Tacitus annal. 1. p. 31. *Truncis arborum antefixa ora.* Gregor. Turonens. lib. 9. cap. 19. *Bignon.*

(2) *Si quis caput hominis.*) Vetustissima Gallorum hæc observatio, auctore Posidonio; quamque a Romanis vetitam, ut docet Strabo; Franci rursum intulerunt. Strabo lib. 4. Πρόσεστι δὲ τῇ διανοίᾳ (alias τῇ ἀνοίᾳ) καὶ τὸ βάρβαρον, καὶ τὸ ἔκφυλον, ὃ τοῖς προσβόροις ἔθνεσι παρακολουθεῖ πλεῖστον, τὸ ἀπὸ τῆς μάχης ἀπιόντας, τὰς κεφαλὰς τῶν πολεμίων ἐξάπτειν ἐκ τῶν αὐχένων τῶν ἵππων, κομίσαντας δὲ προσπατταλεύειν τὴν θέαν τοῖς προπυλαίοις. φησὶ γοῦν Ποσειδώνιος αὐτὸς ἰδεῖν ταύτην πολλαχοῦ, καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἀηθίζεσθαι, μετὰ δὲ ταῦτα φέρειν πρᾴως διὰ τὴν συνήθειαν. Apollonii Tyrii historia apud Photium: *Decollabatur, & caput ejus ad fastigia portæ suspendebatur.* Venationum certe notas & ferarum captarum capita nobilium valvis affigi hodieque mos est, ex illo veteri & immani, ut verisimile est, descendens. Manilius lib. 4.

*Hæc et hoc studium, postes ornare superbos*
*Pellibus, & captas domibus præfigere prædas,*
*Et pacare metu silvas, & vivere rapto.* Bign.

(3) *Inimicus suus.*) Franc. Pithœus de eo qui in duello vicit, interpretatur. Sed pace ejus dictum sit, non ita accipiendus hic locus, sed de inimico & faidoso, ut tum loquebantur. Licebat enim privatas inimicitias armis persequi, & inimicos, qui aliquem ex agnatione sua occiderant, aut male mulctare, aut impune occidere. *Bignon.*

(4) *In palo miserit.*) Vide Gregor. Turonens. lib. 9. cap. 19. *Bignon.*

(5) De repudiis, seu de sponsalium dissolutione, leg. Alaman. Tit. 53. *Componat eam quod desponsavit & dimisit, cum quadraginta solidis. Et cum duodecim sacramentalibus juret, cum quinque nominatis & septem advocatis, ut pro nullo vitio nec tentatam eam habuisset, nec vitium in illa invenisset, sed amor de alia eum adduxit ut illam dimisisset & aliam habuit uxorem.* Nec dissimile quod veteri jure Romano observabatur. Servus Sulpitius lib. de dotibus apud Gellium lib. 4. cap. 4. *Qui uxorem ducturus erat, ab eo unde ducenda erat stipulabatur eam in matrimonium ductum iri. Qui daturus erat, itidem spondebat. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur sponsalia. Tunc quæ promissa erat, sponsa appellabatur; qui spoponderat ducturum, sponsus. Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui stipulabatur ex sponsu agebat, judices cognoscebant. Judex quamobrem data acceptave non esset uxor quærebat. Si nihil justæ causæ videbatur, litem pecunia æstimabat, quantique interfuerat eam uxorem accipi aut dari, eum qui spoponderat aut qui stipulatus erat condemnabat.* Quod observatum scribit ad id tempus quo civitas universo Latio lege Julia data est. Eadem & Neratius de nuptiis. Vide Aristotelem politic. lib. 5. cap. 4. l. 1. Cod. de sponsal. l. 2. Cod. de repud. l. 2. D. de divort. *Bignonius.*

(6) Exstat hic Titulus num. XCVIII. in Cod. reg. 2. & φφ. 2. quem ab omnibus abesse scribit Pithœus. Huc facit Speculum Saxonicum lib. 3. art. 1. *Ædificia prædiorum seu villarum propter nullam aliam injuriam succedi seu ad terram prosterni debent nisi in ipsis fuerint virgines aut mulieres violenter oppressæ, aut post factum introductæ. Tunc enim domus illæ per jus condemnantur, si non, ut juris est, excusentur. Postquam condemnata jam fuerint ædificia ejusmodi, si reus postmodum absolvitur ab actione, destructa jam ædificia non exsolventur, quia ea a reatu non excusavit cum jure fuerant excusanda.* Verum cum ejusmodi condemnatio jure fiat, & Romanis quoque legibus in crimine maiestatis non sit ignota, palam est non de hac condemnatione legem Salicam hic agere; sed illud quale sit, mihi incompertum esse ingenue profiteor. Suspicor tale quid hic designari quod in Arabia solitum fieri & σκοπελισμὸν appellari scribit Ulpianus l. 9. de extraordinar. criminibus. Fortasse & ad terminos effossos, limites exaratos, arbores terminales evulsas referri potest, de qua re Edictum Theoderici R. cap. 104. Fortasse & ad clausum agri aditum, qua figura & condemnare portam, pro obstruere & occludere, vulgo dicimus. Sed hoc divinare est. *Bignon.*

(7) *Condemnaverit.*) Formul. vet. Lindenbrog. 38. *Ut nullus ex vobis jam dictum Abbatem, vel ipsum monasterium, nec homines, nec res suas quas ad præsens habere videtur, vel in antea Christo propitio a bonis hominibus ibidem conlatum fuerit, nullus inquietare, nec condemnare, vel aliquid de rebus suis minuere omnino præsumat.* Sed ibi de judicibus loquitur. Putarem condemnare esse damnum dare, *endommager la terre d'autruy.* Sic in leg. Burgund. Tit. 48. num. 3. *Ceterum si aut brachium cujuscunque, aut tibia supradicto ordine fracta, & evidenti fuerint debilitate damnata.* Bignon.

TITULUS LXXII.

*De invictu strictu.*

I. SI quis pitto alterius excusserit, invictu stricto, centum viginti denariis, qui faciunt solidos tres, culpabilis judicetur.

II. Si vero contra voluntatem domini, & negare voluerit, & ei fuerit adprobatum, capitale restituat & insuper mille quadringentis denariis, qui faciunt solidos triginta quinque, culp. judicetur.

# RECAPITULATIO LEGIS SALICÆ.

SCiendum est, quod in quibusdam libellis Legis Salicæ [α] inveniuntur capitula principalia LXV. in quibusdam vero LXX. in quibusdam etiam paulo plus, aut paulo minus. Continentur alia capitula in quibusdam codicibus XCVIIII. in quibusdam vero plus minusve. Habent etiam species, in quibusdam libellis XX. & VII. in quibusdam vero minus vel paulo plus.

Inquirendum est compositionis Legis Salicæ quot varietates, & quæ numerum perminimum, quæ vero permaximum habeant divisionis. Compositiones sunt [β] CCCLVIII. varietates XXXI.

I. Incipit autem a septem denariis, ut si quis agnum furaverit.
II. Inde ad decem, ut si quis alterius messem damnaverit.
III. Inde ad solidum unum, ut si quis porcellum, qui sine matre vivere potest, foris domum furaverit.
IV. Inde ad solidum unum & tremissem, ut si quis alterius servum cædit.
V. Inde ad sol. III. ut si quis tres capras furaverit, hæc compositio III. solidorum in XLIII. locis legis Salicæ habetur.
VI. Inde ad sol. III. & den. I. ut si quis viduam in conjugium voluerit sociare.
VII. Inde ad sol. V. Hi sunt, qui in raptu secundum legem componunt. Hæc compositio II. locis habetur.
VIII. Inde ad sol. VI. pro redemptione servi, ut non castretur. Hæc compositio sex sol. in quinque locis habetur.
IX. Inde ad sol. VII. s. ut si quis scrofam alterius subbatit, ut porcellos non habeat.
X. Inde ad sol. VIIII. ut si quis alterum clauso pugno percutit. Hæc compositio VIIII. sol. in III. locis habetur.
XI. Inde ad sol. XII. s. ut si quis servum ministerialem in mortis periculum immiserit, & eum Deus liberavit.
XII. Inde ad sol. XV. ut si quis sponsam alterius tulerit. Hæc compositio XV. sol. in XX. & III. locis habetur.
XIII. Inde ad sol. XVII. s. ut si quis alterius verrem furaverit. Hæc compositio XVII. s. sol. in III. locis habetur.
XIV. Inde ad sol. XXII. s. ut si quis tributarium Romanum in pelagus impinxerit.
XV. Inde ad sol. XXV. ut si quis servum ministerialem occiderit. Hæc compositio in II. locis habetur.
XVI. Inde ad sol. XXX. ut si quis alterius ancillam furaverit. Hæc compositio XXX. sol. in XXVIII. locis habetur.
XVII. Inde ad sol. XXXV. ut si quis servum alterius furaverit. Hæc compositio XXXV. sol. in XXVIII. locis habetur.
XVIII. Inde ad sol. XLV. ut si quis Waranionem furaverit. Hæc compositio XLV. sol. in XXXVI. locis habetur.
XIX. Inde ad sol. L. ut si quis Romanum in pelagus impinxerit.
XX. Inde ad sol. LXII. s. ut si quis hominem percutere voluerit cum gladio, & eum non tetigerit. Hæc compositio LXII. s. solidorum in XL. locis habetur.
XXI. Inde ad sol. LXX. ut si quis servum aut ancillam ministerialem furaverit.
XXII. Inde ad sol. LXXV. ut si quis servum ministerialem in hoste occiderit.
XXIII. Inde ad sol. XC. ut si quis Waranionem regis furaverit. Hæc compositio XC. sol. in III. locis habetur.
XXIV. Inde ad sol. C. ut si quis Romanum occiderit. Hæc compositio C. sol. in XXIIII. locis habetur.
XXV. Inde ad sol. CLXXXVII. s. ut si quis mulierem striam vel meretricem clamaverit.
XXVI. Inde ad sol. CC. ut si quis hominem ingenuum occiderit. Hæc compositio CC. sol. in XVII. locis habetur.

XXVII.

[α] Ita Eccard. sed Lindenbr. *libellis Salicis.* [β] Ita Eccard. seu Lindenbr. *Divisionis compositionis summa.*

XXVII. Inde ad sol. ccc. ut si quis lidum alienum in hoste occiderit. Hæc compositio ccc. sol. in II. locis habetur.

XXIIX. Inde ad sol. DC. ut si quis hominem ingenuum in hoste occiderit. Hæc compositio DC. sol. in XIIII. locis habetur.

XXIX. Inde ad sol. DCC. ut si quis mulierem parvulum habentem in utero occiderit.

XXX. Inde ad sol. DCCCC. ut si quis Romanum vel lidum in truste dominica * occiderit.

XXXI. Inde ad sol. IDCCC. ut si quis in truste dominica hominem occiderit, & in puteum jactaverit. Hæc compositio IDCCC. sol. in II. locis habetur.

INCIPIUNT

SENTENTIÆ DE SEPTEM SEPTENIS,

HOC EST

DE PARTICULARIBUS CAUSIS.

I. Si quis basilicam incenderit, sol. cc. culp. jud.

II. Si quis Francus Francum occiderit, sol. cc. culp. jud.

III. Si quis villam alienam adsalierit, & ibidem ostia fregerit, & canes occiderit, & homines plagaverit, vel aliquid exinde in carro duxerit, sol. cc. culp. judicetur.

IV. Si quis alicui herbas dederit bibere, unde moriatur, sol. cc. culp. jud.

V. Si quis uxorem alienam tulerit vivo marito, sol. cc. culp. jud.

VI. Si quis hominem mortuum effodierit, & expoliaverit, sol. cc. culp. jud.

VII. Si quis Francus Francum vendiderit, sol. cc. culp. judicetur.

# CAPITULARIA (1) CAROLI MAGNI.

## CAPITULA ADDITA AD LEGEM SALICAM.

*Incipiunt Capitula (2) quæ in Lege Salica Domnus Augustus Karolus anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCIII. Imperii vero sui anno tertio præponendo addere jussit.*

INCIPIUNT CAPITULA.

1. *De homicidiis Clericorum.*
2. *De immunitate, si aliquod damnum ibi factum fuerit.*
3. *De confugio ad Ecclesiam.*
4. *De eo qui in judicio injuste aliquem contra alium altercantem adjuvare præsumpserit.*
5. *De eo qui de libertate sua interpellatus aliquem de propinquis suis occiderit.*
6. *De his qui ad casam Dei res suas tradere voluerint.*
7. *De homine qui per chartam libertatem consecutus est.*
8. *De libero homine qui se loco vuadii tradidit.*
9. *De debitis regalibus, qualiter solvi debeant.*
10. *De eo qui caussam judicatam repetere præsumit.*
11. *De eo qui in testimonium assumitur, qualis esse debeat.*

IN-

* Li denbr. *In curte domini.*

(1) Consulto omittuntur Decretiones Childeberti & Chlotarii, quibus & hic locus esset; quoniam supra in calce Pacti veteris traditæ sunt. *Nota Collect.*

(2) *Incipiunt Capitula &c.*) Vetus Codex Guelferbytanus eandem fere inscriptionem præfert. In tertio Codice Guelferbytano vero hæc legas: *Domn. Augustus Carolus anno ab Incarnationis domni nostri Jesu Christi DCCCIII. Imperio vero anno III. proponendo addere jussit. Incipiunt Capi-*

## INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

*De homicidiis Clericorum.*

I. QUi Subdiaconum occiderit [α], trecentos solidos componat; qui Diaconum, quadringentos; qui Presbyterum, sexcentos; qui Episcopum, nongentos. Qui [β] monachum, quadringentis solidis culpabilis judicetur.

*De immunitate, si aliquod damnum ibi factum fuerit.*

II. Si quis in immunitate damnum aliquod fecerit, sexcentos solidos componat. Si autem homo furtum aut homicidium fecerit, vel quodlibet crimen foris committens infra immunitatem fugerit, mandet Comes vel [γ] Episcopo, vel Abbati, vel Vicedomino, vel quicunque locum Episcopi aut Abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Si illum [δ] contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione quindecim solidis culpabilis judicetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, triginta solidis culpabilis judicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit [ε], quicquid reus damnum fecerit, totum ille qui eum infra immunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogatur. Et ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione [ζ] (1) Comiti responsum fuerit quod reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus sit, statim juret, qui locum Episcopi vel Abbatis tenuerit quod ipse eum ad justitiam cujuslibet disfaciendam fugere non fecisset, & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam immunitatem Comiti collecta manu quislibet resistere tentaverit, Comes ad Regem vel Principem [η] deferat, ibique judicetur; ut sicut ille qui in immunitate damnum fecit, sexcentos solidos componere debuit [θ], ita qui Comiti collecta manu resistere præsumpserit, sexcentis solidis culpabilis judicetur.

*De confugio ad Ecclesiam.*

III. Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, intra ipsius atria [ι] Ecclesiæ pacem habeat, nec sit ei necesse [κ] Ecclesiam ingredi; & nullus eum inde per vim abstrahere præsumat; sed liceat ei confiteri quod fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publicum [λ] producatur.

*De eo qui in judicio injuste aliquem contra alium altercantem adjuvare præsumpserit.*

IV. Si quis hominem in judicio injuste contra alium altercantem adjuvare per malum ingenium præsumpserit, atque inde coram judicibus vel Comite increpatus fuerit, & negare non potuerit, quindecim solidis culpabilis judicetur.

*De eo qui de libertate sua interpellatus aliquem de propinquis suis occiderit.*

V. Si quis de libertate sua fuerit interpellatus, & timens ne in servitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem se in servitium casurum timens [μ] occiderit, id est, patrem aut matrem, amitam, patruelem [ν], avunculum, vel quamlibet hujusmodi propinquitatis personam, ipse qui hoc perpetraverit moriatur, agnatio ejus & consanguinitas in servitutem cadat. Et si negaverit se illum occidisse [ξ], ad novem vomeres ignitos (2) judicio Dei examinandus accedat.



[α] Pithœus & Eccard. addunt: *Et ei adprobatum fuerit.* [β] Eccard. semper habet: *Si quis.* [γ] Eccard. *Illi.* [δ] Eccard. *Ille.* [ε] Al. Mss. *Noluerit.* [ζ] Al. Ms. *Inquestione.* [η] Eccard. *Comes hoc ad Regem vel ad Principem.* [θ] Al. Mss. *DC. solid. culpabilis judicetur.* [ι] Al. Mss. & Eccard. *In atrio ipsius.* [κ] Eccard. *Ne sit ei necessitas.* [λ] Al. Mss. *in publico.* Al. *Publice.* [μ] Eccard. *Timet.* [ν] Eccard. *Patrem, matrem, patruelem.* [ξ] Addunt al. Mss. *Vel abscondisse.*

*pitula quæ ad Lege Salica dicenda sunt.* In vetustissimo Codice Ms. Bibliothecæ Thuanæ iisdem Capitulis præpositum Baluzius invenit: *Hæc sunt Capitula, quæ Domnus Karolus Magnus Imperator jussit scribere in Consilio suo & jussit eas ponere inter alias Leges.* (Alias legitur: *Hæc sunt Capitula, quæ Gloriosissimus Carolus in lege Salica mittere præcepit.* Ad. Coll.) Mentio autem horum Capitulorum fit mox in sequentibus Capitulis de causis admonendis §. 19. *Eccard.*

(1) *Inquisitione.*) Mss. Guelf. *inquestione.* Hinc Gallicum *enquete.* Eccard.

(2) *Vomeres ignitos.*) Probationis per ferrum candens species erat, ignitos vomeres nudis pedibus calcare. Servilis autem conditionis hominibus præ ceteris adiudicatum fuisse ex Concilii Moguntini sub Rabano habiti can. 24. patet, ubi dicitur: *Qui Presbyterum occidit, si liber est, cum duodecim juret: si autem servus, per 12. vomeres ferventes se expurget.* Leges veteres passim hujus probationis meminere. Vid. Lindenbrog. & Cangii Glossaria. Apud Reginonem sub anno 887. & in Annalibus Metensibus legitur, Richardem Augustam virginitatis integritatem *aut singulari certamine aut ignitorum vomerum examine* approbare voluisse. Et Cunegundis Augusta, ut eandem publice probaret, *vomeres candentes nudo vestigio calcavit*, ut verba Vitæ ipsius a Gretsero editæ cap. 2. habent. Servi autem & mulieres veritatem per probationem ignis afferere cogebantur, quia legitimam testandi facultatem non habebat conditio eorum. *Eccardus.*

*De his qui ad casam Dei res suas tradere voluerint.*

VI. Qui res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis. Et quæ hactenus in hoste factæ sunt traditiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant. Si vero aliquis alii res suas tradiderit, & in hostem profectus fuerit, & ille, cui res traditæ sunt, interim mortuus fuerit, qui res tradidit, cum reversus fuerit, adhibitis testibus coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem & ipse mortuus fuerit, heredes ejus legitimi res traditas recipiant.

*De homine qui per chartam libertatem consecutus est.*

VII. Si quis per chartam ingenuitatis a domino suo legitime libertatem est consecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum injuste inservire (1) tentaverit, & ille chartam ingenuitatis suæ ostenderit, & adversarium injuste [α] se inservire velle comprobaverit, ille qui hoc tentavit multam quæ in charta descripta est solvere cogatur. Si vero charta non paruerit, sed jam [β] ab illo qui eum inservire voluerit disfacta est, widrigildum [γ] (2) ejus componat, duas partes illi quem inservire voluerit, tertiam Regi; & ille iterum per præceptum Regis libertatem suam conquirat.

*De libero homine qui se loco wadii tradidit.*

VIII. Liber qui se loco wadii (3) in alterius potestatem commiserit, ibique constitutus damnum aliquod cuilibet fecerit, qui eum in locum wadii suscepit, aut damnum solvat, aut hominem in mallo productum [δ] dimittat, perdens simul debitum propter quod eum in wadio suscepit. Et qui damnum fecit, dimissus juxta qualitatem rei [ε] cogatur emendare. Si vero liberam feminam habuerit, usque dum in pignus extiterit, & filios habuerint, liberi permaneant.

*De debitis regalibus, qualiter solvi debeant.*

IX. Omnia debita quæ ad partem Regis solvere debent, solidis duodecim denariorum solvant, excepto freda quæ in lege Salica conscripta sunt. Illa eisdem solidis quibus ceteræ compositiones solvi debent componantur.

*De eo qui causam judicatam repetere præsumit.*

X. Si quis causam judicatam repetere præsumpserit in mallo, ibique testibus convictus fuerit, aut quindecim solidos componat, aut quindecim ictus ab Scabineis qui causam prius judicaverunt accipiat.

*De eo qui in testimonium assumitur qualis esse debeat.*

XI. Optimus quisque in pago vel civitate in testimonium adsumatur [ζ], & cui is contra quem testimoniare [η] debet nullum crimen possit indicere [θ] (4).

ALIA

α Deest in Eccard. β Eccard. *Etiam*. γ Eccard *Weregeldum*. δ Eccard. *perductum*. ε Al. Mss. *Regis*; Lindenbr. aliique, *regi*. ζ Al. Mss. *Optimi . . . adsumantur*. η Al. Mss. *Testificare*. θ Al. Ms. *Incidere vel impingere*. Al. *Incidere, id est, impingere*.

(1) *Inservire.*) H. e. *in servitutem redigere*.. Eccardus.

(2) *Widrigildum.*) Baluzius & Mss. ex meis unum, *Widrigildum*; alterum vero *Weregeldum* retinet. *Eccard.*

(3) *Wadii.*) *Wadius* hic fideiussorem, vadem, sponsorem denotat, & *wadium* pignus, vadimonium, fidejussionem. Vox barbara ex *vadis* nomine formata Salmasio in libro de Modo usurarum p. 586. seq. videtur. Nos inde *wetten* & Galli *gager* pro *pignus dare*, *pignore certare*, habemus. Et *wette* itidem nobis est *pignus*. Walter von der Vogelweide Poeta Ms. Cant. XXV.

*E ich im lange schuldig were, ich wolt es zeinem Juden b gen,*
*Er swiget unz an einen Tag*
*So wi. er danne ein wette han, so jene nicht verge..len mag.*

Anglo-Saxonibus *wed* item denotat *pignus*. Vid. Junii Observat. ad Willeramum p. 113. Glossæ Junianæ: *uuetti*, *pignus*. Lex Salica ed. Lindenbr. Tit. LII. *De eo qui fidem factam reddere noluerit*; ubi Glossa addit: *id est, qui wadium alteri dat, & postea persolvere spreverit*. Charta Goldasti Alamannica n. 90. *Post hoc testimonium dedit Odalhartus wadium, Folcrobo misso, ut esset paratus in præsentia Domini Imp. in placito generali justitiam faciendi*. Centum alia auctorum & Legum veterum loca vide in Glossographis, Lindenbrogio, Spelmanno, Watsio, Cangio & Menagio, quibus adde Bignonium ad Form. Sirmondicas ed. Baluzianæ pag. 979. & Sirmondum in Notis ad Capitular. ejusdem editionis p. 786. A *wadio* formatum est verbum *invadiare*, hoc est, *in wadium* vel *in pignus dare*. Miracula S. Ludgeri cap. 39. *Helmwardus majoris ecclesiæ Canonicus aream illam, discretioni suæ ab Episcopo Burchardo commissam invadiavit, nec absolvit*. Ubi autem pignus liberabatur, solvebatur aut relaxabatur, hoc *revadiare* vel *rewadiare* dicebatur. Glossa Lindenbrogiana: *Rewadiare, id est, relaxare*. Capitularia Regum Franc. multa suppeditant exempla. *Eccard.*

(4) *Possit indicere.*) In Codice Thuano post hæc Baluzius invenit: *Hæc sunt Capitula quæ Domnus Karolus Magnus Imperator jussit scribere in Consilio suo, & jussit eos ponere inter alias Leges*. In Sangallensi vero Codice idem in fine vidit: *Ista XI. Capitula ad omnibus Legibus mittenda sunt*. In Sirmondi vero schedis hanc ex veteri Codice descriptam epigraphen legit: *Anno tertio Clementissimi Domini nostri Karoli Augusti, sub ipso anno, hæc facta Capitula sunt, & consignata Stephano Comiti, ut hæc manifesta fa-*

# ALIA CAPITULA MINORA

## *De causis admonendis* (1).

### INCIPIUNT CAPITULA.



### INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

*De Ecclesiis emendandis.*

I. DE Ecclesiis emendandis, & ubi in uno loco plures fuerint quam necesse sit, ut destruantur quæ necessariæ non sunt, & aliæ construantur.

*De ordinatione Presbyterorum. Et de excommunicatione.*

II. Ut Presbyteri non ordinentur priusquam examinentur. Et ut excommunicationes passim & sine causa non fiant [α].

*De Scabineis, Advocatis, Notariis a Missis dominicis eligendis.*

III. Ut Missi nostri Scabinios (2), Advocatos (3), Notarios (4) per singula loca eligant; & eorum nomina, quando reversi fuerint, secum scripta deferant.

*De illis qui legem servare contemnunt.*

IV. De illis qui legem servare contempserint [β], ut per fidejussores ad præsentiam Regis deducantur.

*De heribannatoris conjecto.*

V. Ut illi qui heribannum (5) solvere de-



α Al. *Excommunicatio . . . fiat.*

β Al. Ms. *Consenserint*. Al. Ms. *Non consenserunt.*

*faceret in civitate Parisius mallo publico, & illa legere faceret coram Scabineis, quod ita & fecit. Et omnes in uno consenserunt, quod ipsi voluissent omni tempore observare usque in posterum. Etiam omnes Episcopi, Abbates, Comites, manu propria subtersignaverunt*. Stephanus ille Comes Parisinus erat. Vide Baluzii notam ad hunc locum. *Eccard.*

(1) *Capitula de causis admonendis.*) Hæc in uno Ms. nostro una serie & numero connectuntur cum prioribus Additionibus ad Legem Salicam, unde ejusdem Appendicem esse Bignonius non male conjecit. Interim speciatim eorum Sigebertus meminit ad annum 803. & quidem his verbis: *Karolus per omne imperium justitias facit & Legis capitula XXIX. instituit*. Eccard.

(2) *Scabinios.*) *Scabini* sunt Comitum assessores, in Lege Salica *Rachinburgii* dicti. Elegans de iis Brummeri Dissertatio exstat. Nos plura de iisdem protulimus in Notis ad Catechesin Theotiscam pag. 128. sq. quæ ibi vide. Glossæ Lipsianæ: *Scepeno, judex*. Eccard.

(3) *Advocatos.*) *Advocati* vocem pro *tutore & defensore* præcipue Ecclesiarum & Monasteriorum usurpari notum est. Cangius diffuse de eorum officio & dignitate egit in Glossario; elegantem quoque de iisdem Dissertationem olim edidit Christ. Franciscus Paullinius. Hic de causarum civilium patrono & defensore adhibetur, qui in Lege Salica *Sagibaro* dictus est. *Eccard.*

(4) *Notarios.*) H. e. Scribas Instrumentorum publicorum. *Eccard.*

(5) *Heribannum.*) Ed. Bignonii: *haribanum*. *Heribannus*, mandatum, quo ii, quibus hoc incumbit, coguntur in bellum proficisci & exercitui Regis sui se jungere. *Heer* enim est *exercitus*,

debent, conjectum faciant (1) ad heribannatorem (2).

*De fugitivis ac peregrinis.*

VI. De fugitivis ac peregrinis, ut diſtringantur (3), ut ſcire poſſimus qui ſint aut unde venerint.

*Ut bauga & bruniæ non dentur negotiatoribus.*

VII. Ut bauga (4) & brunias (1)

---

*citus*, & *bann*, juſſio, mandatum. Hinc eſt Gallicum *arriereban*, de quo multa eruditione refertus Domini de la Roque libellus, qui Pariſiis 1676. impreſſus eſt, præ cæteris legi meretur. Hic autem ſumitur pro *mulcta neglecti heribanni*, ſive ea, quam ſolvere cogebatur, qui juſſionem eundi ad exercitum neglexerat, & in eo non comparuerat. Gloſſographi copiam exemplorum ſuggerent. Gregorius Turonenſis lib. V. c. 27. *Poſt hæc Chilpericus Rex de pauperibus & junioribus eccleſiæ vel baſilicæ bannos juſſit exigi; pro eo quod in exercitu non ambulaſſent. Non enim erat conſuetudo, ut hi ullam exſolverent publicam functionem.* Monaſteria etiam quædam exempta erant ab heribanno; alia in militiam ire, aut heribannum ſolvere debebant. Apud Baluzium Capitular. T. I. p. 589. ſq. exhibetur *Notitia de Monaſteriis, quæ Regi militiam, dona, vel ſolas orationes debent*, ſcripta ſub Ludovico Pio anno 817. & quidem in Conventu Aquiſgranenſi. Gregorius Turonenſis lib. VII. cap. 42. *Poſt hæc edictum a Judicibus datum eſt, ut qui in hac expeditione tardi fuerant, damnarentur. Biturigum quoque Comes miſit pueros ſuos, ut in domo B. Martini, quæ in hoc termino ſita eſt, hujuſmodi homines ſpoliare deberent. Sed Agens domus illius reſiſtere fortiter cœpit, dicens: S. Martini homines ii ſunt: Nihil eis quicquam inferatis injuriæ, quia non habuerunt conſuetudinem in talibus cauſis abire. At illi dixerunt: Nihil nobis & Martino tuo, quem ſemper in cauſis inaniter profers: ſed & tu, & ipſi pretia diſſolvetis, pro eo quod Regis imperium neglexiſtis* &c. Vides, hic heribannum *edictum* & *imperium* ad expeditionem ſuſcipiendam, & deinde neglecti hujus edicti vel imperii *pretium* vocari. In Capitulari II. anni 810. ordinatum quoque aliquid fuit *de heribanno exigendo*. Quot ſolidis ſolvendus fuerit heribannus, docet nos Capitular. lib. III. cap. 67. *Quicunque liber homo in hoſtem bannitus fuerit, & venire contempſerit, plenum heribannum, id eſt, ſolidos 60. perſolvat.* Eccard.

(1) *Conjectum faciant.*) *Conjectus* eſt imitatio vocis Græcæ συμβολή. *Conjectus* autem vel ſymbola hic vocatur id, quod præter heribannum, iis, qui eum exigebant, ad victum & ſuſtentationem, aliaque itineris neceſſaria, dum hoc agerent, dandum & congerendum erat. Inde Gloſſæ apud Lindenbrogium: *Conjectum, victus*. Gregorius Turonenſis lib. VI. cap. 45. *Nihil de fiſco ſuo rex dari præcepit, niſi omnia de pauperum conjecturis.* Hæc Aimonius lib. III. c. 36. explicatius reddit: *Ut de ſubſtantiis pauperum neceſſaria eis in itinere ſubminiſtrentur.* Capitula Caroli Calvi Tit. V. cap. 4. de his quæ Presbyteri adventantibus Epiſcopis pendere debent pro victu: *Presbyteriale conjectum faciant, ut Epiſcopi ſolatium habeant, & ipſi non graventur.* Capitulare Caroli M. quintum anni DCCCIII. *Ut liberi homines nullum obſequium Comitibus faciant, nec Vicariis, neque in prato, neque in meſſe, neque in aratura aut vinea, & conjectum ullum vel reſiduum eis reſolvant; excepto ſervitio quod ad Regem pertinet, & ad heribannatores, vel his qui legationem ducunt.* Deinde etiam in genere *conjectus* dictum eſt, quicquid viritim colligitur & exigitur, ac in commune confertur. Capit. Caroli Calvi Tit. LII. *ſecundum quod habuerint de facultatibus conjectus exigatur*; de exactione Normannis conſtituta. Frodoardus: *de conjecto Normannis dando*. Nos exactionem hujuſmodi *ſchoſſ*, Sax. *ſcot*, vocamus, a *ſchieſſen*, jacere, conjicere. Anglo-Saxones eodem ſenſu *geſceot* & *ſceat* habuerunt. Teutoniſta: *Schot is gelt, dat men den raide geeſt, exactio, xenia*. Breviloquus Saxonicus Ms. *Exactio dicitur, quando aliquis accepit a ſuis ſubditis minus juſte, quod dicitur Teut. ſcot*. Tributum jam in antiquiſſima Harmonia Evangeliorum Cottoniana *ſcatt* dicitur: *Huo ſcal allero manno gibuuilik ſuitho uuillendi is uuerold herren ſculdi endi ſcattos, thia imi geſcerita ſint, gerno geldan*; hoc eſt: *Ut unuſquiſque homo domino ſuo terreſtri debita & tributa quæ illi impoſita ſunt, libenter & ſtudioſe ſolveret*. Quia autem conjectus ſive tributum in nummis conſiſtebat, inde & nummus & denarius etiam *ſcatt* & *ſcot* appellati ſunt. Harmonia eadem: *Quat, that hie uuari giſentid tharod, that hie thar gimanodimannon gibuilican thero helid ſcatto*; Dixit ſe eo miſſum fuiſſe, ut a ſingulis peteret pro capite nummum. Eadem Harmonia alibi. *Gimnt [illegible] gum epi ſil ber ſcatto thrit[illegible]*; Promiſerunt illi iſti homines triginta nummos argenteos. Et paullo poſt: *Nam im tuuo that is ſiluber an hand thriti ſcatto*; Tum in manus ſuas accepit argentum ſuum triginta nummos. *Denarius S. Petri* inde apud Anglos *Romeſcot* dictus eſt. Ranulfus Ceſtrenſis lib. V. cap. 24. *Rex Ina commendato regno ſuo Weſt-Saxoniæ Ethelardo cognato ſuo, Romam profectus eſt. Qui primus omnium Regum denarium ex ſingulis domibus regni ſui B. Petro fertur conceſſiſſe, quod diu ab Anglis Romeſcot, Latine vero* denarius Petri *vocabatur*. Eccard.

(2) *Heribannatorem.*) *Heribannator* hic eſt is, cui heribanni exigendi munus a Rege injunctum eſt, ſive, ut Capitularis paullo ante citati verba habent, *qui legationem ducit*. Eccardus.

(3) *Diſtringantur.*) Hoc eſt, ut detineantur, vel, barbare, arreſtentur. Neque enim alium ſenſum locus admittit. *Stringere* in Lege Salica eſt *ligare, vinculis impedire*, & inde *ſtrick* & *ſtranck*, funis ligamen. *Eccard.*

(4) *Bauga.*) Nota *au* hic, Gallico more, ut *o* pronunciandum. *Boga* igitur de *arcu* videtur exponi debere, & appoſite bruniæ jungi. Sed obſtat locus Capitulariorum lib. VI. cap. 223. ubi pro illo: *ut bauga & bruniæ non dentur negotiatoribus* (quod etiam Capitular. lib. IV. Append. II. §. 5. exſtat) expreſſe legitur: *Ut armillæ & bruniæ non dentur negotiatoribus*. Papias: *Bauca, armilla*. Gloſſæ Latino-Anglo-Saxonicæ: *Armilla, beah*. Gloſſæ Latino-Theotiſcæ Florentinæ: *Dextralia, latæ armillæ: bougin*. Quia autem bruniis junguntur *bauga* vel *baugæ*, puto eas viris bellicis munimentum quaſi brachii contra ictus præſtitiſſe. *Dextralia* dicuntur, quia in dextro brachio geſtabantur. Siniſtrum brachium clypeo tegebatur. Specialis autem hæc vocis *boge* ſignificatio eſt: generaliter omne id, quod in circulum flexum & incurvatum eſt, notat: Inde & *boge* nobis *arcus*, & olim *vinculum*. Ugutio: *Boja, torques vel compes damnatorum*. Gloſſæ Gallico-Latinæ: *Boje, boja, compes*.

P[illegible]

(1) non dentur negotiatoribus.

*De menſuris, ut æquales ſint.*

VIII. De menſuris, ut ſecundum juſſionem noſtram [α] æquales fiant.

*De veſtitura Pippini Regis.*

IX. Ut non mittantur teſtimonia (2) ſuper veſtitura (3) Domni Pippini Regis (4).

*De colonis & fiſcalinis.*

X. Ut nec colonus (5) nec fiſcalinus poſſint alicubi traditiones facere [β].



α Al. Mss. *Imperatoris.* β Lindenbr. *Poſſit alibi foras mixtos traditiones facere.*

Plautus Aſinar. Act. III. ſcen. 2. *Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bojas.* N. von Gravenberg in Wigolais:

*Nam der ſchilt iſt im zu glantz*
*Unverhowen und gantz,*
*Da iſt ein boye geſlagen an.*

Der wilde Alexander, aliud Poema Germanicum vetus:

*Do die Kriechen gewunen Troje*
*Swer da trug der minne boje*
*Des groje*
*Was nicht denne ach undwe.*

Winsbeke §. 52. *Die wile uf dir ir beje lit.* Ubi Goldaſtus annotat, Helvetiis adhuc ſuo ævo *vinculum ligneum* dictum fuiſſe *beje*. Itali Carnificem *boja* vocant, quia delinquentibus vincula injicit. Vide Menagii Origines Italicas, ubi de hac voce plura. *Eccard.*

(1) *Bruniae.*) *Brunia*, thorax militaris. Gloſſarium Florentinum: *Thorax militare munimentum, lorica, brunia.* Capitularia Caroli Calvi Tit. XXXVI. cap. 25. *Quia* ... (Normannis) *a noſtris bruniæ & arma atque caballi aut pro redemptione dantur, aut pro pretii cupiditate venundantur &c.* Lex Ripuar. Tit. XXXVI. §. 11. *Spatam abſque ſcogilo pro tribus ſolidis tribuat, bruniam bonam pro duodecim ſolidis tribuat, chelmum cum directo pro ſex ſolidis tribuat* &c. Plurima alia loca Lindenbrogius, Spelmannus & Cangius congeſſerunt, apud eos videnda. Otfridus lib. V. cap. 1.

*Iſt uns thas giruſti,*
*Brunia ala feſti,*
*Joh iſt uns helm ouhubar thaz,*
*Joh waſan ala waſſaz.*

Nos ſolum monemus vocem eſſe Gallicæ originis & proprie *tegumentum pectorale* ſive *thoracem* denotare. Cambro-Britannis enim, Gallorum veterum ſoboli, *bron* adhuc *pectus* & *mammam* ſignificat. Vid. Davieſii & inde excerptum Boxhornii Lexicon Cambro-Brit. *Eccard.*

(2) *Ut non mittantur teſtimonia.*) H. e. ut teſtes neque aſſeverent aliquid neque jurent ſupra veſtituram Pipini, tanquam ſcilicet rem dubiam; quia ea aut efficta plane eſſe potuit a fraudulentis hominibus, aut conceſſa a Principe in errore verſante. Ita etiam Ludovicus Pius eodem modo de patris ſui Caroli veſtitura ſtatuit Capitular. II. anni DCCCXIX. §. 6. *Veſtitura Domni & genitoris noſtri eo modo volumus, ut teneatur, ubicunque eſſe dicitur, ut* . . . *diligentiſſima inquiſitione perquiratur. Et ſi invenitur eſſe juſta atque legitima, tunc veſtitura dicatur. Nam aliter ne veſtitura nominari debet, ſive ſit in eccleſiaſticis ſive in palatinis rebus.* Capitulare IV. anni DCCCXIX. §. 6. *De mancipiis in villas dominicas confugientibus* ſtatuit inter alia: *Si vero tempore Domini Karoli genitoris noſtri in villam illam confugerint, & dominus ea quærit, actor ejuſdem villæ aut ea legitime contendat, aut quærenti domino reddat. Et actor propter veſtituram Domni Karoli genitoris noſtri contradicere non audeat.* Appendix III. ad lib. IV. Capitular. §. 2. *De manſo quem Gebirfredus Epiſcopus a Liutrico Comite requirit, ut ſi miſſi noſtri invenerint eum juſtitiam habere, non permittant Liutricum per veſtituram Domini Karoli juſtitiam ejus impedire.* Eccard.

(3) *Veſtitura.*) Hæc vox a Germanico *feſt*, firmus, ſtabilis, derivata denotat proprie *traditionis confirmationem & ſecuritatem*, quem ſenſum etiam vox *inveſtituræ* habet. Frodoardus lib. I. Hiſt. Remenſis cap. 20. *Eique in præſentia fidelium ſuorum, legali de more, veſtituram ex ea* (villa) *& chartam fecit.* Tradit. Fuldenſes lib. I. Trad. 157. *Reginwald & Otwin fecerunt veſtituram in præſentia Heſſes, & ego Wigger accepi.* Inferius: *Horum omnium veſtituram conſtipulatione ſubnixa perfecit.* Plura videri poterunt in Gloſſographis & Commentatoribus ad Formulas Marculfi & Capitularia. Quoniam autem ante legitimam alicujus rei veſtituram, nemo de ſtabili ejus poſſeſſione certus eſſe potuit; inde & *veſtituræ* vox aliquando pro *poſſeſſione ipſa* uſurpata eſt. Unde Gloſſa interlinearis duorum Codicum Regiorum apud Baluzium: *veſtitura Domni Karoli, id eſt, poſſeſſio*; quamvis hic ſenſus eo loco non quadret. *Eccard.*

(4) *Domni Pippini Regis.*) Patris nempe Caroli Magni. *Eccard.*

(5) *Ut nec colonus* &c.) Codex Guelferbytanus, cum reliqua prætermiſiſſet, eum ha periodo hæc Capitula incipit, eamque ſic proc fert: *Ut nec colonus, nec fiſcalinus poſſit alicub foras mitio traditionis facere.* Codex Corbioneni ſis apud Baluzium: *Ut nec colonus nec fiſcalnus foras micio poſſint alibi tradicionis facerei.* Codex Bigotianus ibidem: *Ut nec col. nec fiſ. poſſint alibi foras mitti vel traditiones facere c.* Lindenbrogius: *poſſit alibi foras mixtos trad. tiones facere.* Lex Longobard. Lib. II. Tit. XXXII. §. 6. *poſſit alibi foras mixtos traditiot. nem facere.* Ubi nota Guelferbytani Codicis lectionem ceteris meliorem & genuinam eſſe. *Foraſmitio* enim vocabulum eſt ex Germanica particula *for*, pro, & verbo *ſmiten*, *ſchmeiſſen*, iacere, compoſitum; quod *projectionem* proprie denotat. Kero: *pro ipſis, fora diem.* Rabani Mauri Gloſſarium Ms. *propoſitum, foraca ſezzida.* Verbum *ſmiten* Saxones, & Belgæ adhuc habemus; olim illud & *miten* pronunciatum fuiſſe, ſupra oſtendimus. Ut autem intelligatur, quid ſibi hic velit *foraſmitio* ſive *projectio traditionis*, notandum eſt, veteres aliquid tradituros, ut oſtenderent, ſe illud vere & realiter tradere & ſe poſſeſſione ejus exuere, ſymbolum aliquod coram teſtibus in medium projeciſſe ſive objeciſſe, e. gr. baculum, ramum, aut aliud quiddam. Si hoc obſervatum eſſet, traditio legitimo modo facta & alicujus rei in alium dominum translatio rite peracta credebatur. *Projectio* illa itaque hic *foraſmitio*, alibi vero ſynonymo vocabulo *werpitio*, vel *gurpitio* vocatur, a verbo *werfen*, *werpen*, jacere, projicere; ex quo barbari *werpire*, *guerpire*, *gurpire*, fecerunt; eoque uſi ſunt pro *projicere*, *ſolvere a ſe*, & *abalienare*, vel *ſolenniter di*mit-

*De homine in judicium non mittendo sine causa.*

XI. Ut nullus præsumat hominem in judicium (1) mittere [α] nisi judicatum fiat [β].

*De conversione liberi hominis.*

XII. Ut liber homo qui in monasterio regulari (2) comam deposuerit, & res suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundum regulam firmiter teneat.

*De his quæ wadiari debent.*

XIII. Ut omnia quæ wadiari debent, juxta quod in lege continetur, pleniter secundum legem ipsam inwadiata fiant. Et in postmodum vel Domnus Rex, vel ille cujus causa est, juxta quod ei placuerit misericordiam faciat.

*De his qui ad placitum Imperatoris non fuerunt.*

XIV. De Episcopis, Abbatibus, Comitibus, qui ad placitum nostrum non fuerunt [γ].

*De causa ebrii hominis, & de ejus testimonio. Et de placito Comitis.*

XV. Ut nullus ebrius suam causam possit conquirere in mallo, nec testimonium dicere. Neque Comes placitum habeat nisi jejunus.

*De non cogendo bibere.*

XVI. Ut nemini liceat alium cogere ad bibendum (3).

*De Missis dominicis, vel ceteris hominibus discurrentibus.*

XVII. (4) De Missis nostris discurrentibus vel ceteris hominibus in utilitatem nostram iter agentibus, ut nullus mansionem contradicere eis præsumat.

*De canibus qui in dextro armo tonsi sunt.*

XVIII. De canibus qui in dextro armo tonsi (5) sunt, ut homo qui eum habuerit, cum ipso cane in præsentiam Regis veniat.

*De capitulis quæ in lege noviter addita sunt.*

XIX. Ut populus interrogetur de capitulis quæ in lege noviter addita sunt. Et postquam omnes consenserint, subscriptiones & manufirmationes suas in ipsis capitulis faciant.

*De illis qui ad placitum banniri debent.*

XX. Ut nullus ad placitum banniatur nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet; exceptis Scabiniis septem, qui ad omnia placita præesse debent.

*De falsis testibus.*

XXI. (6) De falsis testibus, ut non recipiantur.

*De non jurando per vitam Regis.*

XXII. Ut nullus præsumat per vitam Regis & filiorum ejus jurare.

*De Saxonibus qui uxores non habent.*

XXIII. De illis Saxonibus qui uxores non habent (7).

*De signatis qui mentiendo vadunt.*

XXIV. De signatis (8) qui mentiendo vadunt.

*Ut Missi adducant breves de opere.*

XXV. Ut Missi nostri qui jam breves detule-

[α] Al. Mss. addunt: *sine causa*. [β] Al. Mss. *Fuerit*. [γ] Al. *Venerunt*. Al. *Veniunt*.

*mittere*. Exempla sunt apud Glossographos, ad quos Lectorem remittimus. Coloni autem & Fiscalini nullum traditionis actum peragere poterant; quia nihil proprii possidebant, sed omnia a dominis suis habebant, Vidimus supra, citationem ad judicium legalem etiam ramo abjecto, & in sinum adversarii adjecto, peractam; inde factum, ut & legalis citatio *mitio* vocaretur veteribus. Ita enim hæc vox apud Marculfum exponenda est, quod Bignonius non vidit. Est apud Marculfum lib. I. Form. 23. *Charta de causa suspensa*, in qua inter cetera dicitur; *jubemus, ut ... omnes causæ suæ suorumque amicorum aut gasindorum seu undecunque ipsi legitimo redibit mitio, in suspenso debeant residere*. Eadem locutio in Formula sequenti repetitur, & in fine ejus præterea legitur: *Et si aliquæ caussæ adversus eum, vel suo mittio surrexerint, quas in pago absque ejus gravi dispendio definitæ non fuerint, in nostri præsentia reserventur*. Ubi *suo mittio* est idem ac *sua citatione*, sive, ubi ipse adversarium solenniter in judicium vocavit & citavit. *Mittio* igitur & hic proprie est *jactio*, & translate *citatio solennis* jactione rami peracta. *Eccardus*.

(1) *In judicium*.) Cod. Guelferbyt. *ad judicium*. Eccard.

(2) *Regulari*.) Rectius Cod. Guelferbyt. *regulariter*. Eccard.

(3) *Ad bibendum*.) Cod. Guelferbyt. *ad bibendum amplius, nisi quantum ei sufficiat*. Editio Bavarica & Codex Regius apud Baluzium: *nisi quod ei necesse fuerit*. Codex S. Remigii Remensis ibidem: *nisi quantum ei sufficit*. Eccard.

(4) *XVII*.) Paragraphi XVII. XVIII. & XIX. in Ms. Guelferbytano omissi sunt. *Eccard*.

(5) *In dextro armo tonsi*.) Observa regiam canum Caroli M. notam. *Eccard*.

(6) *XXI*.) Paragraphus hic, ut & sequentes, non exstant in Ms. Guelferbytano; eorum tamen loco ponuntur, quæ cum Baluzio & nos Appendicis loco adjecimus. *Eccard*.

(7) *Qui uxores non habent*.) Qui sub una quadam Lege vivebant, non facile uxores aliam sequentes ducebant. Unde hic deliberatum puto, quid cum Saxonibus agendum, qui in Franciam traducti uxores non haberent, & forte ideo licentius viverent. *Eccard*.

(8) *Signatis*.) H. e. Catechumenis, qui crucis signo in fronte & pectore notabantur. V. Cangius. *Eccard*.

tulerunt de annunciatione, volumus ut adhuc adducant de opere.

*De mora Missorum dominicorum in locis suæ legationis.*

XXVI. Quantam moram faciant in unoquoque loco, & quot homines secum habeant.

*De prudentia & constantia Missorum.*

XXVII. De prudentia & constantia Missorum nostrorum.

*De falsis monetariis.*

XXVIII. De falsis monetariis requirendum est.

*De generali placito ad Magontiam sive Cabillonem.*

XXIX. Si aliæ res fortuito non præoccupaverint, VIII. Kalendas Julias, id est, Missa sancti Johannis Baptistæ, ad Magontiam sive Cabillonem generale placitum nostrum habere volumus.

HOC FUIT DATUM AD AQUIS (1) IN TERTIO ANNO IMPERII DOMNI KAROLI AUGUSTI, QUANDO SYNODUS IBI MAGNA FUIT.

# CAPITULA

## *Quæ apud Lindenbrogium, Baluzium & Eccardum post superiora adduntur.*

I. TEloneus aut census non exigatur a quolibet ubi nec aquam (2) navigio aut pontem transeundum non est.

II. Et hoc nobis præcipiendum est, ut quicunque in dono regio caballos detulerint, in unumquemque suum nomen habeant scriptum. Similiter & in vestimenta Abbatissarum.

III. Et hoc nobis præcipiendum est, ut ubicunque inveniuntur Vicarii aliquid mali consentientes vel facientes, ipsos eicere & meliores ponere.

IV. Ut Comites vel Vicarii eorum legem sciant, ut ante eos injuste quis nemini judicare possit, nec ipsam legem mutare.

# CAPITULUM

## DE INGENUITATE CHARTARUM,

### *Quod in veteri Cod. Ms. statim post ultimum Cap. superioris Capitularis reperit Baluzius.*

SI quis per chartam ingenuus dimissus fuerit, & a quolibet homine ad servitium interpellatus fuerit, primum legitimum auctorem suæ libertatis proferat, & in sua libertate perseveret. Si vero legitimus auctor defuerit, testimonio bonorum hominum, qui tunc aderant quando liber dimissus fuit, se defendere permittatur. Si vero & testes defuerint, cum duabus aliis chartis, quæ ejusdem Cancellarii manu firmatæ sint vel subscriptæ, cujuscunque fuerint, suam chartam, quæ tertia est, veram & legitimam esse confirmet. Si autem qui interpellatus fuerit ad servitium nec auctorem nec testimonia habuerit, neque alias duas chartas ad suam chartam confirmandam invenire potuerit, tunc is qui eum interpellavit secundum legem ipsam chartam falsam efficiat, & servum conquirat. Si vero interpellator aut auctore aut testimoniis aut chartarum conlatione victus fuerit, & hoc quod voluit efficere non potuerit, multam quæ in ipsa ingenuitatis charta continetur cogatur exsolvere.

---

(1) *Aquis.*) Cum hæc Capitula in Codice Guelferbytano Capitulis de Causis admonendis connectantur, conjicias, & illa Aquisgrani in Synodo lata esse. *Eccard.*

(2) *Aquam.*) Cod. Guelferbyt. *aqua*. Eccardus.

## CAPITULA XVI. INFRA ECCLESIAM,

*HOC EST, DE CAUSSIS ECCLESIASTICIS,*

Data ad Theodonis villam, quibus, teste Baluzio, sequens inscriptio præfixa est in veteri Codice Ms. Sancti Vincentii Metensis,

*Ad Teotonem Villam (1) fuit datum in Anno V. Imper. (2) ante natale Domini.*

### INCIPIUNT CAPITULA.

1. *De lectionibus.*
2. *De cantu.*
3. *De scribis & notariis.*
4. *De diversis disciplinis discendis.*
5. *De compoto, & de arte medicinali.*
6. *De ecclesiis sine honore manentibus.*
7. *De iis qui ad monasterium nuper venerunt.*
8. *De iis qui ad fugiendum debitum servitium seculum relinquunt.*
9. *De relinquentibus seculum.*
10. *De laicis noviter conversis.*
11. *De servis propriis vel ancillis.*
12. *De congregationibus superfluis.*
13. *De non pulsatis secundum regulam.*
14. *De infantulis puellis, quando velentur.*
15. *De præpositis monachorum.*
16. *De incestuosis.*

### INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

*De lectionibus (3).*

I. Ut lectiones in ecclesia distincte legantur.

*De cantu (4).*

II. Ut cantus discatur, & secundum ordinem & morem Romanæ ecclesiæ fiat; & ut cantores de Mettis (5) revertantur.

*De scribis & notariis (6).*

III. De scribis, ut vitiose non scribant. Ut unusquisque Episcopus & Abba & singuli Comites suum notarium habeant.

*De diversis disciplinis (7) discendis.*

IV. De ceteris disciplinis Ecclesiæ, ut secundum canones vel regulam fiant.

*De compoto, & de arte medicinali (8).*

V. De compoto (9), ut veraciter discant omnes. De medicinali arte ut infantes hanc discere mittantur.

*De ecclesiis sine honore manentibus.*

VI. De Ecclesiis sine honore manentibus absque officiis & luminariis, & de his qui decimas quidem adsumunt, & de Ecclesiis non curant, ut omnimodis emendetur. Et de

(1) *Ad Teotonem Villam.*) Palatium hic sub Merovingis & Carolingis Regibus celeberrimum fuit, de quo erudita Michaelis Germani Commentatio de palatiis Reg. Francorum apud Mabillonium de Re dipl. lib. IV. cap. 141. pluribus agit. Ad Mosellam situm est, & hodie Gallis *Thionville*, nostris *Diedenhofen* appellatur. *Eccard.*

(2) *Anno V. Imper.*) Hoc est anno Domini 805. sub finem, quo ad Theodonis villam Carolus resedit. *Eccardus.*

(3) *De lectionibus*) R. Abbas Schmidius Helmstadii eruditam *de Lectionariis Ecclesiæ Græcæ & Latinæ* dissertationem conscripsit, occasione Lectionarii Ms. quod Johannem Chrysostomum auctorem habet, & in Bibliotheca Julia asservatur. *Eccard.*

(4 *De cantu.*) Ejusdem Schmidii hic Dissertatio de *Cantoribus Ecclesiæ V. & N. Test.* legi meretur. *Eccard.*

(5) *De Mettis.*) Vid. Vita Caroli M. incerti auctoris c. 8. & Monachus Sangallensis lib. I. c. 11. Vita Alcuini notat, Sigulfum Presbyterum Metas civitatem cantus causa directum fuisse. *Eccard.*

(6) *De scribis & notariis.*) Hæc periodus in Ms. Guelferbyt. in duas divisa est. De *Notariis* etiam Schmidius pleraque congessit in Dissertationibus tribus, *de Notariis Ecclesiæ tum Orientalis, tum Occidentalis.* Eccard.

(7) *Disciplinis.*) H. e. institutis. Ludovici Tomasini opus insigne de Disciplina Ecclesiastica tribus tomis Parisiis editum fuse omnia hæc pertractavit. *Eccard.*

(8) *De arte medicinali.*) Ms. Guelferbyt. & Amerbachius: *de medicinalia*. Sed medicina jam olim *ars* dicta est, & medicus *artista*. Unde vetus *arzat* & nostrum *artz*, medicus, derivandum. *Eccard.*

(9) *Compoto.* Ms. Guelf. *computo*. Computus est *numeri assignatio*; sed specialiori sensu *notitia cursus Lunæ ac Kalendarum*, seu *scientia certificandi tempus secundum solis & lunæ progressum*, ut Durandus lib. VIII. Rational. c. 1. definit. Vid. plura ap Cangium. Habemus nos in codice membranaceo *Magistri Reinheri Decani Patherburnensis perspicacissimi calculatoris Compotum emendatum*, ut inscriptio præfert; qui Compotum hoc modo definit: *Compotus est scientia inveniendi quibus diebus & feriis annua festa redeant.* Eccard.

de altaribus, ut non superflua sint in Ecclesiis.

*De iis qui ad monasterium nuper venerunt.*

VII. De nuper venientibus ad monasterium, ut primo discant regulam antequam foras mittantur ad ministeria, & quod non vadant ad judicia secularia.

*De iis qui ad fugiendum debitum servitium seculum relinquunt.*

VIII. De iis qui seculum relinquunt propter servitium dominicum impediendum, & tunc neutrum faciunt, ut unum e duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam aut secundum regularem constitutionem (1) vivere debeant, aut servitium dominicum faciant.

*De relinquentibus seculum.*

IX. Ut omnes Clerici unum de duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam aut secundum regularem institutionem vivere debeant.

*De laicis noviter conversis.*

X. De laicis noviter conversis, ne antequam suam legem pleniter vivendo discant, ad alia negotia mittantur.

*De servis propriis vel ancillis.*

XI. De propriis servis (2) vel ancillis, ut non supra modum in monasteria sumantur, ne desertentur villæ.

*De congregationibus superfluis.*

XII. De congregationibus superfluis, ut nullatenus fiant, sed tantos congreget quis quantis consilium dare possit.

*De non pulsatis secundum regulam.*

XIII. De illis qui non fiunt secundum regulam pulsati (3), ut deinceps emendentur & pulsentur secundum regulam.

*De infantulis puellis, quando velentur.*

XIV. Ut infantulæ ætatis puellulæ non velentur antequam illæ eligere sciant quid velint; & ut pulsentur salva canonica sententia & auctoritate.

*De præpositis monachorum.*

XV. Ut laici non sint præpositi monachorum infra monasteria, nec Archidiaconi sint laici.

*De incestuosis.*

XVI. De incestuosis, ut canonice examinentur, & nec propter alicujus amicitiam alii relaxentur, alii constringantur.

## CAPITULA AD OMNES GENERALITER.

### INCIPIUNT CAPITULA.

1. *De pace servanda.*
2. *De justitiis generalibus.*
3. *De justitiis regalibus.*
4. *De fame, clade, pestilentia, si evenerit.*
5. *De armis non portandis.*
6. *De armatura in hoste habenda.*
7. *De negotiatoribus, quousque procedant.*
8. *De clamatoribus vel causidicis.*
9. *De juramento.*
10. *De conspirationibus.*
11. *De perjuriis.*
12. *De Advocatis, Vicedominis, Vicariis & Centenariis.*
13. *De teloneis.*
14. *De fugitivis Clericis sive laicis.*
15. *De liberis hominibus ad servitium Dei se tradentibus.*
16. *De oppressione pauperum.*
17. *De Ecclesiis seu sanctis noviter inventis.*
18. *De falsis monetis.*
19. *De heribanno.*
20. *De censu regali.*
21. *De latronibus.*
22. *De liberis hominibus uxores fiscalinas habentibus.*
23. *Ut decimæ dividantur in quatuor partes.*
24. *De tuitione viduarum, pupillorum, orphanorum, & infirmorum.*
25. *De incantatoribus & tempestariis.*

---

(1) *Constitutionem.*) Cod. Guelferb. *institutionem*. Eccard.

(2) *De propriis servis &c.*) Cod. Guelferb. *De servis propriis vel ancillis ut non amplius tundantur vel velentur nisi secundum mensuram, & ibi satisfiant, & villæ non sint desolatæ*. Eccardus.

(3) *Pulsati.*) *Pulsantes* & *pulsati*, dicuntur Monachismi Candidati, qui pulsant ad fores monasterii & in monachorum ordinem admitti ambiunt & deposcunt. V. Cangius. Inde suem nondum justæ magnitudinis Saxones *ein polk* vocant, voce hac a *pulsatus* detorta, & a monasterii candidatis ad porcos traducta. Laici enim monachis infensiores, cum eos porcorum instar desides & sua tantum manducantes crederent, non nuper demum eos porcis injuriose comparavere. *Eccard.*

## INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

*De pace ſervanda.*

I. De pace, ut omnes qui per aliqua ſcelera ei rebelles (1) ſunt conſtringantur.

*De juſtitiis generalibus.*

II. De juſtitiis Eccleſiarum Dei, viduarum, orphanorum, & pupillorum, ut in publicis judiciis non deſpiciantur clamantes, ſed diligenter audiantur.

*De juſtitiis regalibus.*

III. De juſtitiis regalibus, ut pleniter fiant inquiſitæ.

*De fame, clade, & peſtilentia, ſi evenerit.*

IV. De hoc ſi evenit fames, clades, aut inæqualitas aeris (2), ut non expectetur edictum noſtrum, ſed ſtatim deprecetur Dei miſericordia. Et in præſenti anno de famis inopia, ut ſuis quiſque adjuvet prout poteſt, & ſuam annonam non nimis care vendat. Et ne foris imperium noſtrum vendatur aliquid alimoniæ.

*De armis non portandis.*

V. De armis infra patriam non portandis, id eſt, ſcutis & lanceis & loricis. Si faidoſus quis ſit, diſcutiatur tunc quis e duobus contrarius ſit ut pacari ſint; & diſtringantur ad pacem, etiamſi noluerint. Et ſi aliter pacificari nolunt, adducantur in noſtram præſentiam. Et ſi aliquis poſt pacificationem alterum occiderit, componat illum, & manum quam perjuravit perdat, & inſuper bannum dominicum ſolvat.

*De armatura in hoſte habenda.*

VI. De armatura in exercitu, ſicut antea in alio Capitulari mandavimus (3), ita ſervetur. Et inſuper omnis homo de duodecim manſis bruniam (4) habeat. Qui vero bruniam habens, eam ſecum non tulerit, omne beneficium cum brunia perdat.

*De negotiatoribus, quouſque procedant.*

VII. De negotiatoribus qui partibus Sclavorum (5) & Avarorum (6) pergunt, quouſque procedere cum ſuis negotiis debeant, id eſt, partibus Saxoniæ uſque ad Bardenuvich (7), ubi prævideat Hredi (8); & ad Schesla (9), ubi prævideat Madalgoz. Ad Magadoburg (10) prævideat Hatto. Ad Erpisfurt (11) prævideat Madalgaudus (12). Ad

---

(1) *Rebelles.*) Cod. Guelf. *rebelli*. Eodem modo Italicum *ribello* & Gall. *rebelle* formata ſunt. *Eccard.*

(2) *Inæqualitas aeris.*) Cod. Guelf. addit: *vel aliqua qualiſcunque tribulatio*. Eccard.

(3) *Mandavimus.*) Cod. Guelferb. *commendavimus*. Eccard.

(4) *Bruniam.*) Cod. Guelf. *bruneam*. Eccardus.

(5) *Sclavorum.*) Slavi Caroli M. ætate ad utrumque Albis litus, & quidem cis Albim per partem aliquam Ducatus Luneburgici, Marchiam veterem, Salam item Thuringicum inter & Albim, ac per Bohemiam ad Danubium uſque conſidebant. *Eccard.*

(6) *Avarorum.*) Avari, gens Hunnica, Danubio & Aniſo fluvio a Bajoaria ſecreti erant, ut intelligimus ex Annalibus Francicis, ubi Caroli M. expeditionem adverſus eos anno 791. ſuſceptam deſcribunt. *Eccard.*

(7) *Bardenuvich.*) Cod. Guelf. unus, *Bardenuuich*; alter, *Bardunuuich*; Capitulare tertium anni DCCCV. §. 9. *Bardenvvibc*; Capitular. lib. VI. c. 273. *Bardenuvvic*. In Amerbachii editione corruptiſſime & truncate *Nuiuih* poſitum eſt. Bardewicum celebris olim ad Ilmenaviam fluvium non procul Luneburgo civitas, ab Henrico Leone devaſtata; Eccleſia tamen collegiata adhuc inſignis. Henricus Meibomius, Caſpar Sagittarius, & nuper Chriſtianus Schlœpkenius ejus memorabilia ediderunt. *Eccard.*

(8) *Hredi.*) Amerbach. *Heretus*. Eccard.

(9) *Et ad Schesla.*) Amerbachii editio: *& ad Skesba*. Capitular libr. III. c. 6. hic locus omiſſus eſt; Capitularium vero lib. VI. c. 273. ſcribitur: *& ad Ceslic*. In Capitulari III. anni DCCCV. *& ad Schesla*. Codex Capitularium Ms. Gothanus habet: *& ad Ce[illegible]la*. Codex Guelf. vetuſtior: *& ad Skaesla*. Cod. Guelf. recentior paulo: *& Aſchzela*. Si terminos Slavorum & Saxonum conſideres, nullum dubium erit, quin hæc legenda omnino ſint: *& ad Zela* vel *Cella*. Intelligitur autem vicus jam ad Alleræ & Avæ confluentes ſitus & *alten Zelle* vocatus, ad quem olim mercimonia a Brema advecta appulerunt; deinde vero commodior viſa eſt *nova Cella*, quæ paullo inferius ad Alleram jacet, & deinde, Ducum quoque Luneburgenſium ſedes facta, in elegantem Saxoniæ noſtræ urbem excrevit. Fabula eſt, a Cella monachorum quadam nominatam. Multo enim antiquior eſt. Et mentio ejus jam fit in veteri charta de finibus Epiſcopatus Hildesheimenſis Scriptor. Brunſvic. Tom. II. p. 155. ubi vetuſtior illa Cella *occidentalis Kiellu*, & pagina ſeq. in Diplomate Henrici II. Imp. *Weſter Kel[illegible]* vocatur. *E[illegible]d.*

(10) *Magadoburg.*) Capitular. lib. VI. & in Cod. Gothano, *Magadeburg*. In Guelferbytano recentiori corruptius, *Mag[illegible]gaburch*. Urbs nota ad Albim, in Metropolim ab Ottone M. erecta, cujus antiquitates Caſp. Sagittarius doctiſſimo libello deſcripſit. *Eccard.*

(11) *Erpisfurt.*) Ita & Cod. Guelf. vet[illegible]ſtior. Capit. lib. III. *Erpesfurd*, lib. VI. vero *Herfes[illegible]*, in Cod. Goth. *H[illegible]esfurt*, in Cod. Guelf. recentiori *Herbisfurt* ſcribitur. Urbs Thuringiæ ad Geram fluvium. *Eccard.*

(12) *Ad Erpi[illegible] prævideat Madalga[illegible]* Capitulare anni DCCCV. tertium §. 9. *ad Erp[illegible] prævideat Madalgoz, ad Ha[illegible]* *Madalgoz*. Capitular. lib. VI. cap. 273. *ad Herpesfurt prævideat Mala[illegible]gaudi. & ad Alagaſtat ſimiliter*. Eodem modo Codex Gothanus legit. Codex Guelf. vetuſtior: *Ad Erpisfurt Madalgaudus, ad Halazſtad prævideat Madalgaudus*. Cod. Guelf. recentior *Ad Halisfurt p[illegible]*

Ad Foracheim (1), ad Breemberg (2), & ad Ragenisburg (3) Audulfus, & ad Lauriacum (4) Warnarius. Et ut arma & brunias non ducant ad venundandum. Quod si inventi fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus palatii, alia vero medietas inter jam dictos Missos & inventorem dividatur.

*De clamatoribus vel causidicis.*

VIII. De clamatoribus vel causidicis qui nec judicium Scabiniorum adquiescere nec blasphemare (5) volunt, antiqua consuetudo servetur, id est, ut in custodia recludantur donec unum e duobus faciant. Et si ad palatium (6) pro hac re reclamaverint, & litteras detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur; sed cum custodia & cum ipsis litteris pariter ad palatium nostrum remittantur, & ibi discutiantur sicut dignum est.

*De juramento.*

IX. De juramento, ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur nisi nobis & unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem & sui senioris; excepto his sacramentis quæ juste secundum legem alteri ab altero debentur. Et infantes qui antea non potuerunt propter juvenilem ætatem jurare, modo fidelitatem repromittant.

*De conspirationibus.*

X. De conspirationibus vero quicunque facere præsumpserint, & sacramento quamcunque conspirationem firmaverint, ut triplici ratione judicentur. Primo, ut ubicunque aliquod malum per hoc perpetratum fuerit, auctores facti interficiantur; adjutores vero eorum singuli alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem præcidant. Ubi vero nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi vicissim detondeant. Si vero aliqua conspiratio per dextras firmata fuerit, si liberi sunt, aut jurent cum idoneis juratoribus hoc pro malo non fecisse, aut si facere non potuerint, suam legem componant; si vero servi sunt, flagellentur. Et ut de cetero in regno nostro nulla hujusmodi conspiratio nec per sacramentum nec sine sacramento fiat.

*De perjuriis.*

XI. De perjuriis, ut caveantur, & non admittantur testes ad juramentum antequam discu-

---

*videat Madalgaudus & ad Aletat prævideat item Madalgaudus*. Capitular. lib. III. Cap. 6. *ad Erpesfurd, & ad Halaxstat*. Sic & Heroldus exhibuit. Editio vero Amerbachiana corrupte admodum integrum locum ita legit: *usque ad partem Nuivih, ibi prævideat Heretus; & ad Skesba, ubi Madalgaidus prævideat, ad Alucstat, & ad Erpesfurt, item Miam prævideat, ad Forambeim & ad Bremberg, & ad Raginispurg Audulphus, ad Magadeburg prævideat Hatto & ad Lauriacum Vuerinheri*. Clarum igitur est, inseri debere post Erfurtum, locum *Halagestat*, *Alagastat*, *Halazstad* vel *Halaxstat* vocatum, qui, cum una cum Erfurto ab uno eodemque Misso gubernatus sit, inde non adeo procul dissitus esse debuit. Quadrat vero hoc in Thuringiæ *Alstetum* Unstruto adjacens, ubi Ottones Impp. non una vice fuerunt; & postea Palatini Saxoniæ quidam sedem habuerunt. Antiquitates loci Casp. Sagittarius peculiari Dissertatione exposuit. Amerbachius de *Halberstadio* ex sua lectione vocem intellexisse videtur. Sed hic locus a Slavorum finibus paullo remotior erat: proximus vero Slavis Sorabis is, qui *Alstetum* dicitur. *Eccardus*.

(1) *Ad Foracheim.*) Cod. Guelf. rec. *Furcham*, Capitular. lib. VI. *Forachem.* Nota est urbs Forchemium ad Wisenti & Rednitiæ confluentes, Bambergam inter & Norimbergam sita. *Eccardus*.

(2) *Ad Breemberg.*) Ita & Cod. Guelf. vetustior & Capitular. lib. VI. Capitulare anni DCCCV. tertium, *Briamperg*; Heroldus Capitular. lib. III. cap. 6. *Brenpereg.* Capitular. ex editione Baluzii lib. VI. *Brehembret.* Cod. Guelf. rec. *Brembercg*; Codex Gothanus, *Herembebret*. Audulfus Forchemio, Breembergæ & Regensburgo præfuit; unde hæc loca iterum non nimis a se invicem distitisse apparet. Inter Forchemium vero & Regensburgum non alius magis locus eminet, quam *Norimberga*. Cum tamen nullus Brembergæ nomine insignitus ibi occurrat, valde pronus sum, ut putem, *B* ex *N* corruptum, & priorem vocalem transpositam esse. In Codice Gothano quoque *He* facillimo errore scribæ ex *Ne* prodire potuit. *N* vero in *B* aliquando corruptum esse, ostendimus etiam in Notis ad Leibnitii Libellum de Orig. Francorum ex Anonymo Ravennate, apud quem *Bac* pro *Nab*, sive Nabo fluvio in Danubium se exonerante, positum reperitur tam in Porcheroni, quam in Gronovii editione. Pro *Breemberg* igitur *Neremberg*, & pro *Brianperg* iterum *Niranperg*, pro *Brehembret* porro *Nerbemberc*, & pro *Herembebret* tandem *Nerembeberc* legendum esset. Nec corruptiones ejusmodi vocum insuetiorum insolitæ. Sed ita *Norimbergæ* antiquitatem asseruimus, de qua forte ibi loci nondum hactenus cogitatum fuit. Freherus in Notis Mss. ad Codicem Legum antiqu. Heroldi *Brenpereg* ibi de *Brandenburgo* exposuit. Sed Caroli M. tempore hic locus nondum regno Germaniæ adjectus erat. Situs etiam non congruit. *Eccard.*

(3) *Ragenisburg.*) Hanc esse *Regensburgum*, sive, ut Latinius dicitur, *Ratisbonam* nemo nescit. *Eccard.*

(4) *Lauriacum.*) Capitulare anni DCCCV. tertium: *Loriacum*. Capitular. lib. VI. *Lavariocam*, atque ita & Codex Gothanus scribit. Cod. Guelf. recentior *Lauriago* habet. Laureacum in Romanis monumentis celebre, jam vicus est exiguus sub mœnibus oppidi Ens, ad confluentem Anasi cum Danubio, vulgo *Lorch* dictus. Episcopatum olim habuit, qui deinde Patavium translatus est. De Laureaco vide plura in Gewoldi additionibus ad Hundii Metropolim Bavar. Tom. I. pag. 334. Ex iis vero quæ nos attulimus, patet, urbem hanc in ipsis Avarorum finibus sitam fuisse. *Eccardus*.

(5) *Blasphemare.*) Hoc est, *tanquam falsum impugnare & ab eo appellare*. Vide Cangium. *Eccardus*.

(6) *Si ad palatium.*) Cod. Guelf. vetustior: *si ad placium*. Recentior vero: *si ad placitum*. Atque sic etiam paullo post pro illo *palatium* legitur. *Eccard.*

discutiantur. Et si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem, & singulariter inquirantur. Et non soli accusatori liceat testes eligere, absente suo causatore. Et omnino nullus nisi jejunus ad juramentum vel ad testimonium admittatur. Et ille qui ad testimonium adducitur si refutatur, dicat ille qui eum refutat & probet quare illum recipere nolit. Et de ipso pago, non de altero, testes eligantur, nisi forte longius extra comitatum causa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit perjurii, perdat manum, aut redimat.

*De Advocatis, Vicedominis, Vicariis, & Centenariis.*

XII. De Advocatis, Vicedominis, Vicariis, & Centenariis pravis, ut tollantur, & tales eligantur quales & sciant & velint juste causas discernere & terminare. Et si Comes pravus inventus fuerit, nobis nuntietur.

*De teloneis.*

XIII. De teloneis placet nobis ut antiqua & justa telonea a negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quamque & de navigiis seu mercatis. Nova vero sive injusta, ubi vel funes tenduntur vel cum navibus sub pontibus transitur, seu his similia, in quibus nullum adjutorium iterantibus præstatur, ut non exigantur. Similiter etiam nec de his qui sine negotiandi causa substantiam suam de una domo sua ad aliam aut ad palatium seu in exercitum ducunt; Si quid vero fuerit unde dubitetur, ad proximum placitum nostrum quod cum ipsis Missis habituri sumus interrogetur.

*De fugitivis Clericis sive laicis.*

XIV. De fugitivis Clericis sive laicis vel etiam feminis, sicut jam in alio Capitulari præcepimus, ita servetur.

*De liberis hominibus ad servitium Dei se tradentibus.*

XV. De liberis hominibus qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant quam a nobis licentiam postulent. Hoc ideo quia audivimus aliquos ex illis non tam causa devotionis quam exercitu seu alia functione regali fugiendo, quosdam vero cupiditatis causa ab his qui res illorum concupiscunt circumventos audivimus. Et hoc ideo fieri prohibemus.

*De oppressione pauperum.*

XVI. De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant a potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. Ideo hæc & supra & hic de liberis hominibus diximus, ne forte parentes contra justitiam fiant exhereditati, & regale obsequium minuatur, & ipsi heredes propter indigentiam mendici vel latrones seu malefactores efficiantur. Et ut sæpius non fiant manniti ad placitum; nisi sicut in alio Capitulari præcepimus, ita servetur.

*De Ecclesiis seu Sanctis noviter inventis.*

XVII. De Ecclesiis seu Sanctis noviter sine auctoritate inventis, nisi Episcopo probante minime venerentur. Salva etiam & de hoc & de omnibus Ecclesiis canonica auctoritate.

*De falsis monetis.*

XVIII. De falsis monetis, quia in multis locis contra justitiam & contra edictum nostrum fiant, volumus ut nullo alio loco moneta sit nisi in palatio nostro; nisi forte a nobis iterum aliter fuerit ordinatum. Illi tamen denarii qui modo monetati sunt, si pensantes & meri sunt, habeantur.

*De heribanno.*

XIX. De heribanno (1) volumus ut Missi nostri hoc anno fideliter exactare debeant absque ullius personæ gratia, blanditia, seu terrore, secundum jussionem nostram; id est, ut de homine habente libras sex in auro, argento, bruneis, æramento (2), pannis integris, caballis, bobus, vaccis, vel alio peculio, & uxores vel infantes non fiant despoliati pro hac re, de eorum vestimentis accipiant legitimum heribannum, id est, libras tres. Qui vero non habuerit amplius in suprascripto pretio valente nisi libras tres, solidi triginta ab eo exigantur. Qui autem non habuerit amplius nisi duas libras, solidi decem. Si vero libram unam habuerit, solidi quinque, ita ut iterum se valeat præparare ad Dei servitium & ad nostram utilitatem. Et Missi nostri caveant & diligenter inquirant ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram justitiam, alteri tradendo aut commendando.

*De censu regali.*

XX. Census regalis undecunque legitime exiebat, volumus ut inde solvatur, sive de propria persona hominis, sive de rebus.

*De latronibus.*

XXI. De latronibus, sicut jam antea in alio Capitulari commendavimus, ita maneat.

*De liberis hominibus uxores fiscalinas habentibus.*

XXII. De liberis hominibus qui uxores fisca-

(1) *De heribanno.*) Cod. Guelf. vet. *de haribanno*. Eccardus.

(2) *Æramento.*) Æramentum est, quicquid ex ære factum. *Eccardus*.

fiſcalinas regias, & feminis liberis, quæ homines ſimiliter fiſcalinos regios accipiunt, ut non de hereditate parentum vel de cauſa ſua quærenda nec de teſtimonio pro hac re abiciantur; ſed talis etiam nobis in hac cauſa honor ſervetur qualis & anteceſſoribus noſtris Regibus vel Imperatoribus ſervatus eſſe cognoſcitur (1).

*Ut decimæ dividantur in quatuor partes.*

XXIII. Ut decimæ populi dividantur in quatuor partes; id eſt, una pars Epiſcopo, alia Clericis, tertia pauperibus, quarta Eccleſiæ in fabricis applicetur, ſicut in decreto Gelaſii (2) Papæ continetur.

*De tuitione viduarum, pupillorum, orphanorum, & infirmorum.*

XXIV. Ut viduis, & pupillis, orphanis, cæcis, & claudis tuitionem atque adminiculum impertiamus juxta poſſibilitatem noſtram vel vires, ſicut in præcepto Domini Regis continetur.

*De incantatoribus & tempeſtariis.*

XXV. De incantationibus, auguriis, vel divinationibus, & de his qui tempeſtates vel alia maleficia faciunt, placuit ſancto Concilio ut ubicunque deprehenſi fuerint, videat Archipresbyter diœceſis illius ut diligentiſſime examinatione conſtringantur ſi forte confiteantur malorum quæ geſſerunt. Sed tali moderatione fiat eadem diſtrictio ne vitam perdant, ſed ut ſalventur in carcere afflicti uſque dum Deo inſpirante ſpondeant emendationem peccatorum. Et ut nullatenus per aliqua præmia a Comitibus vel Centenariis abſque diſtricta examinatione remittantur. Et hoc ſi fecerint, Archipresbyteri, dum hoc cognoverint, nequaquam Epiſcopis celare audeant, & ab Epiſcopis, ut dignum eſt, pro hoc corripiantur.

# C A P I T U L A (3)
## QUÆ LEGIBUS ADDENDA.

### In veteri Codice Guelferbytano hæc erat eorum inſcriptio: *Incipiunt Capitula, quæ Legibus addenda ſunt, quæ & Miſſi & Comites & habere & ceteris nota facere debent.*

*De viduis (4) & pupillis.*

I. UT quandocunque ante Comitem venerint, primo eorum cauſa audiatur & definiatur. Et ſi teſtes per ſe ad cauſas ſuas quærendas habere non potuerint, vel legem neſcierint, Comes illos vel illas adjuvet, dando eis talem hominem qui rationem eorum teneat vel pro eis loquatur.

*De raptu (5) viduarum.*

II. Qui viduam intra primos triginta dies viduitatis ſuæ vel invitam vel volentem alii copulaverit, bannum noſtrum, id eſt, ſexaginta ſolidos, in triplo componat; & ſi invitam eam duxit, legem ſuam componat, illam vero ulterius non attingat.

*De homicidiis (6) prohibendis.*

III. Quicunque hominem aut ex levi cauſa aut ſine cauſa interfecerit, wirgildum ejus his, ad quos ille pertinet, componat. Ipſe vero, propter talem præſumptionem, in exilium mittatur, ad quantum tempus nobis placuerit. Res tamen ſuas non amittat.

*De raptu alienarum ſponſarum.*

IV. Si quis ſponſam alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei, qui legibus ejus defenſor eſſe debet, cum ſua Lege reddat; & quicquid cum ea tulerit, ſemotim unamquamque rem ſecundum Legem reddat. Et ſi hoc defenſor ejus perpetrari conſenſerit, & ideo raptori nihil quærere voluerit, Comes ſingillatim de unaquaque re freda noſtra ab eo exactare faciat. Sponſo vero legem ſuam componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt, LX. ſolidos ſolvat, vel in præſentiam noſtram Comes eum advenire faciat, & quantum tempus nobis placuerit, in exilio maneat; & illam feminam ei habere non liceat.



(1) Hic in Codice Guelferbyt. additum eſt: FINIT. Nec Codex recentior ulterius progrediebatur. Baluzius quoque teſtatur, in exemplaribus Mss. Sangallenſi & Corbionenſi hic deſiiſſe Capitulare iſtud. In Viti tamen Amerbachii editione ſequentia adduntur. *Eccard.*

(2) *In decreto Gelaſii.*) Decret. Gelaſ. c. 29. Gratian. 12. q. 2. c. 17. *Quatuor autem.* Eccard.

(3) *CAPITULA.*) Hæc Capitula eo ordine, quo nos illa edimus, exſtant in vetuſto Codice Guelferbytano. Unde putamus, Carolum M. conſtituiſſe ea Legi Salicæ addere; ſed ante peractum hoc inſtitutum obiiſſe. Quo factum, ut deinde Ludovicus Pius anno DCCCXIX. demum patris voluntatem implens, Capitulari, quod Salicæ Legi addidit, ea partim inſeruerit, ut videbimus. *Eccard.*

(4) *De viduis.*) Ludovici Pii add. ad Legem Salicam §. 3. *Eccard.*

(5) *De raptu.*) Ibid. §. 4. *Eccard.*

(6) *De homicidiis.*) Ibid. §. 7. *Eccard.*

*De his qui bonos denarios accipere nolunt.*

V. Quicunque liber homo denarium merum & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est, LX. solidos componat. Si vero servi ecclesiastici aut Comitum aut vassallorum nostrorum hoc facere præsumserint, sexaginta ictus accipiant. Aut si magister eorum vel advocatus, qui liber est, eos vel Comiti vel Misso nostro jussus præsentare noluerit, prædictum bannum nostrum, id est, LX. solidos componat.

# CAPITULARIA LUDOVICI PII.

## CAPITULA (1)

## LEGI SALICÆ ANNO III. (2) ADDITA.

Vetus inscriptio eorum hæc est: *Incipiunt Capitula quæ domnus Hludowicus Imp. anno III. addere jussit.*

I. SI duo testimonia de qualibet re testimoniaverint, & inter se discordant, Comes eligat unum ex una parte, & alium ex alia parte; & illi duo decertent cum fustibus (3). Namque si debiliores ipsi testes fuerint, tunc ad crucem (4) examinentur. Nam si majoris ætatis, & non possint ad crucem stare, tunc mittant aut filios aut parentes, aut qualescunque homines possint, qui pro eis hoc tendunt, & ille, qui de ipsa falsitate hoc (*leg.* per hoc) convictus fuerit, dexteram manum perdat.

II. De omnibus (5) debitis solvendis, sicut antiquitus fuit consuetudo, per duodecim denarios solidi solvantur per totam legem Salicam, excepto leudis, si Saxo aut Friso Salicum occiderit, per XL. denarios (6) solvant solidum. Infra Salicum vero ex utraque parte de omnibus debitis, sicut diximus, XII. denariis solidi solvantur, sive de homicidiis sive de omnibus rebus.

III. De manitionibus (7) vero nisi de ingenuitate aut de hereditate non sit opus observare. De ceteris vero causis per districtionem Comitis ad mallum veniant, & juste examinentur ad justitias faciendum. Comites vero non semper pauperes per placita (8) premere debeant (9).

(1) *CAPITULA.*) Hæc Capitula in Codice Guelferbytano recentiori, atque, ut puto, tempore Ludovici Pii conscripto, inveni. *Eccardus.*

(2) *Anno III.*) Incidit is in annum Christi DCCCXVI. *Eccard.*

(3) *Decertent cum fustibus.*) Usque ad hæc verba Capitulum hoc exstat in Capitulis Ludovici Pii excerptis ex Lege Longobardorum §. 3. Sed legitur ibi: *decertent cum scutis & fustibus*. Eccard.

(4) *Ad crucem.*) De judicio Crucis Lindenbrogius & Cangius diffuse satis egerunt. *Eccardus.*

(5) *De omnibus.*) Lex hæc, quamquam in quibusdam vocibus aliter, exstat in Capitulis Caroli M. additis ad Legem Longobardorum §. 15. ed. Baluz. pag. 251. *Eccard.*

(6) *Per XL. denarios.*) Male apud Baluzium legitur: *per sexaginta denarios*. Eccard.

(7) *De manitionibus.*) Vid. ibid. §. 19. ubi tamen legitur: *de mannitione*. Eccard.

(8) *Per placita.*) Baluz. *ad placita*. Eccard.

(9) *Premere debeant.*) Baluz. *opprimant*. Eccardus.

C A-

# CAPITULA (1) ADDITA AD LEGEM SALICAM

## In generali populi conventu habito apud Aquisgranum post natale Domini anno quinto imperii Ludovici Pii desinente.

*Hæc capitula Domnus Hludovicus Imperator anno imperii sui quinto cum universo cœtu populi in Aquisgrani palatio promulgavit atque legi Salicæ addere præcepit. Ipseque postea, cum in Theodonis villa generalem conventum habuisset, ulterius capitula appellanda esse prohibuit, sed ut lex tantum dicerentur voluit.*

### INCIPIUNT CAPITULA.



### INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

*De honore ecclesiarum.*

I. Si quis aut ex levi caussa aut sine caussa hominem in ecclesia interfecerit, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint, & unus alterum in ecclesiam fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, si hujus facti testes non habuerit, cum duodecim conjuratoribus legitimis per sacramentum adfirmet se defendendo eum interfecisse, & post hæc sexcentos solidos ad partem ecclesiæ quam illo homicidio polluerat, & insuper bannum nostrum solvere cogatur; is vero qui interfectus est, absque compositione jaceat. ac deinde interfector secundum judicium canonicum congruam facinori quod admisit pœnitentiam accipiat. Si proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examinetur utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur. Si autem non fuerit, dominus ejus juxta quod wirgildus illius est ad ecclesiam persolvat, aut eum, si voluerit, eidem ecclesiæ tradat. De ecclesiastico & fiscalino & beneficiario servo volumus ut pro una vice wirgildus ejus pro eo componatur, altera vice ipse servus ad supplicium tradatur. Hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio (2) ecclesiæ, cujus porta reliquiis sanctorum consecrata est, hujusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur. Si vero porta ecclesiæ non est consecrata, eo modo componatur, quod in atrio committitur, sicut componi debet quod in immunitate violata committitur.

*De injuriis sacerdotum in ecclesiis factis.*

II. Sanguinis effusio in ecclesia facta cum fuste, si Presbyter fuerit, triplo componatur, duas partes eidem Presbytero, tertia pro fredo ad ecclesiam, & insuper bannus noster. Similiter de Diacono juxta compositionem ejus in triplo cum banno nostro componatur. De Subdiacono similiter in triplo secundum suam compositionem. Et de uniuf-



(1) *CAPITULA.*) Hæc Capitula ex pluribus Codicibus Mss. emendatiora Baluzius dedit. Meminere eorum a Ludovico Pio latorum Auctor vitæ Ludovici & Annales Laureshamenses, quos Quercetanus Eginhardo adscripsit. *Eccard.*

(2) *Si in atrio.*) Baluzius annotat hic, locum hunc citari a Baronio ad diem 18. Novembris, ut ostendat, majores nostros sacris reliquiis aliquando consecrasse Ecclesiæ vel atrii portas. *Eccard.*

uniuſcujuſque ordinis Clerico ſecundum ſuam compoſitionem in triplum perſolvatur, & inſuper bannus noſter. Similiter & de ictu ſine ſanguinis effuſione de uniuſcujuſque ordinis Clerico ſecundum ſuam compoſitionem in triplo, & bannus noſter. Et qui non habet unde ad eccleſiam perſolvat, tradat ſe in ſervitium eidem eccleſiæ uſque dum totum debitum perſolvat.

*De viduis & pupillis & pauperibus.*

III. Ut quandocunque in mallum ante Comitem venerint, primo eorum cauſſa audiatur & definiatur. Et ſi teſtes per ſe ad cauſſas ſuas quærendas habere non potuerint, vel legem neſcierint, Comes illos vel illas adjuvet, dando eis talem hominem qui rationem eorum teneat, vel pro eis loquatur.

*De raptu viduarum.*

IV. Qui viduam intra proximos [a] triginta dies viduitatis ſuæ vel invitam vel volentem ſibi copulaverit, bannum noſtrum id eſt ſexaginta ſolidos in triplo componat. Et ſi invitam eam duxit, legem ſuam ei componat, illam vero ulterius non adtingat.

*De homine publicam pœnitentiam agente interfecto.*

V. Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat, & wirgildum ejus proximis ejus perſolvat.

*Ut omnis homo liber poteſtatem habeat ubicunque voluerit res ſuas dare pro ſalute animæ ſuæ.*

VI. Si quis res ſuas pro ſalute animæ ſuæ vel ad aliquem venerabilem locum, vel propinquo ſuo, vel cuilibet alteri tradere voluerit, & eo tempore intra ipſum comitatum fuerit in quo res illæ poſitæ ſunt, legitimam traditionem facere ſtudeat. Quod ſi eodem tempore quo illas tradere vult extra eundem comitatum fuerit, id eſt, ſive in exercitu, ſive in palatio, ſive in alio quolibet loco, adhibeat ſibi vel de ſuis pagenſibus, vel de aliis qui eadem lege vivant qua ipſe vivit, teſtes idoneos, vel ſi illos habere non potuerit, tunc de aliis quales ibi meliores inveniri poſſint, & coram eis rerum ſuarum traditionem faciat, & fidejuſſores veſtituræ donet ei qui illam traditionem accipit ut veſtituram faciat. Eſt poſtquam hæc traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de prædictis rebus valeat facere repetitionem. Inſuper & ipſe per ſe fidejuſſionem faciat ejuſdem veſtituræ, ne heredi ulla occaſio remaneat hanc traditionem immutandi; ſed potius neceſſitas incumbat illam perficiendi. Et ſi nondum res ſuas cum coheredibus ſuis diviſas habuit, non ei hoc ſit impedimento; ſed coheres ejus, ſi ſponte noluerit, aut per Comitem aut per Miſſum ejus diſtringatur ut diviſionem cum illo faciat ad quem defunctus hereditatem ſuam voluit pervenire. Et ſi cuilibet eccleſiæ eam tradere rogavit, coheres ejus eam legem cum illa eccleſia de prædicta hereditate habeat, quam cum alio coherede ſuo habere debeat. Et hoc obſervetur erga patrem & filium & nepotem uſque ad annos legitimos. Poſtea ipſæ res ad immunitatem ipſius eccleſiæ redeant.

*De homicidiis prohibendis.*

VII. Quicunque hominem aut ex levi cauſſa aut ſine cauſſa interfecerit, wirgildum ejus his ad quos ille pertinet componat. Ipſe vero propter talem præſumptionem in exilium mittatur ad quantum tempus nobis placuerit. Res tamen ſuas non amittat.

*Quid in compoſitione wirgildi dari debeat.*

VIII. In compoſitionem wirgildi volumus ut ea dentur quæ in lege continentur; excepto accipitre & ſpata (1), quia propter illa

[a] Al. Mss. *Primos.*

(1) *Accipitre & ſpata.*) Fas etiam erat excipi hæc duo; quia ad venationem & bellum neceſſaria erant. *Spata* gladium deſignat latiorem, quali Franci utebantur: unde adhuc reſtat Italicum *ſpada*, & Gallicum *epèe*. Cyrilli Gloſſæ: Ὁλοσίδηρος λόγχη, ἢ σπάθη. Gloſſæ aliæ veteres: Spatula, σπάθη, τὸ ξίφος. Diodorus Siculus lib. V. Ἀντὶ δὲ τοῦ ξίφους σπάθας ἔχουσι μακρὰς σιδηρᾶς. Auguſtinus in Pſalmum CXLIX. *Framea, quam vulgo ſpatium vocant.* Iſidorus lib. X. cap. 6. *Framea, gladius ex utraque parte acutus, quam vulgo ſpatham vocant.* Turpinus fictitius in Vita Caroli M. cap. 22. *O ſpata feliciſſima acutiſſimarum acutiſſima.* Errat Cangius, ubi hinc putat, mucronibus præditas fuiſſe ſpatas; cæſim enim iis ſolum, non punctim feriebatur; quod & de Suevorum gladiis Guilielmus Appulus lib. II. prodit:

*Nam nec equus docte manibus giratur eorum,*
*Nec validos ictus dat lancea, præminet enſis,*
*Sunt etenim longi ſpecialiter & peracuti*
*Illorum gladii, percuſſum a vertice corpus*
*Scindere ſæpe ſolent, & firmo ſtant pede, poſtquam*
*Deponuntur equis, potius certando perire,*
*Quam dare terga volunt, magis hoc ſunt Marte timendi,*
*Quam dum ſunt equites: tanta eſt audacia gentis.*

Spatarum harum tanta æſtimatio erat, ut etiam ſancte aliquid affirmaturi aut juraturi illas apprehenderent. Charta Goldaſti Alamannica LXXXV. dicit; *Et his ita paratis, cum adhuc quidam de illis, qui ſe in illa Eccleſia hæredes ac diſpoſitores haberi voluerunt, alii garriendo, alii muſſitando contradicerent, optimates ejuſdem conſilii apprehenſis ſpatis ſuis devotaverunt, ſe hæc ita affirmaturos eſſe coram regibus & cunctis principibus uſque ad ſanguinis effuſionem.* Eodem modo Nobiles Poloni olim ad Evangelii lectionem frameas ſuas manu prehendebant, & pauliſper vagina extrahebant; hoc ritu teſtantes, ſe paratos eſſe, vel ſanguinis effuſione Religionem Chriſtianam defendere. Caroli M. ſpata graphice deſcribitur a Monacho Sangallenſi lib. I. cap. 36. *Eccard.*

illa duo aliquoties perjurium committitur, quando majoris pretii quam illa ſint eſſe jurantur.

*De raptu alienarum ſponſarum.*

IX. Si quis ſponſam alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei qui legibus ejus defenſor eſſe debet, cum ſua lege eam reddat; & quicquid cum ea tulerit, ſemotim unamquamque rem ſecundum legem reddat. Et ſi hoc defenſor ejus perpetrari conſenſerit, & ideo raptori nihil quærere voluerit, Comes ſingillatim de unaquaque re freda noſtra ab eo exactare faciat. Sponſo vero legem ſuam componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt, ſexaginta ſolidos ſolvat, vel in præſentiam noſtram Comes eum advenire faciat, & quanto tempore nobis placuerit in exilio maneat, & illam feminam ei habere non liceat.

*De falſis teſtibus convincendis.*

X. Si quis cum altero de qualibet cauſſa contentionem habuerit, & teſtes contra eum per judicium producti fuerint, ſi ille falſos eos eſſe ſuſpiciatur, liceat ei alios teſtes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium teſtimonio falſorum teſtium perverſitas ſuperetur. Quod ſi ambæ partes teſtium ita inter ſe diſſenſerint ut nullatenus una pars alteri cedere [α] velit, eligantur duo ex ipſis, id eſt, ex utraque parte unus, qui cum ſcutis & fuſtibus in campo decertent utra pars falſitatem, utra veritatem ſuo teſtimonio ſequatur. Et campioni qui victus fuerit, propter perjurium quod ante pugnam commiſit, dextera manus amputetur. Ceteri vero ejuſdem partis teſtes, qui falſi apparuerint, manus ſuas redimant. Cujus compoſitionis duæ partes ei contra quem teſtati ſunt dentur, tertia pro fredo ſolvatur. Et in ſeculari quidem cauſſa hujuſcemodi teſtium diverſitas campo comprobetur. In eccleſiaſticis autem cauſſis, ubi de una parte ſeculare, de altera vero eccleſiaſticum negotium eſt, idem modus obſervetur. Ubi vero ex utraque parte eccleſiaſticum fuerit, rectores earundem eccleſiarum, ſi ſe familiariter pacificare velint, licentiam habeant. Si autem [β] de hujuſcemodi pacificatione inter eos convenire non poſſunt, advocati eorum in mallo publico ad præſentiam Comitis veniant, & ibi legitimus terminus eorum contentionibus imponatur. Teſtes vero de qualibet cauſa non aliunde quærantur niſi de ipſo comitatu in quo res unde cauſſa agitur poſitæ ſunt: quia non eſt credibile ut vel de ſtatu hominis vel de poſſeſſione cujuslibet per alios melius rei veritas cognoſci valeat quam per illos qui viciniores ſunt. Si autem contentio quæ inter eos exorta eſt, in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adjacentis comitatus ad cauſſam ſuam teſtes habere.

*De proprio in bannum miſſo.*

XI. Cujuſcunque hominis proprietas ob crimen aliquod quod idem habet [γ] commiſſum in bannum fuerit miſſa, & ille re cognita, ne juſtitiam faciat, venire diſtulerit, annumque ac diem in eo banno illam eſſe permiſerit, ulterius eam non adquirat, ſed ipſa fiſco noſtro ſocietur. Debitum vero quod is cujus ea fuit ſolvere debuit, per Comitem ac miniſtros ejus juxta æſtimationem damni de rebus mobilibus quæ in eadem proprietate inventæ fuerint, his quibus idem debitor fuit exſolvatur. Quod ſi rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compoſitionem non ſuffecerit, de immobilibus ſuppleatur; & quod ſuperfuerit, ſicut dictum eſt, fiſcus noſter poſſideat. Si nihil ſuper compoſitionem remanere potuerit, totum in illam expendatur. Si autem homo ille nondum cum ſuis coheredibus proprium ſuum diviſum habuit, convocet eos Comes, & cum eis legitimam diviſionem faciat; & tunc, ſicut jam dictum eſt, partem ejus fiſco noſtro addicat, & compoſitionem de ea, juxta modum ſuperius comprehenſum, his ad quos illa legibus pertinet exſolvat. Quod ſi non de alia re, ſed de ipſa proprietate quæ in bannum miſſa fuit, ac per hoc in noſtram poteſtatem redacta eſt, fuerat interpellatus, Comes in cujus miniſterio eam eſſe conſtiterit hoc ad notitiam noſtram perferre curet, ut nos eandem proprietatem, quæ ſecundum ſupradictum modum in noſtrum dominium redacta eſt, per præcepti noſtri auctoritatem in jus & poteſtatem hominis qui eam quærebat, ſi ſua eſſe debet, faciamus pervenire.

*De mannire.*

XII. Si quis de ſtatu ſuo, id eſt, de libertate vel de hereditate compellandus eſt, juxta legis conſtitutionem manniatur. De ceteris vero cauſſis, unde quis rationem eſt redditurus, non manniatur, ſed per Comitem banniatur. Et ſi poſt unam & alteram Comitis admonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus ejus in bannum miſſis venire & juſtitiam facere compellatur.

*De faidis coercendis.*

XIII. Si quis aliqua neceſſitate cogente homicidium commiſit, Comes in cujus miniſterio res perpetrata eſt, & compoſitionem ſolvere & faidam per ſacramentum pacificare faciat. Quod ſi una pars ei ad hoc conſentire noluerit, id eſt, aut ille qui homicidium commiſit, aut is qui compoſitionem ſuſcipere debet, faciat illum Comes qui ei contumax fuerit ad præſentiam noſtram venire, ut eum ad tempus quod nobis placuerit in exilium [δ] mittamus, do-



[α] Al. Ms. Credere. [β] Al. Ms. Si tamen. [γ] Al. Ms. Ab eo. [δ] Al. Mss. In exilio.

nec ibi castigetur, ut Comiti suo inobediens esse ulterius non audeat, & majus damnum inde non adcrescat.

*Ubi sacramenta juranda sint.*

XIV. Ubi antiquitus consuetudo fuit de libertate sacramenta adhramire vel jurare, ibi mallum habeatur, & ibi sacramenta jurentur. Mallus tamen neque in ecclesia neque in atrio ejus habeatur. Minora vero placita Comes sive intra suam potestatem vel ubi impetrare potuerit habeat. Volumus utique ut domus a Comite in loco ubi mallum tenere debet construatur, ut propter calorem solis & pluviam publica utilitas non remaneat.

*De his qui de furto accusati fuerint.*

XV. Si liber homo de furto accusatus fuerit, & res proprias habuerit, in mallo ad præsentiam Comitis se adhramiat. Et si res non habet, fidejussores donet qui eum adhramire & in placitum adduci faciant. Et liceat ei prima vice per sacramentum se secundum legem idoneare, si potuerit. At si alia [a] vice duo vel tres eum de furto accusaverint, liceat ei contra unum ex his cum scuto & fuste in campo contendere. Quod si servus de furto accusatus fuerit, dominus ejus pro eo emendet, aut eum sacramento excuset, nisi tale furtum perpetratum habeat propter quod ad supplicium tradi debeat.

*De dispectu litterarum dominicarum.*

XVI. Si quis litteras nostras dispexerit, id est, tractoriam (1) quæ propter Missos recipiendos dirigitur, aut honores quos habet amittat, aut in eo loco ubi prædictos Missos suscipere debuit tamdiu resideat & de suis rebus legationes illuc venientes suscipiat quousque animo nostro satisfactum habeat. Qui vero epistolam nostram quocunque modo dispexerit, jussu nostro ad palatium veniat, & juxta voluntatem nostram congruam stultitiæ suæ castigationem accipiat. Et si homo liber vel ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem, qualemcunque habuerit, sive beneficium amittat. Et si servus fuerit, nudus ad palum vapulet, & caput ejus tondeatur.

*De injustis teloneis & consuetudinibus.*

XVII. Ut ubi tempore avi nostri Domni Pippini consuetudo fuit teloneum dare, ibi & in futurum detur. Nam ubi noviter inceptum est, ulterius non agatur. Et ubi necesse non est fluvium aliquem per pontem transmeare, vel ubi navis per mediam aquam aut sub pontem ierit, & ad ripam non adpropinquaverit, neque ibidem aliquid emptum vel venundatum fuerit, ulterius teloneum non detur. Et nemo cogat alium ad pontem ire, ubi juxta pontem aquam transmeare potest. Et qui ulterius in talibus locis, vel de his qui ad palatium seu in hostem pergunt, teloneum exactaverit, cum sua lege ipsum teloneum reddat, & bannum nostrum id est sexaginta solidos componat.

*De his qui bonos denarios accipere nolunt.*

XVIII. Quicunque liber homo denarium merum & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum id est sexaginta solidos componat. Si vero servi ecclesiastici aut Comitum aut vassallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, sexaginta ictibus vapulent. Aut si magister eorum vel Advocatus, qui liber est, eos vel Comiti vel Misso nostro jussus præsentare noluerit, prædictum bannum nostrum id est sexaginta solidos componat.

*De adulteratoribus monetæ.*

XIX. De falsa moneta jubemus ut qui eam percussisse comprobatus fuerit, manus ei amputetur. Et qui hoc consensit, si liber est, sexaginta solidos componat. Si servus est, sexaginta ictus accipiat.

*De proprio dominico sine jussione illius reddito.*

XX. Si quis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris nostri fuit, alicui quærenti sine nostra jussione reddiderit, aliud tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat. Et quicunque illud scienter per malum ingenium adquirere tentaverit, pro infideli teneatur; quia sacramentum fidelitatis, quod nobis promisit, irritum fecit; & ideo secundum nostram voluntatem & potestatem dijudicandus est.

*De pueris invitis parentibus detonsis & puellis velatis.*

XXI. Si quis puerum invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, legem suam in triplo componat, aut ipsi puero vel puellæ, si jam suæ potestatis sunt, aut illi in cujus potestate fuerint. Illi vero potestatem habeant capitis sui, ut in tali habitu permaneant qualis eis complacuerit.

[a] Mss. al. *Aut si alia*. Al. *Et si alia*.

(1) *Tractoriam.*) *Tractoria* in Codice Justin. & Theodosiano est diploma vel instrumentum evictionis, cursusque publici, hoc est, quo jus & facultas dabatur, equos, vehicula & viaticum petendi de publico. In ecclesiasticis monumentis vero est Epistola citatoria & evocatoria, qua jubetur quispiam loco certo & tempore præsentem se sistere; quaque aliquis velut trahitur & evocatur. Hic autem *Tractoria* est mandatum, quo Reges injungebant, ut Missis commeatum & hospitia in itinere præberent subditi. Vid. Formulam XI. libri I. Form. Marculfi, quæ inscribitur: *Tractoria Legatariorum*. Adde Cangium in Glossario. *Eccardus*.

ALIA

# ALIA CAPITULA

## *ADDITA AD LEGEM SALICAM.*

### CAPITULA LEGI SALICÆ ADDENDA (1).

I. UT pagenses per sacramenta aliorum hominum caussas non inquirantur nisi tantum dominicas. Adtamen Comes ille si alicujus pauperis aut impotentis personæ caussa fuerit, tunc Comes ille diligenter & . . . . sine sacramento per veriores & meliores pagenses inquirat.

II. Vult Domnus Imperator ut in tale placitum quale ille nunc jusserit veniat unusquisque Comes, & adducat secum duodecim Scabinos, si tanti fuerint. Sin autem, de melioribus hominibus illius comitatus suppleat numerum duodenarium. Et advocati tam Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum ut eis veniant.

III. Statuendum est ut unusquisque qui censum regium solvere debet, in eodem loco illum persolvat ubi pater & avus ejus solvere consueverunt.

IV. Si homini cuilibet caussam suam in placito aut coram Comite palatio alius fuerit impedimento, & caussam ejus injuste disputando impedierit, tunc volumus ut sive Comes palatii seu Comes ipse in comitatu suo jubeat eum exire foras. Et si noluerit obedire, tunc solvat bannum dominicum, id est, sexaginta solidos; & illi cui adversatus est, ei donet wadium suum pro lege sua.

V. Volumus ut Comes potestatem habeat in placito suo facere quæ debet, nemine contradicente. Et si aliter fecerit quam juste, ad quem factum illud pertinet veniat in præsentiam nostram, & nos illi de eodem Comite faciamus justitiam.

VI. Vestitura Domni & genitoris nostri eo modo volumus ut teneatur, ubicunque esse dicitur, ut . . . . diligentissima investigatione perquiratur. Et si invenitur esse justa atque legitima, tunc vestitura dicatur. Nam aliter ne vestitura nominari debet, sive sit in ecclesiasticis sive in palatinis rebus.

VII. De proprio quod in castellis ab avo nostro conquisitis eo modo videtur nobis esse faciendum atque discernendum ut illi tantum propriarum rerum sui potestatem non habeant qui quamdiu potuerunt restiterunt, & contra illorum voluntatem in potestate avi nostri venerunt. Nam quicunque sociis suis pertinaciter resistentibus se didicerunt (2) quamvis castellum per vim fuisset captum, proprie suum tamen in eo habere debent.

VIII. De rebus unde Domnus Karolus Imperator legitimam vestituram habuit, & hoc ita potest investigari ut secundum justitiam ad nos debeant pertinere, nequaquam volumus, si nostri testes boni & idonei sunt, ut alii adversus eos in nostram contrarietatem consurgant. Adtamen in tua sit providentia ac fidelium nostrorum qui tecum sunt, qui nostri testes esse debent, boni & veraces sint. Porro adversus ecclesiasticas res eadem sententia maneat quæ tempore (Domni) & genitoris nostri fuerat prolata, ut Ecclesiarum defensores (res) suas contra suos adpetitores eadem lege defendant qua ipsi vixerunt qui easdem res Ecclesiis condonaverunt. Similiter & Ecclesia eandem legem habeat adversum petitores suos, tantum salva nostra justitia.

IX. De quarto capitulo expectandum censuimus donec cum plurioribus fidelibus nostris inde consideremus.

# CAPITULA DE INTERPRETATIONE LEGIS SALICÆ

## *ANNO DCCCXIX. CONSCRIPTA.*

### IN NOMINE DOMINI

### INCIPIUNT CAPITULA LEGIS SALICÆ.

*De capitulo primo, id est, de mannire.*

I. DE hoc capitulo judicatum est ut ille qui mannitur, spatium mannitionis suæ per quadraginta noctes habeat. Et si Comes infra supradictarum noctium numerum mallum suum non habuerit, ipsum spatium usque ad mallum Comitis extendatur, & deinde detur ei spatium ad respectum ad septem noctes. Inde non noctium spatia, sed proximus mallus Comitis ei concedatur.

De

(1) *LEGI SALICÆ ADDENDA.*) Hæc Baluzius omnium primus ex Ms. evulgavit, & sub annum DCCCXIX. retulit. *Eccard.*

(2) *Didicerunt.*) Legendum: *dediderunt.* Eccardus.

*De XI. capitulo Legis Salicæ.*

II. Si quis servum alienum occiserit vel vendiderit, vel ingenuum dimiserit, mille quadringentis denariis, qui faciunt solidos triginta quinque, culpabilis judicetur, excepto capitale & delatura.

De hoc capite judicatum est ab omnibus, ut si ille servus qui injuste venditus vel ingenuus dimissus apparet, non alter pro eo in loco illius restituatur: quia dixerunt aliqui quod idem servus, qui ingenuus dimissus fuerat, denuo ad servitium redire non debeat, sed pristino & domino & servitio restitutus fiat judicaverunt.

*De XIV. capitulo Legis Salicæ.*

III. Si quis ingenuus ancillam alienam in conjugium acceperit, ipse cum ea in servitio implicetur.

De hoc capite judicatum est ab omnibus ut si ingenua femina quemlibet servum in conjugium sumpserit, non solum cum ipso servo in servitio permaneat, sed etiam omnes res quas habet, si eas cum parentibus suis divisas tenet, ad dominum cujus servum in conjugium accepit perveniant. Et si cum parentibus suis res paternas vel maternas non divisit, nec alicui quærenti respondere nec cum suis heredibus in rerum paternarum hereditate ultra divisor accedere possit. Similiter & si francus homo (1) alterius ancillam in conjugium sumpserit, sic faciendum esse judicaverunt.

*Item de eodem capitulo.*

IV. Si quis uxorem alienam vivo marito tulerit, octo milia denar. qui faciunt solidos ducentos culpabilis judicetur.

De hoc capitulo judicatum est ut vivo marito cui eadem uxor contra legem subtracta fuerat, ab illo qui eam ei injuste tulerat cum lege reddita fiat suprascripta, id est, ducentis solidis.

*De XXVI. capitulo.*

V. Si quis puer infra duodecim annos aliquam culpam commiserit, fredus ei non requiratur.

De hoc capitulo judicatum est ut si infans infra duodecim annos res alterius injuste sibi usurpaverit, eas, excepto fredo, cum lege sua componat, & ita manniatur sicut ille manniri * cui contra legem fecit, & ita a Comite ad mallum suum adducatur sicut ille adduci potest cui contra legem fecit. De hereditate vero paterna vel materna si aliquis eum interpellare voluerit, usque ad spatium duodecim annorum expectare judicatum est.

VI. Judicatum est ab omnibus ut si francus homo vel ingenua femina in servitio sponte sua se implicaverit, ut si res suas, dum in libertate sua permanebat, ad Ecclesiam Dei aut cuilibet legibus tradidit, ipse cui traditæ fuerint eas habere & tenere possit. Et si filios vel filias, dum in sua fuit libertate, generavit, ipsi liberi permaneant.

*De XXXVI. capitulo.*

VII. Si quis servus hominem ingenuum occiserit, ipse homicida pro medietate compositionis parentibus hominis occisi tradatur, & aliam medietatem dominus servi se noverit solviturum. Aut si legem intellexerit, poterit se obmallare ut leodem non solvat.

Quia nullum de ecclesiastico aut beneficiario vel alterius persona servo discretionem lex facit, si ita ecclesiastici aut beneficiarii servi sicut liberorum tradi aut dimitti possunt, ad interrogationem Domni Imperatoris reservare voluerunt.

VIII. De XLVI. Capitulo, id est, Qui viduam in conjugium accipere vult, judicaverunt omnes ut non ita sicut in lege Salica scriptum est eam accipiat, sed cum parentorum consensu & voluntate, velut usque nunc antecessores eorum fecerunt, in conjugium sibi eam sumat.

*De XLVII. capitulo, De eo qui villam alterius occupaverit.*

IX. De hoc capitulo judicaverunt ut nullus villam aut res alterius migrandi gratia per annos tenere vel possidere possit; sed in quacunque die invasor illarum rerum interpellatus fuerit, aut easdem res quærenti reddat, aut eas, si potest, juxta legem se defendendo sibi vendicet.

X. De affatomie (2) dixerunt quod traditio fuisset. De hoc capitulo judicatum est ut sicut per longam consuetudinem antecessores eorum facientes habuerunt, ita & omnes qui lege Salica vivunt in antea habeant & faciant.

XI. Et hoc judicaverunt, ut si servus chartam ingenuitatis adtulerit, si servus ejusdem chartæ auctorem legitimum habere non potuerit, domino servi ipsam chartam falsare (3) liceat.

XII. Et hoc judicaverunt, ut omnis qui alteri aliquid quærit, licentiam habeat prius sua testimonia producere contra eum. Et si ille cui quæritur dixerit, quod legibus teneat ea quæ tenet, & talia sunt testimonia qui hoc veraciter adfirmare possint, judicaverunt ut hujus rei veritas secundum capitula Domni Imperatoris, quæ prius pro lege tenenda constituit, rei veritas comprobetur.

---

(1) ***Francus homo.***) Hoc est, Francica de gente ortus. Et sic semper apud veteres adhibetur. *Eccard.*

(2) *Affatomie.*) Vides, hic jam dubitatum, quid monstri sit vox *affatomiæ*? Definitur *traditio* scilicet citationis. Erat enim exhibitio solennis citationis juridicæ, quæ ramo adjecto fiebat, ut supra fuse satis expositum. *Eccardus.*

(3) ***Falsare.***) Hoc est, *falsam eam esse declarare*. Eccardus.

*F I N I S.*

MAR-

# MARCULFI MONACHI FORMULARUM

## LIBRI DUO

Cum Præfatione & Notis Hieronymi Bignonii.

---

### PRÆFATIO HIERONYMI BIGNONII.

*Marculfi, quem nunc damus, erudite Lector, plures docti viri meminerunt. Sed quis fuerit, & quo tempore vixerit, nihil certi ab illis proditum est. Quidam vero in universum circa primam Regum nostrorum familiam illius tempora conjecerunt. Adhuc tamen dubium remanebat ex librorum varietate, quibus permulta posterioris ætatis scriptores infarcierant. Verum exemplar quod nacti sumus omnium facile optimum nos amplius dubitare non sinit. Præfixa siquidem ab auctore ipso epistola docet professione monachum & septuaginta annos natum cum hæc scriberet fuisse. Deinde cum Landerico Papæ opus inscribat, facile apparet Landericum illum Parisiorum Episcopum fuisse, qui Chlodoveo Dagoberti filio Rege claruit circa annum æræ Christianæ sexcentesimum sexagesimum. Nulli quippe alii Galliarum Episcopi hoc nomine reperiuntur, neque Landerici Parisiensis tempore, neque multis post annis. Tum Papæ nomen omnibus Episcopis passim tribui solitum sub prima Regum Francorum dynastia notum est. Quod licet sub secunda aliquatenus continuatum sit, rarius certe usurpatum reperitur. Accedunt & aliæ certissimæ conjecturæ ex totius libri lectione, quibus permulta occurrunt quæ vix possunt ad aliud tempus referri, & plane Merovingorum seculum redolent. Quis enim cum Majorum domus non semel repetitam mentionem adverterit, non continuo deprehendat eo tempore Marculfum scripsisse quo Majores domus vice regia omnia regni negotia pertractabant, imo vere sub alieni nominis specie imperabant? quod a Dagoberto cœpisse scriptores notant. Omitto patritios sæpius nominatos, quos sub Carolinis raro aut nusquam reperiri a doctis observatum est. Alia sunt infinita indicia, quæ cordatus lector facile animadvertet. In qua autem civitate Marculfus vixerit, ex qua sit oriundus, aut cujus cœnobii monachus extiterit, nobis plane incompertum est. Quod si divinare liceret, suspicarer eum in aliquo Parisiensis diœcesis monasterio regulariter vixisse, cum Landerico Parisiorum antistiti librum suum inscribat. Quicquid sit, utilissimus certe auctor est, & a doctis non frustra expetitus. Nam ut omittam eo seculo scripsisse cujus pauca nobis hodie supersunt monumenta, sane permultas docet rerum nostrarum origines, magistratuum & dignitatum munia, juris dicendi formam quæ tum recepta erat. Jus denique ipsum quo majores nostri utebantur, clare ostendit, quando non aliud certius juris observati judicium requiri potest quam cujus usum ex formulis tum usitatis deprehendimus. Quæ pars nostræ antiquitatis ut inter ceteras fructuosa, ita obscurissima & intacta fere remansit; quo nomine doctis omnibus & nostri juris peritis acceptiorem Marculfum fore confido. Leges quoque veteres, Salica scilicet, Ribuaria, Alamannica, Saxonica, Bajuvarica, & ceteræ ejusmodi, quæ a Germanicis gentibus tot seculis observatæ sunt, non alium meliorem habent interpretem. Idipsum de Caroli Magni, Ludovici Pii, & Caroli Calvi constitutionibus, seu, ut tum dicebant, capitulis dici potest. Ipse etiam Gregorius Turonensis, quo digniorem historicum non habemus, multis locis a Marculfo lucem accipit & omnino illustratur. Idem & in plerisque medii ævi scriptoribus obtinet. Quinimo & ad Juris Romani pleniorem cognitionem non parum conferre adseverare ausim. Sed commendatitiis in publicum proditurus non eget, qui tot præstantissimorum virorum ingeniis sæpe jam commendatus est. Cujacium dico, Brissonium, & Pithœos fratres clarissima lumina, qui ex eo perplura immortalibus suis scri-*

scriptis inserendo non levem ejus auctoris gustum ceteris dederunt. Defuturos tamen non dubito qui sermonis duritiam & ineptam plane rusticitatem exhorrescant. Facilis vero defensio est. Nam ab eo de Latini sermonis peritia edoceri non petimus. Mores illorum temporum etiam sermonis inculta rusticitas penitius ostendit. Seculo sane infelicissimo vixit, quo omnes disciplinæ & litteræ penitus obrutæ & sepultæ erant, adeo quidem ut qui melioris doctrinæ quid attigissent, veluti novæ alicujus & pravæ opinionis auctores, aut ut magi & malefici damnarentur. Qua occasione lectorem monitum velim ne variis solœcismis, qui sæpius occurrunt, offendatur, nec operarum typographicarum vitio imputet, quamquam optime emendatum esse non equidem præstiterim. Sed meminerit prout in authentico exemplari scriptum est, ita editum esse. Nam si ea omnia immutanda fuissent, non jam Marculfus, sed alius proditurus auctor videretur. Dubitavi certe utrum Marculfo an potius scriptori vitia ejusmodi adscriberem. Et vero a scriptoribus permulta in eo depravata facile crediderim; sed ita fere Marculfum scripsisse haud dubium est, cum id ipsum in reliquis ejusdem ævi monimentis deprehendatur. Atque adeo plura in Gregorio Turonensi occurrunt, & infinita prope in manuscriptis codicibus, quæ ab iis qui ediderunt immutata sunt. Neque aliter eum scripsisse dubitari potest, cum historici operis initio id deprecetur: Prius, *inquit*, veniam legentibus precor si aut in litteris aut in syllabis grammaticam artem excessero, de qua adplene non sum imbutus. Eadem excusatione utitur & Benedictus Levita in collectionis suæ præfatione. Quo fit ut existimem de eo sermonis genere sensisse Patres Synodi Turonensis III. sub Carolo Magno, cum unumquemque Episcopum decreverunt curam habere ut homiliæ sanctorum in rusticam Romanam linguam transferrentur, quo facilius possent intelligi. Nam & rustico sermone de miraculis B. Martini libros Gregorium Turonensem scripsisse ipsemet testatur historiar. lib. V. eamdemque excusationem repetit initio libri primi de gloria confessorum: Qui nullum argumentum, *inquit*, in litteris habes, qui nomina discernere nescis, sæpius pro masculinis feminina, pro femininis neutra, & pro neutris masculina commutas, qui ipsas quoque præpositiones, quas nobilium dictatorum observare sanxit auctoritas, loco debito plerumque non locas. Nam pro ablativis accusativa, & rursum pro accusativis ablativa ponis. Quæ verba [illegible] adscripsi quod quis fuerit rusticus sermo graphice exprimunt, & ut facilius Marculfo [illegible], qui adhuc infeliciore seculo vixit, nec, ut ille, fuit melioribus disciplinis eruditus. Nec tamen dubito hoc opus priscis illis seculis non minore in pretio habitum fuisse quam Cnæi Flavii scribæ apud Romanos legis actiones. Adeo rari erant qui de ne[illegible] scripta con[illegible]ere & quæ vellent possent [illegible] litteris mandare. Igitur in hujus auctoris editione non parum laboris in perpurgando, nec minus curando ne quid temere immutaretur. Ea siquidem quæ scriptorum incuria manifesto irrepserant emendavimus, dubia reliquimus; conjecturas tamen nostras & emendationes in Notis apposuimus. Unum quidem Marculfi exemplar nacti sumus, quod ex ditissima Regum nostrorum bibliotheca suppeditavit nobis eruditissimi viri Nicolai Rigaltii humanitas, sed illud optimum & præstantissimum, cum Marculfi ad Landericum dedicatoriam epistolam contineat & duorum librorum indices seu capitula ab auctore ipso prænotata. Ut planum sit ceteras formulas quæ illis non continentur, Marculfi non esse; quod incognitum doctissimis viris imposuit, qui librorum vitio, quibus omnes formulæ permixtæ erant, pleraque laudaverunt. In eo quoque recensendo usus sum excerptis quibusdam codicis Pithœani, quæ a doctissimo viro Joanne Savarone Arvernorum Præside ad me missa sunt, cui multis nominibus me devinctum nunquam dubitabo profiteri. Secundum porro Marculfi librum in regio exemplari excipiebant formularum capita quædam absque numeris; tum ejusdem voluminis initio aliæ plures formulæ, quarum hæc erat epigraphe, Cartas senicas, quas hic usurpari monuit me Joannes Savaro quasi formulas veteres. Senicæ enim quasi senes. Igitur eas etiam formulas in unum colligavi & incerti auctoris veteres formulas inscripsi: ex quibus quædam sunt ejusdem ævi cum Marculfo, quædam vero Carolo Magno imperante proculdubio scriptæ apparent. Adjunximus & alias quæ XLVI. capita continent, quas ex vetustissimo codice descripserat & mihi jampridem communicaverat Jacobus Sirmondus, cujus viri singularis eruditio cum pari humanitate certat. His, ut facilius a ceteris discernerentur, titulus præfixus est: Formulæ veteres secundum legem Romanam; quod ideo fecimus, quia fere omnes iis scriptæ sint qui lege Romana uterentur, cum in his sæpissime reperias, Lex Romana exposcit, & secundum legem Romanam. Saltem Romana est observatio; quibus tamen nonnulla barbarici moris admixta videre est (1). Denique cum beneficio doctissimi viri Caroli Labbæi in manus nostras incidisset vetus codex, in quo veteres quædam formulæ continebantur, qui olim Petri Danielis ac demum Jacobi Bongarsii fuerat, eas quoque adjicere visum est, ne quid formularum desiderari posset. Utere his, Lector, & fruere. Vale.

---

(1) Formulas Sirmondicas, quæ potissimum ad Romanam legem spectant, aptiore loco inseremus.

IN

# IN DEI NOMINE.

## INCIPIT PRÆFATIO LIBRI HUJUS.

DOmino sancto, meritis beatissimo, & apostolico semper honore suscipiendo, omnique præconio laude celebrando Domno ac reverentissimo Papæ Landerico (1) Marculfus ultimus ac vilissimus omnium monachorum. Utinam, sancte pater, jussionem vestram tam efficaciter quam spontanee obtemperare valuissem, quia jam supra vires meæ possibilitatis conatus sum injunctum a vobis subire negotium, cum fere septuaginta aut amplius annos expleam vivendi; & nec jam tremula ad scribendum manus est apta, nec ad videndum mihi oculi sufficiunt caligantes, nec ad cogitandum sufficit hebetudo (2) mentis. Quia juxta dictum cujusdam prudentissimi viri, in pueris crescit sensus, in juvenibus viget, in senibus minuitur. Propterea qui eleganter facere non potui ut volui, feci tamen ordinate ut potui, non solum ea quæ jussistis; verum etiam multa alia in hac scedola, tam præceptiones regales, quam chartas pagenses, juxta simplicitatis & rusticitatis meæ naturam intimare curavi. Scio enim multos fore & vos & alios prudentissimos viros & eloquentissimos ac rhetores & ad dictandum peritos, qui ista si legerint, pro minima & velut deliramenta, eorum comparata sapientiæ, reputabunt, vel certe legere dedignabunt. Sed ego non pro talibus viris, sed ad exercenda initia puerorum, ut potui, aperte & simpliciter scripsi. Cui libet, is exinde aliqua exemplando faciat. Si vero displicet, nemo cogit invitum; nec præjudicat mea rusticitas eruditorum & rhetorum floribus verborum & eloquentiæ facundiæ. Sunt præterea nonnulla negotia hominum, tam in palatio, quam in pago (3), quæ scribi non queunt antequam invicem conferantur, & juxta propositiones vel responsiones eloquia eorum tunc scribantur & gesta. Ego vero hæc quæ apud majores meos, juxta consuetudinem loci quo degimus, didici, vel ex sensu proprio cogitavi, ut potui coacervare in unum curavi, & capitula prænotavi, ut facilius quod voluerit a quærente inantea (4) scripto reperiantur.

---

(1) *Reverentissimo P. Landerico.*) Auctoris seculum, ætatem, & institutum ex hac epistola discimus, quæ ab alio expectare frustra esset. Se enim Marculfum nomine, professione monachum fuisse, & septuaginta annis majorem diserte testatur. At cum Landerico, cujus jussu id suscepisse fatetur, opus suum inscribit, tempus certissime designat. Ille namque Landericus, etsi civitatis cui præfuit nomen non addatur, alius a Landerico Parisiorum Antistite esse non potest: quem Chlodoveo seu Ludovico Dagoberti F. Rege claruisse constat circa annum Christi DCLX. cujus tandem sanctissimam memoriam Ecclesia Parisiensis IV. Eid. Junii quotannis recolit. Quod vero Landericum Papam appellet, seculi more loquutus est Marculfus. Omnes quippe tum Episcopi Papæ vocabantur. Id ex Sidonio, qui passim omnes Galliæ Episcopos Papas agnominat, palam est, tum ex Gregorio Turonensi, apud quem non semel hæc vox eodem sensu reperitur; & epistolæ Chlodovei Regis ad synodum Aurelianensem I. hic legitur epilogus: *Orate pro me Domni sancti & apostolica sede dignissimi Papæ.* Fortunatus quoque Venantius Pictavensis Episcopus, ejusdem ævi scriptor, Leontium Burdegalensem & Gregorium Turonensem Papas passim vocat. Quin & synodus Turonensis II. sub Chariberto R. cap. 21. Epaunenses canones memorans, *a Papa Avito*, qui Viennensis Episcopus fuit, *& ceteris Episcopis* conscriptos esse ait. Quod a Græca voce, quæ patrem significat, deductum & veteribus usitatissimum fuisse ex Cypriano, Athanasio, Rufino, Hieronymo, & Augustino jam nemo nescit. Neque vero Justiniani seculo ut quidam putant, aut circa Gregorii Magni tempora, ut alii, illud exolevisse dici potest. Nam & plerique multis post annis, præsertim extra Italiam scriptores, Papæ nomen omnibus Episcopis tribuerunt. Extant inter cetera veteres Tortarii Floriacensis versus, ante sexcentos annos conscripti, de translatione B. Mauri, quibus quidam inducitur Britannus Episcopus, dum causam fugæ reddit, dicens melius esse fugere *quam me barbarico Papam contradere ludo.* Donec in synodo Romana primus, ut a doctissimo Cardinale observatum est, Gregorius VII. Pontifex Romanus constituit ut Papæ nomen unius esset in orbe Christiano; quod inter ejus dictatus lib. 2. registri videre est.

*Reverentissimo.*) Sic Ms. ut & apud Sidonium ep. 14. lib. 5. *reverentissimo exemplo*, non *reverendissimo*; ne operarum vitium putes.

(2) *Ebetudo.*) Gregorius Turonens. de miraculis lib. 2. cap. 2. *Cum starent omnes in hebetitate mentis attoniti.*

(3) *Tam in palatio, quam in pago.*) In palatio, de negotiis scilicet quæ ante Regem expediuntur, & de quibus chartæ regales fiunt, quæ primo libro traduntur. In pago seu in unaquaque civitate, ante Comitem vel judicem loci; quæ chartæ pagenses dicuntur, & secundo libro proponuntur; qua de re latius libro secundo.

(4) *Inantea.*) Id est, in posterum, dehinc, veteribus Gallis *en avant*, unde natum Italicum *innanzi*. Quæ dictio non hujus tantum auctoris propria, qui sexcentis locis ea utitur, sed & omnium fere ejusdem ævi & sequentium auctorum. Itaque nil frequentius in synodis, capitulis, annalibus, & chronicis; quod semel annotasse visum est.

## INCIPIUNT CAPITULA SCEDOLÆ OPERIS HUJUS.

1. *Qualiter privilegium condatur.*
2. *Concessio Regis de hoc privilegio.*
3. *Emunitas Regis.*
4. *Confirmatio de regis emunitate.*
5. *Præceptum Regis de episcopatu.*
6. *Indiculus Regis ad metropolitanum Episcopum ut alio Episcopo benedicat.*
7. *Consensus civium pro episcopatu.*
8. *Charta de ducatu, patriciatu, aut comitatu.*
9. *Indiculus ad alium Regem, cum legatio dirigitur, & verbis suggeritur commendatitiis.*
10. *Rescriptum ad Regem pro suo legatario.*
11. *Tractoria legatariorum vel minima facienda ad istius instar.*
12. *Præceptum interdonationis.*
13. *Præceptum de kesiuverpo per manum Regis.*
14. *Prologi tres de cessionibus regalibus.*
15. *Concessio ad loco sancto.*
16. *Confirmatio Regis ad loco sancto.*
17. *Iterum confirmatio pro secularibus viris.*
18. *De Regis antrustione.*
19. *Præceptum de clericatu.*
20. *De divisione ubi Regis accesserit Missus.*
21. *De causas alterius receptas.*
22. *Præceptum denariale.*
23. *Charta de causa suspensa.*
24. *Charta de mundeburde Regis & Principis.*
25. *Prologo de judicio Regis, cum de magna re duo causantur simul.*
26. *Indiculus commonitorius ad Episcopum.*
27. *Item indiculus ad Episcopum pro alium distringendum.*
28. *Charta audientiale.*
29. *Indiculus ad laico.*
30. *Commutatione cum Rege.*
31. *Confirmatione Regis de omni corpore facultatis.*
32. *Si quis contra voluntatem Regis egerit, securitas cui eum persequi jusserit.*
33. *Præceptum quorum ab hostibus vel alio modo fuerint instrumenta incensa.*
34. *Relatione pagensium ad Regem directa.*
35. *Confirmatio alia de omni corpore facultatis ad monasterio.*
36. *Ut causas auctorum adsumendi suorum aliqui licentiam habeant.*
37. *Judicium evinditale.*
38. *Charta paricla.*
39. *Ut pro nativitate Regis ingenui relaxentur.*
40. *Ut leudesamio promittantur Regi.*

## INCIPIUNT EXEMPLARIA DE DIVERSIS CONDITIONIBUS

Qualiter regales chartas pagenses, cui hæc formola habere placuerit, & melius non valet, scribantur,

*De privilegio* (1).

I. DOmino sancto (2) & in Christo venerabili fratri illo Abbati, vel cunctæ congregationi monasterii illius in honore beatorum illorum ab illo in pago illo constructo, ille Episcopus. Compellit nos affectio caritatis vestræ, radio inflammante divino, illa pro vestro quieti providere quæ nobis maneant ad mercedem, & ea

(1) *De privilegio.*) Privilegii nomine hic significatur instrumentum libertatis ab Episcopo monasterio tributæ, quam vulgo exemptionem dicimus, quo sensu hanc vocem a plerisque usurpatam esse video. Porro hæc formula testatur jam tum in usu fuisse ejusmodi libertates, & ab Episcopis, quorum præcipue intererat, conscribi & indulgeri solitas. Vere autem privilegium dicitur. Nam jure communi Abbates Episcopis suberant, can. 4. Concilii Calchedonensis, synodi Aurelianensis I. sub Chlodoveo c. 9. c. 21. *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant*; ex quo in capitulis Benedicti Levitæ exscriptum est cap. 139. l. 6. & apud Gratianum can. *Abbates*. 18. q. 2. Synodi Epaunensis c. 19. Aurelianensis II. sub Childeberto c. 22. Capitul. Caroli M. lib. 2. cap. 8. can. *Monasteria*. 18. q. 2. Itaque hæc formula exemplis se tuetur Lirinensis, Agaunensis, & Luxoviensis cœnobiorum, hoc addito, nihil de canonica institutione convelli quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate conceditur, & ideo si Abbas neglexerit aut non potuerit, ad Episcopum monachorum coercitionem pertinere. Sane illud in ædificandis monasteriis privilegium ab ipsis ædificatoribus anxie exquisitum & ab Episcopis concessum fuisse probant multa quæ adhuc extant exempla. Sed tandem quo firmius ejusmodi libertas consisteret, a summis Pontificibus eam confirmari ultro petierunt & impetrarunt. Pleraque etiam cœnobia directo ab eadem sede apostolica se ab Episcoporum eximi potestate petierunt. Quod ut ab initio ex nimia antistitum in monachos sævitia ortum est, (ut Gregorius VII. lib. 2. ep. 69. testatur), ita negari non potest multos libertatis obtentu fugitasse disciplinam. Unde frequentem exemptionum suo seculo usum exagitant Petrus Blesensis ep. 68. & S. Bernardus de consideratione lib. 3. c. 8. & seqq. qui tamen probat eam exemptionem quæ pro voluntate fundatorum quibusdam monasteriis indulta est, ut specialius ad sedem apostolicam pertinerent. Igitur ex hac formula patet initio Episcopos, conventu aliorum Episcoporum habito, liberationem a sua potestate monasteriis concessisse, rogatu utplurimum Regum & procerum ipsorum qui ædificaverant, cujus rei multa hodie quoque sup-

ea recto tramite inconvulſo limite terminari quæ perennem deinceps propitiante Domino obtineant firmitatem ; quia non minor a Domino retributio ſperatur futura pro ſucciduis contemplante temporibus quam ad præſens munera pauperibus offerente. Et ne nobis



ſuppetunt exempla. Siquidem præter illa quæ ab auctore hic afferuntur, & Vincentii martyris in ſuburbano Lutetiæ baſilicam a B. Germano Pariſienſi Epiſcopo, a quo nunc nomen habet, ſimili privilegio donatam legimus apud Aimonium lib. 3. c. 2, quod integre ibidem a Ja. Breulio exſcriptum videre eſt. Rex quoque Guntchramnus, quæ ipſe, uxor ejus, aut binæ filiæ cœnobia conſtruxerant, multiſque poſſeſſionibus & donariis inſtruxerant, eodem pacto ab Epiſcoporum conventu confirmari enixe poſtulavit, & ut fieret obtinuit in ſynodo Valentina, quæ anno regni ejus XXIV. habita eſt. Extat etiam Bertefridi Ambianenſis Epiſcopi privilegium libertatis Corbejæ veteris, ad petitionem Chlotarii Regis & Bathildis Reginæ conſcriptum VIII. Eid. Septemb. anno ſeptimo Chlotarii, quod eaſdem ferme clauſulas ac præſens formula continet. Inſigne vero eſt privilegium libertatis ab Epiſcopo Pariſienſi B. Dionyſii monaſterio datæ, quod ob celebritatem nobiliſſimi cœnobii, & quod a Landerico, Marculfo ætate ſuppari, indultum ſit, & non parum ad hujus capitis illuſtrationem facit, adſcribere non gravabor. Eſt vero ejuſmodi in cortice ſcriptum, & hic diligentiſſime exſcriptum.

*Divina largiente gratia Landericus Pariſiorum Eccleſiæ Epiſcopus. Quoniam quidem inter ea quæ Dei diſponente providentia curſu temporis agimus, ſi quid recte actum eſt, ad illius qui & dando præmonuit, & poſſe contulit, gloriam & noſtram proſperitatem non eſt dubium attinere, decet & præſertim eos qui in ſacris ordinibus eminere videntur, privatæ & publicæ rei ita curam agere ut & ſua peccamina adnullare, & ſi quid eſt virtutis, hoc ſemper ad altiora ſtudeant provehere, & aliorum vel benefacta commendare vel vitia invigilent corrigere. Debet etiam eſſe grata omnium Dei fidelium inter ſe familiaritas, & in expetendis dandiſque beneficiis adeo opportuna propinquitas ut nulli prorſus digna petenti non modo non abnuat, verum etiam ut amplius quod dignum eſt ab altero petere poſtuletur. Quapropter noverit omnium catholicæ Eccleſiæ cultorum generalis univerſitas quod Dominus glorioſiſſimus Cludovicus Francorum Rex, divino irradiatus lumine, religioſa petitione humilitatis noſtræ extremitatem popoſcit ut & nos & Canonicorum noſtrorum communis fraternitas ſecuritatis & incommutabilitatis privilegium ederemus pro reverentia S. Dionyſii ſociorumque ejus Ruſtici & Eleutherii, qui cum eo laurea martyrii ſunt redimiti, ad baſilicam ipſorum ubi ipſi corpore requieſcunt, & in virtutum miraculis coruſcant, & ubi Dagobertus genitor ſuus quondam Rex vel genitrix ſua Nanthildis Regina ſepulturas habere videntur. Quamquam ſancta Carthaginenſis ſynodus facta a beatæ memoriæ Domno Bonifacio ejuſque coepiſcopis non prohibeat monachos ſub privilegio proprio reſidere, vel ſancti Auguſtini libri de eccleſiaſticis gradibus doceant monachos ſub quiete regulariter viventes ſua ſingulari lege debere quieſcere & ab omni infeſtatione Clericorum intrepidos permanere, ne ſecularis ſtrepitus eos lædat quos diſtricta regula ſervitutis Domini moderatur. Quod nos conſiderantes, dum & canonica inſtitutio nos hac de re non præjudicat, vel ideo quia ſupradicti Domini Cludovici Regis petitio quaſi nobis juſſio eſt, cui difficillimum eſt reſiſti, vel pro reverentia tantorum martyrum, quorum patrocinio ſe ipſe commiſit, ut ipſis monachis ſecundum ſanctum ordinem vivere liceat, & ut tam pro nobis quam pro omnibus noſtræ Eccleſiæ fratribus Deum orent, ipſum privilegium plena voluntate una cum conſenſu fratrum meorum ipſis conceſſiſſe viſus ſum. Per quod decerno atque obteſtificatione divini nominis interdico ut nec ego deinceps nec ullus ſucceſſorum meorum hoc audeat infringere vel temerario auſu aliquatenus violare, videlicet ut omnis Presbyter vel Clericus ex his quæ in ipſo loco beatiſſimi Dionyſii martyris, vel extra ex loco qui dicitur fons S. Remigii, ſicut via diſtinguit quæ præbet iter juxta pratum quod dicitur formoſum, uſque ad Eccleſiam S. Quintini martyris, & illinc per regalem ſtratam donec veniatur ad vivarium in capite triceni pontis, ſicut prata fratrum diſtinguunt, uſque ad præfatum locum fontis B. Remigii, omnes illi qui in hoc circumſcripto ſpatio Eccleſiis ſerviunt, ſint liberi & abſoluti ab omni debito & redditione circadarum & ſynodorum. Tamen volumus, & pro reverentia ſancti martyris Dionyſii concedimus, ut ſi neceſſitas eis fuerit, ex noſtro & ſucceſſorum noſtrorum epiſcopatu ſine pretio chriſma & oleum ſuſcipiant. Et ſi quis eorum Presbyterorum vel Clericorum forte aut occiſus, quod abſit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicujus injuriæ acclamatio ſurrexerit, quicquid ex his omnibus ad nos pertinere videatur, hoc totum Abbati qui in ipſo ſancto loco præfuerit ceteriſque fratribus habendum, & diſponendum concedimus. Quod ſi aliquis calliditate aut cupiditate præventus fuerit, & ea quæ ſunt ſuperius comprehenſa temerario ſpiritu violaverit, tribus annis pœnitentiam agat, a communione fratrum ſequeſtratus, & nihilominus hoc privilegium Chriſto protegente, qui & adjuvet illud conſervantibus, & diſſipet illud deſtruere cupientibus, perpetuo maneat incorruptum. Quam definitionem conſtitutionis noſtræ, ut noſtris & futuris temporibus valitura ſit, manus noſtræ ſubſcriptionibus roboravimus, & coepiſcopis Domnis & fratribus noſtris rogavimus ut ipſum inſuper firmare debeant. In Chriſti nomine Landericus ac ſi peccator Epiſcopus urbis Pariſiacæ hoc privilegium conſenſi & ſubſcripſi. Munemundus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Gouvaldus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Vulfolenus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Armentarius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Rauracus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Malchardus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Eligius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Grator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Joannes Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Burgundio Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Faro Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Richoaldus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Baldomerus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Audoenus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Taurinus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Euſtorchius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Laridanus ſeu Karioendus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Berthefridus Epiſcopus conſenſi, & ſubſcripſi. Audebertus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Clarus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Caſtadius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Litterius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Palladius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Ætherius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Ingoldus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Facto privilegio ſub die KL. Julii in anno XV. regnante Cludovico glorioſiſſimo Rege. Auſtrolenus Lector jubente Domno Landerico Epiſcopo hoc privilegium ſcripſi & ſubſcripſi.*

Hunc Epiſcoporum ea de cauſa conventum me-

nobis aliquis detrahendo (1) æſtimet in id nova decernere carmina, dum ab antiquitus juxta conſtitutionem Pontificum per regalem ſanctionem monaſteria ſanctorum Lirinenſis, Agaunenſis, Luxovienſis (2), vel modo innumerabilia per omne regnum Francorum ſub libertatis privilegium videntur conſiſtere, ſed pro reverentia ſanctorum beatorumque omnium fratrum implendo juſſa, cuſtodiendo præcepta, obedientiam propalabo. Quid vero vos vel ſucceſſores veſtri ſancto ſuadente Spiritu deinceps cuſtodiatis, immo ſanctæ illius Eccleſiæ Epiſcopus debeat adimplere, huic paginæ credidimus inferendum. hoc eſt. ut de veſtra congregatione qui in veſtro monaſterio ſancta debeant bajulare officia, quam Abbas (3) cum omni congregatione popoſcerit, a nobis vel a ſucceſſoribus noſtris ſacros percipiant gradus (4), nullum pro ipſorum honore præmium percepturus. altare in ipſo monaſterio prædictus Epiſcopus benedicat (5), & ſan-

---

memorat Aimoinus lib. 4. c. 41., & Clipiaci, quod tum palatium in agro Pariſienſi ad Sequanam erat, habitum fuiſſe ait. *Noſtri itaque devotio hæc extat animi* (inquit ibidem apud Aimoinum Rex Clodoveus) *ut monaſterium patroni noſtri Domini Dionyſii, in quo ipſe cum conſortibus teſtimonii veritatis requieſcit humatus, & piæ memoriæ genitores noſtri, Dominus videlicet Dagobertus, ac Domina Nanthildis, ſe ſepelire mandaverunt, ab omni ſolvamus dominio mortalium: quatenus Abba vel fratres eo loco commanentes poſſeſſiones a parentibus noſtris ſive ab aliis fidelibus Chriſtianis ſibi traditas abſque ullius dominantis inquietudine poſſidentes, pro ſalute noſtra ac ſtatu regni noſtri liberius Deum deprecentur. Huic autem noſtræ ſuggeſtioni conſentit venerabilis vir Landericus Pariſiacæ urbis Præſul, in cujus dioceſi cœnobium illud ſitum eſt, & cui uſque ad præſens tempus ſubjectum fuit, Hanc ergo libertatem ſervi Dei inibi conſtituti dum fuerint adepti, nulliuſque præter Dei ac ſanctorum ejus, noſtrumque, (cui etiam tota natio Francorum paret) fuerint perpeſſi dominatum, ſciant ſe debito tali genitoribus noſtris & nobis eiſque &c. fore obnoxios*. Quæ longius ideo adſcripſimus quod & caput propoſitum & ſuperius inſtrumentum manifeſto illuſtrent. Hæc demum libertas, ſeu exemptio, rogatu Pipini R. a Zacharia PP. auctoritate apoſtolica confirmata eſt, Bulla ſcripta in Lateranis anno V. Zachariæ II. *Non. Novembr. imperante Domino piiſſimo Auguſto Conſtantino a Deo coronato anno* IV. *Indict*. VI. quæ itidem in cortice ſcripta, in tabulario celeberrimi illius cœnobii extat, a qua plumbum Zachariæ Pontificis nomine inſcriptum filo canabino pendet.

(2 pag. 180.) *Domino ſancto*.) Propria hæc Epiſcoporum προσφώνησις, ut ſupra in epiſtola Marculfi ad Landericum Epiſcopum, & infra paſſim. Nec aliter ſcribere ſoliti, ut & *ſanctitas tua*, ἁγιωσύνη. Gregorius Thaumaturgus in epiſtola canonica can. 7. *Vias vel domos neſcientibus barbaris oſtendentes, etiam ab auditione arcere oportet, donec de iis congregatis ſanctis aliquid communiter viſum fuerit. & ante eos ſancto Spiritui*. Balſamon ibi ſanctos Epiſcopos appellat: *Illud autem*, ante ipſos ſancto Spiritui, *ſubjunxit, oſtendens quod quæcunque in communi conſideratione ab Epiſcopis diſpenſantur & ſtatuuntur, Spiritus ſanctus ſuggerit*.

(1) *Et ne nobis aliquis detrahendo*.) Privilegium Corbejæ a Berthefrido Ambianenſi Epiſcopo indultum, quod proxime huic formulæ accedit, eandem clauſulam ita concipit: *Et ne nos ad hoc propriæ deliberationis inſtinctu poſteritas æſtimet decreviſſe, cum etiam antiquiora vel in novo tempore monaſteria, propria privilegia ſunt conſecuta, ex quibus ut pauca, dum longum eſt omnia evolvere, nominemus, Agaunenſium, quod velut iſtud eſt regio munere ditatum, Lirinenſium, ut baſilica domni Marcelli, immoque & monaſterium Luxovienſe, hoc videntur habere conceſſum, & omnem libertatem ſunt conſecuti &c.* Sancti vero Marcelli, quod hic additur, privilegium a ſynodo Valentina confirmatum eſt, quæ a Guntchranno R. ob id præcipue habita anno regni ejus XXIV. Ejus hodie, præter unicum illud caput, nihil extat.

(2) *Lirinen. Agaun. & Luxov.*) Lirinenſis quidem inſulæ antiquiſſimum monaſterium, & quod ab Eucherio Lugdunenſi, Sidonio, & aliis abunde celebratum eſt. Agaunenſe vero a Sigiſmundo Gundobaldi F. Burgundionum R. conſtructum fuiſſe teſtatur Gregor. Turon. lib. 3. c. 5. In Ms. legebatur *Auganenſis*, cujus loco veram lectionem repoſui; quamquam & apud Fauſtum Presbyterum eius ſeculi ſcriptorem Agavenſe cœnobium ſcriptum eſt. De Luxovio vero Burgundiæ cœnobio vetus auctor vitæ S. Eligii Noviomenſis lib. I. apud Surium refert Audoenum ſeu Dadonem Rothomagenſem Epiſcopum ejus auctorem extitiſſe, quod tamen non omnibus probatur. Illud quidem conſtat, non multo ante auctoris noſtri tempora cœpiſſe.

(3) *Quem Abbas popoſcerit*.) Privileg. Berthefridi: *Si quos autem gradus Clericorum minores aut majores Abbas jam dicti monaſterii elegerit, ſive intra aut extra monaſterium, ſine aliqua præmii acceptione conſtituimus conſecrare*.

(4) *Sacros percipiat gradus*.) Monachi quippe Clerici non ſunt, *l. generaliter* 40. *C. de Epiſcop. & Cleric.* Nam primis ſeculis monachos extra clerum fuiſſe indubitatum eſt. Ideo can. 4. ſynodi Calchedonenſis eccleſiaſticis aut ſecularibus negotiis ſe immiſcere prohibentur: μήτε δὲ ἐκκλησιαστικοῖς, μήτε βιωτικοῖς παρενοχλεῖν πράγμασιν, ἢ ἐπικοινωνεῖν. Unde & eodem can. & can. 8. in pœnis, non depoſitione, ut Clerici, ſed excommunicatione cum laicis puniuntur. Adhucque in ſynodo Ticinenſi anni DCCCLXXVIII. in qua Carolus Imperator renunciatus eſt, *laici & monachi perpetuo anathemate feriantur*; qui locus extat & apud Aimoini continuatorem lib. 5. c. 35. B. Hieronymus ad Heliodorum de laude vitæ ſolitariæ pluribus aliam docet eſſe cauſam monachorum, aliam Clericorum, hos paſcere, illos paſci. Quod infinitis Patrum teſtimoniis probari poſſet, niſi certo certius eſſet monachos Clericos non fuiſſe uſque ad tempus Zoſimi & Siricii Romanorum Pontificum; quorum hic epiſt. I. c. 23. ad Himerium innuere videtur licentiam ſe præſtare monachis morum gravitate & fidei inſtitutione commendatis ut poſſint Clericorum officiis aggregari. Inter opera Hieronymi legitur Epiphanii ad Joannem Hieroſolymitanum epiſtola, ab eo Latine reddita, in qua refertur Epiphanium ordinaſſe Presbyterum monachis quibuſdam Syriæ poſcentibus qui eis dominica ſacramenta conficeret.

(5) *Altare benedicat &c.*) Privileg. Berthefridi: *Altaria ad ſæpedictum monaſterium, vel tabulæ ſi defuerint, Epiſcopus Ambianenſis Eccleſiæ in Dei nomine benedicat, & chriſma ſa-*

crum

ſanctum chriſma annis ſingulis, ſi voluerint poſtulare, pro reverentia loci ſine pretium concedat. & juxta diſpenſationem divinam, cum Abbas de ipſo monaſterio a Domino migraverit, quem unanimiter omnis congregatio illa monachorum ex ſemetipſis optimæ regula compertum & vitæ meritis congruentem elegerint, ſimiliter ſine præmium memoratæ urbis Epiſcopus ipſe promoveat Abbatem. Nullam penitus aliam (1) poteſtatem ab ipſo monaſterio, neque in rebus, neque in ordinandis perſonis, neque in villabus ibidem jam conlatis aut deinceps regio munere aut privatorum conlaturas, vel in reliqua ſubſtantia monaſterii, nos ſucceſſoreſque noſtri Epiſcopi, aut Archidiaconi (2), ſeu ceteri alii ordinatores, aut quælibet alia perſona prædictæ civitatis habere non præſumant, aut quodcunque de eodem monaſterio, ſicut de parrochiis aut ceteris monaſteriis, muneris cauſa audeant ſperare aut aufe:re; nec de hoc quod a Deum timentibus hominibus tranſmiſſum aut in altario offertum (3) fuerit, aut ſacris voluminibus, vel quibuſcunque ſpeciebus ad ornatum divini cultus pertinet, ad præſens conlata vel deinceps conlatura fuerint, auferre præſumant (4). Et niſi rogatus a congre-



---

*crum conficiat ſine pretio, & annis ſingulis pro reverentia ſanctorum ſine ullo pretio, muneris cauſa concedat.* Privileg. Landerici: *Si neceſſitas eis fuerit, ex noſtro & ſucceſſorum noſtrorum epiſcopatu ſine pretio chriſma & oleum ſuſcipiant.* Et quod de chriſmate ſine pretio dicitur, recte id & ſecundum canones. Synodi Barcinonenſis ſub Recaredo cap. 2. *Ut cum chriſma Presbyteris diocesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Meldenſis ſeu verius Pariſienſis cap. 45. *Ut nemo Epiſcoporum vel quilibet miniſter eccleſiaſticus propter ſacrum chriſma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel quælibet munuſcula.* Synodi Cabilonenſis II. ſub Carolo M. can. 16. ex quo Gratian. can. *Statuimus*, 1. qu. 1.

(1) *Nullam penitus aliam.*) Berthefridus: *Ut quicquid prædicti monaſterii monachis ſub libertate evangelica regio munere ſeu a quibuslibet Chriſtianis in agris, in mancipiis, vineis, ſilvis, auro, argento, vel veſtibus, vel quibuslibet ſpeciebus ad prædictum monaſterium pertinentibus, a quibuslibet collatis, aut deinceps collatura ſunt, ſæpedictum monaſterium vel monachi ibidem degentes vitæ noſtræ temporibus ſeu ſucceſſorum noſtrorum, nec ego, nec ullus ſibi Pontifex, aut aliquis ex ordine Clericorum ordinatores Ambianenſis Eccleſiæ ſuis uſibus uſurpare, aut minorare, aut ad civitatem aliquas ſpecies deferre præſumat.* Quæ ſummatim & ad verbum fere referuntur a Nicolao I. Papa ep. 24. qua illud Ambianenſis Epiſcopi privilegium confirmat. Illud ipſum cavetur ſynodo Valentina, quæ baſilicæ S. Marcelli & S. Symphoriani rogatu Guntchramni R. libertatem concedit: *Si quid per quaſcunque auctoritates aut ſcripturarum epiſtolas præfatus Dominus Rex vel ſupra nuncupata jugalis ſua filiæque eorum, ſive in miniſterio altariorum, ſive in quibuſcunque ſpeciebus, quæ ad divinum cultum pertinere noſcuntur, contuliſſe vel adhuc conferre voluerint, neque ab Epiſcopis locorum, neque poteſtas regia quocunque tempore ſucceſſura, de eorum voluntate quicquam minorare aut auferre præſumat. Quod ſi quis hoc quocunque tempore temerare aut auferre præſumpſerit, veluti necator pauperum, anathemate &c.*

(2) *Archidiaconi.*) Quippe illi res temporales & Eccleſiæ opes diſpenſabant. Prudentius Periſtephanon, de B. Laurentio, quem Levitam primum e ſeptemviris dicit:

*Cæleſtis arcanum domus*
*Fidis gubernans clavibus,*
*Votaſque diſpenſans opes.*

(3) *In altario offertum.*) Solemne tunc temporis erat res donatas Eccleſiæ vel traditas aut ſaltem earum inſtrumenta altari imponere. Infra c. 2. *aut de offertione in altario.* Synodi Aurelian. I. can. 16. *Ut de his quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem Epiſcopus ſibi vindicet*; & c. 17. *de his quæ in altario acceſſerint.* Gregorius Turonenſ. de mirac. lib. 1. cap. 61. *Homo devotus balteum ex auro puriſſimo cum omni apparatu ſtudioſiſſime fabricatum ſuper altare baſilicæ illius (S. Nazarii) poſuit, orans ut in cauſis ſuis martyris virtus dignaretur adeſſe.* Leg. Alaman. tit. 1. ubi de charta donationis ad Eccleſiam: *Coram ſacerdote qui ad eandem Eccleſiam deſervit ſuper altare ponat.* Leg. Bajuvarior. tit. 1. *Et tunc ipſam epiſtolam ponat ſuper altare, & ſic tradat pecuniam.* Leo & Carolus M. R. facta donatione Eccleſiæ Romanæ, eam *ſuper altare S. Petri, & poſtmodum intus in ſancta ejus confeſſione poſuit*, inquit Anaſtaſius in Hadriano. Ejus rei formula traditur in Capitulis Benedicti Levitæ libro 6. capite 370. *Et ipſam ſcripturam coram altari aut ſupra tenet, dicens ejuſdem loci ſacerdotibus atque cuſtodibus: Offero Deo atque dedico omnes res quæ hac in chartula tenentur inſertæ.* In veteri inſtrumento Majoris Monaſter. apud Pithœum: *quod dum de more ſuper altare poſuiſſent.* In tabulario Corbejæ: *Factum donum per manus Roberti Flandriæ Conſulis, necnon Gauffredi Pariſiorum Præſulis, ſuper altare S. Petri impoſuit.* Quo referri poſſet illud; *Qui altari ſervit, vivat de altari.*

(4) *Auferre præſumat.*) Illud nominatim cavendum monachis fuit. Alioqui jure veteri id omne quod Eccleſiis totius diœceſis offerebatur, Epiſcopo cedebat. Synodi Aurelianenſis III. ſub Childeberto can. 5. *Si quæ oblationes in quibuslibet rebus atque corporibus collatæ fuerint baſilicis in civitatibus conſtitutis, ad poteſtatem Epiſcopi redigantur, & in ejus ſit arbitrio, quod ad reparationem baſilicæ aut obſervantium ibi ſubſtantiam deputetur. De facultatibus vero parochiarum vel baſilicarum in pagis civitatum conſtitutis, ſingulorum locorum conſuetudo ſervetur.* Synodus Cabilonenſis apud Gratianum: *Decretum eſt ut omnes Eccleſiæ cum dotibus ſuis & decimis & omnibus ſuis in Epiſcopi poteſtate conſiſtant, & ad ejus ordinationem ſemper pertineant.* Verum cum omnia ſibi vindicarent Epiſcopi, canonibus demum proviſum fuit ut certa parte ab Epiſcopis percepta, reliquum immune Eccleſiis ſeu parochiis ſupereſſet; qua de re elegans eſt conſtitutio in Concilio Carpentoratenſi ſub Cæſario Arelatenſi, ſynodi Aurelianenſis I. cap. 16. De monaſteriis vero Concilio Ilerdenſi can. 3. ſtatutum eſt, *ut quæ in jure monaſterii de facultatibus offeruntur, in nullo diocesana lege ab Epiſcopis contingantur.* Quod quidem an tum in Gallia obtinuerit neſcio, cum idipſum nominatim in omnibus monaſteriorum privilegiis exactiſſime cautum ſit, quod alioqui fruſtra eſ-

gregatione illa vel ab Abbate, pro oratione lucranda, nulli nostrum liceat monasterii adire secreta aut finium ingredi septa. Et si ab eis illuc Pontifex postulatus, pro lucranda oratione vel eorum utilitate, accesserit, celebrato ac peracto divino mysterio, simplicem ac sobriam benedictionem perceptam, absque ullo requisitu domum studeat habere regressum; ut quatenus monachi, qui solitarii nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, & sub sancta regula viventes, & beatorum patrum vitam sectantes, pro statu Ecclesiæ & salute Regis vel patriæ valeant plenius Dominum exorare. Et si aliquid ipsi monachi de eorum religione tepidi an secus egerint, secundum eorum regulam ab eorum Abbate, si prævalet, corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipsa civitate (1) coercere debeat: quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quicquid domesticis fidei (2) pro quietim tranquillitatis tribuitur. Si quis autem ex nobis, quod Deus avertat, calliditate commotus, aut cupiditate præventus, ea quæ sunt superius comprehensa temerario spiritu violare præsumpserit, a divina ultione prostratus, reatu anathematis (3) subjaceat, & tribus annis a communione omnium fratrum se noverit alienum. & nihilominus hoc privilegium perpetim maneat incorruptum. Quam constitutionem nostram, ut firmis subsistat vigoribus, & nos & fratres nostri Domini Episcopi (4) subscriptionibus manibus nostris decrevimus roborari. Actum ibi, sub die illo, anno illo.

*Concessio Regis (5) ad hoc privilegium.*

II. Ille Rex viris apostolicis (6) patribus nostris, necnon & inlustribus viris illi

Co-

---

esset. Extat in tabulario Corbejæ Benedicti III. Papæ epistola. qua ejus cœnobii privilegia confirmantur, quæ idipsum statuit: cujus verba, quæ huc faciunt, quod nondum (extat To. VI. Spicileg. Dacheriani pag. 397.) edita, ac ne quidem ulla illius Pontificis epistola, & non minus pie quam eleganter scripta sint, exscribere non pigebit. Sic igitur habent: *Cumque Galliarum permaxime Ecclesias fidelium collationibus a Domino constet esse ditatas, ut nemo sit fere Episcoporum cui suæ sumptus Ecclesiæ satis superque non sufficiant, cujus gratia necessitudinis, quæ servorum Christi sint usibus collata, in suos committere sumptus præsumant? Si enim Clericorum, qui de propriis habundant reditibus, communicatio prohibetur cum eis quæ conferuntur Ecclesiæ, ne dum illi acceperint qui de propriis habundant, eorum qui nihil habent inopia non levetur, qua conscientia Episcopus suæ sumptibus Ecclesiæ sufficiens, quæ servorum Dei fuerint usibus collata præsumat contingere? nec veretur quod per Prophetam Dominus exprobrat sacerdotibus, dicens, Rapina pauperis in domibus vestris. Pauperes enim Christi esse quis nesciat qui contemnentes substantiam mundi, salvatoris nostri vestigia sectantes, qui cum esset dives pro nobis pauper effectus est, sanctæ professionis titulum sibi divitias arbitrantur? Quisquis igitur aliquid horum quæ fuerint ad necessitates eorum collata præsumpserit, & suis commodis applicuerit, rapinam in domum suam de substantia pauperis congregat. Omnia quæcunque sunt Ecclesiis oblata vel delegata, in pauperum, pupillorum, viduarum certum est necessitates destinata. Quare quisquis ex his aliquid in suas utilitates exigit, rapinam pauperis in domum suam congestam detinet &c. Scriptum per manum Theodori notarii & scriniarii S. R. E. mense Octobrio indictione* IV. *Actum non.* III. *Octob. per manum Theophylacti Secundicerii sedis apostolicæ, imperante Domino piissimo Augusto Hlotario a Deo coronato magno Imp. ann.* XXXIX. *sed & Hludovico novo Imperatore ejusdem filio an.* VII. *Indict.* IV.

(1) *Pontifex de ipsa civ.*) Observa in casum negligentiæ jurisdictionem & potestatem Episcopo servatam; ne impunita scilicet essent maleficia, & canonica auctoritas convelleretur.

(2) *Domesticis fidei.*) Id est, fidelibus, qui divino servitio jugiter incumbunt, & quorum sors Dominus est; infra c. 2. & alibi passim. Sidon. lib. 6. ep. 10. lib. 9. ep. 8. & alii.

(3) *Reatu anathematis.*) Frequens tum erat, & etiam postea, anathematis pœnam instrumentorum sanctionibus inserere, ut in Landerici & Berthefridi privilegiis, & infra lib. 2. c. 1. 3. 6. & passim in veteribus formulis sacris & profanis, & in Regum quoque diplomatibus. In præcepto Dagoberti: *Si quis hæc non observaverit, & hic & in futuro anathema sit.* Sic & in testamento Leodebodi Abbatis de dotatione & constructione cœnobii Floriacensis. Nec dissimiliter apud Gregor. Turon. lib. VII. cap. VI. in pactione fratrum, ne Parisios unus inconsulto altero ingrederetur, *essetque Polioctus martyr cum Hilario atque Martino confessoribus judex ac retributor ejus.*

(4) *Domini Episcopi.*) Qui hic non tantum adhibentur ut testes, verum & quia ejusmodi libertas non nisi magno in conventu Episcoporum indulgebatur; infra cap. 2. *juxta quod ab illo Pontifice vel ceteris Domnis Episcopis &c.* Berthefridus: *Quam definitionem constitutionis nostræ, ut nostris & futuris temporibus valitura sit, manus nostræ subscriptionibus roboravimus; & coepiscopos Dominos & fratres nostros rogavimus ut ipsam in omnibus confirmare debeant.* Iisdem verbis Landericus in libertate S. Dionysii, quæ a magno Episcoporum numero subscripta est. Quam quidem Aimoinus lib. IV. c. XLI. Clypiaci in conventu Pontificum & procerum totius gentis factam esse testatur, cui interfuere *prope omnes Galliarum Episcopi*, ut ille ait.

(5) *Concessio Regis.*) Satis ostendit hoc lemma non privilegio tantum Episcopi, sed & consensu & confirmatione Regis opus fuisse; quod plene hæc formula declarat, quæ superioris etiam verba recenset. Chlodovei quoque R. Dagoberti F. litteræ, quibus Landerici privilegium confirmatur, in illo cœnobio asservantur. Hincmarus Richildi Reginæ apud Flodoardum hist. Rhemens. lib. 3. c. 27. *Reducit etiam ob memoriam qualiter præfatus Rex, petente Lmintrude Regina, de rebus tunc suis per consilium Parduli Laudunensis Episcopi privilegium ad idem Oriniacum monasterium a se dictari & a ceteris Episcopis firmari rogaverit, & ipse Rex confirmaverit.*

(6) *Viris apostolicis.*) Sic tum vocabantur Episcopi; infra cap. 3. 5. 6. 7. 11. 16. 22. 23. & passim apud Marculfum & veteres formularum auctores, eademque ratione apud eos-

de r

Comiti, vel omnibus agentibus præſentibus & futuris. Oportet enim clementiæ principali ut inter ceterorum petitionibus ſacerdotibus debeat benignum accommodari auditum, & quod pro timore divini nominis poſtulatur, ponatur proculdubio ad effectum; ut fiat in mercedem conjunctio, dum pro quietem ſervorum Dei congrua impertitur petitio: quia fides perfecta non dubitat ad altiſſimi gratiam pertinere quod ſecundum ſacro eloquio præcipue a domeſticis fidei devota mente impenditur, quia ſcriptum eſt: [a] *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Ergo dum & ille Epiſcopus, aut Abbas, aut inluſter vir monaſterium in honore ſancti illius, in pago illo, aut ſuper ſua proprietate, aut ſuper fiſco (1), noſcitur ædificaſſe, ubi ad præſens ille Abbas vel turba plurima monachorum adunata eſſe noſcuntur, ad petitionem illius (2) clementia noſtra pro quiete ipſorum ſervorum Dei præceptionem vigoris noſtri placuit propalare, ſub quo tranquillitatis ordine, Domino protegente, ipſi monachi juxta religionis normam perpetim valeant reſidere, elegimus ut & hac ſerie debeat plenius declarari: quia nihil de canonica inſtitutione convellitur, quicquid ad domeſticis fidei pro tranquillitatis pace conceditur. Nec nobis aliquis detrahendo æſtimet in id nova decernere carmina, dum ab antiquitus juxta conſtitutionem Pontificum per regalem ſanctionem monaſteria ſanctorum illorum vel cetera in regno noſtro ſub libertatis privilegium videntur conſiſtere, ita & præſens valeat Deo adjutore conſtare. Ergo, ſi quid in villabus, mancipiis, vel reliquis quibuſcunque rebus, atque corporibus, aut regio munere aut privatorum aut ſupraſcripti illius, vel a quibuslibet eſt delegatum, aut deinceps fuerit additum, juxta quod ab illo Pontifice vel ceteris Domnis Epiſcopis ad præfato monaſterio, juxta quod eorum continet privilegium, quem nobis præfatus ille pro-



[a] Math. 5.

dem *apoſtolica ſede digni*, & *apoſtolica ſede colendi*. Chlodoveus R. in epiſtola ad ſynodum Aurelian. I. *Orate pro me Domini ſancti & apoſtolica ſede digniſſimi Papæ*. Sic & apud Gregorium Turon. lib. 9. c. 41. & 42. extant duæ epiſtolæ, quarum hoc eſt principium: *Domnis ſanctis & apoſtolica ſede digniſſimis*. Ita & *apoſtolicam ſedem* cathedram Tricaſſinæ urbis dixit Sidon. lib. 6. ep. 1. & *apoſtolatum* lib. 6. ep. 4. & 7. & alibi ſæpe; quibus locis multa eruditiſſime Joannes Savaro Arvernorum & Præſes & decus, quem non exſcribo. Ideo autem Apoſtolicos Epiſcopos dictos eſſe apparet, quod in locum Apoſtolorum illi ſucceſſerint. Præter auctores quos ille notavit, Cyprianus ep. 42. & 65. Clemens ep. 1. Anacletus ep. 2. & apud Gratianum can. *In novo*, diſt. 21. & Greg. lib. 6. ep. 27. Hincmar. ep. 3. c. 4. idemque in libro adverſus Hincmarum Laudunenſem cap. 12. Quamquam ſpeciali nota Romanam ſedem apoſtolicam dici ſynodi & Patres ubique conclament, quod etiam Balſamo agnoſcit in præfat. Concilii Carthaginenſis. Quæ demum appellatio ſoli Pontifici Romano data eſt, adeo ut *Apoſtolicus*, nullo alio adjecto, ſequentibus ſeculis diceretur, noſtriſque vernaculis ſcriptoribus *Apoſtole*.

(1) *Aut ſuper proprietate, aut ſuper fiſco.*) His verbis duæ notantur bonorum ſpecies & velut maxima rerum diviſio, quæ eo ſeculo recepta erat, quod ex c. 33. infra colligi poteſt. Omnia namque prædia, aut propria erant, aut fiſcalia. Propria ſeu proprietates dicebantur quæ nullius juri obnoxia erant, ſed optimo maximo jure poſſidebantur, ideoque ad heredes tranſibant. Fiſcalia vero, beneficia ſive fiſci vocabantur, quæ a Rege, ut plurimum, poſteaque ab aliis ita concedebantur, ut certis legibus ſervitiiſque obnoxia, cum vita accipientis finirentur. Rurſus proprium ſeu proprietas duplex. Alia quippe *alode* ſeu *hereditas*, proprium paternum aut maternum erat. Alia non a parentibus accepta, ſed labore & parſimonia cujuſque comparata, *ex comparato* aut *ex conquiſitu* dicebatur. Sed poſtea & res comparatas alodii nomine vocaverunt; eoque perventum ut *alodia* liberi juris prædia, quæ nec fidem nec penſitationem deberent, generaliter dicta ſint, ad feudi differentiam, quo ſenſu alodii vocabulum adhuc hodie jure noſtro uſurpatur. Hæc diviſio paſſim apud medii ſeculi ſcriptores notanda occurrit. Infra c. 12. *Villas illas, ſitas in pago illo, quas aut munere regio, aut de alode parentum, vel undecunque ad præſens tenere videtur*; & l. 2. c. 17. Greg. Tur. l. 9. c. 38. *Sunneſigillus & Gallomagnus, privati a rebus, quas a fiſco meruerant, in exilium retruduntur &c. quibus nihil aliud eſt relictum niſi quod habere proprium videbantur*. Idem lib. 7. c. 40. de uxore Mummoli: *Mulieri nihil amplius quam ea quæ de parentibus habuerat relinquens*. Capitul. Caroli M. lib. 3. cap. 19. *Auditum habemus qualiter & Comites & alii homines qui noſtra beneficia habere videntur, comparant ſibi proprietates de ipſo noſtro beneficio*; & eod. lib. cap. 20. ubi alodis nomen. Lib. 4. cap. 28. *Quicumque ſuum beneficium occaſione proprii deſertum habuerit*. Sic & in teſtamento Caroli M. cap. 4. & in diviſione regni a Ludovico Pio facta cap. 5. *beneficium* ab *hæreditate* ſeparatur. Proprietatem autem ſeu *terram propriam* (ut Gregor. Turon. appellat lib. 3. cap. 15.) aut ex alode aut ex comparato fuiſſe ex formulis ſupra prolatis & lib. 2. c. 6. & 7. manifeſtum eſt. Fiſci vero nomen frequenter in ejus ævi auctoribus & vetuſtiſſimis inſtrumentis occurrit. Childebertus R. apud Aimoin. lib. 2. c. 20. baſilicæ S. Vincentii martyris *fiſcum Iſciacenſem* concedit. Sangallenſis lib. 1. cap. 14. *Cum illo fiſco vel curte, illa abbatiola vel Eccleſia, tam bonum vel meliorem vaſallum quam ille Comes eſt vel Epiſcopus fidelem mihi facio*. Caroli Calvi pro S. Dionyſio præceptum; *Fiſcus noſter, ubi fiſcalinus Manbertus cuſtos eſſe videtur*. Sigebertus ad annum 886. & 890. Ex quibus locis, plenius autem ex hoc Marculfi loco, declaratur fiſcum id appellari quod a fiſco profectum, Regis liberalitate alicui in beneficium conceſſum eſt, & ideo nomen fiſci ſeu terræ fiſcalis retinebat. Capitul. Caroli M. lib. 3. cap. 82. Synodi Valentinæ ſub Lothario Imp. cap. 10. De alode autem infra cap. 12.

(2) *Ad petitionem illius.*) Hoc enim libertatis privilegium ut plurimum rogatu eorum qui conſtruxerant aut dotaverant concedebatur. Atque adeo plerunque ſub ea conditione donationes fieri ſolitas ex lib. 2. cap. 1. apparet. *Ea ſcilicet ratione atque prætextu ut remota Pontificum ſimulque eccleſiaſticorum officialium ſeu publicorum omnium poteſtate &c.*

protulit recenſendum, ſancitum eſſe cognovimus, nullus Epiſcoporum, ut diximus, nec præſens, nec qui fuerint ſucceſſores, ſeu Archidiaconi, vel eorum ordinatores, vel quælibet perſona, poſſit quoque ordine de loco ipſo auferre, aut aliquam poteſtatem ſibi in ipſo monaſterio præter quod ſcriptum eſt adaptare, vel aliquid quaſi per commutationis titulum minuare, aut de miniſterii ornamenta vel de offertione in altario inlata abſtollere, nec ad ipſo monaſterio vel cellulas ejus, niſi tantum pro lucranda oratione, & ipſud, ſi fuerit, cum voluntate Abbatis vel ejus congregationis, abſque diſpendio eorum, aliter accedere penitus non præſumat; quo facilius ſecundum delegationis votum vel hujus ſeriæ auctoritatem ad ipſo monaſterio abſque ullius inquietudine ibidem cuncta proficiant in augmentis, adicientes (1) ut nulli penitus judicum vel cuilibet hominum licentia ſit de rebus præfati monaſterii abſque voluntate ipſorum ſervorum Dei in aliquo iniquiter defraudare, aut temerario ſpiritu ſuis uſibus uſurpare; ne, quod primitus eſt, & Dei iram incurrat & noſtram offenſam, vel a fiſco grave damnum ſuſtineat. Illud nobis pro integra mercede noſtra placuit addendo, ut tam quod ex noſtra largitate quam delegatione ipſius vel ceterorum aut cujuslibet ibidem eſt aut fuerit devoluta poſſeſſio, quoque tempore, nulla judiciaria poteſtas, nec præſens, nec ſuccidiva, aut cauſas audiendo, aut aliquid exactando, ibidem non præſumat ingredere; ſed ſub omni emunitate hoc ipſe monaſterius vel congregatio ſua ſibimet omnes fredos conceſſos debeant poſſidere. Et quicquid exinde fiſcus noſter forſitan de eorum homines aut ingenuos aut ſervientes in eorum agros commanentes vel undecunque poterat ſperare, ex indulgentia noſtra in luminaribus (2) ipſius ſancti loci vel in ſtipendia ſervorum Dei, tam nobis in Dei nomine viventibus, quam per tempora ſuccedentibus Regibus, pro mercedis compendium debeant cuncta proficere, ut pro æterna ſalute vel felicitate patriæ ſeu Regis conſtantiam delectet ipſis monachis immenſam Domini pietatem jugiter implorare. Quem præceptum decreti noſtri, Chriſto in omnibus ſuffraganti, ut firmior habeatur (3), & perenniter conſervetur, ſubſcriptione manus noſtræ infra ſtuduimus peragrari.

*Emunitate regia* (4).

III. Maximum regni noſtri augere credimus munimentum, ſi beneficia opportuna locis Eccleſiarum, *aut cui volueris dicere*, benivola deliberatione concedimus, ac Domino protegente ſtabiliter perdurare conſcribimus. Igitur noverit ſollertia veſtra nos ad petitionem apoſtolico viro Domno illo illius urbis Epiſcopo talem pro æterna retributione beneficium viſi fuimus indulſiſſe ut in villabus Eccleſiæ domus illius, quas moderno tempore aut noſtro aut cujuslibet munere habere videtur, vel quas deinceps in jure ipſius ſancti loci voluerit divina pietas am-

---

(1) *Adjicientes.*) Addit Rex clauſulam immunitatis a functionibus publicis, cujus integra cap. ſeq. traditur formula.

(2) *In luminaribus.*) Quorum uſus pervetuſtus, & a primordio naſcentis Eccleſiæ, in antelucanis ſcilicet cœtibus; ut Irenæus, Tertullianus, & alii paſſim teſtantur. Tandemque pace Chriſtianis data, Eccleſia id ex priſco more retinuit, tum in Dei honorem, tum in ſignum lætitiæ, ut B. Hieronymi verbis utar, qui Vigilantium cereorum uſum reprobantem graviter redarguit. *Nam & abſque martyrum reliquiis* (inquit) *per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt evangelium, accenduntur luminaria, jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum, unde & virgines illæ evangelicæ ſemper habent accenſas lampades ſuas &c.* Et quidem ignem honoris gratia, non Imperatoribus modo, verum & aliis prælatum fuiſſe certum eſt; qua de re nos, ſi Deus dederit, alias plura. Porro hanc de luminaribus clauſulam habet præceptum Caroli R. in continuat. Aimoin. lib. v. cap. 1. itemque ſæpe in Mindenſis Eccleſiæ privilegiis, quæ excuſa exſtant, & omnibus pene diplomatibus adſcriptam videre eſt.

(3) *Ut firmior habeatur.*) Clauſula diplomatibus addi ſolita. Infra cap. proximo & 3. & paſſim. Appoſite ad hunc locum Hincmarus de divortio Hlotarii R. & Thietbergæ, ad xii. interr. *De confirmatione autem ſuæ ſcripturæ nihil dixerunt, quia quod firmaverunt, infringere nefas duxerunt, ſicut in libro Heſther legitur, quantam valetudinem anuli regii habeat ſignatio, quantam cautelam ſigni illius vacuatio, quanto magis regiæ manus ſubſcriptio. & nec perfunctorie ducere debet regia dignitas quod in ſuis præceptis ſcribitur. Et ut hoc*, inquit, *noſtræ auctoritatis præceptum pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatis vigorem &c.* Hæc ille.

(4) *Emunitas Regia.*) Immunitatem, quæ & emunitas facili mutatione eo ſeculo vocabatur, Modeſtinus in leg. 15. de excuſat. ἀλειτουργησίαν πολιτικῶν ἢ δημοσίων λειτουργιῶν definit; eademque ἐλευθερία τῶν λειτουργημάτων Juſtiniano dicitur. Hanc primi Chriſtiani Imperatores parcam & modicam Eccleſiis tribuerunt, & initio quidem a civilibus & perſonalibus muneribus tantum, quod ex lib. xvi. Cod. Theod. facile perſpicitur. Pleniſſima vero immunitas a Regibus noſtris conceſſa eſt; ut merito dici poſſit, ſuo exemplo ceteris Principibus eandem immunitatem Eccleſiis concedendi auctores fuiſſe. Ejus itaque formulam hoc capite tradit Marculfus, ut nullus ſcilicet judex aut exactor fiſci nomine audeat aliquid in villis & rebus Eccleſiæ exigere, nec juriſdictionem aliamve poteſtatem ibidem exercere. Meminit hujus immunitatis ſynodus Aurelianenſis I. cap. 7. *ipſorum agrorum vel Clericorum immunitate conceſſa*; cujus initio capitis (ut id quoque obiter indicem) non *obligationibus*, ſed *oblationibus* legendum eſſe crediderim. *De obligationibus vel agris quos Dominus noſter Rex Eccleſiæ ſuo munere conferre dignatus eſt &c.* In Synodo Ticinenſi a Ludovico Italiæ R. petunt Epiſcopi, *ut emunitates progenitorum veſtrorum ita conſervari præcipiatis ſicut a glorioſo genitore veſtro conſtitutum eſt*. Quibus reſpondet

ampliare, nullus judex publicus (1) ad causas audiendo aut freda undique exigendum nullo umquam tempore non præsumat ingredere (2); sed hoc ipse Pontifex, vel successores ejus, propter nomen Domini, sub integræ emunitatis nomine valeant dominare (3). Statuentes ergo ut neque vos, neque juniores (4) neque successores vestri, nec

---

det Ludovicus: *Statuimus ut Ecclesiæ Dei per totius regni nostri fundatæ terminos, sub nostræ emunitatis tuitione securæ cum rebus & familiis permaneant &c. earumque rectores propriis utantur privilegiis. Similiter & clerus omnis proprio fungatur ministerio, nemine molestante nostri terroris formidine.* Anteriorum Regum constitutiones, quarum meminit, extant apud Ansegisum libro 3. capite 26. & Benedictum Levitam libro 5. capite 279. Hoc autem privilegium, cujus specimen hic extat, *præceptum immunitatis* a Flodoardo dicitur historiæ Rhemensis libro 2. capite 11. de Rigoberto Episcopo, qui illud a Dagoberto Rege suæ impetravit Ecclesiæ, *suggerens qualiter ipsa Ecclesia sub præcedentibus Regibus a tempore Domni Remigii & Clodovei Regis, quem ipse baptizavit, ab omni functionum publicarum jugo liberrima semper extiterit.* Neque vero immunitatis istius præceptum ab amortizatione, quo forensi verbo hodie utitur, omnino alienum est. Nam & pleraque cœnobiorum tabularia hanc immunitatem & amortizationis nomine inscribunt. Quod tamen non eo pertinet, si attentius spectetur, ut a quocunque vectigali & soli tributo vacationem præstet, si forte censualis terra aut tributaria fuerit, ut apparet ex Capitul. Caroli M. lib. 1. cap. 85. *Unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio adtribuatur &c. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant.* Synodi Meldensis cap. 63. Quo pertinet & de terra tributaria Capitul. lib. 4. cap. 37. Ejusdem immunitatis, eadem pene formula & conceptione verborum, diplomata extant apud Flodoard. hist. Rhemens. lib. 2, cap. 11. Sigonium de regno Italiæ lib. 5. Collectanea Camuzatii Trecensis, in Ecclesiæ Mindensis privilegiis Joannis Pistorii beneficio editis, & in veteribus cœnobiorum scriniis. Emunitatem porro pro immunitate hoc seculo & sequentibus dictam fuisse jam observavit nunquam satis laudatus Franciscus Pithœus in eruditissimo ad Capitula glossario.

(1 *Nullus judex publicus.*) Sic in immunitate monasterii Dervensis a Childerico R. indulta, quæ in collectaneis Camuzatii extat; *Ut nullus judex publicus, quolibet modo judiciaria accinctus potestate, in curtes ipsius monasterii, ubicunque ad præsens eorum maneat possessio vel dominatio, aut quod inantea, ut diximus, fuerit additum vel condonatum, nec ad causas audiendum, nec fidejussores tollendum, nec freda exigendum, nec mansiones faciendum, nec rotaticum infra urbes vel in mercatis extorquendum, nec ullas paratas aut quaslibet redhibitiones exactare præsumat.* Ita & Flodoardus hist. Rhemens. lib. 2. cap. 9. de Dagoberti R. præcepto: *Ut nullus judex publicus in ipsas terras auderet ingredi, ut mansiones intrando faceret, aut quælibet judicia vel xenia ibidem exigere ullatenus præsumeret.* Eadem quoque complectitur privilegium a Carolo M. Gradensi Ecclesiæ indultum apud Sigonium de regno Italiæ lib. 4. & illud quod Ecclesiæ Patavinæ datum est lib. quinto. Sic denique S. Martini, S. Dionysii, Corbejæ, & Mindensis Ecclesiæ privilegia, quæ easdem clausulas & Marculfo simillimas conceptis pene verbis continent. Ad quid vero *judicis publici* nomen? An non omnes publici judices erant? Putavi aliquandiu publicos ad privatorum distinctionem dici, ut publici fuerint qui regii essent regiamque justitiam exercerent, privati autem qui privatorum dominorum loco jus dicerent. Namque tum, aut saltem Caroli M. seculo, privatas justitias fuisse ex quibusdam locis non obscure colligi potest, ut in Capitul. lib. 2. cap. 44. Dagobertus R. in immunitate S. Dionysii data Parisiis anno decimo regni IV. KL. Augusti: *Et ut ab omnibus optimatibus nostris & judicibus publicis ac privatis melius ac certius credatur &c.* Quæ etsi non aliena viderentur, mutavi tamen sententiam, succurrente altera veraque, ni fallor, interpretatione. Publicus enim judex ecclesiastico judici opponitur in Capitul. Caroli M. lib. 5. c. 16. *Ut omnes justitias faciant, tam publici quam ecclesiastici*; & lib. 6. cap. 107. *Ut Episcopus judices publicos commoneat &c.* Sanctus Leo ad Episcopos per universas provincias: *Aliquanti malefici, qui ita se demerserunt ut nullum his auxiliantis possit remedium subvenire, subditi legibus secundum Christianorum Principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione polluerent, per publicos judices perpetuo sunt exilio relegati.* Ex Hincmaro de Lothar. ad XVII. interrogationem. Qua voce Anianus utitur ad leg. XII. de Episcop. & Cleric. Cod. Theod. *Specialiter prohibetur ne quis audeat apud judices publicos Episcopum accusare.* Unde desumptum videtur c. 390. lib. 5. Capitul. Benedicti Levitæ. Cujus ratio peti potest ex leg. 3. de episcopal. audient. Cod. Theod. in qua Valentinianus, Theodosius, Arcadius Impp. de Episcopis ajunt: *Habent illi judices suos, nec quidquam his publicis commune cum legibus.*

(2) *Præsumat ingredi.*) Infra cap. 4. *Ut sicut constat ab antedictis Principibus de villis præfatæ Ecclesiæ Domni illius integram emunitatem absque introitu judicum fuisse concessam.* Et in formula immunitatis sanctorum, quæ XLIV. inter Anonymi formulas (sive in Appendice Marculfi) exstat. In cœnobii Dervensis immunitate Childerici R. corrupta est hæc clausula, sed quæ facillime restitui potest: *In omnibus locis & territoriis ubi aliquid possidere videntur, absque interdictu judicum.* Ex his enim planum est, *absque introitu judicum* legendum esse.

(3) *Valeant dominare.*) Vides hanc terrarum ecclesiasticarum immunitatem præcipue ad jurisdictionem & justitiam pertinere, ut scilicet eorum subditi & coloni a nullo judice distringi possint, ut seculi verbis utar; quod & clare ostendit charta Henrici I. R. anno millesimo sexagesimo, quæ inter Martiniana privilegia excusa est. Quo fit ut eo nomine in subditos jurisdictio eis concessa videatur, quam illi per Advocatos & Vicedominos exercebant, qui inter judices frequenter apud Ansegisum recensentur. Ottho Magnus in privilegio Mindensis Ecclesiæ anno nongentesimo sexagesimo primo, regni ejus XXII. *Hominibus quoque famulatum ejus monasterii facientibus, qui Saxonice Malman dicuntur, prædictum mundeburdum & tuitionem nostram constituimus, ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur, nisi coram Episcopo, aut Advocato, quem ejusdem loci Episcopus elegerit.* Quod & in Henrici, Conradi, Otthonis, & aliorum diplomatibus repetitur.

(4) *Juniores.*) Carolus R. apud Aimoini Continuat. lib. V. cap. 1. *nec vos aut juniores vel*

nec nulla publica judiciaria poteſtas quoque tempore in villas ubicunque in regno noſtro ipſius Eccleſiæ aut regia aut privatorum largitate conlatas, aut qui inantea fuerint conlaturas, aut ad audiendum altercationes (1) ingredere, aut freda (2) de quaslibet cauſas exigere, nec manſiones (3) aut paratas

(1)

---

*vel ſucceſſores veſtri*. In diplomatibus Caroli M. Hlotharii & Theodorici in eruditiſſimi viri Fr. Pithœi Gloſſario: *Neque vos neque juniores ſeu ſucceſſores veſtri*. Marculfus cap. XXIX. *Et nec vos nec juniores aut ſucceſſores veſtri*. Quæ verba *juniores* pro ſucceſſoribus dici quaſi nepotibus, & poſtea naſcendis ſatis aperte demonſtrant. Vereor tamen ne hoc loco & cap. XXIV. junioris nomen aliud ſignificet, cum & juniores & ſucceſſores ibidem diſtinctis verbis & clauſulis nominentur. Juniores enim hoc & ſequentibus ſeculis non ætatis, ſed conditionis nomen eſt; quod non aliena relatione *ſeniori* opponitur, quem etiam non ætatis, ſed honoris cauſa dici & pro domino uſurpari notum eſt & poſtea dicetur. Itaque juniores eſſent ſubditi & inferiores. Carolus M. apud Anſegiſum lib. 1. cap. 161. *Ut primo omnium ſeniores ſemetipſos de ebrietate caveant, & eorum junioribus exemplum bonum ſobrietatis oſtendant*. Lib. III. cap. LXIII. *De vulgari populo, ut unuſquiſque ſuos juniores diſtringat, ut melius obediant ac melius conſentiant mandatis imperialibus*. Leg. Alamannor. tit. 78. 5. *Si coquus qui juniorem habet occiditur*. Hincmar. epiſt. 3. c. 17. Formula vetus ex codice doctiſſimi viri nuper magna rei literariæ jactura fato functi Jacobi Bongarſii, quam inter varias XXIII. edidimus: *Inluſtris viri illius Comitis, ſui juniores non exinde ſic fecerunt quomodo eis fuit demandatum*. Ut plane appareat apud Marculfum & alias ſæpe pro miniſtris juniores dici, quos & hæc ætas & ſequens frequentius *ſervientes* nominavit. Sic accipio & apud Gregor. Turon. lib. 5 cap. 26. juniores Eccleſiæ: *A junioribus Eccleſiæ juſſit bannos exigi, pro eo quod in exercitu non ambulaſſent*; & apud Benedictum Levitam lib. 5. cap. 192. & lib. 6. cap. 156.

(1) *Ad audiendas altercationes*.) Caroli R. præceptum de S. Martini baſilica: *De rebus ipſius ſancti in regno noſtro Auſtria, Neuſtria, & Burgundia, Aquitania, & Provincia &c. ut aliquis judex publicus fiſci noſtri ad agendum vel cauſas audiendum, ſeu freda vel inferendas exactandum, vel teloneum tollendum habere non præſumat; ſed quicquid exinde ab antiquis temporibus fiſcus noſter accipere conſueverat, omnia ex noſtro fiſco reddimus, ut in luminaribus ipſius ſancti Martini vel alimonia pauperum ſeu ſtipendia monachorum proficiat*.

(2) *Freda*.) Gregor. Turon. de miracul. S. Martini, lib. 4. c. 26. clare interpretatur: *Affirmavit Rex quoſdam ex his qui abſoluti fuerant ad ſe veniſſe, compoſitionemque fiſco debitam, quam illi fredum vocant, a ſe indultam*. Carolus M. in Capitul. *Hoc quoque jubemus, ut judices nominati ſive fiſcales, de quacunque cauſa freda non exigant priuſquam facinus componatur &c. tertiam partem coram teſtibus fiſco tribuat, ut pax perpetua ſtabiliſque permaneat*. Ex quibus poſtremis verbis tentari poſſet fredum tertiam eſſe compoſitionis quæ parti ſolvenda erat. Nam in quibuſdam cauſis, quæ legibus expreſſæ erant, præter compoſitionem, & fiſco fredum ſolvebatur; quo nil frequentius in veteribus legibus, ut in lege Sal. tit. 14. & leg. Alaman. tit. 1. & 3. & paſſim in aliis. Litis enim expenſæ nondum uſu receptæ erant, ut infra cap. 20. dicetur. Fredum vero Joachimus Vadianus & Amerpachius a Germanica voce *frid* deducunt, quaſi dicas violatæ pacis pœnam. Paci namque obſervandæ & ne quis eam infringere audeat multis ab annis Germani ſtudent, legibuſque obligantur; quod quidem Germanis expendendum relinquo. Dicam tamen pacis conſervandæ leges, quas *treugas* ſcriptores vocant, a Friderico I. Ænobarbo cœpiſſe, qui id in expeditione Italica ſanxit ad privata bella & diſſidia, quæ tum nimium invaluerant, tollenda, ut Radevicus lib. 3. c. 26. teſtatur. In veteribus autem legibus, fredi vox aliud ſonat. Illud ipſum deſcripſit Tacitus de moribus Germanor. *Levioribus delictis, pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti multantur; pars multæ Regi vel civitati, pars ipſi qui vindicatur vel propinquis ejus exſolvitur*. Non omittendum, fredi verbum & functionem adhuc Friderici II. Imp. temporibus duraſſe; ut edictis ejus palam eſt.

(3) *Manſiones aut paratas*.) Merito hæc duo conjunguntur, ut & cap. ſeq. *nec manſiones aut paratas faciendum*. Nam apud Sigonium & in antiquis principalibus litteris paratæ perpetuo manſiones conſequuntur. Et vero proxima ſunt, adeo ut in quibuſdam locis unum pro altero uſurpetur; quamquam diverſa nomina ſint, & diverſa etiam jura. Id jus manſiones faciendi, manſionaticum dicebatur. Carolus M. Pipino F. Italiæ R. *Ceteri per ſingula territoria habitantes ac diſcurrentes manſionaticos & paraveredos accipiunt*. Ludovicus Pius apud Anſegiſum lib. 2. c. 17. *Ubi modo via & manſionatici a genitore noſtro & a nobis per capitulare ordinati ſunt*; & alibi ſæpe. Quod jus non ſatis recte, pace tanti viri dixerim, Sigonius de regno Italiæ lib. 7. interpretatus eſt. Diploma Ludovici & Lotharii in continuat. Aimoin. lib. 5. cap. 10. *expenſas ad hoſpitum ſuſceptiones* dicit, itidemque Carolus R. cap. 35. ubi de Abbate S. Germani, *Neque ſervitia ex eis exactet, vel paraveredos aut expenſas ad ſuas vel ad hoſpitum ſuſceptiones recipiat, ſive manſionaticos inde exigat*. Atque etiam manſionum nomen hoc ipſum manifeſtat. Tunc namque ſolebant ſubditi hoſpitio non modo recipere Miſſos & Legatos Principis, Comites, Duces, & eorum miniſtros, verum & viaticum eis pro uniuſcujuſque dignitate præſtare. Carolus M. Capitul. lib. 3. cap. 39. *De Miſſis noſtris diſcurrentibus, vel ceteris propter utilitatem noſtram iter agentibus, ut nullus manſionem contradicere eis præſumat*; & lib. 4. cap. 30. Ludovicus Italiæ R. in Synodo Ticinenſi: *Quando etiam Epiſcopos. Abbates vel Comites, ſeu fidelium noſtrorum quempiam in propria villa morari contigerit, cum ſuis in ſuis maneant domibus, ne ſub obtentu hoſpitii vicinos opprimant*. In eam rem tractoria dabatur, cujus formulam infra cap. XI. videbimus. Regis quoque recipiendi idem onus provincialibus incumbebat; ejuſque rei cura ad manſionarium ſpectabat; cujus officium late ex Adalhardo deſcribit Hincmarus epiſt. 3. c. 23. *Inter quos etiam & manſionarius intererat; ſuper cujus miniſterium incumbebat, ſicut & nomen ejus indicat, ut in hoc maxime ſollicitudo ejus intenta eſſet ut tam ſupradicti actores quamque & ſuſceptores, quo tempore ad eos illo vel illo in loco Rex venturus eſſet, propter manſionum præparationem, ut opportuno tempore præſcire potuiſſent; ne aut inde tarde ſcientes, propter afflictionem familiæ importuno tempore peccatum, aut iſti propter non condi-*

(1) vel fidejuſſores tollere (2) non præſumatis; ſed quicquid exinde aut de ingenuis aut de ſervientibus ceteriſque nationibus quæ ſunt infra agros vel fines ſeu ſupra terras prædictæ Eccleſiæ commanentes fiſcus aut de freda aut undecunque potuerat ſperare, ex noſtra indulgentia pro futura ſalute in luminaribus ipſius Eccleſiæ per manum agentium eorum proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini & animæ noſtræ remedium ſeu noſtra ſubſequenti progenie plena devotione indulſimus, nec regalis ſublimitas nec cujuslibet judicum ſæva cupiditas refragare tentet. Et ut præſens auctoritas tam præſentibus quam futuris temporibus inviolata Deo adjutore permaneat, manus noſtræ ſubſcriptionibus (3) infra roborare decrevimus.

*Con-*

---

*gnam ſuſceptionem &c.* Is manſionarius in aula Conſtantinopolitana διαγγυνομενος vocabatur, ut erudite obſervat & Suidam emendat Joannes Meurſius in Gloſſario. Noſque eum hodie *manſionum mareſcallum* dicimus. Tectum & hoſpitium quidem, ſive ut illi vocabant *manſionem* præbere, *manſionaticum* vocabatur; *paratarum* vero nomine, quæ pro viatico & alimentis præbebantur. Verum hæc duo, ut jam diximus, etſi diverſa nomina nacta ſint, tamen utplurimum ſimul exigebantur, ideoque mutuo ſe concomitari ſolent in omnibus veteribus inſtrumentis, atque adeo unum pro altero non raro ſumitur. In Præcepto conceſſionis a Ludovico Pio Hiſpanis dato: *Miſſis noſtris aut filii noſtri, quos pro rerum opportunitate illas in partes miſerimus, aut legatis qui de partibus Hiſpaniæ ad nos tranſmiſſi fuerint, paratas faciant.* Et paulo poſt de Comite ne illos gravet, *neque eos ſibi vel hominibus ſuis aut manſionaticos parare aut &c.* Hincmarus: *Nec manſionaticos ſuis amicis aut hominibus a Presbyteris parari.* Qui mos origine Romanus eſt; hoſpitumque ſuſceptionem *metatum* illi appellabant, de quo titulus eſt XLI. lib. XII. Cod. & publico ſumptu ali eos qui a Principe cum tractoria alicubi dirigebantur, declarat titulus ejuſdem libri de tractoriis & ſtativis. Originem aperit Livius initio lib. 42. de L. Poſthumio Albino Cos. qui primus litteras miſit *ut ſibi magiſtratus obviam exiret, locum publice pararet in quo diverteretur, jumentaque, cum exiret, inde præſto eſſent.*

(1) *Paratas facere.*) Nominis hujus interpretatio & notatio a ſuperioribus pendet. Itaque nil amplius de eo dicere ſtatueram, niſi advertiſſem ibidem quoque Sigonium impegiſſe; quod non cauſa obtrectandi clariſs. viri memoriæ dico, ſed veritatis, & ne alios ejus auctoritas in errorem trahat. Ille enim ait ſumptus fuiſſe quos populi *in vias ponteſque fluminum, qua tranſiturus aut quo aditurus Rex erat*, impendebant. Quod minus recte dictum eſſe ex locis ſupra allatis, atque etiam diplomatibus quæ apud eum exſtant apparet. Claudius Falcetus, quem vere Varronem Francicum dixerimus, optime *paratas* uno Gallico verbo *livrèe* interpretatus eſt. Sic enim hodie dicuntur cibi qui in familia regia miniſtris & familiaribus in ſpecie quotidie præbentur. Tunc enim, ut diximus, non hoſpitium modo Regi aliiſque ab eo miſſis dabatur, verum & parabantur alimenta, adeo *ut ex omnibus* (inquit Ottho Friſingenſis de geſtis Friderici lib. 2. c. 12.) *quæ terra producere ſolet uſui neceſſariis, exceptis vix bubus & ſeminibus ad excolendam terram idoneis, de ceteris quantum neceſſe fuerit, militi profuturis, ad regios uſus ſuppeditare æquum illi arbitrentur.* Capitul. Caroli M. lib. 4. cap. 30. 69. & 73. Vet. formula apud Pithœum in Gloſſar. paratas, *paſtus* recte agnominat: *Non ad manſionaticos vel repaſtos exigendum.* Ibidem: *Non pro paſto exigendo, non pro manſionatico requirendo.* Illud addam, paratarum munus non ad hoſpitis privati tantum onus pertinuiſſe, ſed videri ſumptus illos publice collectos ab incolis præſtitos. Id colligo tum ex verbo *publice*, quod ſæpe titulo de tractoriis Codd. Theod. & Juſtinian. repetitur, tum ex Capitul. lib. 4. cap. 69. *Ut miſſi noſtri, qui vel Epiſcopi, vel Abbates, vel Comites ſunt, quandiu prope ſuum beneficium fuerint, nihil de aliorum conjecto accipiant. Poſtquam vero inde longe receſſerint, tunc accipiant ſecundum quod in ſua tractoria continetur. Vaſſi vero noſtri & miniſteriales qui Miſſi ſunt, ubicunque venerint, conjectum accipiant.* *Conjectum*, hoc eſt, contributionem, ſymbolum, collectam. Quo pertinet & illud Greg. Turon. lib. 6. c. 45. de Childeberti R. filia, quæ in Hiſpaniam nuptura ducebatur: *Adparatus quoque magnus expenſæ de diverſis civitatibus in itinere congregatus eſt: in quo nihil de fiſco ſuo Rex dari præcepit, niſi omnia de pauperum conjecturis.* Ubi conjecturæ, quæ ſuperioribus locis conjecta dicuntur,

(2) *Fidejuſſores tollere.*) Id eſt, cogere ut ſubditi Eccleſiæ & in eccleſiaſtica terra degentes, aut ſtatim ad judicis audientiam pergant & judicatum faciant; aut ſi velint dimitti, fidejuſſores ſeu vades judicio ſiſtendi cauſa præſtent. In ſumma hoc agitur, ne judex aut miniſter regius in terris, quibus immunitas conceſſa eſt, jus dicat & juſtitiam exerceat. Greg. Turon. lib. 4. c. 43. *Albinus de ſede exiliens, adprehenſum Archidiaconum coarctat. Pro quo nunquam obtinere potuerunt, nec Epiſcopus, nec cives, nec ullus major natu, nec ipſa vox totius populi acclamantis ut datis fidejuſſoribus diem ſanctum Archidiacono liceat cum reliquis celebrare, atque accuſatio ejus in poſterum deberet audiri &c.* Idem lib. 8. c. 12. *Epiſcopum vallat, fidejuſſores requirit, & ad præſentiam Regis Guntchranni direxit.* Et lib. 8. c. 7. & 43. lib. 9. c. 8. Capitul. Caroli M. lib. 3. c. 34. *De his qui legem ſervare contempſerint, ut per fidejuſſores ad præſentiam Regis deducantur.* Lib. 5. cap. 278. & paſſim. Marculfus infra lib. 1. cap. 27. & 28. Hincmarus ep. ad Sigloardum apud Flodoard. lib. 3. c. 28. Multa diplomata habent, *fidejuſſores requirere.*

(3) *Manus noſtræ ſubſcriptionibus.*) Cæſares olim propria manu libellos, reſcripta, edicta ſubnotaſſe teſtantur hiſtoriæ auguſtæ Scriptores, Lampridius in Alexandro, Vopiſcus in Carino, & alii ſæpe. Et in Valentin. Novell. Magnus Cujacius obſervat hæc verba *Divina manu*, huncque morem apud Conſtantinopolitanos Imperatores duraſſe notat ad librum decimum Codicis. Unde & Regibus noſtris adhuc hodie propriæ manus adnotatio in uſu eſt. Tunc autem ſubſcriptionis nomine, de qua hic Marculfus agit, ſignum illud & character continebatur, totius nominis litteras implexas referens, qualia in vetuſtis regiis & imperatoriis diplomatibus videre eſt, quod & doctiſſimus Freherus exiſtimavit. Alibi dicitur, *manu noſtra firmavimus.* Unde & in Capitul. Benedicti Levitæ lib. 6. cap. 237. *manufirmationes* dicuntur.

*Confirmatio de emunitate* (1).

IV. Principali quidem clementia cunctorum decet accommodare aure benigna; præcipue quæ pro compendio animarum a præcedentibus Regibus parentibus nostris ad loca sanctorum probantur esse indulta, devota debemus mente perpendere, & congrua beneficia, ut mereamur in mercedem esse participes, non negare, sed robustissimo jure per nostris oraculis confirmare. Igitur apostolicus vir ille, illius civitatis Episcopus, clementiæ regni nostri suggessit eo quod ille Rex per suam auctoritatem (2) sua manu subscriptam de villas Ecclesiæ suæ illius, quod ad præsens possidebat, vel quod a Deo timentibus hominibus ibidem inantea delegabatur, integram emunitatem concessisset ut nullus judex publicus ad causas audiendum, vel freda exigendum, nec mansiones aut paratas faciendum, nec fidejussores tollendum, nec homines ipsius Ecclesiæ de quaslibet causas distringendum, nec nullas redhibitiones requirendum, ibidem ingredere non debeant. Unde & ipsam præceptionem jamdicto Principe, seu & confirmationes illorum Regum, eorum manibus roboratas, antedictus Pontifex nobis ostendit relegendas & ipse beneficius circa eodem vel memorata Ecclesia sua, sicut a supradictis Principibus fuit indultum, moderno tempore adserit esse conservatum. Sed pro firmitatis studium petit celsitudinem nostram ut hoc denuo circa eodem vel memorata Ecclesia sancti illius nostra deberet auctoritas generaliter confirmare; cujus petitionem pro reverentia ipsius sancti loci, ut mereamur in mercedem sociari, plenissima voluntate præstitisse vel confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus ut sicut constat ab antedictis Principibus de villis præfatæ Ecclesiæ Domni illius integra emunitas absque introitu judicum fuit concessa, ita & inantea auxiliante Domino inspectas priorum Principum auctoritates omnimodis conserventur; & neque vos, neque juniores neque successores vestri, vel quislibet de judiciaria potestate in villas antedictæ Ecclesiæ, quas moderno tempore ubicunque in regno nostro possidere noscuntur, vel quæ inantea a Deum timentibus hominibus fuerint conlatæ, tam de ingenuis, quam de servientibus vel quibuslibet nationibus hominum in prædictæ Ecclesiæ villas commanentes, nec ad agendum, nec freda exigendum, nec fidejussores tollendum, nec mansiones aut paratas faciendum, nec eos de quaslibet causas distringendum, nec nullas redhibitiones requirendum, ibidem ingredere non præsumatis; sed sicut ipse beneficius a jam dictis Principibus ad jam dicta Ecclesia fuit indultus & usque modo conservatus, ita & deinceps per hanc nostram auctoritatem generaliter confirmatum in Dei nomine perenniter maneat inconvulsum; & quicquid exinde fiscus noster poterat sperare, in luminaribus ipsius Ecclesiæ in perpetuum proficiat. Et ut hæc auctoritas tam præsentibus quam futuris temporibus inviolata Deo adjutore possit constare, subtus eam propria manu decrevimus roborare.

*Præceptum de episcopatu* (3).

V. Ille Rex viro apostolico illo Episcopo.

(1) *Confirmatio de emunitate.*) Quæ a Regibus successoribus solita peti, solita & indulgeri, infra cap. 16. & 17.

(2) *Per suam auctoritatem.*) Auctoritatis nomine hic & superiori capite intelligitur diploma, pragmaticum, seu ut seculi etiam verbis utar, præceptum regium, ea forma descriptum qua majorem auctoritatem habiturum erat, & ut puto, manu propria Regis subscriptum, & anulo seu sigillo Principis munitum, qua in re ab indiculo differt, ut mox adnotabimus. Gregor. Turonensis lib. 9. cap. 30. *Sed protinus epistolam cum auctoritate miserunt ne populus Turonicus pro reverentia S. Martini describeretur*; & cap. 42. in Radegondis epist. *Per auctoritates præcellentissimorum Domnorum Regum Chariberti, Guntchramni, Chilperici, & Sygiberti, cum sacramenti interpositione & suarum manuum subscriptionibus obtinui confirmari.* Constitutio Chlotarii Ms. *Ut auctoritates cum justitia & lege competente in omnibus habeant stabilem firmitatem, nec subsequentibus auctoritatibus contra legem elicitis evacuentur.* Leges Wisigot. lib. 7. tit. 5. Edictum Theoderici R. cap. 73. *Auctoritates quorumlibet judicum &c.* Capitul. lib. 1. cap. 82. ubi de constitutione quadam Ludovici Pii de ordinatione servorum agitur: *In ambone ipsa auctoritas coram populo legatur, & coram sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis, ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur &c.* Synodi Parisiensis an. DCCCXLVI. quæ vulgo Meldensis dicitur, cap. 71. *Ut auctoritatem sigillo regio roboratam more tractoriæ Christianissimus Princeps donet singulis Episcopis &c.* Præceptum Dagoberti de fugitivis: *Ut autem hæc nostra auctoritas pleniorem & firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria nos & sancta synodus nostra eam subter decrevimus roborari. Data sub die VII. KL. Jun. anno V. regni Clipiaco.*

(3) *Præceptum de episcopatu.*) Formula est, ut & lemma ostendit, qua Rex, cum primum de obitu alicujus Episcopi certior factus est, ad Episcopum metropolitanum scribit, & præcipit ut virum illum a se probatum & electum in Episcopum ordinet & benedicat. Id quoque *præceptum de episcopatu* dicit Gregor. Tur. lib. 6. cap. 7. de Vcecienſi Ecclesia: *Jovinus iterum, qui quondam provinciæ rector fuerat, regium de episcopatu præceptum accipit.* Et lib. VII. cap. XXXI. præceptionem vocat: *Nuper in Aquensi urbe Episcopus obierat. Et Nicetius Comes loci illius, germanus Rustici Visi Juliensis Episcopi, præceptionem ab Chilperico elicuerat ut tonsuratus civitati illi sacerdos daretur.* Quod tum receptum fuisse hæc formula docet; idemque Gregor. Turon. multis locis testatur, lib. III. cap. 11. *Cum hæc Theoderico nuntiata essent, jussit inibi sanctum Quintianum Episcopum constitui, & omnem ei potestatem tradi Ecclesiæ. Et statim directi nuntii, convocatis Pontificibus & populo, eum in cathedram Arvernæ Ecclesiæ loca-*

po, Quamvis nos administrandum gubernandumque rerum statum præcelsis occupationibus regiæ sollicitudinis cura constringat, nihil tamen tam principali quam Principe dignum est ut cum a pastorali paululum aberrat plebs destituta præsidio, pro salute animarum hujusmodi personis locis celsioribus pontificalem prospiciat committere dignitatem in quibus maneat dupliciter sermo, ut populus magistrum, actus Christi imitetur discipulus; qui plebem non minus pietate quam severitate constringat, qui sciat commissa sibi talenta assiduæ prædicationis (1) sermonibus expolire, & adquisita multiplicataque gregis sui salute, ad ovile dominico nullis maculis sordidato valeat præsentare. Et quia cognovimus sanctæ recordationis Domno illo urbis illius antestite evocatione divina ab hac luce migrasse, de cujus successore sollicitudine congrua una cum Pontificibus (2) vel proceribus nostris plenius tractantes, decrevimus inlustri viro aut venerabili illo in ipsa urbe pontificalem in Dei nomine committere dignitatem, quem plerunque apud animos nostros & actio probata (3) commendat, & nobilitatis ordo sublimat (4), ac morum probitas, vel mansuetudinis & prudentiæ honestas exornat. Qua

---

*locaverunt*. Lib. IV. cap. XVIII. *Cum Pientius Episcopus ab hac luce migrasset apud Parisios civitatem, Pascentius ei succedit ex jussu Regis Chariberti*. Alibi, *Rege ordinante*, & *Rege eligente*; ut lib. 6. cap. 15. & lib. 8. c. 39. Idem refert sanctissimam vocem illam Guntchranni R. lib. 6. cap. 39. ubi de Bituricensi Episcopatu: *Post hæc Sulpitius in ipsa urbe ad sacerdotium Guntchranno rege favente præeligitur. Nam cum multi munera offerrent, hæc Rex Episcopatum quærentibus respondisse fertur: Non est principatus nostri consuetudo sacerdotium venundare sub pretio, sed nec vestrum eum præmiis comparare; ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini*. Idipsum notat lex Bajuvar. tit. 1. cap. 10. *Si quis Episcopum quem constituit Rex, vel populus sibi elegit Pontificem, occiderit, solvat eum Regi vel plebi aut parentibus secundum hoc edictum &c.* Synodus Aurelianensis V. sub Childeberto R. cap. 10. *Ut nullum Episcopatum præmiis aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate Regis, juxta electionem cleri & plebis, sicut in antiquis canonibus continetur, consensu cleri ac plebis a Metropolitano, vel quem vice sua miserit, a comprovincialibus Pontificibus consecretur*. Id a Regibus continuatum declarant cujusque temporis historici. De Carolo Martello Flodoardus lib. 2. c. 12. De Carolo M. Sangallensis lib. 1. c. 52. ubi Carolus his qui litteris operam dabant, *Nunc*, inquit, *ad perfectum attingere studete, & dabo vobis episcopia & monasteria permagnifica*. Et cap. 4. 5. & 6. Hludovicus R. (ait Chronicon Besuense) *Bictone Episcopo defuncto, Albericum virum dignum episcopatu Ecclesiæ Lingonensi restituit*; & passim de aliis apud historicos. Ex quibus apparet, ut & ex hac formula, non observata fuisse synodi Parisiensis decreta, quæ Childeberti R. tempore, pontificante Germano, habita est, cap. 8. *Nullus civibus invitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem vel Episcoporum provincialium ingeratur*. Quod quodam modo repetitum extat in synodo Rhemensi sub Sonnatio celebrata apud Flodoardum lib. 2. cap. 5. Nisi dicas synodi mentem fuisse electionem firmare, jus Regis non infringere, sed Metropolitani consensum exquirendum esse, quod probari posset ex Gregor. Turon. lib. 4. cap. 26. ubi de Santonensi conventu agit. Unde & postea eadem moderatione Hincmarus epist. 3. c. 9. *Consensu principis terræ, electione cleri & plebis, & approbatione Episcoporum provinciæ* Episcopum ordinari debere scribit. Quo pertinet & ejusdem clariss. Præsulis epistola ad Hugonem Abbatem apud Flodoard. lib. 3. c. 24. *Ostendens quod non Episcopi de palatio præcipiebantur eligi, sed de propria qualibet Ecclesia, & quod de ordinando Episcopo non Regis vel Palatinorum debet esse commendatio, sed cleri & plebis electio, & Metropolitani in electione dijudicatio, deinde terreni Principis consensio, & Episcoporum manus impositio*. Anastasius Bibliothecarius de Benedicti III. electione: *His peractis, Clerici & cuncti proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & consuetudo prisca ut poscit, invictissimis Lothario ac Ludovico destinaverunt Augustis*. Sane hodie absque controversia Reges nostri nominandorum antistitum jus retinent, ex pacto cum Summis Pontificibus & sede apostolica facto.

(1) *Assiduæ prædicationis.*) Munus id episcopale. S. Augustinus confession. lib. 6. cap. 3. de B. Ambrosio: *Et eum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem omni die dominico audiebam*. Synod. VI. in Trullo cap. 19. & ibi Balsamon. Possidius de vita B. Augustini cap. 4. *Potestatem dedit Valerius coram se in Ecclesia evangelium prædicandi ac frequentissime tractandi, contra usum quidem & consuetudinem Africanarum Ecclesiarum*. Ejus rei edictum Caroli M. memorat Sangallensis lib. 1. c. 20. *Præcipit religiosissimus Carolus Imperator ut omnes Episcopi per latissimum regnum suum, aut ante præfinitum diem, quem iste constituerat, in ecclesiasticæ sedis basilica prædicarent, aut quicunque non faceret, Episcopatus honore careret*; quibus festivam narrationem de quodam Episcopo subjungit.

(2) *Una cum Pontificibus.*) Videlicet ut magis rite & secundum canones electus videretur, non Regis tantum imperio constitutus. Infra c. seq. *De cujus successore sollicitudine integra cum Pontificibus vel primatibus populi nostri pertractantes*. Gregor. Turon. lib. 4. cap. 7. de Gautino Arvernensi Episcopo. Carlomannus Dux & Princeps Francorum in synodo habita anno DCCXLII. apud Benedictum Levitam lib. 5. c. 2. *Et per consilium sacerdotum & optimatum meorum ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus sancti Petri*.

(3) *Actio probata.*) Id est, officium. Vide infra ad cap. XI.

(4) *Nobilitatis ordo sublimat.*) Basilius ad Ambrosium: ἄνδρα ὑψηλὸν τῷ φρονήματι, γένει λαμπρότητι, περιφανεία βίου, λόγου δυνάμει, πράγμασι τοῖς κατὰ τὸν βίον περίβλεπτον. Quæ verissima Ambrosii præconia. Gregor. Turon. de gloria confessor. cap. 76. de Simplicio Augustodunensi Episcopo: *Fuit de stirpe nobili, valde dives in opibus seculi, nobilissimæ conjugi sociatus*. Deinde: *Propter illam, ut diximus, seculi dignitatem, Simplicius decedente Egemonio a populis eligitur: sed a Deo pro castitatis & sancti-*

Qua de re ſtatuta præſentibus ordinamus ut cum adunatorum caterva Pontificum, ad quos tamen noſtræ ſerenitatis devotio ſcripta pervenit, ipſum, ut ordo poſtulat, benedicere (1) veſtra induſtria ſtudeat & voluntatis noſtræ deliberationem reſeratis oraculis publicare, atque effectum Domino annuente ſortire: quatenus dum Eccleſiam ſibi a diſpenſatione divina commiſſam ſtrenue regere atque gubernare videtur, nobis apud æternum retributorem mercedem ſuffragia largiantur, & ille pro peccatorum noſtrorum mole indeſinenter immenſum Dominum debeat deprecare.

*Indiculus Regis* (2) *ad Epiſcopum ut alium benedicat.*

VI. Domino ſancto ſedis apoſtolicæ dignitate colendo in Chriſto patri illi Epiſcopo (3) ille Rex. Credimus jam ad veſtram reverentiam perveniſſe ſanctæ recordationis illum illius urbis anteſtitem evocatione divina de præſentis ſeculi luce migraſſe: de cujus ſucceſſore ſollicitudine congrua, cum Pontificibus vel primatibus populi noſtri pertractantes, decrevimus inluſtri viro illo, aut venerabili viro illo, ad præfatam urbem pontificalem regulariter Chriſto auſpice committere dignitatem. Et ideo ſalutationum jura dignum debito honore ſolventes, petimus ut cum ad vos pervenerit, ipſum, ut ordo poſtulat, benedicere veſtra ſanctitas non moretur, & junctis vobiſcum veſtris comprovincialibus, ipſum in ſupraſcripta urbe Pontificem conſecrare Chriſto auſpice debeatis. Agat ergo almitas veſtra ut & noſtræ voluntatem devotionis incunctanter debeatis implere, & tam vos quam ipſe pro ſtabilitate regni noſtri jugi invigilatione plenius exoretis.

*Conceſſio civium* (4) *pro epiſcopatu.*

VII. Suggeſtio piiſſimo ac præcellentiſſimo Domno illo Regi vel ſeniori commune

---

*ctitatis gloria deſtinatur*. Tunc enim non alii quam nobiles Epiſcopi fiebant. Quod paſſim apud Sidonium & Gregorium Turonenſem obſervare licet. Quin & in Abbatibus idem quodammodo exigebatur. Ludovicus Pius de S. Martini cœnobio: *Poſt illius* (*Fridegiſi*) *autem deceſſum fratres habeant facultatem eligendi de ipſis Abbatem, quem optimum & nobilitate generis & probitate morum & in ſcripturis eruditum &c.*

(1) *Benedici.*) Hoc eſt, conſecrari; utroque enim vocabulo utebantur. Gregor. Tur. lib. 8. c. 20. *Ea conditione removetur ut eum Bertchrannus Oreſteſque ſeu Palladius, qui eum benedixerant, vicibus paſcerent*. Lib. 4. c. 6. *Veni, conſenti nobis, & benedicentes conſecremus te ad epiſcopatum*. Quamquam poſtea receptum ſit ut *conſecrari* dicantur Epiſcopi, Abbates *benedici*, cap. 1. de ſupplend. negligent. Prælat. cap. *Cum contingat*. De ætate & qualit. ordinand. Hic autem apparet Regem ad metropolitanum Epiſcopum ſcribere, cujus officii illud erat ut confirmaret Suffraganeos & cum aliis provinciæ Epiſcopis conſecraret. Ideoque additur, *cum adunatorum caterva pontificum*. Et cap. ſeq. *junctis vobiſcum veſtris comprovincialibus, ipſum in ſupraſcripta urbe conſecrare*. Synodi Nicænæ can. 4. τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Synodi Antioch. cap. 19. Ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι δίχα συνόδου καὶ παρουσίας τοῦ ἐν μητροπόλει τῆς ἐπαρχίας. Martinus Bracarenſis in Collect. can. c. 3. & 4. Hincmarus adverſus Hincmarum Laudunenſem, qui nondum typis editus, ſed ex bibliotheca illuſtriſſimi Præſidis Jac. Auguſti Thuani a docto & pio viro brevi lucem exſpectat. Sic igitur ille cap. 6. in quo præclare metropolitani Epiſcopi jura ſummatim recenſet: (Tom. 2. oper. Hincmar. pag. 408.) *Si in Rhemenſi provincia præter meam ſententiam quis fuerit a quibuſcunque & quantiſcunque provinciæ hujus Epiſcopis factus Epiſcopus, ſicut myſtica Nicæna ſynodus diffinivit, non oportet eum eſſe Epiſcopum. Si autem communi ceterorum decreto Epiſcoporum rationabili, & ſecundum regulam eccleſiaſticam comprobato, tu aut alii duo tui complices tecum propter contentiones proprias contradixeritis, mea cum pluribus ad ordinandum Epiſcopum obtinebit ſententia, & mihi non tibi firmitas eorum quæ geruntur de ordinationibus vel aliis rebus eccleſiaſticis in Rhemenſi provincia tribuetur: in qua ſi fuerit defunctus Epiſcopus, ego & non tu viſitatorem ipſi viduatæ deſignabo Eccleſiæ, & electionem cum decreto canonico præcipiam fieri. Et ſi in partes ſe eligentium vota diviſerint, meum & non tuum erit eligere qui majoribus ad ordinandum ſtudiis juvetur & meritis; & meum eſt ordinandum examinare, non tuum; tuum eſt autem cum aliis mecum ordinare Epiſcopum, & litteris canonicis, quas ordinatus ab ordinatoribus ſuis jubetur accipere, poſt me in tuo loco ſubſcribere.*

(2) *Indiculus Regis.*) Caput hoc ejuſdem cum ſuperiore argumenti eſſe titulus teſtatur. Verum hanc ineſſe puto differentiam, quod ſuperius *præceptum* inſcribatur, majoris ſcilicet auctoritatis diploma, manu propria Principis ſubſcriptum, & annulo forte munitum, ut ſupra de auctoritate diximus. Iſtud vero *indiculus* dicitur; quem, ut exiſtimo, recte epiſtolam abſque ſigillo dixeris. Id colligo ex Capitul. lib. 3. c. 58. *Et ſi conſacramentales homines cum ipſo venire renuerint, juſſione dominica, aut indiculo, aut ſigillo ad palatium venire cogantur*. In legibus Wiſigotth. lib. 2. tit. 1. l. 18. *De his qui ammoniti judicis epiſtola vel ſigillo, ad judicium venire contemnunt*. Ergo indiculus & ſigillum diſcreta ſunt, & indiculus abſque ſigillo eſt. Indiculi vero nomine nil frequentius ævo illo.

(3) *Illi Epiſcopo.*) Metropolis antiſtitem *Archiepiſcopum* dixiſſet, ſi ſeculi tuliſſet uſus. Per ea namque tempora Archiepiſcoporum appellatio vixdum in Occidente uſurpari cœperat; ſolique Patriarchæ ita deſignabantur; quod poſtea Metropolitanis communicatum hodie retinemus.

(4) *Conceſſio civium.*) Ita Ms. titulum concipit, magis tamen placet *Conſenſus civium*. In quo capitum index & extrema capitis verba conſentiunt. Ita etiam P. Pithœi codex Ms. niſi *conſenſionem* quis malit. Igitur hac formula plebs paſtore deſtituta Regem ea de re certiorem facit, & ſuppliciter poſtulat ut virum aliquem in Epiſcopum illis concedat. Id ſolitum fieri ex Gregor. Turon. apparet lib. 4. c. 26. ubi de Santonenſi conventu: *Quo ejecto, conſenſum fecerunt in Heraclium tunc Burdegalenſis urbis Presbyterum, quem Regi Hari-*

ne illius (1), a servis vestris, quorum subscriptiones vel signacula subter tenentur inserta. Principalitatis vestræ circumspecta clementia novit justa petentibus dignanter adnuere, suo moderaminis judicio ponderante, præsertim cum illa deposcuntur generali prece, cunctorum voce, communiter quod proficiat, constanter Ecclesiæ regimen pullulare quod & ipsæ regali clementiæ prosit salutis pariter ac mercedis. Quoniam sanctæ memoriæ vir apostolicus ille, illius urbis Episcopus, fine adpropinquante ab hac luce migravit, tempore naturæ complente, ne destitutæ sint, quod absit, oves decedente pastore, in loco ejusdem suppliciter postulamus ut instituere dignemini inlustrem virum illum aut venerabilem illum cathedræ illius successorem, in quo est præspicuitas sublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia castitatis, caritatis locuples voluntas. Inrefragabiliter manu nostra hunc consensum decrevimus roborare.

*Charta de ducatu (2), patritiatu, vel comitatu.*

VIII. Præspicue regalis in hoc perfecta conlaudatur clementia ut inter cuncto populo bonitas & vigilantia requiratur personarum; nec facile cuilibet judiciariam convenit committere dignitatem, nisi prius fides seu strenuitas videatur esse probata. Ergo dum & fidem & utilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actionem comitatus (3), ducatus, ac patritiatus in pa-



*berto subscriptum propriis manibus per nuncupatum Presbyterum transmiserunt: qui veniens Turonos, rem gestam beato Eufronio pandit, deprecans ut hunc consensum subscribere dignaretur.* Et postea: *Consensum ad te direxerunt ut alius in loco ejus substituatur.* Lib. 8. c. 22. *Cum muneribus & consensu civium ad Regem properat, sed nihil obtinuit.* Idem de B. Gregorii Papæ electione initio libri decimi: *Comprehenso disruptis epistolis consensu, quem populus fecerat, Imperatori direxit.* Quo pertinet & synodi Aurelianensis V. can. XI. *Nullus invitis detur Episcopus, sed nec per oppressionem potentium personarum ad consensum faciendum cives aut Clerici inclinentur.*

(1) *Seniori communi illius.*) Nullus, ut apparet, sensus. Itaque minima vel nulla mutatione legendum, *illi Regi vel seniori, commune illius* civitatis, nempe τὸ κοινόν. Populus enim conveniens de electione tractabat, & consensu in aliquem facto, ejus relationem scriptam & subscriptam ad Regem dirigebat; ut hæc formula testatur, & Gregorius Turonensis. Seniorem vero pro domino usurpari jam attigimus, & notius est quam ut probatione egeat.

(2) *Charta de ducatu &c.*) Litteræ sunt Principis, quibus provinciæ vel civitati rectores destinat, qui aut Patritii, aut Duces, aut Comites vocantur. Hanc formulam jam edidit eruditissimus vir Petrus Pithœus, flos litteratorum, litterarumque vere parens, in opere quod de Campaniæ patriæ suæ Comitibus edidit. Nos ex archetypo iterum repræsentamus.

(3) *Actionem comitatus &c.*) Actionem, id est, officium. Inde Agentes infra cap. XI. *omnibus agentibus*, id est, officialibus, ministris, ubi nos plura. De comitatu vero & ducatu pauca hic attingere ad Marculfi illustrationem non piget. Et quidem de comitatu illud primum occurrit, videri nihil omnino commune habere cum Germanis illis comitibus, de quibus agit Tacitus, ut quidam scripsere. Comites enim ille dixit, Latini sermonis proprietate, eos qui officii causa majores comitantur. Itaque hic magistratus a Francis usurpatus mere origine Romanus est, non illius quidem veteris reipublicæ, nec initio florentis imperii, sed posteriorum temporum; quibus Comitis nomen variis magistratibus tributum fuit, atque adeo civitatum rectoribus. Ut remota omittam, Comites Massiliæ apud Sidonium legimus lib. 7. epist. 2. & Comitivæ Syracusanæ & Neapolitanæ formulas lib. 6. Variarum Cassiodorus scripsit; quarum si munia cum nostris conferas, eadem prorsus apparebunt. Ille enim *judices* eos vocat c. 22. 23. & 24. & civilia negotia examinare dicit, itidemque eos *exercitum habere* & provinciam custodire. Ideoque in formula Comitivæ provinciæ lib. 7. *Quamvis omnium*, inquit, *dignitatum officia a manu secludantur armata, & civilibus vestibus videantur induti qui districtionem publicam docentur operari, tua tamen dignitas a terroribus ornatur, quæ gladio bellico, rebus etiam pacatis, accingitur.* Per singulas provincias Comites a Theoderico Italiæ R. mitti solitos eodem libro docet, qui inter Gotthos aut Gotthum & Romanum jus dicerent, & judices etiam vocat. Ut recte definierit Suidas Comitis verbum, dum populi magistratum vocat, Κόμης ὁ λαοῦ ἄρχων, nec aliter sane Hesychius. Quæ omnia Comitis etiam apud Francos veteres munus describunt. Singulis enim tum civitatibus Comites præerant, quorum potestas iisdem quibus Episcopi finibus distincta erat. Gregor. Turonens. lib. 6. cap. 22. *Rex igitur Chilpericus pervasis civitatibus fratris sui, novos Comites ordinat, & cuncta jubet sibi urbium tributa deferri*, Cap. XLI. *Misitque ad Duces & Comites civitatum nuntios, ut muros componerent urbium.* Idem sæpe eos judices, non Comites, vocat: sed lib. 7. cap. 42. seipsum interpretatur: *Post hæc edictum a judicibus datum est ut qui in hac expeditione tardi fuerant damnarentur. Biturigum quoque Comes misit pueros suos, ut in domo beati Martini &c.* Lib. 8. cap. 18. *Gundobaldus comitatum Meldensem super Guerpinum (invasit) ingressusque urbem causarum actionem agere cœpit. Exinde dum pagum urbis in hoc officio circumiret, in quadam villa a Guerpino interficitur.* Sic enim locum mutilum uno verbo restituo. Idem de gloria confessor. cap. 10. & de vita patrum in S. Nicetio, & passim. Synodi Cabilonensis II. sub Carolo M. cap. 20. *Comites, qui post imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt.* Hincmarus epistola pro Episcopis Galliarum & Germaniarum Christianissimo Principi, quæ prima inter Busæi Paralipomena excusa est, cap. 3. *Hujus gloriosæ domus Dei decorem & locum habitationis gloriæ ejus fidelissime diligere & zelari debent non solum Episcopi & sacerdotes in sedibus, sed etiam Reges in regnis & palatiis suis, & Regum Comites in civitatibus suis, & Comitum Vicarii in plebibus, & quicunque patresfamilias in domibus suis.* Horum officium & munus *in pace & justitia facienda* præclare traditur in Capitul. lib. 2. c. 6. & lib. 4. c. 5. Qui tandem extremo dominationis Carolinæ stirpis ex ministris domini facti late dominati sunt, donec pristinæ dignitati sensim regnum restitutum.

pago illo, quem anteceſſor tuus ille uſque nunc viſus eſt egiſſe, tibi ad agendum regendumque commiſimus; ita ut ſemper erga regimine noſtro fidem inlibatam cuſtodias, & omnis populus ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, quam reliquas nationes ſub tuo regimine & gubernatione degant & moderentur, & eos recto tramite ſecundum legem & conſuetudinem eorum regas, viduis & pupillis maximus defenſor (1) appareas, latronum & malefactorum ſcelera a te ſeveriſſime reprimantur; ut populi bene viventes ſub tuo regimine gaudentes debeant conſiſtere quieti; & quicquid de ipſa actione in fiſci ditionibus (2) ſperatur, per temetipſum annis ſingulis noſtris ærariis inferatur.

*Indiculus ad alium Regem* (3), *cum legatio dirigitur & verbis ſuggeritur commendatitiis.*

IX. Domino glorioſo atque præcellentiſſimo fratri illo Regi (4) in Dei nomine ille Rex. Deſideratus eventus fideliſſimam no-

---

tum. Nec vero omittendum eſt Comitum officium ſub prima Regum noſtrorum familia non ad vitam fuiſſe, ut quidam ſcripſerunt. Ad certum namque tempus eos tum conſtitutos mihi conſtat ex multis Gregorii locis, quorum inſignis eſt lib. 4. cap. 36. Unde apud eum frequenter hæc verba leguntur, *ex Præfecto, ex Comite, ex Duce, ex Vicario*; & ille remotorum exempla recenſet. Quod item a Romanis deſumptum dubitari non poteſt, qui magiſtratus omnes ad certum tempus deſignatos habuere. Ideoque in Caſſiodori formulis lib. 6. & 7. omnibus fere adſcribitur, *per Indictionem illam*. Duces autem Romani rei bellicæ & exercitibus regendis tantum præpoſiti erant. Inde Duces limitum in Notitia Imperii, & Ducis Rhetiarum formula apud Caſſiodor. lib. 7. Apud Francos vero præerant quidem exercitui; verum & jus quemadmod um Comites dixiſſe hæc formula oſtendit, & ex Gregorio Turonenſi planum eſt. Comitibus honore & poteſtate ſuperiores fuiſſe conſtat, pluresque comitatus & Comites eorum curæ committebantur. Gregorius Turon. lib. 8. c. 18. *Nicetius per emiſſionem Eulalii a comitatu Arverno ſubmotus, ducatum a Rege expetit, datis pro eo immenſis muneribus. Et ſic in urbe Arverna, Ruthena, atque Ucetica Dux ordinatus eſt*. Cap. 26. *Turonicis atque Pictavis Ennodius Dux datus eſt*. Ex quibus liquet duodecim Comites ſub cura Ducis neceſſario non fuiſſe, ut quidam ajunt. Sane in annalibus Pipini, qui Aimoino ſubjuncti ſunt, lib. 4. cap. 61. ita ſcriptum legitur: Pipinus *domum reverſus Griſonem more Ducum duodecim comitatibus donavit*. Quod ſi verum eſt, Pipini tantum ævo id obſervatum dici debet. Superiora namque Gregorii exempla aliud notant. Scite Walafridus Strabo, pervetuſtus auctor, qui dominante ſecunda Regum noſtrorum familia claruit, in libro quem ille de rebus eccleſiaſticis ſcripſit, cap. 31. ubi ſeculi & Eccleſiæ dignitates comparat, Comites Epiſcopis, Duces Metropolitanis aſſimilat; *Archiepiſcopos, qui ipſis Metropolitanis præminent, Regibus conferamus. Metropolitanos autem Ducibus comparemus; quia ſicut Duces ſingularum ſunt provinciarum, ita & illi in ſingulis provinciis ſinguli ponuntur. Unde in Chalcedonenſi Concilio jubetur ne una provincia in duos Metropolitanos dividatur. Quod Comites vel præfecti in ſeculo, hoc Epiſcopi ceteri in Eccleſia explent*. Sic ille. De Patriciis vero cap. 35. dicetur.

(1) *Viduis & pupillis defenſor.*) Ita etiam Ludovicus Pius Comites admonet Capitul. lib. 2. c. 6. *Pupillorum & viduarum & ceterorum pauperum adjutores & defenſores ſitis*. Sed præſtat caput longius exſcribere. Huic enim formulæ plane geminum eſt, & omnino ad illuſtrationem & explicationem non hujus tantum loci, ſed & ſuperiorum & ſequentium clauſularum confert. *Proinde monemus veſtram fidelitatem ut memores ſitis fidei nobis promiſſæ, & in parte miniſterii noſtri vobis commiſſi, in pace ſcilicet & juſtitia facienda, voſmetipſos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis ut & noſtri veri adjutores & populi conſervatores juſte dici & vocari poſſitis: & nulla qualibet cauſa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium aut timor, vel gratia ab ſtatu rectitudinis vos deviare compellat quin inter proximum & proximum ſemper juſte judicetis. Pupillorum vero & viduarum & ceterorum pauperum adjutores & defenſores, & ſanctæ Eccleſiæ vel ſervorum illius honoratores, juxta veſtram poſſibilitatem ſitis. Illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis ſive rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, veſtro ſtudio & correctione, ſicut decet, compeſcite &c.* Synodus Ticinenſis ſub Ludovico Italiæ R. *Ut ſinguli Comites* (ita lego, non *conventus*, ut vitioſe editum eſt) *& exactores reip. in ſuis miniſteriis legalem procurent facere juſtitiam, pupillos & viduas protegant, per loca ſolita reſtaurent palatia, quibus, cum iter dictaverit, nos legatoſque noſtros valeant recipere*. Optime viduarum & pupillorum cauſa commendatur magiſtratibus, quos contra improbus ille certiſſimam eſſe prætoribus prædam dicebat. Præclarum etiam illud, ut viduarum, pupillorum, pauperum cauſæ ante meridiem audiantur & definiantur, & cauſæ regiæ & potentum poſt meridiem, Capitul. lib. 2, cap. 33. & lib. 4. cap. 16.

(2) *In fiſci ditionibus.*) Comites tributa etiam curaſſe & ærario intuliſſe vel hic locus evincit. Illud quoque confirmat Gregor. Turon. lib. 6. c. 22. & lib. 7. c. 23. & Caſſiodor. lib. 6. cap. 21. rectori provinciæ id muneris adſcribit. Leges Ribuarior. tit. 45. *Si quis judicem fiſcalem, quem Comitem vocant*. Qua de re ejuſdem Gregorii Turon. inſignis eſt locus lib. 10. c. 21. *Eunte autem Comite ut debitum fiſco ſervitium ſolite deberet inferre*. Quæ verba cum ultimis Marculfi componenda ſunt: *Per voſmetipſos annis ſingulis noſtris ærariis inferatur*. Unde & tributum, inferenda dicitur in Capitularibus Caroli M. Addit. IV. cap. 116. Appendix Gregorii cap. 74. Aimoinus lib. 4. cap. 26. Exemplar V. C. Pithœi *fiſci dicationibus* habuit; cujus loco rectius in reg. *ditionibus* ſcriptum eſt.

(3) *Indiculus ad alium Regem.*) Epiſtola eſt a Rege ad alium Regem ſcripta, legatis etiam miſſis.

(4) *Fratri illi Regi.*) Ut hodie, ita tum quoque mutuo ſe Reges fratres dicebant, Alaricus R. ad Chlodoveum R. apud Gregor. Turonenſ. lib. 2. cap. 35. *ſi frater meus velit*. Choſroes Perſarum R. in epiſt. ad Juſtinianum, in Menandri Protectoris excerptis de legationibus: Χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων &c. Ἰουστινιανῷ Καίσαρι ἀδελφῷ ἡμετέρῳ, & alibi apud eundem ἀδελφότης. Poſſet tamen dici hoc capite

nobis obtulit facultatem, qua vestræ serenitati salutationis honorificentiam præbeamus, eo videlicet dilectionis affectu prosperitatem vestræ celsitudinis cognoscere cupientes quo vestram gloriam erga nos fraternitatis individuam arbitramur. Proinde præsentes viros inlustres illo & illo ad præsentiam fraternitatis vestræ direximus; quibus, ut vestram gloriam condecet, benignissima tranquillitate susceptis, petimus ut dum officium legationis injunctæ peregerit, responsis vestræ clementiæ præmoniti, ad referendum salutis indicium sacris vestris litteris honorentur.

*Rescriptio ad Regem.*

X. Domino gloriosissimo atque præcellentissimo & a nobis cum summo caritatis vinculo in amore Christi amplectendo illo Regi ille Rex. Apices vestræ celsitudinis per magnificos & inlustres viros illo & illo summa cum aviditate nos accepisse comperite, per quos vestræ celsitudinæ salutationum munera, ut condecet, præmittentes, & quæ circa vos sunt prospera cognoscentes, gavisi, ipsos in vestro amore, tales ut condecet viros, devotione benignissima suscepimus, officium legationis sibi a vobis injunctum nostris auribus pandiderunt; sed omnia a nobis in responsis accepta, quid cum feliciter in Dei nomine remeaverint, celsitudinis vestræ auribus debeant enarrare.

*Tractoria Legatariorum (1) vel minima facienda istius instar.*

XI. Ille Rex omnibus agentibus (2). Dum



pite Regem fratrem vocari, quod eo seculo vixerit auctor quo regnum inter fratres divisum erat. Sed superior interpretatio verior est.

(1) *Tractoria legatorum.*) Tractoriarum usum a Romanis mutuatum esse hæc formula indicat: Sunt autem diplomata quæ dantur missis vel evocatis a Principe, ut cursu publico uti possint, quem alioqui absque diplomate usurpari fas non erat, adscriptis etiam locis & mansionibus quibus sumptu publico ali debent. Commeatus enim in itinere præstandus definiri his litteris solebat, ut hæc quoque formula exemplo est. Diplomata simul vocari insignis locus Plutarchi in Galba ostendit: Καὶ τὰ καλούμενα διπλώματα πεπιασμένα δόντων ἀγνωρίζοντες οἱ κατὰ πόλιν ἄρχοντες ἐν ταῖς τῶν ὀχημάτων ἀμοιβαῖς, ἐπιταχύνουσι τὰς προπομπὰς τῶν γραμματοφόρων; & ille postmodum Imperator, qui quod sine diplomatibus cursum usurpasset, pedibus iter facere coactus est. *De tractoriis & stativis* titulus exstat Cod. Th. & Cod. Justinian. lib. XII. ubi plura Magnus Cujacius, qui hanc Marculfi formulam integram inserit; quam tamen puriorem auctore exhibere conatus est, nos fide auctoris edidimus. Tractorias igitur a Francis frequentatas Marculfus docet, posteaque Caroli ævo durasse ex Capitul. patet. Lib. 4. c. 30. *Si quis litteras nostras despexerit, id est, tractoriam quæ propter Missos recipiendos dirigitur &c.* Quid vero unicuique in itinere commeatus præstari deberet, Tractoria signabatur. Capitul. lib. 4. cap. 69. *Missi accipiant secundum quod in sua tractoria continetur.* Idque varie pro dignitate & qualitate (ut Capitula dicunt) personarum; ut ecce plus Episcopo, quem Rex mittebat, Abbati & Comiti non tantum, minus autem Vasallo decernebatur, quemadmodum Capitul. comprehensum est. Lib. 4. cap. 72. *Episcopo panes* XL. *friscingæ tres, de potu modii tres &c.* quæ hujus formulæ speciem referunt. Verum Marculfi & Caroli M. temporibus non eo pertinuisse tractorias arbitror ut cursus publici usum concederent, qui nullus tum erat; sed ut equi, mansiones, sumptus & viatica Missis a Principe directis aut ab eo evocatis a subditis & provincialibus suppeditarentur, qui mansionaticorum & paratarum oneri tenebantur; qua de re supra cap. tertio. Paratas enim pro speciebus quæ in hac tractoria recensentur accipio. De paratis Capitula Caroli & Ludovici apud Carisiacum: *Constituite Comites & ministros reip. qui non diligant munera &c. qui illorum friscinkas non prædentur. Custodiant silvas, unde habeant pastionem, defendant & excolant prata, unde habeant pabula: quatenus non sit necesse vobis per quascunque occasiones, quorumcunque hortatibus, circuire loca Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, vel Comitum, & majores quam ratio postulat paratas exquirere, & pauperes ecclesiasticos & fidelium vestrorum mansuarios in carrucaturis & paraveredis exigendis gravare.* Tractorias olim apud Romanos non tantum Imperator dabat, sed & Præfectus prætorio & Magister officiorum. Leg. 9. de cursu publico lib. XII. Cod. Hæc vero formula nomine Regis inscripta probat non ab aliis quam a Rege Francorum concedi solitas. Itaque petierunt Galliæ Episcopi a Carolo Calvo R. ut id illis tribueretur. Synodi Meldensis cap. 71. *Ut auctoritatem sigillo regio roboratam more tractoriæ Christianissimus Princeps singulis donet Episcopis.* Sane hoc jus singulari beneficio quibusdam concessum fuisse non negaverim. Tractoriæ autem speciem refert vetus diploma Chilperici R. datum sub die III. Kal. Maji anno primo regni Compendio, quo res ab avunculo Clodechario R. & Baldechilde Regina avia sua Corbeiæ monasterio donatas & privilegia concessa confirmat, & inter cetera annonas quasdam a telonario Fossatense annis singulis accipiendas, eaque de causa evectionem quoque concedit misso monasterii, cui hæc procuratio committetur; cujus particulam mox exscribemus. Inter formulas incerti auctoris (sive in Appendice Marculfi cap. 10.) una exstat quæ *Tracturia pro itinere peragendo* inscribitur, & ab Episcopo cuidam, qui Romam orationis causa petit, traditur; & inter Varias (sive inter Bignonianas) cap. 15. alia est peregrinationis item causa a Majore domus concessa. Et ambæ quidem precibus conceptæ sunt, ut religionis causa peregrino mansionem, focum, panem & aquam tantum largiri velint illi per quos iter facturus est, Dominumque eis retributurum. Una vero etsi eodem fere stylo a Majore domus, qui tum Regis vices agebat, scripta est, precibus tamen agit, quia extra ditionem. Ita tractoriæ vocabulum latius extensum est. Siquidem Carolus M. in præcepto S. Dionysii de mercato, quo telonea & omnigeneris tributa ad mercatum venientibus remittit, illud ipsum tractoriam vocat, *per hanc nostram tractoriam*. Itidemque Hludovici Pii de ipsa re diploma *Tractoria* dicitur.

(2) *Omnibus agentibus.*) Cujacius adjecit *in illo loco*, quasi dicas, omnibus qui ibi degunt & ha-

Dum & nos in Dei nomine apoſtolico viro illo necnon & inluſtre viro illo partibus illis legationis cauſa direximus, ideo jubemus ut locis convenientibus eiſdem à vobis evectio (1) ſimul & humanitas (2) miniſtretur, hoc eſt, veredos ſive paraveredos (3) tantos, pane nitido modios tantos, vino modios tantos, cerviſa modios tantos, lardo libras tantas, carne libras tantas, porcos tantos, porcellos tantos, verviçes tantos, agnellos tantos, aucas (4) tantas, faſianos tantos, pullos tantos, ova tanta, oleo libras tantas, garo (5) libras tantas, melle tantas, aceto tantas, cymino libras tantas, pipere tantas, coſto tantas, gariofile tantas, ſpico tantas, cinamo tantas, granomaſtice libras tantas, dactylas tantas, piſtacias tantas, amandolas tantas, cereos librales tantos, caſeo libras tantas, ſalis tantas, olera, legumina, ligna, carra tanta, faculas tantas (6), itemque victum ad caballos eorum, fœno carra tanta, ſuffuſo modios tantos. Hæc omnia diebus ſingulis tam ad ambulandum quam ad nos in Dei nomine revertendo unuſquiſque veſtrum per loca conſuetudinaria eiſdem miniſtrare & adimplere procuretis; qualiter nec moram habeant, nec injuriam perferant, ſi gratiam noſtram optatis habere,

*Præ-*

---

& habitationem habent; non ſatis convenienter, & præter auctoris mentem. Nec eſt etiam quod ad agentes in rebus quis referat, quorum in Romano imperio erant ſcholæ ſub Magiſtri officiorum diſpoſitione, qui variis officiis & miniſteriis deſtinabantur, & in frumentariorum locum ſucceſſiſſe Aurelius Victor teſtatur, de quibus titulus eſt lib. XII. Codicis, & ab Ammiano Marcellino & beatis Ambroſio & Auguſtino ſæpius memorantur, quod plane alienum eſt ab agentibus ad quos hæc formula. Itaque ejus vocabuli interpretatio ex eodem ſeculo, non aliunde petenda eſt. Unicum e S. Dionyſii ſcriniis diploma id præſtabit. Præceptum Dagoberti R. de fugitivis: *Dagobertus Rex Francorum vir illuſter omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Centenariis, Vicariis & ceteris agentibus noſtris*. Idem de mercato: *Dagobertus Rex Francorum vir inluſter, Leutone, Vulfione, Raucone Comitibus, & omnibus agentibus noſtris, Vicariis, Centenariis, & ceteris miniſtris reip. noſtræ*. Ubi palam eſt agentes non aliud quam miniſtros & officiales regios deſignare. Actionis quippe nomine officium ſignificabatur. Marculfus ſupra cap. 8. *Ideo actionem comitatus, ducatus, patriciatus in pago illo, quam anteceſſor tuus videtur egiſſe, tibi ad agendum regendumque commiſimus*. S. Aug. ep. 70. Bonifacio Comiti: *Nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas*. Idem ſermone de diverſ. *qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu ſunt publico conſtituti*. Victor Uticenſis lib. 2. *Cenſet primo tyrannus juſſione terribili ut nemo in ejus palatio militaret, neque publicas ageret actiones, niſi ſe Arrianum feciſſet*. Inde actionarii pro officialibus in legib. Longob. lib. 1. tit. 9. l. 28. *Damus in mandatis cunctis Epiſcopis, Abbatibus, ſeu actionariis noſtris ut hæc omnia adimpleantur*. Gloſſæ: *Actionarii, Comites actiones & ima perquirentes*. Sic ſynodi Aurel. IV. c. 13. *publicis actionibus applicare*. Synodi Rhemenſis ſub Sonnatio Epiſcopo apud Flodoard. lib. 2. c. 5. *Inceſti communione priventur, & neque in palatio militiam neque agendarum cauſarum licentiam habeant*. Id eſt, non ut poſtulare non poſſint, ſed ne officii exercendi facultatem habeant. Nam & Gregor. Turon. lib. 8. c. 18. Comitem *cauſarum actionem agere* dixit. Eodem pertinet & Gregorii Tur. inſignis locus lib. 4. cap. 42. de Mummulo, cujus pater Autiſiodorenſem comitatum regebat. *Cumque*, inquit, *ad renovandam actionem munera Regi per filium traſmiſit &c.* Qui locus etiam oſtendit quod ſupra diximus, comitatus ad certum tempus tunc datos, muneribuſque continuationem impetratam. Actor autem dominicus (de quo apud Gregor. Tur. lib. 9. c. 38. & in Capitul. lib. 4. cap. 3. & 41.) aliud eſt. Nam pro rationali & procuratore fundi alicujus regii accipitur.

(1) *Evectio.*) Gregor. Turon. lib. 9. cap. 9. *datis litteris & pueris deſtinatis cum evectione publica*. Plura apud Cujacium ad leg. 13. de curſu publico lib. XII. Codicis. Quibus addere viſum eſt quod ex veteri diplomate Chilperici R. exſcripſimus, cujus ante mentio facta eſt. *Ita ut telonarius qui per teloneum Foſſenſe agere videtur, annua illatione hæc omnia ad Miſſos ipſius monaſterii qui inde directi fuerunt dare & adimplere teneatur; imoque & evectionem ad ipſum Miſſum, qui ad hoc exigendum ambularet, perpetualiter abſque renovata tractoria annis ſingulis dare præcipimus, hoc eſt veredos ſeu paraveredos* X. *panis nitidi* X. *ſequentis* X. *vini mod.* I. *cerviſiæ mod.* I. *lardi lib.* X. *carnis pondo* XX. *caſei lib.* XII. *piſorum lib.* XX. *caprum* I. *pullos* II. *ova* X. *olei lib.* II. *gari lib.* I. *piperis unciam* I. *cumini uncias* II. *ſal, acetum, olera, lignum ſufficienter. Hæc omnia ſuperius commemorata locis convenientibus, annis ſingulis, eiſdem tam euntibus quam redeuntibus abſque mora dare & adimplere deberetis, etiam ad revertendum carra* XII. *de loco in locum per loca conſuetudinaria*.

(2) *Evectio ſimul & humanitas.*) Humanitas pro cibo. Optatus lib. 5. pag. 59. a. *Vindicent ſibi & miniſtri*; (id eſt *Diaconi*; ſic Commodianus) *qui menſæ dominicæ famulantur, ut pro humanitate exhibita ab invitatis gratulatio eis referatur*, Caſſiodor. lib. 6. c. 3.

(3) *Veredos ſeu paraveredos.*) Procopius de bello Perſico lib. II. ὁ δὲ ἵπποις δημοσίοις ὀχούμενος, οὓς δὴ βερέδους καλεῖν νενομίκασι. Multa Cujacius ad tit. de curſu publico, & Fr. Pithœus in Capitularium Gloſſario; ad quos lectorem remitto. Enumerationis vero quæ ſequitur non diſſimilia ſunt principalia reſcripta de annonis ſingulis diebus certis perſonis præſtandis, apud Trebellium Pollionem & Vopiſcum.

(4) *Aucas,*) Anſeres habet Cujacius; & recta eſt interpretatio. Sed *aucas* ſeculi vocabulo ſcriptum fuiſſe fides Ms. teſtatur. Leg. Alaman. tit. 98. 18. *ſi auca fuerit inviolata*. 19. *ſi accipiter qui aucam mordet*. In traditione bonorum in villa Hoſtheim anno DCCCLXXVI. traditionum Fuldenſium lib. 2. *Oves* XL. *aucæ* XVIII. *pulvilli* II. *capones* II. quod nomen etiam hodie Aquitani retinent.

(5) *Gari.*) Liquamen Romanis maxime celebratum. Auſonius ad Paulinum ep. XVI.

(6) *Faculas tantas.*) Ligni ſcilicet. In epiſtola Valeriani ad procuratorem Syriæ apud Trebellium Pollionem, *ligni quotidiani pondo mille*. Nam & in quibuſdam locis ubi rarius eſt appenditur, ut ibidem eruditiſſimus Caſaubonus obſervavit.

*Præceptum donationis* (1).

XII. Dum Dominus omnipotens, creator cæli & terræ, permisit, juxta quod legitur, in principio masculum & feminam copulæ sociari consortio dicens, [a] *Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, si aliquid pro amore dilectionis inter se invicem condonare decreverint, hoc nostra serenitas in idipsis non renuit confirmare. Igitur venientes ille & illa ibi in palatio nostro, pro eo quod filiorum procreationem (2) inter se minime habere videntur, omnes res eorum inter se per manu nostra (3) visi sunt condonasse, & si ita convenit villas aliquas inter se visi sunt condonasse. Dedit igitur prædictus vir ille per manu nostra jam dictæ conjugi suæ illi villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, quas aut munere regio (4), aut de alode parentum, vel undecunque ad præsens tenere videtur, cum terris, domibus, & cetera. Similiter in compensatione rerum dedit prædicta femina antedicto jugali suo illo villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, & cetera, seu præsidio domus eorum, argentum & aurum, fabricatu-



[a] Gen. 2.

(1) *Præceptum donationis.*) Inter virum & uxorem, ut series ostendit, liberis non extantibus, usufructus nomine ei qui superstes fuerit. Eodem pertinet cap. 7. lib. 2. cujus si non eadem omnino verba, eadem prorsus mens. Verum differentia in eo est quod hæc ante Regem facta sit, ideoque præceptum dicitur, & inter regales chartas traditur; altera vero, non ante Regem, sed inter chartas pagenses lib. 11. refertur. Quæ donationis inter virum & uxorem mutuæ species apud nos observatur, easdemque plane ei leges constituit Parisiorum consuetudo cap. 280.

(2) *Pro eo quod filiorum procreationem.*) Hoc casu donationem ita conceptam permittit lex Ribuariorum tit. 50. *Si quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit, omnem facultatem suam in præsentia Regis, sive vir mulieri, vel mulier viro, seu cuicunque libet de proximis vel extraneis, adoptare in hereditatem, vel in adfatimi per scripturarum seriem; seu per traditionem & testibus adhibitis secundum legem Ribuariam licentiam habeat.* Tit. 51. *Quod si adfatimus* (id est, donatio) *fuerit inter virum & mulierem, post discessum amborum ad legitimos heredes revertatur; nisi tantum qui parem suum supervixerit, in eleemosyna vel in sua necessitate expenderit.* Id ex testamento mutuo inter virum & uxorem, Valentiniani Novella approbato, petitum esse dici potest.

(3) *Per manum nostram.*) Sic cap. proximo: *per manum nostram transvulsum*; & paullo post: *nobis voluntario ordine visus est læsovuerpisse vel condonasse, & nos prædicto viro illi ex nostro munere largitatis, sicut ipsius illius decrevit voluntas, concessimus.* Leg. Ribuar. tit. 50: *in præsentia Regis*. Ideoque & hæc donatio præceptum donationis inscribitur, quod ante Regem peracta sit. Possessionis enim solenniter transferendæ duo tum modi, aut in judicio ante Comitem & judices suos, quos Scabinos dicebant, aut in Regis præsentia in palatio: Quæ causa fuit Marculfo in duos libros opus suum partiendi, ut singillatim horum negotiorum formulas traderet. Capitul. Benedicti Levitæ lib. 6. cap. 212. *Qui filios non habuerit, & alium quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Rege vel coram Comite & Scabinis vel Missis dominicis, qui ab eo ad justitias faciendas in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat.* Testamentum vero viri & uxoris Novella 4. lib. 2. Valentiniani approbatum, in præsentia Principis fiebat, saltem venia impetrata, & relatione facta. *Nam cum liceat* (inquiunt Impp.) *cunctis jure civili atque prætorio; liceat per nuncupationem, liceat municipalibus gestis judicia suprema componere, proculdubio manebit firmior hæc voluntas quæ testimonio Principis & subscriptione conditoris firmatur.* Cui congruit l. *Omnium*. C. de testament. unde hanc donationis formam fluxisse probabile est.

(4) *Aut munere regio.*) Eandem hic tangit bonorum divisionem quam supra cap. 3. notavimus. Beneficium namque, alode, & comparatum his verbis significantur. *Munere regio*, id est per beneficium Regis, quod postea feudum dictum est; licet non ignorem a Regibus tunc quoque in proprietatem prædia data, ut infra cap. XVII. Alodi vero recte parentum nomen subjungitur. Proprie enim alode illud est quod a parentibus acceptum possidetur. Sic lib. 2. cap. 4. 6. & 9. Itaque *comparato* opponitur lib. 2. cap. 7. *tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adtractu*; cap. 12. *tam de alode paterna quam de comparato*. Incerti auctoris (sive Appendicis Marculfi) formula 47. *tam quod alode parentum quam ex meo contractu mihi obvenit.* Et c. 49. formularum Romanarum (sive Sirmondicarum) cap. 14. & 38. Joannes VIII. PP. Ludovico R. epist. 139. de Bosonis filiabus, ut eis bona paterna redderentur: *Et pro nostro amore integriter ipsas proprietates, quas vos alodes dicitis, reddat.* Sic quoque hereditas passim pro alode dicitur, Leg. Saliç. tit. 62. leg. Ribuarior. tit. 58. Nam quod in titulo *alodes* dixerant, in dispositione *hereditatem* vocant. Marculf. lib. 2. c. 7. *tam de alode quam de comparato*, eadem postea repetendo, *tam de hereditate parentum quam de comparato*. Vita Caroli M. apud Adhemarum: *Ibique multitudo Saxonum baptizata est, & secundum morem, omnem ingenuitatem illorum & alodem manibus gurpierunt, si amplius immutassent.* Quæ eadem Reginoni *ut perderent ingenuitatem & hereditatem* dicuntur. Traditionum Fuldensium lib. 2. Abbatissa Emhil donat *propriæ hereditatis suæ terram in diversis videlicet locis tam de paterno quam & de materno jure ad me pertinentem*. Alibi sæpe *paternum aut maternum alode*. Rhenanus & Vadianus arbitrantur alodii vocem inde natam quod ea bona familiis velut coagmentata & conjuncta essent, a Germanica voce *anlodt*. Tentari posset ab alia Germanica voce originem ducere *ald*, quæ vetus antiquumque declarat, auctore Aventino in Glossario; quæ notatio ad hæreditatis nomen & paternam terram proxime accedit. Tandem vero & comparatum alode dictum, & generaliter omnis proprietas hoc censita nomine, ut ad Capitula observat sæpe nominatus vir magnus Franciscus Pithœus. In adnuntiatione Hludovici Regis: *Et illorum alodes de hereditate, & de conquisitu, & quod de donatione nostri senioris habuerunt.*

turas, drappos (1), vestimenta, vel omne supellectile eorum, pars parti per manu nostra visi sunt condonasse; ita ut dum pariter advixerint in hunc seculum, omnes res suprascriptas ab utrasque partes pariter debeant possidere: vel si eis pro animabus eorum aliquid exinde ad loca sanctorum dare decreverint, voluntatis eorum liberum maneat arbitrium; & qui pari suo ex ipsis in hunc seculum supprestis extiterit, ambabus rebus, quandiu advixerit, usufructuario ordine debeat possidere; & post amborum de hac luce discessum, sicut eorum delegationes continentur, tam ad loca sanctorum quam benemeritis vel eorum propinquis debeant revertere heredibus tam suprascriptas villas quam & de præsidio eorum, quicquid morientes reliquerint. Propterea per præsentem præceptum decernimus ac jubemus ut dum taliter suprascriptis illis decrevit voluntas, & per manu nostra invicem condonatum esse dinoscitur, per hunc præceptum robustissimo jure suffultum atque firmatum, quicquid superius continetur, auxiliante Domino cum Dei & nostra gratia debeat perdurare; ita ut nulla refragatio nec de parte fisci nostri, nec a parentibus eorum propinquis, nec a quocunque possit convelli, sed omni tempore maneat inconvulsum. Quam vero auctoritatem, ut firmior habeatur, vel per tempora conservetur, manu propria subter eam decrevimus roborare.

*Præceptum de læsiuverpo (2) per manum Regis.*

XIII. Quicquid enim in præsentia nostra agitur, vel per manu nostra videtur esse transvulsum, volumus ac jubemus ut maneat in posterum robustissimo jure firmissimum (3). Ideoque veniens ille fidelis noster ibi in palatio nostro in nostra vel procerum nostrorum præsentia villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, sua spontanea voluntate nobis per fistucam (4) visus est leuseuverpisse (5) vel condonasse, in ea ratio-

---

(1) *Drappos.*) Synodi Pistensis anni DCCCLXIII. c. 1. *Et sicut quando solemus de istis frequentibus itineribus reverti ad mansiones nostras detonsi & decalvati, cum drapis & calceamentis depannatis, & tunc nos reficimus & reparamus.* Variar. formul. (sive Bignonianar.) cap. 8. & 13. *aurum & argentum & drapalia.* Quod panni seu vestimenti genus, hodie nomen apud nos retinet, *drap.*

(2) *Præceptum de læsiwerpo.*) Formula est traditionis, per quam possessio in palatio & in Regis præsentia transfertur.

(3) *Firmissimum.*) Quod enim in præsentia Principis actum est, omnes solennitates superat. Immo qui *testamentum Regis* (id est, instrumentum) *absque contrario testamento falsum clamaverit, non aliunde nisi de vita componat.* Leg. Ribuar. tit. 62. 7.

(4) *Per fistucam.*) Tradita videlicet festuca in signum translatæ possessionis. Multis quippe tum utebantur traditionum symbolis, per glebam, sive terram & herbam, ut loquuntur formulæ incerti auctoris (id est, Appendix Marculfi) cap. 19. & 43. per virgam aut baculum. Vetus venditionis instrumentum apud Brissonium form. lib. 6. *Tu pascuti fuste illum investito, tu segniti fustem manu capito*; & alias sæpe. Per chirothecam. Robertus Comes & Abbas S. Martini anno septimo regni Odonis Regis: *Reddimus Dociacum, admoniti, ad ejus sepulchrum veniens per guantum nostrum.* Per librum, ut ad Goffridum Vindocinensem observat vir eximiæ eruditionis Jac. Sirmondus, baculosque & chirothecas & ejusmodi traditionum symbola multa in tabulario Sancti Albini hodie quoque extare testatur. Per anulum Comitis. Vet. form. *Genitor suus dimisit per fistucam & anulum ipsius Comitis, ipsi advocato tradidit in sua eleemosyna.* Per cultellum cum cespite & festuca. Tabularium S. Benigni Divionensis: *Fulchardus per vvadium suum & cultellum suum cum festuca & cespite coram præsentia bonorum hominum qui ibidem aderant se exutum fecit, & secundum legem suam Missis beati Benigni publice tradidit, Aldegario videlicet monacho & Præposito ejusdem monasterii, & Godefrido nomine tenus monacho, res quas per pretium Berthiloni Chorepiscopo & Abbati atque monachis ejusdem loci vendiderat, accepto librarum* VII. *pretio. Anno* XXVIII. *regnante Carolo* R. Festucæ vero frequens in eam rem usus. Marculfus lib. 1. cap. 21. *quod in præsenti per fistucam eas eidem visus est commendasse.* Lib. 2. c. 14. *pars parti tradidisse, & per fistucam omnia partitum esse dixisse.* Leg. Salicæ tit. 48. ubi qui modus donationis faciendæ fuerit & possessionis transferendæ traditur, & tit. 52. Frequentia huius traditionis ex facilitate descendit, quod festuca obviam sæpe occurrat. Id luculenter describitur in concessione Guidonis Comitis Pictavorum, quam ego doctissimo viro Joh. Belio Fontanajensis apud Pictonas præfecturæ Advocato regio lubens acceptam refero. Dignus profecto qui in hanc rem exscribatur locus. *Vobis & omnibus aliis adhinc inantea permitto, concedo, & ad integrum restituo terras easdem & cetera omnia cum omnibus pristinis consuetudinibus, sicut ipse & mater mea cum illo tenuerunt, & monasterio S. Trinitatis dederunt, ut habeatis & teneatis firmissimo stabilimento vos & posteri vestri. Tunc inclinavit se Comes, & accepit viridem scirpum, nam domus recenter erat juncata, sicut solemus facere quando aliquem personæ potentis vel dominum suscipimus vel amicum. Tunc junco ipso non tam donum faciens quam restaurationem, dedit duobus fratribus qui præsentes aderant, id est, Domno Claro & fratri David &c. Anno ab incarnatione Domini* MLXVIII. *Indict.* VII. X. *KL. Junii. Acta est ista concessio a venerabili Comite Pictavorum Widone infra terram quæ vocatur Maritima apud Ecclesiam S. Saturnini.*

(5) *Werpisse.*) Id est, dimittere, & sic alium vestire. Vita Caroli M. apud Adhemarum: *ingenuitatem illorum, & alodem manibus gurpierunt*; quo loco in quibusdam exemplaribus, non *gurpierunt*, sed *dulgtum fecerunt* scriptum esse V. C. Petrus Pithœus notavit, quæ verba eodem recidunt. Chronicon S. Benigni Divionensis sub Rodulfo R. Robertus Vicecomes *in ipso placito in præsentia principum eosdem servos wirpivit & sancto Benigno reddidit.* Eo etiam referendum quod in formula XLIII. incerti auctoris dicitur *de ipsis rebus se exutos esse dixisse.* Nam rem dimittendo

tione si ita convenit, ut dum vixerit eas ex nostro permisso sub usu beneficio debeat possidere; & post suum discessum, sicut ejus adfuit petitio, nos ipsas villas fideli nostro illo plena gratia visi fuimus concessisse. Quapropter per præsentem decernimus præceptum, quod perpetualiter mansurum esse jubemus, ut dummodo taliter ipsius illius decrevit voluntas quod ipsas villas in suprascripta loca nobis voluntario ordine visus est leuseuverpisse (1) vel condonasse, & nos prædicto viro illo ex nostro munere largitatis, sicut ipsius illius decrevit voluntas, concessimus, hoc est, tam in terris, domibus, ædificiis, accolabus (2), mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, ad integrum quicquid ibidem ipsius illius portio fuit, dum advixerit, absque aliqua deminuatione, de qualibet re usufructuario ordine debeat possidere, & post ejus discessum memoratus ille hoc habeat, teneat, & possideat, & suis posteris aut cui voluerit ad possidendum relinquat. Et ut hæc auctoritas.

*Prologi de cessionibus Regis.*

XIV. Meritò largitatis nostræ munere sublevantur qui parentibus nostris vel nobis ab adolescentia ætatis eorum instanti famulantur officio. ITEM ALIO. Præspicue compendiis regalibus illud adscribitur quod pro contemplatione servitutis fidelibus suis concedente Domino consultissime muneratur. ITEM ALIO AD LOCO SANCTO. Nihil, ut ait Apostolus [a], in hoc mundo intulimus, nec quicquam ex eo auferre nobiscum poterimus, nisi quod ob animæ salutem locis sanctorum devote Domino offerentes impertire videmur. Ergo cognoscat (3) magnitudo seu strenuitas vestra nos inlustri viro illi promptissima voluntate villa nuncupante illa, sita in pago illo, cum omni merito & termino suo, in integritate, sicut ab illo aut a fisco nostro fuit possessa, vel moderno tempore possidetur, visi fuimus concessisse. Quapropter præsentem auctoritatem nostram decernimus, quod perpetualiter mansuram esse jubemus, ut ipsa villa illa antedictus vir ille, ut diximus, in omni integritate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis (4), adjacentiis, appendiciis, vel qualibet genus hominum ditioni fisci nostri subditum, qui ibidem commanent, in integra emunitate, absque ullius introitu judicum, de quaslibet causas freda exigendum, perpetualiter habeat concessa; ita ut eam jure proprietario absque ullius expectata judicum traditione habeat, teneat, atque possideat, & suis posteris, Domino adjuvante, ex nostra largitate, aut cui voluerit ad possidendum relinquat, vel quicquid exinde facere (5) voluerit, ex nostro permisso liberam in omnibus habeat potestatem. Et ut hæc auctoritas.

*Cessio Regis ad loco sancto.*

XV. Cognoscat magnitudo seu utilitas vestra nos propter nomen Domini ad basilica illa vel illa, ubi apostolicus pater noster ille aut venerabilis vir ille Abbas præesse videtur, villa nuncupante illa, sita in pago illo, quam usque nunc fiscus noster aut ille tenuit, promptissima devotione cum omni integritate visi fuimus concessisse. Quapropter per præsentem auctoritatem nostram decernimus, quod perpetualiter mansuram esse jubemus, ut ipsa villa memorata Ecclesia illa, vel antedictus Pontifex, aut ille Abbas, ut diximus, in omni integritate cum terris, & cetera quæ superius sunt, ita

[a] 1. Tim. 6.

do & se exuendo, alium investiebant. Quo werpiendi verbo hodie utimur; in jure enim dimittere, *desguerpir* dicimus. Inde vidua in veteribus Gallicis scriptis *la guerpie*, quasi relicta, dicitur. Frossart. hist. vol. 1. cap. 242.

(1) *Læsouverpisse.*) Leg. Salicæ tit. 48. hæc traditur donationis forma, quæ a Marculfo non longe recedit: *in mallo &c. & sic festucam in laisum ejus jactet, & ipsi in cujus laisum festucam jactaverit, in casa ipsius manere, & hospites tres suscipere &c.* Fr. Pithœus ex vet. glossar. *in laisum* in sinum interpretatur, huc que eleganter vulgare forense verbum *tendere le giron* refert. Itaque læsouverpisse est rem aliquam dimisisse & alteri tradidisse festuca in sinum jactata.

(2) *Accolabus.*) Hæc enumeratio omnibus instrumentis adscripta est, ut exempla proferre frustra sit. Accolæ vero qui hic nominantur sunt coloni seu adscriptitii qui simul cum prædiis venibant; ut & de villicis, saltuariis, & actoribus apud Jurisconsultos exempla extant. Chartul. S. Martini; *cum hominibus ibidem commanentibus, quos colonario ordine vivere constituimus.* Servorum autem quæ fuerit apud Germanos veteres conditio aperte declarat Tacitus: *Servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit; frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis ut colono injungit; & servus hactenus paret.*

(3) *Ergo cognoscat.*) Si ad proximam præfationem hæc referas, absona & aliena erunt. Nam cum in superiori præfatione loci sancti fiat mentio, hic de inlustri viro loquitur. Verum & hæc & quæ sequuntur ad primam & secundam præfationem referenda, quæ de donationibus a Rege fidelibus suis factis scriptæ sunt.

(4) *Farinariis.*) Farinarium pro pistrino dicit, ut & alii non pauci medii seculi scriptores. Leg. Salicæ tit. 24. 3. *Si quis sclusam de farinario alieno ruperit.* Tit. XXXIII. 3. *Si quis viam quæ ad farinarium ducit clauserit.* Diploma Caroli Simplicis R. de S. Martini cœnobio: *cum vineis, culturis, silvis, pratis, farinariis.* In traditionibus Fuldensibus lib. 2. *totum & integrum, terris, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, molinariis &c.*

(5) *Quicquid exinde facere.*) Sic cap. præced. & cap. 17. Gregor. Turonens. lib. 10. c. 31. *Cui aliquid de fisci ditionibus est largitus, deditque ei potestatem faciendi de his rebus quæ voluisset.*

ita ut eam & ipſi & ſucceſſores ſui habeant, teneant, & poſſideant, vel quicquid exinde ad profectum Eccleſiæ illius aut baſilicæ facere voluerint, ex permiſſo noſtro in omnibus habeant poteſtatem. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur vel per tempora conſervetur, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decrevimus roborare.

### *Confirmatio* (1).

XVI. Quem divina pietas ſublimatur ad regnum, condecet facta conſervare parentum: præcipue quæ pro compendiis Eccleſiarum aut locis ſanctorum a regali clementia pro æterna retributione probatur eſſe indultum, oportet conſervare in ævum. Igitur apoſtolicus vir pater noſter in Chriſto ille illius urbis Epiſcopus clementiæ regni noſtri detulit in notitia quod ille Rex per ſua præceptione ſua manu ſubſcripta ad Eccleſia illius, cui præeſſe dinoſcitur, villa nuncupante illa, ſita in pago illo, cum integritate ſua, ſub omni emunitate, abſque ullius introitu judicum de quaslibet cauſas freda exigendum, propter nomen Domini conceſſiſſet; & ipſam præceptionem ſe præ manibus habere adfirmat, & memoratam villam ipſe Pontifex ſub eodem modo ad partem Eccleſiæ poſſidere videtur, petit celſitudini noſtræ ut hoc circa eodem vel memorata Eccleſia Domni illius per noſtris deberemus confirmare oraculis. quod nos propter nomen Domini & reverentia ipſius ſancti loci vel merita præfato Pontifice gratante animo præſtitiſſe & confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes enim ut ſicut conſtat præfata villa a jamdicto Principe memoratæ Eccleſiæ illius cum integritate ſub omni emunitate fuiſſe conceſſa, & eam ad præſens poſſidere videtur, inſpecta ipſa ceſſione, per hunc præceptum plenius in Dei nomine confirmamus, ſub eo ordine & ipſe & ſucceſſores ejus vel memorata Eccleſia Domni illius illam teneant & poſſideant, & eorum ſucceſſoribus ad poſſidendum relinquant, vel quicquid exinde pro opportunitate ipſius ſancti loci faciendum decreverint, ex noſtro permiſſo liberam habeant poteſtatem. Et ut hæc auctoritas. & cetera.

### *Item confirmatio* (2) *ad ſecularibus viris*.

XVII. Regiam conſuetudinem exercemus, & fidelium noſtrorum animos adhortamus, ſi petitionibus noſtrorum fidelium libenter annuimus, & eas in Dei nomine effectui mancipamus. Igitur inluſtris vir ille clementiæ regni noſtri ſuggeſſit eo quod ante hos annos ille quondam Rex parens noſter villam aliquam nuncupante illa, ſitam in pago illo, quam antea ad fiſco ſuo adſpexerat, & ille tenuerat, pro fidei ſui reſpectu, ejus meritis compellentibus, cum omni integritate ad ipſa villa aſpicientem per ſuam præceptionem ſua manu roboratam in integra emunitate abſque ullius introitu judicum de quaslibet cauſas freda exigendum eidem conceſſiſſet. Unde & ipſam præceptionem antedicto Principe nobis oſtendit relegendam, & memorata villa ad præſens ſub eodem modo poſſidere videtur. Petiit ergo ut hoc circa eodem noſtra plenius deberet auctoritas generaliter confirmare. cujus petitionem pro reſpectu fidei ſuæ ſicut unicuique de fidelibus noſtris juſta petentibus nequivimus denegare, ſed gratante animo præſtitiſſe & confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes ergo ut ſicut conſtat antedicta villa illa cum omni integritate ſua ab ipſo Principe illo memorato lui fuiſſe conceſſa, & eam ad præſens jure proprietario poſſidere videtur, per hunc præceptum plenius in Dei nomine confirmatum, inſpecta ipſa præceptione, & ipſe & poſteritas ejus eam teneant & poſſideant, & cui voluerint ad poſſidendum relinquant, vel quicquid exinde facere decreverint, ex noſtro permiſſo libero perfruantur arbitrio. Quam

---

(1) *Confirmatio*.) Vide infra cap. 35. Confirmatio eſt a Rege locis ſanctis & venerabilibus indulta, quam ſolemne erat a Principe impetrari. Privilegia enim & cetera ejuſmodi a Principibus indulta, poſt illos ſucceſſorum confirmatione opus habent. Ceterum de confirmationibus ejuſmodi rerum Eccleſiarum agit Hincmarus de divortio Hlutharii & Thietbergæ pag. 399. & 412. ubi querelam inſtituit adverſus Reges ſui temporis, qui ſpecie confirmationis ab Eccleſiis & locis ſanctis petitæ, & quam liberaliter indulgebant, bona tamen quæ ea deſignabantur occupabant, & aut ſibi retinebant, aut fidelibus largiebantur; quam in verſutiam late invehitur.

(2) *Confirmatio*.) Confirmatio eſt a Rege conceſſa, ejus quod ab anterioribus Regibus quibuſdam perſonis ex fiſco donatum fuerat, non in beneficium ſeu feudum, (morte quippe accipientis finiebatur) ſed in proprium, ut ad ſucceſſores etiam tranſiret. Quod ex his verbis manifeſtum eſt: ***Et ipſe & poſteritas ejus eam teneant & poſſideant***, *& cui voluerint ad poſſidendum relinquant, vel quicquid exinde facere voluerint ex noſtro permiſſu libero perfruantur arbitrio*. Theganus Trevirenſis Chorepiſcopus de geſtis Ludovici Imp. cap. 19. ejus liberalitatis nomine Ludovicum extollit: *In tantum largus ut villas regias, quæ erant ſui & avi & tritavi, fidelibus ſuis tradidit eas in poſſeſſiones ſempiternas, & præcepta conſtruxit &c.* quæ tamen non recte Falcetus de beneficiis intelligit, & præter auctoris mentem feudorum ſucceſſionis & proprietatis inde deducit originem antiquit. lib. 8. c. 18. In chartulario S. Martini Turonenſis extat ejus donationis diploma Caroli Simplicis R. Odoni Comiti factæ: *Placuit fidelem noſtrum de rebus proprietatis noſtræ donare, ut quicquid pro utilitate jure proprietario facere decreverit, licentiam habeat & poteſtatem faciendi, donandi, vendendi ſeu commutandi. Anno* X. *regni Indict.* XII. *Narbonæ*. Itemque alia ejuſdem Odonis tum Regis Ebolo Comiti. Sic etiam accipio *in alodium dare* ſynodi Meldenſis cap. 41

Quam vero auctoritatem, ut firmior habeatur, & per tempora conservetur, propria manu subter eam decrevimus roborare.

*De Regis antrustione* (1).

XVIII. Rectum est ut qui nobis fidem pollicentur inlæsam, nostro tueantur auxilio. Et quia ille fidelis Deo propitio noster veniens ibi in palatio nostro una cum arimania sua (2) in manu nostra (3) trustem (4) & fidelitatem nobis visus est conjurasse, propterea per præsentem præceptum decernimus ac jubemus ut deinceps memoratus ille in numero antrustionum computetur. Et si quis fortasse eum interficere præsumpserit, noverit se vuirgildo suo (5) soli-

---

(1) *De Regis antrustione.*) Ex hac formula apparet antrustionem dici fidelem Regis, qui se fidem ei servaturum juramento spopondit, quod & nomen indicat. Fidem enim *trevv* hodie quoque Germani vocant, ut & apud Aventinum in glossario *drou & dravv*, quæ non nisi pronuntiatione differunt. Itaque antrustiones fideles sunt, leudes, ut passim Gregor. Turon. eos vocat, & auctor appendicis ad Gregorium, sive is Idacius sive Fredegarius sit, aut, ut sequens ætas dixit, vassi & vasalli. Inde trustis leg. Salicæ tit. 43. 4. *Si quis eum occiderit qui in truste dominica est*, XXIV. *denariis qui faciunt solidos* DC. *culpabilis judicetur.* Aliter vero in reg. Ms. legis Salicæ, quæ Marculfo nostro præposita est, concipitur, quod proxime huic formulæ accedit: *Si quis antruscionem dominicum occisserit, malb. malche*, XXIV. *denariis qui faciunt solidos* DC. *culpabilis judicetur.*

(2) *Una cum arimania sua.*) Ita edidi, Fr. Pithœum sequutus, qui ad tit. 43. leg. Sal. hanc formulam exscripsit; etsi regium exemplar, non *arimania*, sed *arma* habeat. Hæsi certe aliquandiu utrum eligerem, quod per arma jusjurandum olim præstitum memineram, itemque illud interpretari posse putarem de eo qui armis ornatus, ut par erat, conspectum Principis adit. Vicit me tandem auctoritas Pithœi; quam etiam ratio suadet. *Arimania* ergo hic pro familia usurpatur. Sane eo nomine servorum seu colonorum speciem significari multis ex instrumentis manifestum est. Wido Imp. in legibus Francicis & Longobardicis adjectis tit. 5. *Nemo Comes, neque loco ejus Præpositus, neque Sculdasius ab arimannis suis aliquid per vim exigat præter quod constitutum legibus est, sed neque per suam fortunam in mansione arimani se applicet &c.* Tit. VI. 2. *Si ex præcepto imperiali Comes loci ad defensionem patriæ suos arimannos hostiliter præparare monuerit &c.* Diploma Conradi Imp. pro Ecclesia Mutinensi anno MXXXIX. apud Sigonium de regno Italiæ lib. 8. *castella, villas, mansos, servos & ancillas, erimanos & erimanas.*

(3) *In manu nostra.*) Manibus enim datis, more Francico, fidelitas promittebatur. Annales Pipini inserti Aimoini continuationi lib. 4. c. 64. *Illuc & Tassilo Dux Bajoariorum cum primoribus gentis suæ venit, & more Francico in manu Regis in vassaticum manibus suis semetipsum commendavit, fidelitatemque tam ipsi Regi Pipino quam filiis ejus Carolo & Carlomanno jurejurando supra corpus sancti Dionysii promisit.* Qui locus fidelitatis illius morem aperte tradit, & Marculfum omnino illustrat. Sacramenti vero formulam, qua conceptis verbis super Sanctorum reliquias jurabatur, ediderunt P. Pithœus una cum secundæ Regum familiæ historicis, Fr. Pithœus in Glossario, & Falcetus antiquit. lib. 6. c. 5. ideoque non exscribo. Hominium id postea dictum est; cujus formulas posterioribus seculis varii varie pro more regionis tradiderunt. Richardi Capuæ Principis fidelitatis jusjurandum lib. 1. registri Gregor. VII. Papæ extat. Videndi Fulbertus apud Ivonem Carnotensem Decreti par. 12. c. 76. Radevicus lib. 3. c. 19. lib. 2. feudorum tit. 6. & 7. Gallica vero lingua pleræque civitatum leges & consuetudines, liber 11. Ms. legum Parisiorum & Aurelianensium, Butellerius in Summa rurali. Sed ut ad annales Pipini redeam, scite *seipsum commendavit* scriptum est. *Se* namque *commendare*, pro hominium seu fidelitatem facere tunc usurpabatur. Hincmarus de Villa Noviliaco, (Eruditorum etenim conjecturæ, qui hujus opusculi eum auctorem faciunt, libens accedo): *Processu denique temporis commendavit Donatus filium suum Gozelum Carolo Regi; cui in beneficium dedit Carolus villam Novilliacum cum appenditiis suis.* Nithardus lib. 1. *Qui omnes commendati eidem sacramento fidem firmaverunt.* Concessionis præceptum a Ludovico Imp. Hispanis datum: *Noverint tamen iidem Hispani sibi licentiam a nobis esse concessam ut se in vassaticum Comitibus nostris more solito commendent*, Divisio regni Ludovici Pii cap. VI. Sic etiam accipienda hæc verba, *se illi committunt*, apud Frodoardum ad an. 922. 924. & 940. Illud postremo observandum, fidelitatem hodie quidem feudi causa tantum præstari; tum vero, ut ex hac formula patet, etiam citra beneficium plerique ejusmodi sacramento fidem suam obstringebant, servitiumque Principi profitebantur, non tamen fortasse sine spe aliquod beneficium postea a Principe obtinendi. Solebant enim Reges his fidelibus suis beneficia seu feuda vacantia conferre. Concessionis præceptum Ludovici Imp. pro Hispanis: *si beneficium aliquod quispiam eorum ab eo cui se commendavit fuerit consecutus, sciat &c.* Sangallensis de gestis Caroli M. lib. 1. cap. 22. de quodam Episcopo: *Hic habuit unum vasallum non ignobilem civium suorum valde strenuum & industrium, cui tamen ille, ne dicam aliquod beneficium, sed ne unum quidem aliquando blandum sermonem impendit.* Ubi vasallum sine feudo & beneficio nominat. Vid. Capitul. lib. 3. cap. 73. Possent & alia non pauca ejusdem rei exempla proferri.

(4) *Trustem.*) Id est, fidem. Leg. Sal. tit. 43. Decretio Chlotarii R. cap. 3. Unde *antrustio*, de quo antea.

(5) *Vvirgildo suo.*) Vvirgildus tum vocabatur pecunia quæ pro homicidio aut alio delicto defuncti heredibus & propinquis solvebatur; fredum vero quicquid ex eadem causa fiscus capiebat. Nam apud Germanos veteres certa pecuniæ summa delicta æstimabantur, neque homicidium morte lui lex erat. Leg. Bajuvar. cap. 1. tit. 7. 3. *Nulla sit culpa tam gravis ut vita non concedatur.* Cap. 11. tit. 1. 4. *Ut nullus Bajuvarius alodem aut vitam sine capitali crimine perdat, id est, si in necem Ducis consiliatus fuerit, aut inimicos in provinciam invitaverit &c. Cetera vero quæcunque commiserit peccata, quousque habet substantiam, componat secundum legem.* Vides facinorosos nec vita nec bonis privari, nisi in majestatis crimine, in ceteris pecuniariam fuisse pœnam, quæ *compositio* dicebatur. Idem in reliquis ejusdem ævi legibus obtinet. Morem hunc antiquissimum observaverat Tacitus: *Suscipere tam ini-*

ſolidis ſexcentis (1) eſſe culpabilem judicetur.

*Præceptum de clericatu.* (2).

XIX. Si eis qui ſe ad onus clericati transferre deliberant licentiam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus, quia ſcriptum eſt: α *Noli prohibere benefacere ei qui poteſt. Si vales, & ipſe benefac.* Igitur veniens ille ad noſtram præſentiam petiit ſerenitati noſtræ ut ei licentiam tribuere deberemus qualiter comam capitis ſui ad onus clericati deponere deberet, & ad baſilica illa aut monaſterio deſervire deberet. quod nos propter nomen Domini hoc eidem gratante animo præſtitiſſe cognoſcite. Præcipientes ergo jubemus ut ſi memoratus ille de caput ſuum bene ingenuus (3) eſſe videtur, & in poleptico publico (4) cenſitus non eſt, licentiam habeat comam capitis (5) ſui tonſorare & ad ſupraſcripta baſilica vel monaſterio deſervire vel pro

α Prov. 3.

---

*inimicitias ſeu patris ſeu propinqui quam amicitias neceſſe eſt. Nec implacabiles durant. Luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus.* Ideoque frequenter in vet. legib. & capitulis hæc verba reperias *de vita componat*, & Capitul. lib. 3. c. 10. *ſi quis convictus fuerit perjurii, perdat manum aut redimat.* Vveregildus igitur *compoſitio* dicitur quæ propinquis præſtatur luendi homicidii aut alterius criminis cauſa. Præter vett. leg. in quibus ſæpius id occurrit, Capitul. lib. 4. c. 13. 15. 18. *Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat, & Vvirgildus ejus proximis perſolvatur.* Burchardus in lege familiæ: *Jus erit familiæ ut de Vveregeldo fiſcalini hominis quinque libræ ad cameram reddantur, & duæ libræ & dimidia amicis ejus contingant.* Item *Vveregeldum reddat, & cum proximis pacem faciat.* In Vvillelmi Normanni Angliæ R. legibus apud Rogerium Hovedenum annalium parte poſt. in Henrico II. *Vvere ſuum id eſt pretium redemptionis ſuæ ſolvat.* Inde *triniumgeltum & niungeldum* pro triplici & nona compoſitione in legib. Bajuvar. tit. 2. c. 13. & tit. 8. c. 1. & 2. leg. Alaman. tit. 7.

(1) *Solid.* DC. *eſſe culp.*) Quæ Salica & magna eſt compoſitio, Leg. Sal. tit. 43. & paſſim, Pragmaticum Regum Lotharii & Ludovici pro Eccleſia Pariſienſi: *Si forte calliditate judicis aut alicujus perſonæ ipſæ immunitates alicubi inruptæ fuerunt, priſcorum lege id eſt ſolidis* DC. *multetur.*

(2) *Præceptum de clericatu.*) Jam monuimus præceptum apud Gregorium Turonenſem, Marculfum, & alios, pro diplomate Principis accipi. Præceptum igitur de clericatu hic dicitur Regis epiſtola, qua licentiam alicui concedit ut Clericus fieri poſſit. Nam abſque Principis conſenſu Clericos ordinari mos non erat, quod aperte hæc formula teſtatur. Adalberonis Remenſis Archiepiſcopi epiſtola, quæ 57. eſt inter Gerberti epiſtolas: *Perfidiæ ac infidelitatis crimine in regiam majeſtatem arguor detineri, eo quod nepotem meum, Clericum videlicet meæ Eccleſiæ, licentia donaverim, quia & palatium adierit, & dono alterius Regis epiſcopatum acceperit ejus regni quod ſenior Lotharius in proprium jus revocaverat, quodque gradus eccleſiaſticos ei poſtmodum contulerim abſque licentia & auctoritate ſenioris mei.* Synodi Aurelianenſis I. cap. VI. *De ordinationibus Clericorum id obſervandum eſſe decrevimus, ut nullus ſecularium ad clericatus officium præſumat accedere niſi aut cum Regis juſſione, aut cum judicis voluntate.* Ejus rei ratio redditur a Carolo M. apud Anſegiſum lib. 1. cap. 114. ubi id quoque renovata conſtitutione ſancitur. *De liberis hominibus qui ad ſervitium Dei ſe tradere volunt, ut prius hoc non faciant quam a nobis licentiam poſtulent. Hoc ideo quia audivimus aliquos ex illis non tam cauſa devotionis hoc feciſſe quam pro exercitu ſeu alia functione regali fugienda, quoſdam vero cupiditatis cauſa ab his qui res illorum concupiſcunt circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus.*

(3) *De cap. bene ingenuus.*) Adnuntiatio apud Piſtas an. DCCCLXIV. cap. 28. Ms. *Ut illi Franci qui cenſum de ſuo capite vel de ſuis rebus ad partem regiam debent, ſine noſtra licentia ad caſam Dei aut ad alterius cujuſcunque ſervitium ſine licentia noſtra tradere voluerint, Comites vel Vicarii hoc eis non conſentiant, ſed ex banno noſtro prohibeant.*

(4) *In puletico publico.*) Pithœus ad tit. 26. leg. Sal. hanc particulam exſcribens *polyptico* legit, rectius ſane & concinnius. Manuſcripti tamen libri lectio retinenda videtur, quamquam barbara, ſed quæ linguæ corruptionem prodat. Nam polyptichum ſignificat, & ab eo deductum eſſe apparet. Hodie quidem eccleſiaſticorum beneficiorum & redituum notitias & catalogos *Poulier* dicimus. Itaque nil immutandum. Senſus autem hujus loci hic eſt, Regem licentiam alicui dare Clericum fieri, ſi quidem ingenuus ſit, non ſervus publicus, aut colonus, ſive adſcriptitius, qui in publicis rationibus ſeu polyptichis cenſitus & inſcriptus non ſit. Quo pertinet ſynodi Rhemenſis ſub Sonnatio Epiſcopo decretum apud Flodoard hiſt. Rhem lib. 2. cap. 5. *Hi vero quos [illegible] cenſus ſpectat, ſine permiſſu Principis vel judicis ſe ad religionem ſociare non audeant.* Rationes autem publicæ polypticha dicuntur. In leg. 11. de diſcuſſorib. Cod. Th. quæ initio Impp. *polypticha* dixerant, in fine eadem *ratiocinia publica* vocant; quod ibidem etiam recte Anianus interpretatur. Vegetius de re militari lib. 2. c. 19. Caſſiodor. Variar. lib. 5. cap. 14. Plene autem de polyptichis agit Magnus Cujacius Obſervat. lib. 4. cap. 27.

(5) *Comam capitis.*) Comam namque Clerici ordinandi deponebant. Gregor. Turon. lib. 3. cap. 18. de Chlodovaldo Chlodomeris R. F. *Sibi propria manu capillos incidens Clericus factus eſt.* Lib. 4. cap. 4. de Macliavo Britanno: *Veneticam urbem expetiit, ibique tonſuratus & Epiſcopus ordinatus eſt. Mortuo autem Chanaone hic apoſtatavit, & demiſſis capillis uxorem quam poſt clericatum reliquerat, cum regno fratris ſimul accepit.* Hic enim Macliavus cum clericatui renuntiare vellet, demiſit capillos, id eſt comam nutrire cœpit. Inde pleriſque ſynodis cavetur ne Clerici comam nutriant. Lubet hic obiter adnotare, cum Childebertus & Chlotarius Reges de fratris filiis interficiendis conſilium caperent, Chrotildaque matri utrum illos tonderi an interfici mallet nuntiarent, tonderi non accipi ut Clerici aut monachi fierent, ut plerique intelligunt, ſed an vellet eos a regni ſucceſſione removeri, inciſa cæſarie, quam prolixam & venuſte comptam Reges regiique tum Principes alebant. Id apparet ex his apud Gregor. Turon. verbis lib. 3. c. 18. *utrum inciſa cæſarie, ut reliqua plebs habeantur.*

pro nobis Domini misericordiam adtentius exorare.

*De divisione, ubi Regis* (1) *accesserit Missus.*

XX. Dum & divisio vel exæquatio inter illum & illum seu consortes eorum de alode illo aut de agro illo celebrari debetur, & quatenus petitio illorum adfuit ut Missus de palatio nostro ad hoc inter eos dividendum vel exæquandum accedere deberet, ideo cognoscite quod nos Misso nostro inlustre viro illo ad hoc inter eos exæquando visi fuimus direxisse. Propterea per præsentem decernimus præceptum ac jubemus ut ipsum in hoc vos recipere faciatis, & unicuique ex ipsis juste debita portionem terminetur, & decima illius sumptus litis (2) quod exinde in fisci ditionibus, tam de terra, vineis, mancipiis, vel undecunque redebetur, ipse vir ille habeat ex nostra indulgentia concessum, vel quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem.

*De causas alterius receptas* (3).

XXI. Fidelis Deo propitio noster ille ad nostram veniens præsentiam suggessit nobis eo quod propter simplicitatem suam causas suas minime possit prosequere vel admallare, clementiæ regni nostri petiit (4) ut inluster vir

---

(1) *De divisione ubi Reg.*) Familiæ erciscundæ judicii formula est, qua Rex dividendæ hereditatis causa ad petitionem partium Missum suum delegat, Leges Longob. lib. 2, tit. 29. Flodoardus lib. 3. c. 27. Huc plane facit Greg. Turon. locus lib. 9. c. 33. *In qua causa Theutarius Presbyter, qui nuper ex referendario Sygiberti Regis conversus presbyterii honorem accepit, accessit, ut hanc divisionem juxta Regis imperium celebraret.* Illud constat, jure Romano Prætores coheredibus aut aliis volentibus a communione discedere arbitrum dedisse.

(2) *Et decima illius sumptus litis.*) In Ms. vitiose scriptum erat *suntellitis*; cujus loco *sumptus litis* reposui, quod & scripturæ vestigium & sensus ipse suadebat. Constitutio Caroli M. Ms. cap. VII. *De hereditate inter heredes si contentione egerunt, & Rex Missum suum ad illam divisionem transmiserit, decimum mancipium & decima virga hereditatis fisco Regis detur.* Qui locus ad hujus loci interpretationem omnino facit. Sententia igitur est, Regem decimam illius litis, sumptuum seu expensarum nomine fisco suo quacunque de causa debitam, alicui donare & concedere. Olim namque apud Romanos necessaria erat ex parte actoris cautio decimæ partis litis, calumniæ nomine; quia initio litis cavebat actor, ni vicisset, reo decimam præstitum iri. Extat in consultatione veteris Jurisconsulti constitutio Diocletiani ex Codice Hermogeniano (quam inde etiam exscribit Cujacius Observat. 7. c. 6.) quæ ejus repromissionis decimæ partis meminit: *Quippe si per calumniam hoc eum facere confidis, remedio repromissionis initio postulatæ calumniæ decimæ partis ejus quod competit, tibi condemnari eum desiderare potes.* Cujus cautionis specimen præbet cap. 29. formular. Legis Romanæ. Hanc obsoletam sustulit Justinianus leg. ult. §. *Antiqua*. Cod. De jurejurand. propt. calum. dan. §. *Hæc autem*. Instit. De pœna temere litigant. eandemque postea reduxit non abolito calumniæ jurejurando Nov. CXII. Decimam igitur litis apud Francos receptam fuisse probat hæc formula; quæ a Romanis accepta in tantum invaluit ut non aliæ litium expensæ multis seculis in usu fuerint præter decimam rei in judicium deductæ, & pecuniariam mulctam quam emendam dicebant; ut auctor est Petrus Fontanus (*editus a v. c. Carolo du Fresne in appendice Joinvillæi pag. 77.*), qui B. Ludovico Rege claruit; cujus ea de re vetus quoque constitutio extat. Tandemque decrevit Carolus IV. Rex ubique illud observandum, ut victus victori in expensas teneretur, non in provinciis tantum ubi jus scriptum pro legibus erat; quod optimus doctissimusque senex Ant. Oisellus observavit Manual. lib. sexto. Id porro hic singulare est, decimam litis fisco præstari solitam. Verum sic accipio, ut sportularum & judicii nomine pars illius decimæ fisco competeret. Sane vetustissimo Romano jure quippiam non dissimile observatum ex Varrone & Festo elici potest. Sic enim ille de lingua Latina lib. 4. *Ea pecunia quæ in judicium venit in litibus, sacramentum a sacro. Qui petebat, & qui inficiabatur, de aliis rebus uterque quingentos æris ad pontem deponebant; de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad ærarium redibat.* Valerius Max. lib. 7. cap. 7. *Sacramento cum adolescentulo contendere ausi non sunt.* Παρακαταβολὴ apud Pollucem lib. 8. ἐπὶ μὲν τῶν πρὸς τὸ δημόσιον ἀμφισβητημάτων τὸ πέμπτον· ἐπὶ δὲ τῶν ἰδιωτικῶν τὸ δέκατον. Idem Valer. Max. lib. 7. c. 8.

(3) *De causis alter. recip*) Vetustissimo Romano jure non licebat per procuratorem agere. Instit. De his per quos agere possumus. Sed postea receptum est in plerisque causis per procuratores etiam experiri. Apud Francos vero illud non licuisse citra Principis rescriptum docet hæc formula, qua conceditur ut quidam, qui propter simplicitatem rebus suis superesse non potest, per alterum possit agere, quod & veteribus Romanis non ignotum. Auctor ad Herennium lib. 2. *Ex æquo & bono jus constat, quod ad veritatem & utilitatem communem videtur pertinere; quod genus, ut major annis sexaginta, & cui morbus causa est, cognitorem det.* Illud longo post tempore apud nos obtinuisse ut præter Regem nulli procuratoris habendi absque Principis consensu facultas suppeteret, testantur Jo. Faber ad §. *Universitatis*, Instit. De rer. divis. & Brolius in stylo Parlamenti. Innocentii quoque III. Papæ rescriptum ad scholares Parisienses, qui procuratoris constituendi licentiam ab eo petierant, hanc habet ex more Francico dubitandi causam Cap. *Quia in causis*. De procurator.

(4) *Clementiæ regni nostri petiit.*) Eadem ratione & Ecclesiarum advocati seu defensores a Principe petebantur. Benedictus Levita Capitul. lib. 5. c. 33. & lib. 7. c. 392. Chlotarius Rex in Chronico Besuensi: *Waldalenus Abbas petiit a nobis ut inlustris vir Gengolfus omnes causas ipsius monasterii ad prosequendum & redintegrandum deberet recipere. Cui nos hoc beneficium præstitisse cognoscite. Quapropter per præsens hoc præceptum jubemus ut memoratas omnes causas ipsius monasterii illustris vir ille ex nostro permissu licentiam habeat prosequi, & unumquodque ut justum est restituat, sic tamen quandiu eorum pariter fuerit voluntas. Data XV. KL. Sept. anno octavo regni Domni Chlotarii Regis.*

vir ille omnes causas suas in vice ipsius (1) tam in pago quam in palatio nostro admallandum prosequendumque (2) recipere deberet, quod in præsenti per fistucam eas eidem visus est commendasse. Propterea jubemus ut dum taliter utrisque decrevit voluntas, memoratus ille vir omnes causas lui (3) ubicunque prosequere vel admallare deberet, ut unicuique pro ipso vel hominibus suis, reputatis conditionibus, & directum faciat (4), & ab aliis simili modo veritatem recipiat. sic tamen quandiu amborum decrevit voluntas.

*Præceptum denariale* (5).

XXII. Et quia apostolicus aut inluster vir ille servo suo nomine illo per manum illius in nostra præsentia jactante denario (6) secundum legem Salicam (7) dimisit ingenuum, ejus quoque absolutionem per præsentem auctoritatem nostram firmamus; præcipientes enim ut sicut & reliqui mansoarii (8), qui

(1) *In vice ipsius.*) Qui propter simplicitatem, ut dictum est, rebus suis superesse non poterat. Sic accipienda in Legib. Andegavensibus c. 40. *procuration par non puissance.*

(2) *Admallandum prosequendumque.*) Admallare, id est, ante judicem vocare litigandi causa. Leg. Salicæ tit. 52. 2. *Si adhuc supradictum debitum solvere noluerit, debet eum sic admallare: Rogo te judex ut hominem illum, denominatum, gasachionem meum* (id est, adversarium) *qui mihi fidem fecit, de debito tali, denominato, secundum legem Salicam mihi eum adstringas. Tunc judex dicere debet: Ego gasachium tuum illum in hoc mallo quod lex Salica habet.* Et tit. 53. *Secundum legem habeat admallatum.* Inde *hamallus* leg. Sal. tit. 49. *ista omnia ubi suus hamallus est.* Quæ omnia a mallo seu placito, in quo judicia fiebant, nomen habent; qua de re postea ad incerti auctoris formulas.

(3) *Omnes causas lui.*) *Lui* corrupta pro *illius* infinitis locis occurrit; indeque dictio nostra *lui*, eodem omnino sensu, quod semel adnotasse sufficiat.

(4) *Directum faciat.*) Nostris *droict*. Gregor. Turon. lib. 4. c. 14. *Desistite ab hac intentione; verbum enim directum non habemus.* Formula sacramenti fidelitatis apud Attiniacum facti, *sicut Francus homo per rectum esse debet suo Regi.* Id a *recti* vocabulo mutuatum, ut *Curvo dignoscere rectum* apud Horatium; unde apud nos eodem sensu, *tort & droict*.

(5) *Præceptum denariale.*) Manumissio hæc est per denarium præsente Rege facta. Multis quippe modis apud veteres Francos manumissio procedebat, aut ante Regem per denarium, cujus hic editur formula, aut in Ecclesia per chartam seu tabulam, aut etiam per epistolam privatam, quarum formulas libro secundo & inter veteres alias videre est. Inde libertorum alii denariales, alii chartularii seu tabularii dicti. Benedictus Levita Capitul. lib. 6. cap. 213. ex Pipini Italiæ R. legibus tit. 10. *Homo denarialis non antea hereditare in sua agnatione poterit quam usque ad tertiam generationem perveniat. Homo chartularius similiter faciat.* Et manumissio quidem per denarium ex lege Salica, Ribuaria, aut alterius adventitiæ gentis descendebat; per tabulam vero, seu chartam, in Ecclesia secundum legem Romanam fiebat; & eadem ratione manumissi per chartam, lege Romana utebantur; illa vero libertatis datio per epistolam privatam, ex domini manumittentis gente legem sumebat. Leg. Ribuar. tit. 59. & 60. qui *de tabulariis* id est per chartam manumissis inscribitur, & tit. 63. ubi plura de manumissionibus & earum forma. Apud Longobardos quatuor manumissionum species erant, Leg. Longobard. tit. 91. Luitprandi Regis tit. 34. & Astolfi Regis tit. 8. De manumissione in Ecclesia aut per epistolam postea agetur. Hæc vero, de qua nunc Marculfus, solenniter auctoritate Regis, eoque præsente, jactato denario per manum seu domini seu alterius celebrabatur, ut hæc formula ostendit. Ejus etiam in veteribus instrumentis aliquot extant exempla. In veteri charta Ecclesiæ Lugdunensis apud Fr. Pithœum ad Leg. Sal. tit. 28. *Servum juris vestri manu propria & manu illius excutientes denarium secundum Legem Salicam, liberum cum omnibus quæ habet vel adquisierit fecimus.* Quibus addere placuit & aliud exemplum nondum editum ex tabulario S. Martini Turonensis: *Carolus Imperator Augustus &c. Adalgarius Levita petiit ut imperiali more præceptum fieri juberemus. Decernimus ut more prædecessorum nostrorum Imperatorum & Regum a manu ipsius Leuthardi denarius excutiatur, ut a præsenti die idem Leuthardus semper & ubique omnibus locis liberatus valeat uti propria potestate absque alicujus resultatione aut contradictione, & quoque ei libuerit omnibus modis liber & velut nobili prosapia genitus esset, liberaliter per nostram auctoritatem pergat. Hanc præceptionem manu nostra firmavimus, & annulo nostri imperii sigillavimus. Amalbertus notarius ad vicem Autberti Archicancellarii. Data XV. KL. Julii anno incarnationis Dominicæ* DCCCLXXXVI. *Indictione* V, *imperii Caroli* VII.

(6) *Jactante denario.*) Pro *jactato denario*, ut sæpe *nuncupante* pro *nuncupato*. Igitur excutiebatur nummus de manu ipsius servi qui manumittebatur, ut ex locis supra exscriptis apparet; qui nummus vel argenteus vel aureus erat, nullo prorsus discrimine. Id enim pro forma & dicis tantum causa, ut apud Romanos in mancipatione. Vetus formula apud Fr. Pithœum: *Nos vero manu propria excutientes de manu supradicti N. denarium vel nummum vel argenteum vel aureum, vel dragmam, vel sestertium, vel minam &c.*

(7) *Secundum legem Salicam.*) Caput hoc legis Salicæ non extat. Ejus tamen mentio fit tit. 28. *Si quis servum alienum ante Regem per denarium ingenuum dimiserit.* Ex quo & aliis plerisque argumentis conjicere licet multo plura fuisse legis Salicæ capita quam quæ ad nostram memoriam pervenerint. Eodem modo in formulis incerti auctoris cap. 47. *Postea ante Dominum illum Regem jactato denario secundum legem Salicam te ingenuam dimisi.* In charta Ecclesiæ Lugdunensis apud Pithœum: *excutientes denarium secundum legem Salicam.* Ibidem vetus formula: *secundum legem Salicam eum liberum dimisimus, & ab omni jugo libertatis absolvimus.* De ejusmodi manumissione per denarium ante Regem est etiam titulus specialis in lege Ribuaria tit. 59. Unde apparet non legis Salicæ propriam fuisse, sed & aliarum legum. *Si quis*, inquit, *libertum suum per manum propriam seu per alienam in præsentia Regis secundum legem Ribuariam ingenuum dimiserit per denarium &c.*

(8) *Sicut & reliqui mansoarii.*) Mansoarii hic dicuntur qui aliis manentes, sive comma-

qui per talem titulum a jugo servitutis in præsentia Principum noscuntur esse relaxati ingenui, ita & amodo memoratus ille per nostro præcepto plenius in Dei nomine confirmatus nullum inquietantem Deo auxiliante perennisque temporibus cum Dei & nostra gratia valeat permanere bene ingenuus atque securus,

*Charta de causa suspensa* (1).

XXIII. Cognoscat magnitudo seu utilitas vestra, dum & nos ad præsens apostolico viro illo aut inlustri viro pro nostris utilitatibus ibi ambulare præcepimus, ideo jubemus ut dum illis partibus fuerit demoratus, omnes causas suas suisque amicis aut gasindis (2), seu undecunque ipsi legitimo redebit mittio, in suspenso debeant residere. Propterea per præsentem decernimus ac jubemus præceptum ut interim quod de illis partibus revertitur, omnes causas ejus aut amicorum suorum, tam illorum qui cum ipso pergunt, quam qui ad propria eorum resident, vel undecunque ipse legitimo redebit mittio (3), in suspenso resideant, & postea unicuique pro ipsis de reputatis conditionibus & justitiam reddat & ab aliis simili modo veritatem percipiat.

*Charta de mundeburde Regis* (4) *& Principis*.

XXIV. Rectum est ut regalis potestas illis



manentes, & villici, περιμονέριοι mansi, seu mansarii, coloni denique. Totidem namque vocabulis appellantur. Mansuarii in continuationem Aimoini lib. 5. c. 30. ubi de Normannici tributi exactione a Carolo Calvo Rege: *Ut de mansis indominicatis solidus unus, de unoquoque manso ingenuo quatuor denarii de censu dominico, & quatuor de facultate mansuarii, de manso vero servili duo denarii de censu dominico, & duo de facultate mansuarii*. Quo tamen loco Falcetus non recte mansum pro homine accipit. Diserte enim ibidem cavetur de censu fundi seu mansi nomine exigendo, & de facultatibus & bonis hominum aliud tantum, hoc est tributum & rei & personæ. Mansus enim villula est coloni unius habitationi propria; de quo ad varias formulas plenior erit dicendi locus. Illud quoque ex hoc continuationis Aimoini loco advertendum, mansos & eorum mansuarios seu colonos, alios liberos, alios serviles esse, ut & in Flodoardi appendice *mansi ingenuiles & vestiti* memorantur; cujusmodi fuisse illos, de quibus nunc sermo est, probat manumissio per denarium, colonariæ tamen conditionis. Coloni namque jure Romano liberi sunt & res proprias habent. Leg. 1. De præd. tami. Leg. 18. De agricolis & cens. lib. XI. Codicis. Terram tamen dimittere non possunt, nec etiam potest prædium vendi receptis colonis, leg. 11. eod. tit. De agricolis. Itaque concessa non fuit plena libertas, per quam a loco recedendi & quamlibet partem petendi facultas dabatur. *Massarios* dixit Rotharis Longobardorum R. tit. 49. & 106.

(1) *Charta de causa suspensa*.) Ut dum reipublicæ causa quis abest, lites & negotia adversus eum conquiescant. Leg. Salicæ tit. 1. 4. *Si in jussione Regis fuerit occupatus, manniri non potest*. Quæ tamen absunt a regio manuscripto. In editione Germanica: *Si in dominica ambascia fuerit occupatus, manniri non potest*. Et in Consuet. Hannonensi: *Si eum aut infirmitas aut ambascia dominica detinuerit*. Hæ litteræ hodie quoque ex causa conceduntur, easque litteras status vulgo nuncupamus. In constitutione Philippi Augusti R. de decimis & crucis expeditione apud Rigordum: *Nullus crucem habentium, sive Clericus, sive Miles, sive alius quilibet alicui respondebit super hoc unde tenens erat ea die qua crucem assumpsit, donec ab itinere suscepto redierit*.

(2) *Gasindis*.) Gasindos pro servis aut fidelibus accipio, qui dominis suis perpetuo adhærent, eisque jugiter ministrant, quod ex Marculfo ipso colligi potest. Lib. 2. cap. 26. in lemmate: *Si aliquis servo suo gasindo suo aliquid concedere voluerit*. Initioque capitis ita scriptum est: *Justissime nostris sublevantur muneribus qui nobis fideliter & instanti famulantur officio*. Mox: *Fideli nostro illi. Pro respectu fidei & servitutis quam circa nos impendere non desistis*. Gasindorum porro vocabulo utitur Rachis Rex in legibus Longobardicis, tit. 6. 4. *Si enim quicumque liber homo in servitio de gasindio Regis aut de ejus fidelibus introierit*. In iisdem legibus Rotharis R. tit. 91. 13. *Si aliquid in gasindio Ducis conquisivit*. In legibus Pipini Italiæ Regis tit. 14. *Si forsitan attenderit ad gasindium, vel ad parentem, aut ad amicum suum*.

(3) *Legitimo redibit mittio*.) Sic scriptum non hoc tantum loco, sed & bis capite sequenti, corrupte quidem & nullo sensu. Itaque difficilis emendatio, præsertim in ejusmodi auctoribus, ubi cavendum ne menda purgando auctoris faciem immutes; quod in Marculfo agere religio fuit. Lucem vero affert formula quæ sequitur: *si aliquæ causæ adversus eum vel suo mittio surrexerint*; ubi *mittio* pro *Misso* scriptum esse clarum est. Sententia igitur loci hæc est, undecunque aut ipse ut alterius procurator tenetur, aut ipsius etiam procurator, horum omnium causas, donec revertatur, suspensas esse.

(4) *Charta de mundeburde Regis*.) Mundeburdium Germanis scriptoribus tutela est seu defensio & tuitio; unde & hæc formula, qua Princeps Episcopo aut Abbati tuitionem & defensionem suam impertit, ne a quibuslibet infestentur, atque etiam ut eorum causæ in palatio tantum decidantur concedit; quibus non admodum dissimilia sunt diplomata quæ adhuc hodie Ecclesiis dari moris est; eaque dicuntur *lettres de garde gardienne*. Nam & ex hac formula patet, Ecclesiis utplurimum ejusmodi defensionem tribui. Unde & Caroli Martelli Majoris domus mundeburdii Bonifacio Episcopo dati diploma extat in Pithœi Glossar. in ver. *Missus sancti Petri*, quod huic formulæ plane geminum iisdemque clausulis constat. Synodi Meldensis c. 41. *Providendum est regiæ majestati ut monasteria quæ ab hominibus Deum timentibus in sua proprietate constructa prædecessores illius causa defensionis & mundeburbi susceperunt, ut libera libertate, remota spe hereditaria de illorum propinquitate, ibidem religio observaretur, & nunc in allodium sunt data*. Eadem decernuntur in synodo Ticinensi sub Hlothario & Hludovico an. DCCCL. apud Canisium cap. 16. *Suggerendum est beatissimis Imperatoribus quia hi qui monasteria & sinodochia sub defensione sacri palatii posuerunt, ideo fecisse probantur quod a nullo melius quam a summis potestatibus protegenda crediderint &c.* Quæ

lis tuitionem impertiat quorum necessitas comprobatur. Igitur cognoscat magnitudo seu utilitas vestra quod nos apostolico aut venerabile viro illo de civitate aut de monasterio in honore sancti illius constructo, cum omnibus rebus vel hominibus suis aut gasindis, vel amicis, seu undecunque ipse legitimo reddebit mittio, juxta ejus petitionem, propter malorum hominum inlicitas infestationes, sub sermone tuitionis nostræ (1) visi fuimus recepisse, ut sub mundeburde (2) vel defensione inlustris viri illius Majoris domus nostri cum omnibus rebus præfatæ Ecclesiæ aut monasterii quietus debeat residere, & sub ipso viro illo inlustris vir ille causas ipsius Pontificis aut Abbatis vel Ecclesiæ aut monasterii, vel qui per eum sperare videntur, vel undecunque legitimo reddebit mittio, tam in pago quam in palatio (3) nostro persequi deberet. Propterea per præsentem decernimus ac jubemus præceptum ut memoratus Pontifex aut Abba sub nostro sermone & mundeburde antedicti viri quietus resideat, & nec vos nec juniores aut successores vestri vel quislibet eum de inquisitis occasionibus injuriare nec inquietare non præsumatis. Et si aliquas causas adversus eum vel suo mittio surrexerint, quæ in pago absque ejus gravi dispendio definitæ non fuerint, in nostri præsentia reserventur. Quam præceptionem, ut firmior habeatur, propria manu subscripsimus.

*Prologus de Regis judicio* (4), *cum de magna re duo causantur simul.*

XXV. Cui Dominus regendi curam com-

---

Quæ synodus Regiaticina a Canisio inscribitur, & de loco inquirendum censet. Ego Ticinensem dixi, quæ regni Longobardici seu Italici regia erat; quod & initium synodi indicat *in urbe regia Ticino*, quæ verba distincta nullam dubitationem relinquunt. Hæc obiter. Synodus Confluentina an. DCCCLX. quæ Caroli & Ludovici Regum fœdera continet: *Volumus ut Ecclesiæ & casæ Dei, & Episcopi, & Dei homines, Clerici & monachi & nonnæ, talem mundeburdem & honorem habeant sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt*. Sane Gallici episcopatus in regia tutela, & defensione perpetuo fuerunt, adeo ut extremis Carolinæ stirpis temporibus, & initio tertiæ regum familiæ, jure regio civilibus bellis imminuto, omnibus occupatis, episcopatus tamen in tutela & protectione Regum manserint. Chronicon Andegavense de Neustria Hugoni Abbati concessa sub Carolo Simplice Rege: *Iste itaque tractus cum ei datus esset ad integrum cum civitatibus & comitatibus & abbatiis castellisque, præter episcopatus solos, qui in regia dominicata retenti sunt*. Rigordus in Philippi Augusti vita: *Igitur Reges Francorum prædictas Ecclesias in sua libertate semper custodire cupientes, quibuscunque Principibus terras custodiendas tradidissent, tamen Ecclesias sub potestate sua & protectione retinere decreverunt, ne Principes quibus terra custodienda delegabatur, Ecclesias vel Clericos ibidem Domino servientes aliquibus angariis, talliis, vel aliis exactionibus gravare præsumerent*. Nec vero Ecclesiis tantum mundiburdium dabatur, sed & aliis personis, ut viduis, & orphanis, Capitul. lib. 6. cap. 247. *Ut viduæ, orphani, & minus potentes sub Dei defensione & nostro mundeburde pacem habeant, & eorum justitias acquirant*.

(1) *Sub sermone tuitionis nostræ.*) Tuitio Eustorgio Mediolanensi Episcopo a Theoderico Rege data extat apud Senatorem lib. 2. c. 29. quam vide. Sic *in verbo Regis* esse leg. Sal. tit. 14. & tit. 59. *Rex ad quem mannitus est extra sermonem suum ponet*. Nam in verbo Regis quis recipiebatur, ne ab inimicis lædi aut interfici posset. Gregor. Turon. lib. 9. c. 19. *Regina Brunichildis in verbo suo posuerat Sicharium &c. Aginnum properans epistolam ejus elicuit ut a nullo contingeretur*. Eodem lib. c. 27. de Guntchramno Rege, qui puellæ, quæ Amalonem Ducem vim sibi facientem occiderat, *præceptionem tribui jussit, ut in verbo suo posita a nullo unquam parentum defuncti illius molestiam pateretur*. His respondet tuitionis formula apud Cassiodor. lib. 7. cap. 34. *Diversorum te, quemadmodum quereris, dispendiis sauciatum in castra defensionis nostræ clementer excipimus &c.*

(2) *Sub mundeburde.*) Mundeburdium, ut diximus, tutela est, & Longobardicis legibus feminarum tutor *mundoaldus* & *mundius* dicitur. Veteribus Francis *mainbour* & *mainbournie* pro tutela vel cura. Apud Frossartem vol. 1. cap. 155. *fussent en garde, baille, tutelle, cure, manburnie*. Burchardus Decretorum lib. XIX. ex Pœnitentiali Romano: *Rapuisti uxorem tuam, & vi sine voluntate mulieris vel parentum, in quorum mundiburdio tenebatur, illam adduxisti?* Sæpe etiam in ejusmodi litteris pro mundiburdio tuitio & defensio dicitur. Gregorius Turon. lib. 9. c. 20. in pactione Regum apud Andelaum: *Ne a quocunque ullo unquam tempore convellatur, & sub tuitione ac defensione domni Childeberti &c. debeat possidere*. Sic & in privilegio Ludovici & Lotharii pro Corbejensi cœnobio: *Ut ipsum monasterium sub nostro munimine & defensione cum cellulis sibi subjectis & rebus vel hominibus ad se pertinentibus confirmare fecissemus*. Mox: *sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione*. Ex quibus etiam liquet tuitionis clausulam frequentissime immunitatis privilegio insertam fuisse, ut & supra cap. 3. Othonis Magni diploma pro Ecclesia Mindensi: *Anteriorum Regum conscripta, qualiter ipsi præfatæ Ecclesiæ res cum omnibus in ipsis rebus consistentibus sub illorum reciperent mundeburdo*. Postea: *mundeburdum & tuitionem nostram*.

(3) *Tantum in palatio.*) Sic postulabat sensus. Nam in Ms. vitiose *tam in palatio* legitur. Huc facit locus synodi Ticinensis supra exscriptus, *sub defensione sacri palatii*.

(4) *Prologus de Regis judicio.*) Reges nostros olim proprio ore jus dixisse notum est, Episcopis & proceribus adsidentibus, præsertim de majoribus causis, & inter Episcopos, Abbates, Comites, & potentiores personas. Capitul. lib. 3. c. 77. lib. 5. c. 308. & de vassis & fidelibus suis lib. 3. c. 64. lib. 5. c. 101. item ex causa provocationis aut negati vel diu dilati judicii a Comitibus, lib. 5. c. 243. lib. 3. cap. 7. & cum quis judicatum facere negligit, aut se judicio sistere recusat, lib. 2. c. 19. Marculfus lib. 1. c. 26. 27. & 28. tum demum de neglectu regalium constitutionum & de-

mittit, cunctorum jurgia diligenti examinatione rimari oportet, ut juxta propositiones vel responsiones alloquia inter alterutrum salubris donetur sententia; quo fiat ut & nodos causarum vivacis mentis acumen coerceat, & ubi prælucet justitia, illuc gressum deliberationis imponat. Ergo cum nos in Dei nomine ibi in palatio nostro ad universorum causas recto judicio terminandas una cum Domnis & patribus nostris Episcopis (1), vel cum pluribus optimatibus nostris (2) illis, patribus il-



& decretorum, & ex variis causis, de quibus alias singillatim. Illud est quod sæpissime hic auctor *in palatio causam prosequi*. Verum ex his quædam a Rege ipso judicabantur, dum jus dicebat, quasdam vero Comes palatii vice Regis Episcopis etiam & proceribus adsidentibus finiebat; & nihilominus Regis nomine judicata inscripta erant, atque si ipse judicasset. Hujus itaque judicii formula nunc exhibetur, præfationis videlicet. Nam rei judicatæ tot formulæ quot negotia. Nos antiquitatis causa integrum Regis judicium in causa Abbatis S. Benigni Divionensis exscribemus. Veritatem enim & rem gestam repræsentat, quam adumbratam formula tradit; præsertim cum illud ipsum instrumentum visum & laudatum animadverterim a Jo. Tillio rerum nostratum peritissimo. Est igitur ejusmodi in Chronico Divionensi, quod litteratissimi viri Caroli Labbæi beneficio videre contigit.

*Chlotarius Rex Francorum vir inluster. Quotiescunque altercantum jurgia palatii nostri judicia nostrorumque fidelium ac Ecclesiarum seu sacerdotum pro quarumcunque rerum negotiis noscuntur advenire, oportet nobis in D.i nomine juxta legum severitatem inquirere, ut deinceps nulla videatur quæstio renovari. Ideoque cum nos in Dei nomine Masolaco in palatio nostro una cum apostolicis viris patribus nostris Episcopis, optimatibus, ceterisque palatii nostri ministris, necnon & Andobello palatii nostri Comite, qui de ipso ministerio ad præsens nobis deservire videbatur, ad universorum causas audiendas justoque judicio terminandas resideremus, advenientes ibi actores basilicæ Domni Benigni, quæ est sub oppidum Divione constructa, ubi ipse pretiosus martyr in corpore requiescit, & vir venerabilis Vulfechramnus Abba præesse videtur, videbantur repetere a quibusdam hominibus, dicentes quia anteacto tempore bonæ recordationis parens noster Domnus Guntchramnus quondam Rex per testamenti sui paginam ad ipsam basilicam sancti Benigni villam nuncupatam Elariacum cum adjacentiis vel omni re ad se pertinente concessisset, & ipsi homines infra ipsum terminum commanentes ex parte maxima plurima pervasissent, vel ad suam partem contradicerent, & reditus terræ partibus ipsius basilicæ reddere contemnerent, & silvas de ipso agro devastassent, & terram exinde aut prata per loca plurima invasissent, vel vineas plantassent, aut calmas rupissent. E contra illi dicebant quod ipse Princeps Domnus Guntchramnus per præceptionem, quam in præsenti protulerunt relegendam, in antecessores parentes eorum firmasset; ubi continebatur quod ab eo tempore quo ipsum agrum Elariacum jam dictus Princeps ad memoratam basilicam sancti Benigni contulerat, per munificentiam ipsius Principis promoverant (leg.* promeruerant) *ut quicquid ex successione parentum habebant, hoc nunc ipsis confirmatum esse deberet. Interrogatum est a nostris proceribus si cessionem ipsius Domni Guntchramni aut aliorum Principum seu alia instrumenta de ipso agro habebant an non, in præsenti edicere debebant. Sed ipsi professi sunt ad præsens quod aliud instrumentum nullum vel firmationem magis exinde non haberent quam quod præsentabant. Unde & ipsis confirmationibus relectis & percursis, inventum est a fidelibus nostris quod nullum detrimentum vel præjudicium ipsa basilica Domni Benigni de ipso agro Elariacensi exinde non pateretur. Etiam & pactionem præsentabant qualiter antesessor supradicti Vulfechranni Richimarus quondam Abba, seu & apostolicus vir Domnus Berthoaldus Episcopus, una cum ipsis, vel parentes eorum de parte maxima de infra termino ipso Elariacense contentionem maximam habuissent, & ipsas terminationes perambulassent, & signa posuissent. Proinde nos taliter una cum nostris proceribus, in quantum illuster vir Andobaldus Comes palatii nostri testimoniavit, constitit decrevisse, ut dum hæc causa inter ipsos sicut superius continetur taliter acta vel inquisita fuisset, per ordinem jubemus ipsum agrum Elariacense, quantumcunque Domnus Guntchramnus per testamenti sui paginam ibidem delegavit, postposita & calcata ipsa confirmatione vel reliquis (a Domno Guntchramno) & successoribus Principibus factis descriptionibus, ne deinceps per ipsos aliqua removeri videatur causatio, sed quod hactenus tenuisse videntur infra ipsum agrum Elariacense vel ubicunque, tam terris, curtiferis, casis, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis, adjacentibusque suis per alia loca, cum omni jure teneant, possideant absque sollicitudine, absque alicujus repetitione; sitque in Dei nomine ad partem sancti Benigni & provisorum subjectorumque eorum evindicatum omni tempore &c. loci ac re (leg. ejus loci ac rei) sopita causatio. Abbieinus recognovit & datavit sub die* IX. *KL. Novemb. in anno octavo regnante Domino nostro feliciter. Amen. Airardus Presbyter recognovit & subscripsit.*

Chlotarius ille filius erat Chlodovei Dagoberti F. ut idem Chronicon testatur; Guntchramnumque Regem parentem vocat, quod ex majoribus suis unus, proavique patruus & loco patris fuerit.

(1) *Una cum Domnis Episcopis.*) Hi enim in judiciis Regi adsidebant, ut etiam notavit Tillius, qui recte Curiæ seu Parlamenti originem hinc deducit, illudque ita durasse usque ad Philippi VI. Valesii tempora, qui amplissimum Parisiensem Senatum a comitatu & consistorio Principis separatum edicto constituit. Hujus quoque judicii Episcopis & proceribus adstantibus forma refertur antiquitatum Fuldensium libro primo. *Anno dominicæ incarnationis* DCCCXXXVIII. *Ind.* I. XVIII. *KL. Julii facta est contentio Gozboldi & Hrabani Abbatis coram Imperatore Ludovico & filiis ejus Ludovico & Carolo necnon & Principibus ejus in palatio apud Niomagum oppidum constituto de captura &c. præsentibus Trugone Archiepiscopo, Otgario Archiepiscopo, Radolto Episcopo &c. Adalberto Comite, Helphrico Comite, Albrico Comite, Popone Comite, Gobavuino Comite palatii, Ruadbarto similiter Comite palatii &c. innumerabilibus vasallis dominicis.*

(2) *Optimatibus nostris.*) Ita nobilissimi & regni priores in appendice Greg. designantur. Capitul. lib. 1. c. 126. *Ut omnes Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Optimates, & Comites.* Lib. 5. c. 2. *per consilium sacerdotum & optimatum meorum.* Frequentissime vero in annalibus Fuldensibus a Petro Pithœo & Marquardo Fre-

hero

lis (1), referendariis illis (2), domesticis (3) illis, vel senifcalcis (4) illis, cubiculariis (5), & illo Comite palatii (6), vel reliquis quampluribus nostris fidelibus residеremus; ibique veniens ille illum interpellavit, cum diceret, & cetera.

*In-*

---

hero editis. Caroli Calvi præceptum de fugitivis S. Dionysii: *Statuimus cum communi consensu & consilio totius regni nostri optimatum*. Iidem *priores regni* Gregorio Turonensi, *primates* appendici, *majores & seniores* Hincmaro, *proceres* infra cap. 38. *Palatini* in Roberti R. privilegio pro S. Dionysii cœnobio: *ex sententia palatinorum nostrorum adjudicavimus*.

(1) *Patribus illis.*) Repetitio, hoc est Episcopis illis, qui patres ab Ecclesia dignatione meriti & sacerdotii dicti sunt. Urbanus Papa ex Augustino apud Gratianum dist. 68. Gregor. Turonens. lib. 4. c. 26. de Presbytero Heraclio ad Charibertum Regem. *Pater*, inquit, *Presbyter tuus Leontius cum provincialibus suis salutem tibi mittit*. Senator Variar. lib. 11. ep. 3. *spiritales parentes, animæ veri parentes*.

(2) *Referendariis illis.*) Referendarios Romani habuerunt, qui supplicum desideria Principi referrent, simulque ejus jussiones & responsa exponerent, Novel. 10. & 113. Cassiodor. lib. 6. cap. 17. ubi eorum describit officium. Apud Francos vero diversum quodammodo munus erat. Anulum namque Principis Referendarium tenuisse Gregor. Turonen. ostendit lib. 5. c. 3. Et eod. lib. cap. 42. Ursicinum Ultrogotthæ Reginæ Referendarium facit. Subscriptionem etiam regiis litteris apposuisse idem testatur lib. 10. cap. 19. ut Referendarium summi Cancellarii munus sustinuisse apud Gregorium dubitari non possit. Quod & Sigebertus scribit ad annum DCXXXVII. *Referendarius*, inquit, *dicebatur ad quem publicæ conscriptiones referebantur, ut per eum anulo seu sigillo Regis confirmarentur*. Eadem fere Aimoinus lib. 4. cap. 41. At cum plurium Referendariorum hic fiat mentio, & summorum Cancellariorum primæ Regum familiæ diplomata reperiantur, suspicari licet hoc saltem tempore & postea Referendarios in aula Francica plures fuisse, qui scilicet libellos supplices & diplomata subscribenda Regibus offerrent. Quod innuere videtur præceptum Dagoberti de fugitivis S. Dionysii: *Landericus obtulit, Dagobertus Rex subscripsit*. In præcepto immunitatis ejusdem cœnobii: *Dado obtulit*; et in diplomate Chlodovei Dagoberti F. *Gerardus obtulit, Chludovius Rex subscripsit*. Nisi forte conjicias ex Referendariorum ordine unum aliquem anuli Principis custodem fuisse. Hodie quidem Magistri libellorum supplicum eodem officio funguntur.

(3) *Domesticis.*) De quibus ad lib. 2. c. ult. commodius tractabitur.

(4) *Senifcalcis.*) Annales Fuldenses sub an. DCCCXXXVI. *Carlus per Autulfum Senescalcum misso exercitu Brittones domuit*. Sic et vita Caroli M. apud Adhemarum, et Sigibertus; qui Audulfus in continuatione Aimoini lib. 4. cap. 78. *regiæ mensæ præpositus* dicitur; eundemque Regino Prumiensis *principem coquorum* vocat. Quo etiam officio functos sub tertia Regum familia ex vetustissimis vernaculis carminibus observat Falcetus origin. lib. 1. cap. 10. ut et plures extitisse, majorem vero, Dapiferum tunc dictum, etiam vexillum regium in acie detulisse. Robertus monachus S. Remigii Rhemensis histor. lib. IV. *Ipso die Podiensis Episcopus perdidit dapiferum suum, qui suæ aciei deferre solebat vexillum*. Inter primas certe regni dignitates hanc fuisse declarant Regum tertiæ familiæ diplomata, quæ quidem a dapifero cum quatuor aliis familiæ regiæ præcipuis ministris subscribi consueverant. Ludovici VI. Regis diploma donationis ad S. Dionysium: *Præsentibus ex palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt & signa. S. Ancelli tunc temporis Dapiferi nostri. S. Giliberti Buticularii. S. Hugonis Constabularii. S. Widonis Camerarii. Stephanus Cancellarius relegendo subscripsit. Anno* MCXII. Innumera ejusmodi litterarum exempla passim reperiuntur, adeo ut vacante Dapiferi seu Senescalli officio, subscriberetur in litteris, *Dapifero nullo*. Guillelmus Tyrius hist. belli sacri lib. 4. cap. 5. *Alexius megadomestici dignitate (quem nos majorem Senescallum appellare consuevimus) fungeretur officio, ab Imperatore secundus*. Itaque non male eos in Majorum domus locum successisse observatum est. Nam majoratum & senescalciam Hugo de Cleriis vocat. Quod munus præclare describit Hincmarus ex Adhalardo epist. 3. c. 23. *Quæ videlicet cura, quamquam ad Buticularium vel ad Comitem stabuli pertineret, maxima tamen cura ad Senescallum respiciebat, eo quod omnia cetera, præter potus vel victus caballorum, ad eundem Senescallum respicerent*. Ejus quoque jura ab Hugone de Cleriis traduntur, qui Ludovico VI. Rege vixit, & post Goffridum Abbatem Vindocinensem a doctissimo Jacobo Sirmondo editus est. Hunc nos hodie *Magnum Magistrum Franciæ* dicimus; de quo plura apud Tillium & Falcetum.

(5) *Cubiculariis.*) Gregor. Turon. lib. 7. cap. 21. *Eberulfum cubicularium* Chilperici Regis refert a Fredegunde accusatum, quod is Principem occidisset, thesaurosque expilasset. Unde etiam apparet thesaurorum curam ad cubicularium pertinuisse. Idem lib. 10. cap. 10. Chundonem Guntchramni Regis Cubicularium nominat. Plures fuisse ex hac formula & aliis locis manifestum est. Unus vero ceteris præpositus fuit: de quo etiam suprascripti loci Gregorii Turonensis accipiendi sunt. Quem Regi adsedisse non mirum, ob dignitatis prærogativam, cum idipsum Romano imperio solitum fuisse doceat Zosimus lib. V. ubi de Timasii magistri militum sub Arcadio damnatione: ὁ μὲν βασιλεὺς προὐκάθητο δικαστής. Εὐτρόπιος δὲ παρεστὼς, ἐπειδὴ καὶ τὴν ἡγεμονίαν πάντων τῶν βασιλικῶν εἶχε κοιτώνων, τῆς πάσης ψήφου κύριος ἦν. Præpositus is erat sacri cubiculi. Ejus officium late ab Hincmaro exponitur epist. 3. c. 22. Camerarium enim cum Cubiculario eundem facio. *De honestate vero palatii, seu specialiter ornamento regali, necnon & de donis annuis militum, absque cibo & potu vel equis, ad Reginam præcipue & sub ipsa ad Camerarium pertinebat &c.* Videndi Tillius & Falcetus origin. lib. 1. cap. 11. Porro hos omnes proceres & regiæ familiæ ministros regii quoque judicii participes fuisse probat lex Ribuar. tit. 90. *Jubemus ut optimates, Majores domus, Domestici, Comites, Grafiones, Cancellarii, vel quibuslibet gradibus sublimati in provincia Ribuaria in judicio residentes munera ad judicium pervertendum non recipiant. Quod si quis in hoc deprehensus fuerit, de vita componat*. Quod ante constituerat Gundebaldus Rex in præfatione legum Burgundionum.

(6) *Comite Palatii.*) Hoc officio functos reperio Trudulfum & Romulfum apud Gregor. Turon. lib. 9. cap. 12. & c. 30. Aigulfum sub Chlodoveo Dagoberti F. rege in diplomate ejusdem

### *Indiculus commonitorius* (1) *ad Episcopum.*

XXVI. Domino sancto & apostolica sede colendo Domno & in Christo patri illi Episcopo ille Rex. Fidelis Deo propitio noster ille ad præsentiam nostram veniens suggessit nobis eo quod villa aliquante nuncupante illa, quæ ad eum de parte illius pervenire debuerat, post vos retineatis (2) indebite, & nullam justitiam vobiscum ob hoc possit consequere. Propterea præsentem indiculum ad coronam beatitudinis vestræ direximus, ut & pro nobis orare debeatis, & si taliter agitur, antedicto illo de suprascripta villa legibus revestire (3) faciatis. Certe si nolueritis, & aliquid contra hoc habueritis opponere, vosmetipsi per hunc indiculum commoniti, aut Missus in persona vestra instructus, nunc ad nostram veniatis præsentiam, ipsius lui ad hoc dando responsum.

### *Item indiculus ad Episcopum pro alio distringendo.*

XXVII. Domino sancto & apostolico Domno & patri illi Episcopo ille Rex. Veniens ille ad præsentiam nostram suggessit quasi Abba vester, aut Clericus, vel homo vester ille, eidem servo suo per fortiam tulisset, vel post se retineat injuste, & nulla justitia cum eodem ex hoc consequere possit. Propterea præsentem indiculum ad sanctitatem vestram direximus, per quem petimus ut & pro nobis orare dignetis, & si taliter agitur, ipso Abbate vestro aut Clerico præsentaliter constringatis qualiter si ita agitur, hanc causam contra jamdicto illo legibus studeat emendare. Certe si noluerit, & aliquid contra hoc habuerit quod opponat, ipso illo per fidejussores positos tunc ad nostram studeatis dirigere præsentiam.



---

dem Regis, Andobellum sub Chlotario ejus filio, sub Carolo M. Anselmum, Woradum, sub Ludovico Reginarium, Adhalardum, Bertricum, & sub Carolo Calvo Fulconem, Bernardum, & alios. In quo versaretur horum officium plene tradit Hincmar. ep. 3. c. 21. in finiendis scilicet controversiis quæ ad palatium deferebantur, & ut si quid in legibus emendandum esset, Principi exponerent, & accepto responso emendarent. Idemque cap. 19. Comitem palatii Archicapellano seu Apocrisiario confert. *Præcipue*, inquit, *duo, id est, Apocrisiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel palatii custos, de omnibus negotiis ecclesiasticis vel ministris Ecclesiæ, & Comes palatii de omnibus secularibus causis vel judiciis suscipiendi curam instanter habebant; ut nec ecclesiastici nec seculares prius Domnum Regem absque eorum consultu inquietare necesse haberent, quousque illi præviderent si necessitas esset ut causa ante Regem merito venire deberet &c.* Non tamen omnium causarum notionem ad illos spectasse certum est, sed tantum pauperum & minus potentium causas. Capitul. lib. 3. cap. 77. *Neque ullus Comes palatii nostri potentiorum causas sine nostra jussione finire præsumat, sed tantum ad pauperum & minus potentium justitias faciendas sibi sciat esse vacandum.* Vice tamen regia sedisse & de majoribus etiam negotiis, seu Regum mandato, seu officii prærogativa, cognovisse, & ex hac formula & Chlotarii Regis iudicio, quod supra exscripsimus, palam est. Decreta nomine regio inscripta continebant, Regem ex relatione Comitis palatii judicasse, aut ab illo & proceribus jam judicata firmasse. Itaque magna eius Comitis dignitas, magna potestas. Sangallensis lib. 2. c. 9. *Videntes Comitem palatii in medio procerum concionantem, Imperatorem suspicati, terra tenus sunt prostrati.* Quem magistratum in Germanico imperio longo tempore durasse, multaque alia præclara ex iure Saxonico notat P. Pithœus, nunquam sine laude nominandus, Comitum Campaniæ libro primo. Ex diplomatibus & veteribus instrumentis breviter & erudite horum officium descripsit Joannes Aventinus annal. lib. 4. cujus verba lubet adscribere: *Is vicem Cæsaris præsidendo senatui principali defungebatur, fidem Imperatoris implorantibus aderat, jusque reddebat, fiscum Augusti, prædia Salica, redditus regios procurabat, Cæsareum censum exigebat, nihil citra ejus auctoritatem Duci aut decernere aut statuere licebat &c.* Ex quibus quam dissimile sit Senescalli seu Magni Magistri officium, quod plerique hodie confundunt, vel cæco perspicuum est. Illud addam, plures aliquando fuisse palatii Comites, non in Germanico imperio tantum, quod Aventinus & Pithœus tetigerunt, sed & in prima & secunda Francorum Regum familia. Pipini Majoris domus de rebus S. Dionysii extat judicium in tabulario ejusdem monasterii, ubi hæc verba reperias: *Ubicunque eorum justitiam invenimus, sicut proceres nostri seu Comites palatii nostri vel reliqui legis doctores judicaverunt.* In tradition. Fuldens. lib. 1. uno eodemque tempore sub Ludovico Imperatore anno DCCCXXXVIII. atque etiam in eodem judicio duo referuntur Comites palatii, *præsentibus &c. Popone Comite, Gebavuino Comite palatii, Ruadharto similiter Comite palatii, Hattone Comite &c.* Capitul. 3. c. 77. *Ut nullus Comes palatii &c.*

(1) *Indiculus commonitor.*) Regiæ sunt literæ, quibus Episcopus ante Regem in jus vocatur.

(2) *Post vos retineatis.*) Nostris veteribus scriptoribus, *retenir riere soy*, penes se.

(3) *Legibus revestire.*) Id est, ejus rei quam abstulisti possessionem ei restituas, iterumque eum vestias secundum formam legis qua ipse vivit. Vestiendi verbum hoc seculo frequens. Leg. Bajuvar. tit. 17. c. 3. *Mei antecessores tenuerunt, & mihi in alodem reliquerunt, & vestita est illius manus cui tradidi.* Pipini Majoris domus judicium de rebus S. Dionysii: *Vel casa S. Dionysii exinde vestita fuerat, vel a bonis & Deum timentibus hominibus datæ vel collatæ fuerunt, & ipsa casa legitime & rationabiliter per legem exinde vestita fuerat.* Capit. lib. 4. c. 19. *fidejussores vestituræ*, & c. 42. *vestitura domni Karoli*; c. 45. *nostra vestitura*. Synodus Leptinensis ann. DCCXLIII. *Ecclesia cum propria pecunia revestita sit.* In traditionibus Fuldensibus sæpissime *vestitionis* & *vestituræ* testes. In appendice Flodoardi, *vestitus*.

*Charta audientiale* (1).

XXVIII. Ille Rex vir inluſter illo Comite. Fidelis Deo propitio noſter ille ad præſentiam noſtram veniens clementiæ regni noſtri ſuggeſſit eo quod pagenſis veſter (2) ille eidem terram ſuam in loco nuncupante illo per fortiam (3) tuliſſet (4) & poſt ſe retineat injuſte, & nullam juſtitiam ex hoc apud ipſum conſequi poſſit. Propterea ordinationem præſentem ad vos direximus; per quam omnino jubemus ut ipſo illo taliter conſtringatis qualiter ſi ita agitur, hanc cauſam contra jam dicto illo legibus ſtudeat emendare. Certe ſi noluerit, & ante vos recte non finitur, memorato illo tultis fidejuſſoribus (5) Kalendas illas ad noſtram eum omnimodis dirigere faciatis præſentiam.

*Indiculus ad laico.*

XXIX. Ille Rex vir inluſter (6) illi. Fidelis noſter ille ad præſentiam noſtram veniens nobis ſuggeſſit quaſi vos eum nulla manente cauſa in via adſalliſſetis & graviter livoraſſetis (7), & rauba ſua in ſolidos tantos (8) eidem tuliſſetis vel poſt vos retineatis indebite, & nullam juſtitiam ex hoc apud vos conſequere poſſit. Propterea præſentem indiculum ad vos direximus, per quem omnino jubemus ut ſi taliter agitur, de præſente hoc contra jamdicto illo legibus ſtudeatis emendare. Certe ſi nolueritis, & aliquid contra hoc habueritis quod opponere, non aliter fiat niſi voſmetipſi per hunc indiculum commoniti Kalendas illas proximas ad noſtram veniatis præſentiam eidem ob hoc integrum & legale dare reſponſum.

*Commutatio cum Rege* (9).

XXX. Ille Rex illo Regi. Nihil ſibi quiſque cernitur minuendo quicquid e contra reci-

---

(1) *Charta audientialis.*) Regia quoque eſt epiſtola, qua ad Comitem ſcribit, ut quemdam, qui ejus juriſdictioni ſuppoſitus eſt, judicium accipere & judicatum facere cogat, aut ſi nolit, fidejuſſorem det ad Regis judicium ſiſtendi cauſa. Inde dictam audientialem puto, quod per eam quis ad Principis audientiam vocetur. Ut enim Juriſconſulti jus pro loco dicunt, ſic audientiam tum illi appellabant. Greg. Turon. lib. 7. cap. ult. ſynodi Meldenſis cap. 77.

(2) *Pagenſis veſter.*) Pagi appellatio late patet. Neque enim vicus tantum hoc nomine dicitur, ſed & provincia, aut ſaltem non exigua pars provinciæ. Sic Plinio lib. 4. cap. 17. *Geſſoriacus pagus* non pro vico accipitur, ſed pro magno agri tractu & civitatis unius territorio. Sic & ſeptem Helvetiorum pagi apud Cæſarem, quod Gallica lingua retinuit, ſolita tamen mutatione *g* in *i*. *Pais* namque dicimus, ut Joſ. Scaliger Phœnix ille litterarum obſervat; ſeu quia ejuſmodi litteras in medio abjicimus. Gregor. Turon. lib. 9. c. 9. *quicquid de pago Stampenſi vel Carnoteno.* Appendix Gregor. Turonenſ. cap. 57. *conceſſiſſe pagum Toloſanum, Catorcinum, Aganenſem, Petrocorreum, & Santonicum.* Unde pagenſes dicti qui ejuſdem pagi ſunt. Pagis autem utplurimum præerant Comites. Itaque qui eorum ditioni ſubditi erant, pagenſes dicebantur. Gregor. Turon. lib. 8. c. 18. *Vuintrio Dux a pagenſibus ſuis depulſus ducatu caruit.* Præceptum Dagoberti de mercato S. Dionyſii: *Saxones & Ungarii & Rothomenſes & ceteri pagenſes de aliis civitatibus.* Capitul. lib. 3. cap. 73. *Vaſallos ſuos caſatos ſecum non retineat, ſed cum Comite cujus pagenſes ſunt ire permittat.* Eod. lib. cap. 43. & lib. 4. cap. 19.

(3) *Per fortiam tuliſſet.*) Hoc eſt, per vim abſtuliſſet. Unde noſtris *par force*. Leg. Ribuarior. tit. XI, 4. *Si quis regio aut eccleſiaſtico homini de quacunque libet re fortiam fecerit, & per vim tulerit, in triplum componat.* Leg. Bajuvarior. tit. I. c. 5. *per fortiam hoſtilem aliquid prædare.* In lege Salica tit. XIV. 13. *per virtutem.* Formulæ incerti auctoris (ſive Appendix Marculfi) cap. 33.

(4) *Tuliſſet.*) Id eſt, vi abſtuliſſet. Leg. Ribuar. tit. XI. Leg. Sal. tit. XIV. Vetuſtis Francis, *tollir*; & inde *male tolte* pro tributo. Sic infra *tultis fidejuſſoribus*, pro ablatis & acceptis.

(5) *Tultis fidejuſſoribus.*) Acceptis. Gloſſæ noſtræ; *ademtis, tultis.*

(6) *Ille Rex vir inl.*) In antiquis Regum noſtrorum præceptis & conſtitutionibus nil frequentius; ut *Childebertus vir inluſter* in Decreto poſt legem Salicam, Chlotarius, Dagobertus, Pipinus, Carolus, & alii in tabulario S. Dionyſii & ceterorum cœnobiorum archivis. Sic Ennodius Ticinenſis lib. 4. epiſt. 10. ad Traſimundum Vandalorum Regem ſcribens, *Viro inluſtri* epiſtolam inſcribit, ut ibi doctiſſ. Sirmondus notat. Hoc enim titulo nullus major in Romano imperio. Tanta enim erat apud exteras gentes illius imperii admiratio, ut ceteri Reges ejus dignitatibus & honoribus inſigniri cuperent & honeſtari; ut de Patricii & Cos. nomine & inſignibus, quæ Chlodoveus Rex ab Anaſtaſio Imp. recepit, Gregor. Turonenſ. lib. 2. cap. 38.

(7) *Adſalliſſetis & livoraſſ.*) Adſallire hic eſt adoriri, appetere, impetum facere, aggredi. Unde noſtris *aſſaillir*. Livorare eſt vulnerare & contundere, livoreſque efficere. Leg. Salicæ tit. 44. *Si quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo ſua adſallierit.* Formular. Romanar. c. 30. *Ipſum adſallivit, vel ei inſidiavit, & res ſuas ei contradixit, atque violenter ſuper ipſum evaginato gladio venit. Unde livores & capulaturæ atque alaphi manifeſti apparent.* Et cap. 31. *Me malo ordine aſſalivit vel livoravit.*

(8) *Raupa ſua in ſol. tant.*) Pro *raula*, id eſt, veſte. Lege Alaman. tit. 49. *Quidquid ſuper eum rauba vel arma tulit, omnia ſicut furtiva componat*; quod poſtea per veſtimenta explicatur. *De femina ſi ita contigerit, dupliciter componat; veſtimenta autem quæ ſuper eam tulit, velut furtiva componat.* Var. formul. cap. 8. Raubæ autem ut & veſtis appellatio late pro omni ſupellectile & veſtimentis accipitur. Inde *deſrober*.

(9) *Commutatio cum Rege.*) Hoc capite multa reperias quæ inſcriptioni non conveniunt. Eſt enim ejuſmodi, *ille Rex illi Regi*; ſed poſtea inter Regem & illuſtrem virum aliquid conventum fuiſſe narratur: tum mentio fit ejus quod Rex in animæ remedium dederit, quæ verba ad Eccleſiam aut monaſterium pertine-

cipitur in augmento. Dum inter nos & inluſtre viro illo unanimiter convenit ut loca aliqua inter nos commutare deberemus, nos dedimus ei locello (1) nuncupante illo in pago illo, cum colonicas illas (2) vel omnes adjacentias eorum & merito ſuo, tam domibus, mancipiis, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, vel reliquis quibuſcunque beneficiis, quodcunque ille vel fiſcus noſter in ipſa loca tenuiſſe noſcitur. Et ipſe hæc contra dedit nobis omni portione ſua quod in villa illa in pago illo habuiſſe viſus eſt, cum itemque domibus, mancipiis, vineis, ſilvis, vel reliquis quibuſcunque beneficiis, quæcunque ibidem habuit, & nos pro animæ noſtræ remedium (3) ibi dedimus. Quapropter hunc præceptum ad modum commutationis ipſius viro fieri decrevimus, ut a præſente die ipſa locella cum omnia ſuperius ſcripta vel cum omni integritate ſua, quicquid, ut diximus, ille vel fiſcus noſter ibidem tenuit, ipſe ille hoc habeat, teneat, atque poſſideat, & ſuis poſteris ad poſſidendum relinquat, vel quicquid exinde facere voluerit, ex noſtra commutatione liberam habeat poteſtatem; & unaquæque pars quod in concambio bonæ pacis placuit accepiſſe, exinde per longa tempora debeat Deo permittente gratulare. Et ut hæc præceptio. & cetera.

*Confirmatio Regis de omni corpore facultatis.*

XXXI. Merito regalis clementia in illis conlata munera vel proprietates parentum noſtrorum confirmare deliberat quos cognoſcit anteriorum Regum parentum noſtrorum vel nobis fidem integram conſervaſſe inlæſam. Idcirco inluſter vir ille chartas præcedentium Regum nobis protulit recenſendas, qualiter parentibus ſuis loca aliqua fuiſſent conceſſa; petiit ut eum de omni corpore fa-

---

tinere dubium non eſt. Tantum dicam, eo animo ſcriptam fuiſſe videri, ut pluribus commutationis negotiis inſerviret; ut planum ſit clauſulam aliquam aut quædam verba deeſſe. Commutationum autem plures infra formulæ extant lib. 2. cap. 23. & 24. & incerti auctoris (ſive Appendicis Marculfi) cap. 17. Leg. Rom. cap. 26. Variar. cap. 14.

(1) *Locellum.*) Eodem exemplo infra lib. 2. c. 1. *facultaticula*. Synodi Agathenſis c. 7. *caſellæ, mancipiola*. Synodi Aurelianenſis IV. c. 19. *terrulæ, vineolæ*.

(2) *Cum colonicis illis.*) Leg. Burgund. tit. 38. 7. Colonica eſt villa ſeu villula cum modo agri quantum colonus unus colere poteſt, nec admodum a manſo diſtat, adeo ut manſus & colonica aliquando promiſcue dicantur. Synodi Valentinæ ſub Lothario Imp. capite 9. *Seculares & fideles laici, ſi condere voluerint baſilicas in prædiis ſuis, ſicut edictum piiſſimorum Auguſtorum continet, unam colonicam veſtitam cum tribus mancipiis donationis* (al. *dotis*) *gratia eis conferant*. Edictum illud extat Capitul. lib. 1. cap. 85. & in vita Ludovici Pii & Aimoini continuat. lib. 5. cap. 10. Synodi Meldenſis cap. 63. Ubi tamen *unus manſus integer* ubique dicitur, quem *colonicam unam* hæc ſynodus vocat. Quod ipſum ibidem & in ceteris Conciliis & Capitulis *dos Eccleſiæ* dicitur. Synodi Colonienſis c. 4. c. 1. De cenſib. Burchardus lib. 3. c. 52. Itaque manſus & colonica non ſemper certam quantitatem, ſed modo majorem, modo minorem agri modum continebant; quemadmodum hodie videmus in illis poſſeſſionibus, quas *fermes* & *meſtairies* dicimus. Aliquando etiam ſub manſo colonicam comprehenſam reperi. Chronicon S. Benigni circa ann. 1007. *Femina quædam nobilis, Aremburgis dicta, mater Letbaldi Matiſconenſis Epiſcopi, cum eodem filio ſuo dedit ſancto Benigno in villa Lu vocata ſeptem manſa, cum ſilva ibi adjacente & ſervis qui de prædictis manſis ſeptem colonicas tenebant*. In ſumma, plerumque colonica, manſus, villa, & in Germanicis ſcriptis diplomatibus & inſtrumentis, hoba & hobunna pro eodem accipi debent. Traditionum Fuldenſ. lib. 2. *duas hobas ſerviles*. Item *unam hobam cum omnibus ad eam pertinentibus*. Eod. lib. *trado ſervum unum cum ſua hoba*. Gregor. Turonenſ. de miracul. lib. 2. cap. 15. Colonia quoque pro colonica uſurpatur. Flodoard. hiſtor. Rhem. lib. 9. c. 19. de Ebone Præſule: *Colonias nonnullas Eccleſiæ deſcriptis per ſtrenuos viros colonis eorumque ſervitiis ordinavit*. Hincmar. de villa Noviliaco: *Quaſi de fiſco Regis quaſdam colonias de ipſa villa obtinuit in proprietatem*. Carolus Calvus an. regni XVIII. Indict. VI. (apud Cochlæum in Hiſtor. Nivernenſi) *dedit Eccleſiæ Maniacenſi manſos* XV. *&* *colonias* ſex. In tradit. Fuldenſib. lib. 1. Wilibaldus Epiſcopus cœnobio Fuldenſi, *in ſupradicto loco novem trado colonias (hoc ſunt hobunnæ) integras cum omnibus adjacentiis & finibus ſuis, in arialis, in terris arduriis, in ſilvis, in campis, in pratis, in paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, ædificiis, molinariis, mancipiis, cum omni ſupellectili eorum*. Sic in l. 24. *Locati*. l. 12. §. *Quæritur*. l. 20. §. *Prædia*. De intr. vel iſtrum. l. 27. §. 2. *Ad municipal.* Columell. lib. XI. cap. 1 *Neque enim coloniæ ſuæ terminos egredi debet*. Inde lex colonica Varroni rei ruſt. cap. 2. lib. 1. Ex quibus etiam liquet quid coloniæ ſeu colonicæ nomine veteres intellexerint.

(3) *Nos pro animæ remed.*) Satis aperte declarant hæc verba ad commutationem cum Eccleſia aut monaſterio factam hanc clauſulam pertinere. Porro commutationes de rebus eccleſiaſticis, ut & ceteræ omnes alienationes, ſynodis & conſtitutionibus prohibitas fuiſſe conſtat. Synodi Meldenſis c. 23. Synodi Valentinæ ſub Lothario Imp. cap. 21. Benedictus Levita Capitul. lib. 5. c. 110. Burchardus Decreti lib. 3. c. 164. & ſeqq. Tamen ſpecialiter Principi in ſynodo Silvanectenſi conceſſum eſt, ut commutationes cum Eccleſia facere poſſit: *Si princeps voluerit rem immobilem ſanctis locis præſtare, & accipere ab eis aliam immobilem rem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere ei divina pragmatica ſanctione ab eo promulgata*. Quæ verba Juliani anteceſſoris ſunt Novellarum interpretis cap. 33. ex Novella ſeptima. Aliis vero abſque Regis licentia non licebat. Burchardus lib. 3. c. 172. *Ne commutationes rerum vel mancipiorum eccleſiaſticorum quælibet perſona ſine licentia & conſenſu regio præſumat facere*. Ideoque Flodoardus hiſt. Rhemenſ. lib. 2. c. 19. Ebonem antiſtitem *imperialia ſuper iiſdem commutationibus præcepta* obtinuiſſe refert. Et tradition. Fuldenſ. lib. 2. *Conventione inter ſe de concambio facta rogatu antedicti Comitis, cum ſcientia & licentia glorioſi Francorum Regis Ludovici &c.*

facultatis suæ, tam quod regio munere ipse vel parentes sui promeruerunt, quam quod per venditionis, cessionis, donationis, commutationisque titulum ad præsens juste & rationabiliter est conquisitum, & ad præsens possidere videtur, per nostrum in ipso deberemus generaliter confirmare præceptum. quod nos pro divino intuitu, vel ejus meritis compellentibus, integra devotione magnitudo vestra præstitisse cognoscat. Præcipientes enim ut quicquid ex successione parentum, vel ejus voluntate, tam munere regio, vel per qualibet instrumenta chartarum ad eodem juste pervenit, tam in villabus, mancipiis, ædificiis, accolabus, aurum, argentum, speciebus, ornamentis, mobile & immobile, aut quodcunque in quibuslibet rebus per instrumenta chartarum tempore præsenti cum rationis ordine dominare videtur, per hanc auctoritatem firmatus cum Dei & nostra gratia in integritate hoc valeat possidere & suis posteris auctore Deo derelinquere. Et ut hæc auctoritas.

*Si aliquis contra Regis voluntatem* (1) *egerit, securitas cui eum persequi jusserit.*

XXXII. Qui regiam obtemperant jussionem, experire malum in posterum a quemlibet non debent. Igitur cum & ille cum reliquos pares suos (2), qui eum secuti fuerunt, faciente rebello (3) illo interfecit, aut quaslibet alias causas contra Regem admisit, vel de regno nostro se transtulit, quod nobis satis fuit molestum, & una cum consilio fidelium nostrorum omnes res ejus sub fisci titulum inlustribus viris illis præcepimus revocare, quia si se non distulisset, non solum res perderat, sed pro tali rebello (4). in vita ipsius eos ordinaveramus insequere, propterea præsentem præceptionem dedimus ut dum prædicti viri illi, vel reliqui pares aut gasindi eorum, non ex sua præsumptione, nisi per nostra ordinatione una cum consilio seniorum fidelium nostrorum ipsas res sub fisco nostro positas habuerunt, & nostris ditionibus ubi jussimus, vel reliquorum qui cum eodem mixti fuerunt, ex hoc comprehensum adduxerunt, ideo jubemus ut dum per nostra ordinatione factum est, nullo umquam tempore nec a jamdicto illo, nec qui cum eo mixti fuerunt, nec ab heredes eorum exinde qualibet calumnia (5) aut repetitione ulla habere penitus non debeant; sed tam ipse ille quam pares, gasindi, vel amici eorum, quicquid de res prædicto illo fuerunt & abstultum fuit, dum per ejus culpas & nostra ordinatione factum est, omni tempore exinde educti & absoluti permaneant, &, ut diximus, calumnia aut repetitione vel damnietate quandoquidem exinde suprascripti viri illi fideles nostri non pertimescant habere. Et ut hæc præceptio firmior sit.

*Præceptum quorum ab hostibus* (6) *vel alio modo fuerint instrumenta incensa.*

XXXIII. A regale necesse est releventur cle-

(1) *Si aliquis contra Regis vol.*) Hac formula Princeps securitatem tribuit ei qui jussu ejus aliquem sibi adversarium aut infidelem occidit vel expulit, resque illius in fiscum redegit, quem ab omni injuria tutum & innoxium esse jubet, vetatque ne propinquis & amicis illius eo nomine aut armis aut judicio eum persequi liceat. Extat de ea re caput legis Baiuvar. tit. 2. cap. 8. *Si quis hominem per jussionem Regis vel Ducis sui, qui illam provinciam in potestate habet, occiderit, non requiratur ei, nec faidosus sit, quia jussio domini sui fuit, & non potuit contradicere jussionem, sed Dux defendat eum & filios ejus.* Idipsum statuitur Capit. lib. 5. cap. 367. *Si quis jussione Regis vel Ducis illius, qui ipsam provinciam regit, hominem occiderit, non requiratur ei, nec propterea faidosus sit, quia lex & jussio dominica occidit eum, & non potuit contradicere. Princeps vero & successores ejus defendant eum & totam progeniem ejus, ne ob hoc pereat, aut malum patiatur. Quod si propterea ipse aut ejus progenies aliquid mali passi fuerint aut occisi, dupliciter componantur.*

(2) *Cum reliq. parib. suis.*) Pares sunt socii & æquales. Sic supra cap. 12. *Qui pari suo ex ipsis in hoc seculo superstes extiterit.* Leg. Ribuar. tit. 51. *Qui parem suum supervixerit.* Leg. Alaman. tit. 45. *Si qua rixa orta fuerit &c. illi pares sequuntur eum usque in domum suam cum armis.* Capitul. lib. 3. cap. 71. *Quicunque &c. parem suum contra hostes communes in exercitu pergentem dimiserit, & cum eo stare noluerit, honorem suum & beneficium perdat;* & cap. 72. Capitula Caroli Calvi ad Aquitanos an. DCCCLVI. *Si talis est causa ut illum inde familiariter non debeat admonere, ante suos pares illum in rectam rationem mittat, & ille justum judicium justitiæ sustineat.* Quod *judicium sociorum* Burchardus in lege familiæ vocat. *Si quis*, inquit, *ex aliquo commisso in manus Episcopi cum judicio sociorum suorum pervenerit, ipse cum omnibus possessionibus suis eo dijudicetur.* Sic in libris feudorum passim *pares curiæ* seu *curtis* dicuntur qui ab eodem domino feuda tenent, quasi pares inter se. Friderici Imp. constitutio apud Radevicum lib. 4. c. 7. *Si inter dominum & vasallum lis oriatur, per pares curiæ a domino sub debito fidelitatis conjuratos terminetur.*

(3) *Facientem revello.*) Ita Ms. Legendum vero *rebellem* vel *rebellionem*. Sed nihil mutandum. Nam more seculi loquitur de eo, qui Principi rebellis & infidelis existit.

(4) *Pro tali revello.*) Leg. Ribuar. tit. 71. *Si quis homo Regi infidelis extiterit, de vita componat, & omnes res ejus fisco censeantur.* Annales Fuldenses ad an. DCCCLXI. *Ludovicus Ernustum summatem inter omnes optimates suos, quasi infidelitatis reum, publicis privavit honoribus.*

(5) *Calumniam.*) Id est, actionem. Plura ad formulas legis Romanæ cap. 5.

(6) *Præceptum quorum ab hostibus.*) Certi juris est, instrumentis igne vel naufragio consumptis, hostium incursu, vel alio casu perditis, nullum ex ea re domino præjudicium fieri, modo tamen de ejus dominio, debito, aut alio jure sufficiens sit alia probatio. l. *Sicut*, cum seqq. Cod. de fide instrument. Adeo ut quibus casibus per testes probatio jure non admitteretur, tamen instrumenti amissio & ejus tenor per testes probari possit. l. *Testium facilitatem*. in fin. C. De testibus. Quoties

clementia qui damnietate ab hoſtibus vel paſſi ſunt violentia. Igitur fidelis Deo propitio noſter ille clementiæ regni noſtri ſuggeſſit eo quod ante hos annos, aut anno ſuperiori, exercitus noſter aut illius Regis domus ſuas incendio cremaſſent, vel res ſuas quamplures una cum ſtrumenta chartarum, tam quod per regio munere (1) perceperat, quam & quod per venditionis, donationis, ceſſionis, commutationis titulum, vel de alode (2) parentum in quocunque loco in regno noſtro aliquid poſſidebat, ibidem concrematas fuiſſent. Unde relationem bonorum hominum (3) manibus roboratam, qualiter ipſis ita cognitum ſit, ſuggeſſit nobis, & protulit recenſendam; & omnes res ſuas unde ipſa inſtrumenta perierunt, abſque ullius inquietudine, ſicut & antea fecit, quietus poſſidere videtur. Sed pro firmitatis ſtudium petiit memoratus ille ut per noſtra auctoritate omnes res ſuas, tam quod regio munere, quam quod per venditionis, donationis, ceſſionis, commutationiſque titulum, vel reliqua alode ad præſens cum æquitatis ordine quietus poſſedit, deinceps in jure & dominatione ejus confirmare deberemus. cujus petitionem gratanti animo præſtitiſſe vel confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes ergo jubemus ut quicquid memoratus ille tam in terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſilvis, campis, pratis, aquis, aquarumve decurſibus, vel reliquis quibuſcunque beneficiis, quod per relationem ſupra ſcriptorum virorum cognovimus, juſte & rationabiliter uſque nunc ubicunque in regno noſtro poſſidere videtur, dum ejus inſtrumenta cremata eſſe cognovimus, per hunc præceptum plenius in Dei nomine circa eum ſuffultum atque confirmatum abſque ullius inquietudine vel refragatione teneat & poſſideat, & ſuis poſteris aut cui voluerit in Dei nomine ad poſſidendum relinquat. Quam vero auctoritatem perpetuis temporibus valituram propria manu ſubter roborare decrevimus.

*Relatio pagenſium ad Regem directa.*

XXXIV. Suggerendo piiſſimo atque præcellentiſſimo Domno illo Regi, & Majorem domus illo, a ſervis veſtris pagenſibus illis, quorum ſubſcriptionibus vel ſignacula ſubtus tenentur inſerta. Principalitatis veſtræ circumſpecta clementia novit juſta petentibus dignanter annuere & neceſſitatem patientibus ſubvenire clementer. Pene omnibus patet regionem noſtram ab hoſtibus depopulatam eſſe, & domus multorum igne crematas, vel res ablatas; inter quos ſervus veſter ille non modicum ibidem perpeſſus eſt damnum & de rebus ſuis diſpendium, vel omnia inſtrumenta chartarum, quod ipſe vel parentes ſui habuerunt, tam quod ex munificentia Regum poſſedit, quam quod per venditionis, ceſſionis, donationis, commutationiſque titulum habuit, una cum domo ſua incendio concremata eſſe noſcuntur. unde noſtram parvitatem petiit, quod veraciter exinde cognovimus, per hanc notitiam ſuggeſtionis veſtræ innoteſcere clementiæ. quod & facere ſervi veſtri curavimus. Veſtra pietas jubeat quod uſque modo in regno veſtro quietus poſſedit, circa eodem per veſtro munere præceptum ut inantea valeat, dum ſua perdidit inſtrumenta, poſſidere quietus & ſecurus. Nos ſervi veſtri quod exinde veracius ſcimus innoteſcere præſumpſimus. Veſtrum eſt neceſſitatem patientibus ſubvenire.

*Confirmatio de omni corpore facultatis monaſterii.*

XXXV. Ille Rex illo Patricio (4) atque omni-

---

ties autem caſus aliquis ejuſmodi contigit, ne poſtea difficili probatione jus domini deterius conſtituatur, receptum fuit litteras a Principe impetrare, quibus, cauſa cognita & re probata ex relatione incolarum, cavetur ne amiſſio ei noceat, ſed res quas poſſidet, ſecure in poſterum, ſicut antea, ſemper poſſideat. Sicque ejuſmodi litteræ ſunt ei omnium inſtrumentorum inſtar. Itaque etiam his litteris ſingillatim res ſingulas & poſſeſſiones omnes recenſere moris erat. Appellantur a Flodoardo *præcepta de chartis combuſtis* hiſt. Rhemenſ. lib. 2 cap. 17. de Tilpino Epiſcopo, qui a Carlomanno Rege plura privilegia obtinuit: *Item de chartis concrematis, quarum tunc temporis per negligentiam acciderat exuſtio, ut res & facultates Eccleſiæ, quas eo tempore poſſidebat, ita permanerent abſque diminutione confirmatæ ipſi Eccleſiæ per regiam ejus auctoritatem.* Extant & aliæ ejuſdem rei formulæ inter formulas incerti auctoris (ſive in Appendice Marculfi) cap. 46. ubi id ex Romanis moribus deſcendere dicitur, & formul. leg. Roman. cap. 27. & 28. A Comite quoque impetrari literas probat formula 46. incerti auctoris. Eodem fere pertinent litteræ quas hodie *lettres en forme de terrier* appellamus.

(1) *Regio munere.*) Vide quæ ſupra ad caput tertium notata ſunt.

(2) *Alode.*) Supra cap. XII. ubi nos plura.

(3) *Relationem bonorum hominum.*) Ut amiſſio inſtrumentorum probaretur, & præterea ut illi adſererent quid his chartis comprehenſum eſſet, & quæ bona ille tum poſſideret. Ejus formula ſeq. cap. exhibetur.

(4) *Ille Rex illi Patritio.*) Patritios olim dictos qui majorum gentium ſenatores eſſent, nemo neſcit. Patritiatus demum dignitas ſub Imperatoribus ſumma, & omnium honorum apex, quos quaſi patres Principis Juſtinianus ipſe agnoſcit. §. *Filiusfamilias*. Inſtitut. Quib. mod. jus pat. poteſtat. ſolv. l. ult. De conſulib. lib. XII. Cod. & Novel. 81. Hanc dignitatem Conſtantinus Imp. primus inſtituit, ut auctor eſt Zoſimus lib. 2. Συγκατεσφάγη τούτῳ καὶ Ὀπτάτος παραγκωνίσας, ὃς παρὰ Κωνσταντίνου τῆς ἀξίας τετυχήκει τοῦ πατρικίου, πρώτου ταύτην ἐπινοήσαντος τὴν τιμὴν, καὶ προκαθῆσθαι τοῖς ταύτης ἀξιουμένοις τῶν τῆς αὐλῆς ἐπάρχων νομοθετήσαντος. Formula patritiatus extat apud Caſſiodorum lib. 6. cap. 2. quem uni tantum cedere fulgori ait, conſulatui ſcilicet, ſolamque ceterarum dignitatum ſucceſſoris

omnibus agentibus. Rectum esse censemus ut petitionibus sacerdotum quæ ad profectum pertinent locorum sanctorum ad effectum Christo præsule perducamus. Igitur venerabilis vir ille illius sancti monasterii Abbas gloriæ regni nostri petiit ut dum ipse sanctus monasterius de conlatione parentum nostrorum Deo adjutore videtur esse constructum, nos omni corpore facultatis ejus tam quod antecessores Abbates ibidem laboraverunt, vel ille Domnus Abbas, qui ibidem fuisse dinoscitur, de re monasterii ibidem visus est augmentasse aut comparasse, quod ab ipso sancto loco moderno tempore possidetur, per nostrum deberemus generaliter confirvare præceptum, quod nos pro divino respectu vel mercedis nostræ augmentum præstitisse vestra non dubitet magnitudo. Etiam & privilegium ipsius monasterii, quod ex institutione sedis apostolicæ seu reliquorum Episcoporum visi sunt meruisse, & per auctoritatem Domni illius seu a reliquis successoribus parentibus nostris adumbratum fuisse dinoscitur, juxta quod etiam per priorem præceptionem nostram erga se perhibentes se munitum, pro perenni stabilitate decrevimus roborare. Præcipientes ergo ut omnes facultates ipsius monasterii, quicquid aut regia conlatione, aut privatorum munere, vel antecessores Abbatis, seu & Domni lui ibidem est legaliter adquisitum aut comparatum, immo de quibuscunque rebus recte adtractum (1), quodcunque dominatio ipsius sancti loci undique moderno tempore in villabus, domibus, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aut quibuslibet beneficiis cernitur cum æquitatis ordine possidere, per hanc auctoritatem suffultum, absque cujuslibet inlicitas controversias, inibi tam præsenti quam futuro tempore Christo præsule proficiat in augmentum. Adicientes ut & privilegium tam de Abbatis ingressu ipsa congregatio, postquam alius migraverit, ex se instituendo, quam & de reliqua omnia quod per institutionem Pontificum de tempora illius usque nunc ipse monasterius habuit concessum & usque hactenus conservatum, vel per decessorum Regum circa se firmatum, ita & inantea, resecatas quarumcunque superfluas inquietudines, sub eo ordine valeant in nostro sermone (2) auxiliante Domino per tempora permanere. Et vos & successores vestri, ubi necessitas fuerit, in conditionibus ipsius monasterii justum faciatis auxilium impartire, ut eis delectet pro salute nostra crebrius exorare, & vobis ob hoc ad gratiam nostram debeat pertinere. Et ut hæc præceptio firma stabilitate subsistat, propria manu infra decrevimus roborare.

*Ut causas auctorum adsumendi (3) suorum aliquis licentiam habeat.*

XXXVI. Malorum necesse est tergiversationem regali coercere censura. Igitur apostolicus vir ille illius urbis Episcopus, aut ve-

ris ambitionem non timere. Quam tamen dignitatum maximam nihil jurisdictionis habuisse ibidem testatur. Patritios quidem legationes obiisse, exercitibus præfectos, summam rerum aliquando tenuisse legimus. Quo exemplo fuerunt sub primis Francorum Regibus etiam Patritii summæ dignitatis. Itaque Galliarum Patritios memorat synodus Arausicana a Cæsario Arelatensi contra Faustum Rhegiensem habita: ut & Gregorii Magni Papæ registrum, ubi Arigium & Asclipiodotum & alios sub Francorum Regibus eo munere functos videre est. Ex Gregor. Turon. multis locis liquet sub Guntchramno Rege Patritios fuisse, qui Rhodano finitimas provincias regerent, & exercitus ducerent, eamque dignitatem *patriciatus honorem & patriciatus culmen* vocat: qua donatos fuisse Agrœculam, Celsum, Pericium, & Mummolum refert l. 4. c. 24. & 42. Quod etiam ex appendice Fredegarii apparet, ubi Ultra-Juranis Patritios datos Ægilanem, Quolenum, Protadium, Vulfum, Richomerem, Willibaldum, illosque exercitibus præfectos fuisse tradit. Inter Duces certe numerari clare ejusdem appendicis auctor innuit cap. 78. *Dagobertus de universo regno Burgundiæ exercitum promovere jubet, statuens eis caput exercitus nomine Chadoinum referendarium &c. qui cum decem Ducibus cum exercitibus, id est, Amalgario, Aremberto, Leudeberto &c. Wilibaldo Patricio ex genere Burgundionum, exceptis Comitibus plurimis qui Ducem super se non habebant, in Wasconia cum exercitu perexisset &c.* Et cap. xc. Willibaldum *ex patriciatus sui termino* plurimam secum adduxisse multitudinem Pontificum & nobilium. Ex quibus manifestum est Patritiis exercitus regendos, provincias administrandas datas fuisse. Leg. Ribuar. tit. 52. *Si quis testes ad mallum ante Centenarium vel Comitem, seu ante Ducem, Patritium, vel Regem &c.* In summa cum Ducibus eodem munere functos. Ideoque Marculfus supra cap. 8. eadem formula Duces, Comites, & Patritios a Principe institui docet. Sic & Carolum M. Patritium fuisse Romanorum, iisque hoc nomine imperasse, infinita diplomata & historici testantur. Patritiorum quoque dignitatem ab Anglis usurpatam reperio apud Alcuinum epist. 2. quæ ad Æthelredum Regem & Osbaldum Patritium scripta est: cujus etiam Patritii meminit Rogerius Hovedenus annal. par. 1. sub. an. DCCXCVI.

(1) *Adtractum.*) Id est, acquisitum & comparatum. Passim his formulis & in veteribus instrumentis.

(2) *In nostro sermone.*) Hoc est, sub nostra defensione, tuitione, & mundeburde. Supra cap. 24. Legis Salicæ tit. 59. *Tunc Rex ad quem mannitus est extra sermonem suum ponet eum.*

(3) *Ut causas auctor. adsumendi.*) Ut quis jure auctoris sui uti possit, jus commune id præstare videtur, adeo quidem ut jus superveniens auctori meo, jus quoque meum confirmet. L. *Si a Titio*. De rei vindicat. Tamen id confirmandi, & tollendæ dubitationis causa, litteras quoque Principis impetratas fuisse docet hæc formula: quibus a Principe Episcopo vel Abbati conceditur, sive etiam alteri, qui res ab aliis emerant, quorum auctores sine heredibus decesserant, ut auctorum suorum defensionibus uti, imo & easdem instituere actiones & exercere possent. (*Dubium mihi adhuc remanet.*)

venerabilis ille Abbas, aut Deo ſacrata illa Abbatiſſa de monaſterio illo, vel quilibet fidelium Domnorum, miſſa petitione, aut ipſe nobis innotuit eo quod a diverſis hominibus eorum ſpontanea voluntate tam ipſe quam anteceſſores eorum data pecunia infra regno noſtro plurima in terris aut mancipia comparaſſent, vel reliqui homines ad ipſa Eccleſia vel monaſterio pro animæ eorum remedium nonnulla per eorum inſtrumenta delegaſſent, & hoc ad præſens cum æquitatis ordine poſſidere videantur, petiit ut pro tempore futuro vel malorum hominum ingenia coercendo, dum plures benefactores vel venditores pro clade quæ graſſatur in populo, vel complente fine naturæ, abſque heredibus de hac luce diſceſſerunt, ſi aliquis per quodlibet ingenium (1) de ipſas res eum inquietare voluerit, licentiam haberet in vice auctorum ſuorum ipſe vel advocatus ſuus eorum cauſas adſumere. quod nos propter nomen Domini & reverentiam ipſius ſancti loci præſtitiſſe cognoſcite. Præcipientes ergo jubemus ut memoratus Pontifex aut Abbas vel Abbatiſſa ſeu advocatus ejus in vice auctorum ſuorum cauſas ipſius licentiam habeat adſumendi vel obmallandi (2), & per eorum inſtrumenta aut de annis ipſam rem, unde tunc a quolibet inquietari videntur, partibus Eccleſiæ vel monaſterii ſui, cum æquitatis ordine reſpondendi, vel obmallandi, ſuper annis contra quemcunque ſanciendi (3).

*Judicium evinditale* (4).

XXXVII. Veniens ille in noſtri vel procerum noſtrorum præſentia ſuggeſſit quaſi homo nomine ille pagenſis veſter eum in villa nulla manente cauſa adſaliſſet (5) & eum graviter livoraſſet, vel rauba ſua (6) in ſolidos tantos (7) eidem tuliſſet, & ob hoc vobis per noſtram ordinationem tales datos habuiſſet fidejuſſores ut Kalendas illas ex hoc in noſtri præſentia debuiſſent aſtare cauſantes (8). A quo placito veniens (9) memoratus ille ibi in palatio noſtro, & per triduo ſeu amplius (10), ut lex habuit, placitum ſuum cuſtodiſſet, & memoratus ille abjectus ſit (11) vel ſolſatiſſit (12), ipſe nec veniſſet ad placitum, nec ulla ſunnia nun-

(1) *Per quodlibet ingenium.*) Id eſt, quacunque occaſione aut artificio. Gregor. Turonenſ. lib. 6. cap 22. *Proclamante Epiſcopo & dicente quod ſæpius hic ingenia quæreret qualiter eum ab epiſcopatu dejiceret.* Capitul. lib. 2. cap. 31. *Aliorum ſuaſionibus aut petitionibus, vel aliquo ingenio.* Sic & *malum ingenium* in leg. Sal. tit. 36. 4. & Capitul. lib. 2. c. 32. *Nullus omnino ſub mala occaſione vel malo ingenio res pauperum vel minus potentum nec emere nec vi tollere audeat.* Olim apud nos, *par mal engin.*

(2) *Homallandi.*) Sive obmallandi, id eſt, agendi, judicio experiundi, & alterum in jus vocandi, ut dictum eſt cap. 36.

(3) *Super an. contra quemc. ſanc.*) Hæc videntur eſſe corrupta. Verum commode referri poſſunt ad continuationem poſſeſſionis, hoc eſt, ut tempora poſſeſſionis auctorum cum eorum poſſeſſione continuentur & conjungantur; quod etiam ad uſucapionem Juſtinianus extendit. §. *Diutina*, Inſtitut. De Uſucapion. l. 1. Cod. De uſucapione transform.

(4) *Juditium evinditale.*) Hoc eſt, declaratorium, quo Rex notum & evidens facit quendam in palatio die dicta judicio ſtetiſſe, adverſarium vero vadimonium deſeruiſſe; ideoque Comiti mandat ut contra abſentem, qui per triduum expectatus non venit, ſententiam proferat ſecundum conſuetudinem loci, eundemque ad parendum compellat. Ejuſdem argumenti formulæ extant in formulis incerti auctor. cap. 38. et formul. leg. Rom. cap. 33. quæ proxime huic capiti accedunt. Quibus jungi debet notitia de jactivis cap. 22. incerti auctoris.

(5) *Adſalliſſet.*) Adſallire, aggredi, impetere, adoriri; qua de re ſupra, ut et de livorandi quod ſequitur vocabulo.

(6) *Raupa ſua.*) Id eſt, veſtem, ſeu in univerſum aliam ſupellectilem. Formula cautionis de infracturis, quæ ultima inter varias eſt: *& exinde annonam vel aliam raupam in ſolidos tantos furavi.* Sed de his ſupra.

(7) *In ſolid. tant.*) Id eſt, quæ tot ſolidis æſtimabatur.

(8) *Cauſantes.*) Alias *placitantes*, nobis *plaidans*. Formul. leg. Rom. c. 33. *rationantes.*

(9) *A quo placito veniens.*) Mallem *ad quod placitum*. Placitum vero generaliter pro die dicta uſurpabant, in qua quid agendum gerendumve eſſet, quod ſcilicet ſic inter partes pactum conventum fuiſſet. Sic conventus regios, in quibus de ſumma regni tractabatur, placita dixerunt; quæ poſt *parlamenta* dicta Greg. Turon. l. 7. c. 13. et 14. & alias paſſim. Sic et *placitum legatis dare* ait Greg. Turon. lib. 6. c. 34. pro legatos audire et abſolvere. Unde placitum pro judicio ſumptum ſynodi Turonenſis 3. c. 35. *pro quolibet placito vel judicio a qualibet perſona munera exigere.* Synodi Arelatenſis ſub Carolo M. c. 16. *Ne in dominicis diebus publica mercata neque cauſationes diſceptationeſque exerceantur.* Synod. Turon. 3. c. 39. *placita ſecularia.* Sic *placitum Comitis & placitum Centenarii* in Capitul. lib. 3. noſtris *plaids*. Gregor. Turon. lib. 7. c. 23. *Placitum in Regis Childeberti præſentia poſuerunt.*

(10) *Per trid. ſeu amplius.*) Sic cap. 38. formulæ incerti auctor. & Leg. Roman. cap. 33. Ex quo diſcimus non uno tantum die, ſed triduo adverſarium expectari debuiſſe. Gregor. Turon. lib. 7. c. 23. *Injurioſus ad placitum in conſpectu Regis Childeberti advenit, & per triduum uſque occaſum ſolis obſervavit. Sed cum hi non veniſſent, neque de cauſa hac ab ullo interpellatus fuiſſet, ad propria rediit.* Junge leg. Sal. tit. 59.

(11) *Adiectus ſit.*) Hoc eſt, vadimonium deſeruerit & defecerit, a dejecti & dejiciendi vocabulo. Formulæ incerti auct. cap. 22. *Placitum ſuum exinde neglexit, & jactivus inde remanſit.* Cautio de infracturis variar. cap. ult. *Et ſi exinde negligens & jactivus apparuero.* Leg. Salicæ tit. 52. 3. *Quem legitime habeo adjactivum vel admallatum ſecundum legem Salicam*; quo loci videndus Fr. Pithœus.

(12) *Solſatiſſit.*) Id eſt, ſolem ei occaſum fuiſſe, ante ſolis occaſum judicio non ſtitiſſe. Nam poſt ſolem occaſum nemo ſe judicio ſiſtere poterat. Gregor. Turon. lib. 7. cap. 23. *Per triduum uſque occaſum ſolis expectavit.* Sic leg. Salicæ tit. 52. *Solem collocare*; & *per ſingulas ad-*

nuntiasset (1), adfirmat. Proinde nos taliter una cum nostris proceribus constitit decrevisse, ut si evidenter memoratus ille pro hac causa tales vobis datos habuit fidejussores, & placitum suum minime custodivit, dum & inlustris vir ille Comes palatii nostri (2) testimoniavit quod antedictus ille placitum suum legibus custodivit, & eum adjectivit vel solsativit, & ipse ille placitum suum custodire neglexit, jubemus ut quicquid lex loci vestri de tali causa edocet, vobis distringentibus, antedictus ille partibus illius componere & satisfacere (3) non recuset.

*Charta paricla* (4).

XXXVIII. Cum in nostra vel procerum nostrorum præsentia homo nomine ille itemque homine (5) nomine illo interpellasset dum diceret quasi servo suo nomine illo, una cum rauba sua in solidos tantos, post se fugitivos pedes recepisset, vel post se retineret indebite, aut hæc præfatus ille omnia hæc fortiter visus est denegasse (6), quod nec ipse ipso servo fugitivos pedes nec rauba sua post se nunquam recepisset. Sed dum inter se intenderent, sic eidem a proceribus nostris, in quantum inlustris vir ille Comes palatii nostri testimoniavit, fuit judicatum, ut de quinque denominatos (7) idem ille apud tres & alios tres, sua manu septima (8), tunc in palatio nostro super capel-

*admonitiones vel solem culcatum terni solidi accrescant*. Sic olim apud Romanos in legibus duodecim tabularum *solis occasu diei suprema tempestas esto*, apud Varronem libro sexto de lingua Latina. Hunc vero morem solis occasum opperiundi apud Francos multis seculis durasse probant veteres duelli formulæ, quas doctiss. Jo. Savaro edidit; in quibus ante solis occasum adversarium vincere necesse erat, aut id nominatim excipiendo sibi cavere. De civilibus quoque negotiis illud ipsum Philippus de Beaumanoir testatur, qui sub Philippo III. Rege Claromontensis comitatus in Bellovacis leges patria lingua scripsit, cujus verba sunt hæc c. 2. ex codice optimi doctissimique viri Antonii Oiselli: *Se li ajornemens est fais à relevèe ou as vespres, l'euvre de la presentation dure jusques à Soleil esconsant; & qui de Soleil luisant se presente, il ne puet estre en defaute du jour.*

(1) *Nulla sonnia nuntiasset.*) Sonnia est impedimentum, excusatio. Sunnis in leg. Sal. tit. 1. leg. Ribuar. tit. 34. Capitul. lib. 3. c. 45. Ecsonia in formul. leg. Rom. cap. 33. Nobis *Exoine*; de quibus integro capite agit Philippus de Beaumanoir, quem modo laudavi, capite tertio, *Des Essoines & contremans*. Veteribus quibusdam monimentis *soine*. Non placet hanc vocem deducere ex alia barbarica voce *Exidoniare*, ut quidam scripsere. Nam hæc duo vocabula toto cælo inter se distant, qua de re alias. Mallem a morbo suntico sunnis originem petere.

(2) *Comes palatii nostri.*) Sic infra capite proximo, & in judicio Chlotarii Regis, quod supra exscripsimus; quæ verba Comitem palatii cum proceribus vice regia cognovisse manifeste ostendunt. Nomine tamen regio judicia inscripta erant, quod & hodie in Senatusconsultis fieri solet.

(3) *Componere & satisfacere.*) Itaque hoc jure qui defecerat & vadimonium deseruerat, causa cadebat. Quod etiam lege duodecim tabularum cautum fuit, *præsenti litem addicito*, apud Gellium lib. 17. c. 2. Verum postea id mutatum. Ulpianus in l. *Et post edictum*. 72. De judiciis: *Pronuntiabitur non ubique secundum præsentem, sed interdum vel absens, si bonam causam habuerit, vincet*. Franci tamen perpetuo observarunt ut absens causa caderet, nisi justam absentiæ causam nuntiasset. Consuetudines Regulæ a Ricardo Abbate Floriacensi constitutæ consilio Vicecomitum & Baronum terræ anno nongentesimo septuagesimo septimo: *Ille qui die assignata usque ad horam septimam coram priore non comparuerit, tanquam convictus judicabitur*. Illud quoque passim occurrit in veteribus amplissimi Senatus Parisiensis monimentis. Donec constitutione Francisci I. Regis statutum est, ut absente reo, actor tamen necesse habeat legitime probare justam actionis causam. Quod antea a judicibus Ecclesiæ, qui lege Romana utebantur, observatum. Eleutherius Papa apud Gratianum in can. *Caveant judices*. 3. quæst. 1.

(4) *Charta paricla.*) *Paricla* pro *paricula* scriptum est. Est autem judicium Comitis palatii, quo statuit, ut quidam, qui fugitivum servum recepisse accusabatur, certa die juraret cum sex aliis se non fecisse, & ita crimen obiectum purgaret. Et quia neutra pars victa dici poterat, jubentur ambo ejus judicii similia exempla accipere; ideo *paricula* dicitur *charta*, quod ejusdem exempli duæ litigantibus dandæ essent. Sic variar. formul. cap. 14. *Unde duas epistolas pariculas, uno tenore conscriptas, manu eorum vel bonorum hominum firmatas, inter se fieri & firmare rogaverunt.*

(5) *Itemque hominem.*) Videtur aliquid deesse, designatio videlicet quorundam qui eodem crimine accusabantur, quod dictio *item* demonstrat. Deinde quinque denominatos esse dicit, quorum unus jurare jubetur.

(6) *Fortiter visus est denegasse.*) Gregor. Turon. lib. 7. cap. 23. *Post hæc in judicium venit. Sed cum fortiter, ut diximus, denegaret, & hi non haberent qualiter eum convincere possent, judicatum est ut se insontem redderet sacramento.*

(7) *De quinque denominatis.*) Ex quinque reis unus purgari jubetur sacramento. Ex quo etiam patet initio capitis quædam deesse.

(8) *Sua manu septima.*) Porrectis namque manibus jurabant, tactisque sacrosanctis evangeliis, aut altari, aut etiam, quod frequentissimum erat, Sanctorum reliquiis. Solebant enim non in civilibus tantum & levioribus causis, sed & in criminalibus, cum nulla probatio suppeteret, jusjurandum decernere, ut reus crimen purgaret. Leg. Bajuvar. cap. 12. tit. 15. 2. *Judex causam suam bene cognoscat, & prius vel tacitus inquirat, ut eum veritas latere non possit; nec facile ad sacramenta veniatur*. Paullo post: *Nulli liceat perjurare, sed sicut judicatum est cogatur exsolvi. In his vero causis sacramenta præstentur, in quibus nullam probationem discussio judicantis invenerit*. Gregor. Turonens. lib. 7. cap. 23. Formulæ incerti auctoris cap. 2. 3. 5. In legib. Frisionum:

Non

pella Domni Martini (1), ubi reliqua ſacramenta percurrunt (2), debeant conjurare quod ſupraſcripto ſervo illo memoratus ille pedes fugitivos una cum rauba ſua in ſolidos tantos poſt ſe nunquam recepiſſet. Si hoc conjurare potuerit, de hac cauſa duɛtus ſedeat (3). Sin autem non potuerit, ipſo ſervo una cum rauba ſua in ſolidos tantos cum legis beneficium (4) partibus antediɛto illo reddere ſtudeat. Interim vero uſque in ipſo placito, non nec utra pars ex ipſis viɛta appareat, unde æquales præceptiones (5) eis fieri & accipere juſſimus.



*Non juret, ſed componat ac ſi ipſe eum occidiſſet.* Leg. Angl. tit. 9. *Si negat, cum undecim juret, aut campo decernat.* Denique nil frequentius in his legibus. Willelmi Normanni Angliæ Regis leges apud Hovedenum: *Si Anglicus appellaverit Francigenam, & eum approbare voluerit judicio, aut duello, volo tamen Francigenam purgari ſacramento, non ferro.* Verum non uni tantum reo deferebatur jusjurandum, ſed & alios tres, quinque, duodecim, aut amplius, prout judicatum fuerat, neceſſe habebat adducere, qui ſcilicet idem quod ipſe jurarent; qui *juratores* & *conjuratores* in Lege Salica dicuntur tit. 50. 55. 61. Capitul. lib. 3. cap. 9. ut *ſacramentales* & *conſacramentales* paſſim his legibus. Auɛtor vitæ S. Eligii Noviomenſis lib. 2. cap. 51. apud Surium: *Lata ſententia eſt ut vir ille cum multis aliis juraret. Sic enim apud Francos in more poſitum eſt. Verum Abbas omnibus aliis remiſit juramentum, ne alterius flagitio implicarentur. Solus ille agri uſurpator procerum ſententia jurare juſſus eſt.* Leg. Bajuvar. cap. 12. tit. 2. 3. *Cum duodecim ſacramentalibus juret de lite ſua, vel duo campiones propter hoc pugnent.* Gregorius Turon. lib. 8. c. 9. *Fredegundis Regina, conjunɛtis prioribus regni ſui, id eſt, tribus Epiſcopis, & trecentis viris optimis, ſacramenta dederunt hunc a Chilperico Rege generatum fuiſſe; & ſic ſuſpicio ab animis Regis ablata eſt.* Idem lib. 8. c. 40. de Pelagio quodam, qui res S. Martini abſtulerat, *ille eleɛtis duodecim viris ut hoc ſcelus pejeraret advenit*, Capitul. lib. 1. cap. 61. lib. 3. c. 9. & 10. lib. 5. cap. 353. & 362. Theganus Trevirenſis Chorepiſcopus de geſtis Ludeuvici c. 29. de Paſchalis Papæ purgatione. Inde frequentiſſime *manu quinta*, *manu ſexta*, *ſeptima*, *duodecima*, in veteribus legibus, Capitulis, epiſtolis Romanorum Pontificum, & in libris feudorum. Quæ demum purgatio canonica diɛta eſt, quod ea tantum purgationis ſpecies ab Eccleſia probaretur, ceteris duelli, ferri candentis, crucis, aquæ calidæ, panis hordeacei damnatis. Ea de re tituli ſunt libro quinto Decretalium, *De purgatione canonica*, & *De purgatione vulgari*. Jurisjurandi forma refertur leg. Alaman. tit. 6. ſolum videlicet reum conceptis verbis jurare, ceteros vero juratores hoc tantum credere, illum vera juraſſe. Innocentius III. Papa in cap. de teſtibus, de purgatione canonica: *Illi qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur, id ſolum tenentur juramento firmare, quod veritatem credunt eum dicere qui purgatur.* Ex conſuetudine tamen jurandi perjuria adeo invaluerant ut jurisjurandi probatio a pleriſque reprobaretur, & Burchardus Wormatienſis Epiſcopus in lege familiæ duellum ejus loco ſuffecerit. Vide Ottonis conſtitutionem in legib. Longob. lib. 2. tit. 55.

(1) *Super capellam Dom. Martini.*) Hoc eſt, ſuper reliquias S. Martini, quæ in palatio aſſervabantur: quibus etiam taɛtis, palatinæ cauſæ jurejurando finiebantur. Solenne fuit jusjurandum publice in Eccleſiis aut martyrum tumulis & altaribus præſtare, aut etiam extra Eccleſiam admotis Sanɛtorum reliquiis. Gregor. Turon. lib. 4. cap. 46. *Requirit hominem alium Urſum nomine, quem ad altare clam adduɛtum jurare fecit ac dicere; Per hunc locum ſanɛtum & reliquias martyrum beatorum &c.* Lib. 5. cap. 32. *Si, inquiunt, eſt innoxia, ſuper tumulum hoc beati Dionyſii martyris ſacramentis adfirma. Faciam, inquit pater. Tunc inito placito ad baſilicam martyris ſanɛti conveniunt; elevatiſque pater manibus ſuper altarium, juravit filiam non eſſe culpabilem.* Lib. 8. c. 16. de impii cujuſdam voce, qui pejerare conſueverat: *Ibo ad baſilicam beati Martini, & ſacramento me exuens innocens reddar.* Idem de miraculis lib. 1. cap. 33. *Quidam tempore Felicis (Biturigum) Epiſcopi vicinos ſuos quodam pro crimine impetebat: quos cum plerumque verbis procacibus laceſſeret, ac judicio publice provocaret, decretum eſt ſententia primorum urbis ut ſe ab hac noxa, qui impetebantur, ſacramento purgarent; ingreſſique in ejus memoratæ ædis altare, cum elevatis manibus ſacramenta proferrent &c.* Idem de miracul. lib. 1. cap. 20. 39. 53. lib. 2. cap. 19. 39. Idem de gloria confeſſ. cap. 93. 94. Leg. Alaman. tit. 6. *Sacramenta ſic fieri debent, ut illi juratores manum ſuam ſupra capſam ponant.* Capitul. lib. 1. c. 61. Synodi Meldenſis cap. 39. *Tantum hoc malum eſt ut ad ſanɛtuaria martyrum, ubi diverſorum ægritudines ſanantur, ibi perjurii, licet manifeſte interdum vexari non videantur, juſto Dei judicio a dæmonibus arripiantur, ſicut ſanɛtus dicit Gregorius.*

*Super capellam Dom. Martini.*) Capellam pro capſa dici, in qua martyrum oſſa conderentur, vel hic locus evincit. Nam & ſuper capſam jurare lex Alaman. tit. 6. dicit. Sic etiam accipitur in formulis incerti auɛtoris cap. 3. Evodius de miraculis Sanɛti Stephani lib. 1. *Capella argentea, in qua erat reliquiarum portio.* Reliquias igitur Sanɛti Martini in palatio aſſervatas innuit hæc formula. Unde capellæ regiæ ſeu ſacelli nomen. Sangallenſis lib. 1. cap. 4. *De pauperibus ſupradiɛtis quendam optimum diɛtatorem & ſcriptorem in capellam ſuam aſſumpſit. quo nomine Reges Francorum propter cappam S. Martini, quam ſecum ob ſui tuitionem & hoſtium oppreſſionem jugiter ad bella portabant, ſanɛta ſua appellare ſolebant.* Hodie vero capellam vocamus quam veteres cellam & ſacellum dixere.

(2) *Percurrunt.*) Id eſt, fieri & præſtari ſolent, a conſuetudine quæ impetu & curſu quodam fertur. S. Auguſtinus conf. lib. 1. cap. 16. *Væ tibi flumen moris humani; quis reſiſtet tibi? quamdiu non ſiccaberis?*

(3) *De hac cauſa duɛtus ſedeat.*) *Duɛtus* pro *eduɛtus*, hoc eſt, extra aleam & periculum poſitus. Non diſſimiliter de verbo *exire*, quod uſurpabatur de eo qui accuſatione impetitus, abſolutus eſt; ut & hodie, *il eſt ſorti d'affaire*, Auguſtinus ſermon. 18. in Matthæum in fin. p. 109. tom. 10.

(4) *Cum legis beneficio.*) Hoc eſt, pretio compoſitionis, quæ lege ſtatuta eſt. Videantur veteres leges.

(5) *Æquales præceptiones.*) Ejuſdem exempli. Inde in titulo, *charta paricla* ſeu *paricula*, variar. formul. c. 14.

*Ut pro nativitate Regis* (1) *ingenui relaxentur.*

XXXIX. Ille Rex Francorum viro inluftri illo Comiti. Dum & nobis divina pietas juxta votum fidelium & procerum noftrorum de nativitate filii noftri illius magnum gaudium habere conceffit, ut mifericordia Dei vitam eidem concedere dignetur, jubemus ut per omnes villas noftras, quæ in veftra vel in cuncto regno noftro aliorum domefticorum funt actionibus (2), tres homines fervientes in utroque fexu in unaquaque villa ex noftra indulgentia per veftras epiftolas (3) ingenuos relaxare faciatis.

*Ut leudefamio promittantur* (4) *Regi.*

XL. Ille Rex illi Comiti. Dum & nos una cum confenfu procerum noftrorum in regno noftro illo gloriofo filio noftro illo regnare præcepimus, ideo jubemus ut omnes pagenfes veftros, tam Francos, Romanos, vel reliqua natione (5) degentibus bannire (6) & locis congruis per civitates, vicos, & caftella congregare faciatis; quatenus præfente Miffo noftro (7), inluftri viro illo, quem ex noftro latere (8) illuc pro hoc dire-

---

(1) *Ut pro nativitate Regis.*) Regis eft epiftola, qua Comitibus & Domefticis mandat fibi filium natum. Ideoque jubet ut in unaquaque fifcali villa tres fervi manumittantur, & lætitiæ & eleemofynæ caufa. Eo pertinet & illud Gregorii Turon. lib. 6. cap. 23. *Dehinc Chilperico Regi, poft multa funera filiorum, filius nafcitur. Ex hoc jubet Rex omnes cuftodias relaxari, vinctos abfolvi; compofitionefque negligentum fifco debitas præcepit omnino non exigi.* Illud præterea in hoc lemmate obfervandum, filium Regis Regem dici, quod tunc ufitatum fuiffe ex Gregor. Turonenfi apparet, qui lib. 3. c. 22. Theodebertum Theoderici Regis filium Regem vocat; & lib. 4. cap. 13. *Intendebat & ipfe Rex Chramnus minas*; qui tamen perduellis, patre fuperftite Chlotario Rege, interfectus eft. Sic & filiæ Regum Reginæ dictæ. Gregor. Turon. lib. 10. c. 15. de Chrodieldi Pictavenfi moniali: *Nolite fuper me quæfo vim inferre, quæ fum Regina filia Regis.* Rigordus in Philippi Augufti vita, Regis Lufitaniæ filiam, Flandriæ Comiti nuptam, *Reginam Comitiffam* vocat. Nec novo id exemplo. Servius in Virgilii eclog. 3. in fin. *Regum autem nomina dixit, non quoniam ipfi Reges fuerint, fed quia Regum filii: ut, Magnum Reginæ fed enim miferatus amorem, cum de Ariadne diceret Pafiphaes Reginæ filia.* Sic & Claudianus Serenam Theodofii Imp. fratris filiam, Stiliconi nuptam, Reginam vocat in panegyrico Serenæ. Teucer apud Sophoclem in Ajace lorario matrem fuam filiam Laomedontis Regis a Telamone captam, Reginam natura fuiffe dicit: ἣ φύσει μὲν ἦν βασίλεια Λαομέδοντος. Sic Polyxena in Euripidis Hecuba fe Reginam vocat: Δούλη κεκλῆσθαι, βασιλὶς οὖσ' αἰσχύνομαι.

(2) *Aliorum domefticorum action b.*) Actionibus, id eft, officiis & minifteriis, qua de re latius fupra capite undecimo; de Domefticis vero ad caput ultimum libri fecundi dicetur.

(3) *Per veftras epiftolas.*) Formula epiftolæ manumiffionis, quæ juffu Regis a Domeftico celebratur, extat cap. ult. libri fecundi.

(4) *Ut leude famio promittantur.*) Hoc eft, ut fidelitatis facramentum Regis filio promittatur; quem Rex in parte regni fui Regem conftituit, in Auftria aut Neuftria fortaffe, quod crebro fub prima Regum Francorum familia factitatum. Corrupti vero quid effe in hoc titulo fufpicor, aut certe plenius inquirendum cenfeo. Nam quid *famio* fibi velit, nondum reperi. Fortaffe fcriptum erat: *Ut leudis facramentum promittatur Regi*; facramenti vocabulo breviatim fcripto, nec poftea intellecto.

(5) *Tam Franc. Rom. vel rel. nationes.*) Omnes quippe illi permixti habitabant. Sic fupra cap. 8. *Omnes populi ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, vel reliquæ nationes.* Romani autem, veteres incolæ appellabantur. Omnes namque provinciales Romani imperii, cives Romani erant poft conftitutionem Antonini, l. *In orbe.* De ftatu homin. Et inde everfo imperio nomen Romanum retinuere. Leg. Salicæ tit. 34. *Si Romanus Francum ligaverit fine caufa*; & tit. 43. 6. *Romanus homo conviva Regis.* 7. *Romanus homo poffeffor.* 8. *Romanus tributarius.* Greg. Tur. lib. 2. cap. 33. de Gundebaldo Rege: *Burgundionibus leges mitiores inftituit, ne Romanos opprimerent.* Leg. Burgund. tit. 40. *Ceterum fi quis pofthac barbarus vel teftari voluerit vel donare, aut Romanam confuetudinem aut barbaricam effe fervandam fciat.* Et paffim his legibus. Caffiodor. lib. 7. c. 3. *Neceffarium duximus illum &c. ad vos Comitem deftinare, qui fecundum edicta noftra inter duos Gotthos litem debeat amputare; fi quod etiam inter Gotthum & Romanum natum fuerit fortaffe negotium, adhibito fibi prudente Romano, certamen poffit æquabili ratione diftringere. Inter duos autem Romanos Romani audiant.* Vetus conftitutio Chlotarii Regis nondum edita, quam eruditiffimus Jac. Sirmondus humanitate & liberalitate fua mihi communicavit: *Inter Romanos negotia caufarum Romanis legibus præcipimus terminari.* Sed de his, fi Deus dederit, alias plura.

(6) *Bannire.*) Id eft, edicto convocare. Bannum enim edictum eft & denuntiatio quælibet. Appendix Gregorii Turon. cap. 87. *Juffu Sygoberti omnes leudes Auftrafiorum in exercitu gradiendum banniti funt.* Leg. Ribuar. tit. 67. *Si quis legibus in utilitatem Regis, five in hofte, five in reliquam utilitatem bannitus fuerit, & minime adimpleverit, fi ægritudo eum non detinuerit, folidis fexaginta mulctetur.* Capitular. lib. 3. cap. 69. *Quicunque homo noftros habens honores in hoftem bannitus fuerit.* Lib. 4. c. 25. *Non manniatur, fed per Comitem banniatur.* Hincmarus ep. 4. cap. 15. Synodus Confluentina an. DCCCLX. *Ab hoc die & deinceps de Dei banno & noftro bannimus ut nemo hæc amplius præfumat.* Sic bannum pro denuntiatione & edicto. Capitul. lib. 3. c. 66. & lib. 4. c. 24. & 60. Inde etiam pœna feu mulcta edicto non obtemperantis bannum dicitur fæpe in Capitulis & alias. Ut & heribannum pro mulcta ejus qui ad exercitum ire neglexit, quod nos *Arriereban* dicimus. Gregor. Turon. lib. 5. c. 26. lib. 7. c. 42. Capitul. lib. 3. cap. 14. & 35. Cujus vocis veftigia plura apud nos hodie remanent. Siquidem & nuptiarum proclamationem *bannos* appellamus.

(7) *Miffo noftro.*) Legato, qua voce nil frequentius.

(8) *Ex noftro latere.*) Sic Greg. Turon. lib. 4. c. 13. *Mifit Rex Imnachariam & Scaptarium primos de latere fuo.* Synodus Matifco-

direximus, fidelitatem (1) præcelso filio nostro vel nobis & leode (2) & samio (3) per loca sanctorum (4) vel pignora (5) quæ illuc per eodem direximus, debeant promittere & conjurare.

---

# LIBER SECUNDUS.

## INCIPIUNT CAPITULA DE CHARTIS PAGENSIBUS.

1. *SI quis monasterio aut exsenodochio de magna re vult construere.*
2. *Prologus qui de magna re facit Ecclesiis donationem.*
3. *Item alio prologo cum ipsa donatione ad hoc opus.*
4. *Cessio ad die præsente ad Ecclesiam, de villa.*
5. *Precaria de ipsa villa, dum advivit.*
6. *Donatio de parva re ad Ecclesiam.*
7. *Charta interdonationis inter virum & feminam de eorum res.*
8. *Item alia sine aliqua minuatione.*
9. *Charta obnoxiationis a patre in filiis facta.*
10. *Epistola cum in loco filiorum nepotes instituentur ab avo.*
11. *Charta qui suo nepote aliquid meliorare voluerit.*
12. *Charta ut filia cum fratres in paterna succedat alode.*
13. *Si quis extraneo homine in loco filiorum adoptaverit.*
14. *Pactum inter parentes, de hereditate eorum.*
15. *Libellum dotis,*
16. *Si aliquis puella invita traxerit.*
17. *Qualiter in uno volumine testament. persona condat.*
18. *Securitas pro homicidio facto, si se pacificaverint.*
19. *Venditio de villa.*
20. *Venditio de area infra civitate.*
21. *Venditio de campo.*
22. *Venditio de servo aut ancilla.*
23. *Concambio de villis.*
24. *Concambio de terra aut vinea vel prato.*
25. *Cautiones diverso modo factas.*
26. *Item alia.*
27. *Item alia.*
28. *Qui se in servitio alterius obnoxiat.*
29. *Charta de agnatione, si servus ingenua femina traxerit.*
30. *Libellum repudii.*
31. *Mandatum.*
32. *Ingenuitates diverso modo factas.*
33. *Item ingenuitates alio modo post discessum.*
34. *Item aliæ adbuc alio modo.*
35. *Evacuatoria de cautione, si non invenitur.*
36. *Si quis aliquis servo suo aut gasindo*



---

sconensis II. sub Guntchranno Rege c. 14. *Hi qui lateri Regis adhærent*. Vita Ludovici Pii, quæ etiam apud Adhemarum extat, & Aimoini continuationi subjuncta est lib. 5 c. 10. *Eodem anno generalem conventum Aquisgrani habuit, & per universas regni sui partes fideles ac creditarios a latere suo misit, qui æqui juris tenaces existentes perversa corrigerent, omnibusque congruum jus æquo libramine penderent*. Sangallensis lib. 2. cap. 9. *Tunc ex latere Cæsaris directi sunt qui eos honorifice introducerent*. Hodie quidem Summi Pontificis legatos Cardinales *Legatos a latere* dicimus.

(1) *Fidelitatem.*) Gregor. Turon. lib. 7. c. 7. *Priores quoque de regno Chilperici, ut erat Ansovaldus & reliqui, ad filium ejus, qui erat, ut superius diximus, quatuor mensium, se collegerunt, quem Chlotarium vocitaverunt, exigentes sacramenta per civitates quæ ad Chilpericum prius aspexerant, ut scilicet fideles esse debeant Guntchranno Regi ac nepoti suo Chlotario*. Et cap. 13. de Gararico Duce, qui *sacramenta de nomine Childeberti susceperat*. Appendix Greg. cap. 76. Capitul. lib. 3. cap. 8. *Ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur nisi nobis & unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem & sui senioris &c.* & cap. 88. Ejus porro sacramenti formulam Petrus Pithœus de litteris optime meritus edidit una cum secundæ Regum familiæ historicis.

(2) *Leode.*) Pro fide accipio. Leudes in leg. Wisigothor. lib. 4. tit. 5. cap. 5. Leudes namque apud Gregorium Turonensem ii dicuntur, qui fideles Regis sunt, & qui nulli præterquam Principi obnoxii sunt; quos sequens ætas *Barones* dixit. Gregor. Turonens. lib. 9. cap. 20. in pactione Regum apud Andelaum: *Leudes illi qui Domno Guntchramno post transitum Domni Chlotarii sacramenta præbuerunt*. Appendix Gregor. cap. 54. *Chlotarius cum proceribus & leudibus Burgundiæ Trecassinis conjungitur*; & passim. Idem leudes Baronum nomine comprehendit c. 41. *Burgundiæ Barones vero tam Episcopi quam ceteri leudes timentes Brunichildem*. Unde proculdubio feudum *leudum* sive *leben* hodie quoque Germani vocant, quod jam a Cujacio initio feudorum observatum est. Huc referri posset quod nos *ligium hominium* seu *homagium* dicimus.

(3) *Samio.*) Corrupte, ut quidem censeo; aut certe plenius inquirendum. Putarem notis *sacramenti* vocem hic scriptam nec intellectam.

(4) *Per loca sanctorum.*) Appendix Gregor. c. xc. *Hi duo Flaochatus & Willibaldus, eo quod multa ad invicem per loca sanctorum de amicitia obliganda sacramenta dederunt*. De ejusmodi sacramento proxime supra diximus.

(5) *Pignora.*) Reliquiæ Sanctorum. Id porro hic observandum, in eam rem a Rege missas ut sibi aut filio fidelitatis sacramentum præstaretur.

*aliquid concedere voluerit.*

37. *Gesta juxta consuetudinem Romanorum, qualiter donationes vel testamenta legantur.*

38. *Mandatum ad gesta.*

39. *Epistola si aliquis rem Ecclesiæ ad usum habeat, & de sua proprietate aliquid donet.*

40. *Præstaria de re Ecclesiis ab Episcopis facta.*

41. *Precaria, qui rem alterius sative vult & non potest, post & precaria.*

42. *Indiculum cum Episcopus ad alium in resurrectione Domini eulogias dirigit.*

43. *Rescripto ad Episcopo de visitatione.*

44. *Quomodo ad Rege, Regina, vel Episcopo post nativitate Domini visitatione directa scribatur.*

45. *Item alia de nativitate Domini.*

46. *Commendatitias litteras ad Episcopo jam cognito.*

47. *Item commendatitias litteras ad Abbate noto.*

48. *Suplicaturio pro eo qui de monasterio regreditur, aut illo qui ingredi voluerit.*

49. *Indiculum generale ad omnes homines.*

50. *Indiculo commendaturio ad viris inlustris laicis.*

51. *Indiculus ad omnes potentes palatinos, maxime ad cognitos sibi.*

52. *Qualiter pro nativitate filii Regis ex ordinatione dominica domesticus de villas Regis ingenuitates facere debeat ad servientes.*

## INCIPIT SCEDOLA QUALITER CARTAS PAGINSIS FIANTUR (1).

*De magna re qui vult exsenodochio (2) aut monasterio construere.*

I. DOmino vere sancto atque sedula ostensione patentibus virtutum miraculis Christi remuneratione fulgenti, oratorio ac cellula in honore sanctæ ac semper virginis genitricis Domini nostri Jesu Christi aut in alterius sancti constructa, ille, reus quidem meritis flagitiis, quoque sceleribus (3), prælascivis actibus ac nimia fœditate pollutus, vel opere omnium bonorum Christianorum longe satis extremus (4). Hoc tota pene sanctarum scripturarum series Christianis fidelibus pia exhortatione pronuntiat, hoc etiam tonitrua-lis

---

(1) Hujus libri titulus in Ms. ita conceptus erat: *Incipit scedola qualiter chartæ pagenses fiant*. Quod omissum nolui. Igitur superiore libro omnium litterarum & negotiorum formulas tradidit Marculfus quæ regio nomine & in palatio expediri solerent. Hic vero chartas pagenses continet, eas videlicet quæ in unoquoque comitatu & pago, in præsentia Comitis, aut Vicarii, aut Centenarii, aut etiam privatim peragi possent. Nam, ut antea diximus, rite & publice quippiam perficiendi duo tum legitimi modi, in palatio ante Regem, aut in pago ante Comitem. Pleraque existunt etiam negotia quæ per epistolam fieri possunt; quorum etiam formulæ secundo libro comprehenduntur. Ideoque magnus Cujacius, qui hoc eodem codice usus fuerat, hanc totius operis divisionem respiciens, hoc titulo Marculfum laudat: *In Marculfi monachi libro de formulis publicorum privatorumque negotiorum*, in Pauli sentent. lib. 4. tit. 6. Etsi non omnia quæ secundo libro traduntur privata sunt. Nam quod ante Comitem peragitur, publicum, non privatum est. Vide Capitul. lib. 4. c. 19. 26. 29.

(2) *De magna re qui vult xenodoch.*) Xenodochii seu hospitalis aut monasterii constructio est & dotatio, a privato quolibet in animæ remedium & peccatorum remissionem facta. Omnes quippe donationes, fundationes, & privilegia Ecclesiis concessa his atque adeo superioribus seculis hanc remedii animæ causam continent. Ut fallatur Falcetus qui antiq. lib. 5. c. 10. non ante Dagoberti Regis tempora Ecclesiis bona in animæ remedium aut remissionem peccatorum data existimat, sed tantum *ad opus, in usum luminum, & sarta tecta*. Nam vetustissima quæque monumenta etsi pecuniæ vel fructuum destinationem contineant, ut in sarta tecta aut in usum luminum sufficerent, hanc tamen causam prætendunt, ut ad veniam a Deo impetrandam dantibus prosint. Salvianus disertissimus ille Massiliensis Presbyter integris quatuor libellis Timothei nomine ad Ecclesiam catholicam divites omnes vehementissime adhortatur, præcipue eos quos gravium delictorum terror exagitat, quosque peccatorum conscientia excruciat, ut peccare & labi desinant, tandemque peccata sua misericordiis, largitionibus, & eleemosynis redimant. Gregor. Turon. lib. 6. cap. 20. de Chrodino quodam, qui domos, vineas, argentum Ecclesiis distribuens dicebat: *Sint hæc Ecclesiæ data, ut dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum*. Et lib. 9. c. 42. in Radegundis epistola: *Quæ alii pro animarum suarum remedio, vel sorores ibidem de rebus propriis contulerunt*. Hæc vero formula longam ejus argumenti præfationem continet. Qua ratione postea eo usque progressum est ut plerique crederent donationibus in Ecclesiam factis posse crimina quæcunque nullo negotio aboleri; ob eamque causam synodo Cabilonensi sub Carolo M. reprobata est hæc opinio cap. 36. nimirum adversus eos qui de industria peccantes per eleemosynas impunitatem sibi promittebant. *Non enim*, inquit, *idcirco quis peccare debet ut eleemosynam faciat, sed ideo eleemosynam facere debet quia peccavit*. Eodem pertinet quod tum illo Concilio, tum in Capitulis, res Ecclesiæ *patrimonia pauperum & pretia peccatorum* appellantur.

(3) *Quoque sceleribus.*) Pro *& sceleribus*.

(4) Hujus clausulæ, quæ durius conscripta, mendis etiam non caret, sententia est. Ille scelerum & flagitiorum conscientia excruciatus, & Christiano nomine indignus, optat dotatione & constructione monasterii & eleemosynis peccata sua extingui; quod etiam passim sacra Scriptura spondet; idque adductis rationibus plenius probat, deinde rem ipsam aperit.

lis illa Evangelistarum vox, sancto suggerente spiritu, sua potestate concelebrat, ut faciat in pauperes eleemosynam qui vult tartari evadere supplicia. Unde & Dominus in evangelio dicit: [α] *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*. Pensemus ergo omnes Christiani quanta sit pietas & largitio redemptoris ut eleemosynas pauperum promittantur nobis thesauri regni cælorum. Procuremus igitur sicut Dominus & salvator noster præcepit, & ac si non quantum avemus, saltim in quantum possumus, eleemosynam faciamus. Nemo itaque dubitet, nemo tardet: quia si nos facimus quæ Dominus & salvator noster præcepit, ille sine dubio facturus est quæ promisit. Ait enim scriptura: [β] *Abscondite eleemosynam in corde pauperis, & ipsa pro te deprecabitur Domino*. Abscondamus ergo eleemosynam in corde pauperis, ut proveniat nobis deprecatio pauperum in remissionem peccatorum. Multa quidem & alia quæ latiniosa sunt prosequi pro eleemosynis faciendis testimonia in scripturis sanctis reperimus; inter quibus vel ex quibus illam ego existimo potiorem sententiam quæ ait: [γ] *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum*. Quid ergo verius potest credi, quid confidentius, quidve expressius, quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Juste ergo extinguitur qui peccatorum incendia eleemosynis juxta pollicitationem divinam extinguere non festinat. Faciant quippe ceteri quod voluerint, agant quod ipsi maluerint, idcirco quia omnis homo suo sensu ducitur; ego tamen hujus rei exemplum secutus elegi ad præfato oratorio vel cellula, juxta Apostolorum numerum duodecim ad præsens pauperum, pro remissione peccatorum meorum, vel pro diluenda meorum mole peccaminum, Christo præsule conlocare; ubi etiam per præsentem epistolam donationis meæ dono ad præsente die quod in luminaribus ipsius oratorii vel in alimonia & substantiali victu, vestitu quoque & sustentatione ipsorum pauperum vel Clericorum ibidem servientium, Deo gubernante & opitulante, proficiat, donatumque in perpetuum esse volo, atque de meo jure in eorum dominatione & potestate lego, trado, transmitto, atque transfundo, hoc est, agros quorum vocabula sunt illa & illa, quæ ponuntur in territorio illo, pari modo, & quicquid in illo territorio ponitur, in omni soliditate portione mea, una cum mancipiis, ædificiis, vineis, terris, pratis, silvis, omnique jure eorum, una cum colonicis (1) adjunctis, adjacentiis earum, in omni soliditate earum, sicut a me noscitur fuisse possessum, aut mihi ex legitima successione aut undecunque aliquid mihi ibidem obvenit, cum omni soliditate vel opportunitate earum ad integrum; ea scilicet ratione atque prætexto ut remota Pontificum (2) simulque ecclesiasticorum omnium officialium seu publicorum omnium potestate, nullas functiones vel exactiones, neque exquisita & lauta convivia, neque gratiosa vel insidiosa munuscula, neque etiam caballorum pastus (3), aut paravereda (4), vel ceteras angarias, aut in quodcunque functionis titulum dici potest, de ipsa facultate penitus non requiratur, sed sub integra emunitate facultaticula ipsa, sicut a me huc usque possessa est, in jure oratorii sancti illi & prædictorum pauperum debeant Deo protegente & opitulante persistere; nisi tantum sancti & apostolici illius urbis Episcopi, in cujus oppido exsenodocius ipse ponitur, pro tradendis benedictionibus vel substituendis Abbatibus, Presbyteris quoque & Diaconibus, absque ulla pecuniarum adeptione; amplius vero donandi, exigendi, vel minuendi causam (5) nullam habeat potestatem. sed nec per commutationis locum quicquam ex hoc auferendi nullo tempore occasio vel aditus tribuatur, sed perpetualiter in potestate præfati oratorii sancti illius vel ipsorum pauperum Christo favente permaneat. Hoc etiam ipsis Pontificibus obsecro vel committo, ut illos per succedentibus temporibus, cum casus mortis extiterit, Abbatibus aut Clericis vel reliquis Clericorum gradus in eodem loco dignentur vel debeant instituere quos sapientia & eruditio scripturarum clarificat, vel quos vita sancta & actio bona aut conversatio honesta commendat. Unde obsecro clementissimis Regibus tam præsentibus quam futuris & omnibus in Deo Episcopis omnibusque potestatibus ac primatibus, omnes etiam seniores, quoscunque judices esse constiterit, per ineffabilem Dei omnipotentiam & per inseparabilem Patri & Filio & Spiritui sancto trinitatem, ut hac voluntate mea pro nullis occasionibus, sicut existente sine Deo cupiditate res exigi solet, nulla ratione nulloque tempore convellere permittatis, sed per sollicitudinem & curam Episcopi constare potius pro reve-



α Matth. 19. Luc. 18. β Eccli. 29. γ Eccli. 3.

(1) *Colonicis.*) De colonica dictum est supra lib. 1. cap. 30.

(2) *Remota Pontificum.*) Hæc clausula ad exemptionem Ecclesiæ pertinet, ex voto ædificantis vel dotantis, quæ justissima est causa; qua de re satis ad cap. 1. lib. 1.

(3) *Caballor. prestus.*) Prestus, id est, præstationes.

(4) *Paravereda.*) De quibus lib. 1. cap. 11.

(5) *Minuendi causam.*) Causa pro re, ut nostris *chose*. Gregor. Turon. lib. 4. cap. 13. *Multæ causæ per eum inrationabiliter gerebantur*. Capitul. lib. 5. cap. 360. *Si quis causam alterius tulerit de loco suo*. Pipinus Imper. *Non præsumant ipsi, aut homines illorum, alicui homini suam causam tollere, vel suum laboratum*. Leg. Longob. lib. 3. tit. 4. l. 5.

reverentia trinitatis immensæ vestro tempore & studio vel opere jubeatis; quatenus ut & ille vobis mercedem restituat in futuro qui scit me eleemosynis ipsis sanctis Dei pauperibus pro amore Domini nostri Jesu Christi ardenti desiderio tribuisse. Si quis huic voluntati meæ pro quibuslibet adinventionibus seu oppositionibus, sicut mundus cotidie artibus & ingeniis expolio obvius, vel repetitor, convulsor etiam, aut tergiversator extiterit, anathema sit; & tam qui fecerit quam qui faciendo consenserit, anathema sit; & sicut Dathan & Abiron hiatu terræ absorpti sunt, vivens in infernum descendat, & cum Ziezi fraudis mercatore (1) & in præsenti & in futuro seculo partem damnationis excipiat; & tunc veniam consequatur quando consecuturus est & diabolus, qui sese fallendo ætheria sede dejectus, cruenta adinventione bonis operibus semper obviare pervigilat; insuper etiam inferat sociante quoque tam in persecutione quam in exactione sacratissimo fisco (2), vel sancto Episcopo Ecclesiæ ipsius auri libras centum; & nihilominus hæc præsens epistola, quæ a me pro timore Dei & amore pauperum conscripta est, firma, incorrupta, intemerata, inviolataque permaneat. Ego namque de conlatis ac superius prænotatis rebus omnia ad curam & sollicitudinem aut defensionem rerum vel gubernationem ipsorum pauperum sancto ac prænotato Domno illo Episcopo vel successoribus suis, Deo sibi teste, committo; & instrumenta, per quod res ipsas auxiliante Domino per eorum sollicitudine defensentur, superscripto Domno illi Episcopo præ manibus tradidi; & qualiter ibidem provide, pie, rectene an secus egerit, Christo Domino in se judice recognoscat. Mihi autem nihil exinde proprietatis titulum penitus non reservavi: quia facile contemnit omnia qui cupit ab inferni faucibus erui, vel ille qui peccatorum remissionem Deo remunerante desiderat, aut ille qui semper cogitat eum velit nolit esse moriturum. Stipulatione, & cetera.

*Prologus (3) qui de grandi causa facit donationem.*

II. Quantum intellectus sensusque humanus potest mente sagaci pensare atque sollerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in hujus seculi luce gaudia fugitiva lucrare quam quod de rebus suis locis venerabilibus in alimoniis pauperum curetur impendere: quatenus fragilitatem naturæ quod omnes generaliter patiuntur, priusquam subitanea transpositio eveniat, oportet pro salute animæ vigilare, ut non inveniat quemquam imparatum, & sine aliquo respectu discedat a seculo. Quin potius, dum proprio libertatis jure subsistit, ex caducis substantiis in æterna tabernacula vitam quærat mercari æternam; ut inter justorum consortium desiderabilem valeat adipisci locum, & retributorem sibi præparet Deum, ut de fructu indeficienti paradisi mereatur foveri; de cujus vivo fonte, perfecta fide poscente, nec subtrahitur poculum, nec minuitur alveus, sed potius uti quisque hauserit, inrigatus dulcedine cœlitus, atque suavis ei flagratur odor balsami paradisi.

*Item alio prologo.*

In nomine sanctæ Trinitatis. Prosperum ac salubriter consilium immoque satis jocundum esse dinoscitur ut homo de mundanis rebus comparet paradisum & de terrena transferat in cælestia. Sic Dominus in sancto evangelio præclaram intonat vocem dicens: α *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi nec fur effodit, nec tinea sulcat.*

*Prologo de Clerico, qui in monasterio tonsoratur, qui suam rem ad ipso loco donat.*

Debet unusquisque largiente Domino, dum versatur in corpore, futura tractare & de caducis rebus mercari æterna; ut quandoquidem jubente Deo de corpore egredi contigerit, de mammona iniquitatis mansionem sibi reperiat comparatam in cælis. Idcirco ego ille cedo ad monasterio illo, ubi Abba ille custos præesse videtur, & comam capitis mei (4) ibidem deposui, & in ipso monasterio sub norma sanctorum vivere cupio, cessumque in perpetuum.

*Item prologo.*

Opportunum est unumquemque, dum terrena munera possidet, pro anima sua frequen-

α Matth. 6.

(1) *Ziziæ fraud. mercator.*) Intelligit Giezi, de quo 4. Reg. 5. 26. ubi de Naaman & Elizæo. Sic Gregor. Turonens. de mirac. lib. 1. c. 59. Sic & Tarasii epist. p. 11. Alii hujus maledictionis loco Judæ exemplum proponunt. Testamentum B. Remigii apud Flodoardum lib. 1. c. 18. vett. chartæ S. Benigni, & passim vetera instrumenta.

(2) *Socio quoque fisco.*) Alias: *societati quoque & fisco.* Utrumque retineri potest. In pœnis enim fiscum socium adjungebant, ut infra omnibus pene formulis.

(3) *Prologi.*) Præfationes sunt variæ quæ donationi ad Ecclesiam conveniunt, & omnes remissionis peccatorum & animæ remedii causas continent. Cujus exempli pleraque instrumenta donationum videre est in antiquis Ecclesiarum monumentis.

(4) *Comam capitis mei.*) Capitul. lib. 1. c. 137. *Ut liber homo qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundum regulam firmiter teneat.* In tabulario S. Martini Turonensis: *Ego Galfardus S. Martini humillimus Levita &c. dono, trado Deo necnon S. Martino, ubi parentes mei me obtulerunt, novo ordine traditionis per capillos capitis mei illic comam relinquens &c. proprium meum qui ex successione parentum meorum mihi obvenit &c. Dat. x. KL. Julii anno XVII. regnante Domno Karolo Rege.*

quentius cogitare, ut terrenam beatitudinem poſſidere mereatur. Ego inluſter vir ille ſentio me infra corpus meum infirmum eſſe & infra anima mea nimis eſſe peccatorem. Admonet me divina potentia, vel compunctio cordis mei mihi obvenit, ut pro peccatis meis remedium aliquid de res meas locis ſanctorum delegare debeam. Ideo cedo.

*Item prologo.*

In nomine ſanctæ Trinitatis. Proſperum, ſalubre, & ſatis jocundum eſſe cenſuimus ut homo de caduca quiſpiam ſeculi ad peccata ſua redimendum valeat offerre, aut quid promptiore conſilio, ut homo de mundanis rebus ſeculi comparet paradiſum, & de terrena ſubſtantia ſe transferat in cæleſtia. Itaque ego ille pro divino intuitu & mei mercede compendii, ut me Dominus in futurum veniam concedere dignetur, vel ut nomen meum in libro vitæ adſcribatur, dono ad jamdicto monaſterio in luminaribus Eccleſiæ vel in ſtipendiis pauperum aut monachorum, donatumque jure legitimo eſſe volo.

*Item prologo.*

Dum hujus exempli in quodam noſcitur cecidiſſe, patimur ærumnam, & die mortis cotidie ante oculos ſuſpicamur eſſe propinqua, oportet unicuique ob amore cæleſtis patriæ devotionis lucra complecti & res ſibi datas in ſanctorum vel etiam indigentium uſibus alegatas relinquere, ut peccatorum pondera, quæ pontificium pœnitendo non valent laxare, ab eorum interceſſione plenius ad veniam debeant pervenire. Idcirco ego ille.

*Item alio prologo cum ipſa donatione ad hoc opus.*

III. Mundi terminum ruinis crebreſcentibus adpropinquantem indicia certa manifeſtant & experimenta liquida declarare noſcuntur, & ad diſcutiendas torpentes infidelium mentes illa dudum in evangeliis a Domino dicta oracula incumbere noſcuntur. Ergo operæ pretium arbitror futurum viciſſitudine præoccupans anticipare, & incertum humanæ conditionis eventum ſagaci mentis intuitu providere; quatenus ex hoc inflictis facinorum vulneribus, indulta pietate, remedia merear adipiſci. Ergo ego in Dei nomine ille & conjux mea illa conſiderantes qua gravamur ſarcina peccatorum, & reminiſcentes bonitatem Dei dicentis: α *Date eleemoſynam, & omnia munda fiunt vobis*, de tanta igitur miſeratione & pietate Domini confiſi, idcirco per hanc epiſtolam donationis donamus, donatumque in perpetuum eſſe volumus, atque de jure noſtro in poteſtate & dominatione monaſterii illius in honore ſancti illius in pago illo conſtructi, ubi præeſt venerabilis ille Abba, vel turma plurima monachorum adunata, tranſmittimus atque transfundimus villas nuncupantes illas, ſitas in pago illo, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, adjunctis, adjacentiis, appendiciis, peculium utriuſque ſexus (1), mobilibus & immobilibus, ſicut a nobis moderno tempore poſſidetur, vel ſi inantea ibi undecunque aliquid augmentare vel meliorare poterimus, ad præfato monaſterio in alimoniis vel ſubſtantiis monachorum ibidem habitantium Chriſto protegente proficiat; ea ſcilicet ratione (2) ut dum pariter advivimus, antedictas villas ſub uſo beneficio tantummodo abſque ullo præjudicio vel diminutione aliqua ipſius monaſterii poſſideamus; niſi tantum ſi aliquem ex ſervientibus noſtris a jugo ſervitutis pro communi mercede relaxare voluerimus. Poſt obitum vero, quandoquidem Deus voluerit, noſtrum abſque ullius judicis vel heredum noſtrorum expectata traditione, cum omni re emeliorata, quicquid in ſupraſcriptas villas in quibuslibet rebus vel corporibus augmentatum vel melioratum fuerit, de præſenti hoc pars antedicti monaſterii vel memoratus Abbas ſuique ſucceſſores in Dei nomine perpetualiter recipiant poſſidendum, tanquam ſi ad præſens abſque uſu noſtro eorum fuiſſet ſubſecuta poſſeſſio; ita ut quicquid de prædictas villas propter opportunitatem ipſius monaſterii facere decreverint, liberum in omnibus potiantur arbitrium. Præſentem vero donationem, ne quicquam auri * (3) talium vilitate, geſtis municipa-

α Luc. 11.

(1) *Peculio utr. ſexus.*) Peculii vox varie accipitur. Nam præter notiorem ſignificationem ejus quod a patre vel domino filio aut ſervo conceſſum eſt, vel quod illi parſimonia & induſtria quæſierunt, veteres etiam omne patrimonium peculii nomine appellabant, auctore Servio in eclog. 1. a pecoribus in quibus eorum univerſa conſtabat ſubſtantia; unde & pecunia dicta. Ulpianus quoque ea quæ Græci παράφερνα dicunt, Gallos *peculium* appellaſſe teſtatur l. 9. §. *Dotis*. De jure dotium. Hic vero pro pecudibus peculium uſurpari manifeſtum eſt, idque non abs re, cum & peculii vox a pecudibus deducta ſit. Sic infra c. 4. *Peculio utriuſque ſexus majore vel minore*; c. 7. & alias ſæpe. Synodi Aurelianenſis I. cap. 17. *De his quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicunque fideles contulerint, antiquorum canonum ſtatuta ſerventur.* Rotharis Rex in legibus Longobardorum lib. 1. tit. 25. lege 44. *Si quis caballum alienum aut quodlibet peculium, credens ſuum eſſe, preſerit.*

(2) *Ea ſcilicet ratione.*) Precaria eſt, de qua poſtea cap. 5.

(3) *Ne quicquam auri.*) Aſteriſco hunc locum notavi, quod eum integra fide curare & reſtituere non potuerim. Senſus tamen hic eſſe videtur, donatorem velle præſentem donationem inſinuari geſtis municipalibus; etſi non ejus fortaſſe quantitatis ſit quæ inſinuationem de-

palibus alligari curavimus, & omnino decernimus ne aliquando in eam ob hoc caussam quisquam valeat reperire. Quod si aliquos instrumentis de ipsas villas de nomen nostrum in adversitate prædicti monasterii quolibet ordine comprehensus, aut anterius aut posterius prænotatos, quod nos nec fecimus nec facere rogavimus, a quocunque præter istum, quem firmissimum volumus esse, quoquo tempore ostensus fuerit, nullum sortiatur effectum, nisi vacuus & inanis appareat; auctorem vero criminis vel falsarium nec inultum tunc temporis patiatur judiciaria abire potestas. Si quis vero (1), quod futurum esse non credimus, huic voluntati nostræ per quibuslibet adinventionibus aliquis de heredibus nostris, aut judicum sæva cupiditas, vel qualibet persona, obvius repetitor extiterit, a conventu omnium Christianorum vel limitibus Ecclesiarum extraneus habeatur, & Judæ traditoris Domini nostri Jesu Christi perfruatur consortium, insuper etiam inferat partibus ipsius monasterii vel fratrum ibidem consistentium, sociato quoque tam in actibus quam in prosecutione sacratissimo fisco, auri libras tantas, argento pondo tanta, & ne sic quoque quod repetit valeat vindicare, nihilominus præsens donatio, quæ a nos pro timore Dei & amore pauperum Christi conscripta est, firma & inlibata omni tempore debeat permanere. stipulatione subnixa (2). Actum ibi sub die illo.

*Cessio (3) a die præsente ad Ecclesia.*

IV. Dum fragilitatis humani generis pertimescit ultimum vitæ temporis subitanea transpositione ventura, oportet ut non inveniat unumquemque imparatum, ne sine aliquo boni operis respectu migret de seculo; nisi dum suo jure & potestate consistit, præparet viam salutis, per quam ad æternam valeat beatitudinem pervenire. Ideoque ego in Dei nomine ille & conjux mea illa pro remedium animæ nostræ & remissionem peccatorum nostrorum, ut veniam in futurum consequi mereamur, cedimus a præsente die cessumque in perpetuo esse volumus, atque de jure nostro in jure & dominatione sanctæ Ecclesiæ illius in honore illius constructæ, villa nuncupante illa, sita in pago illo, quæ ex alode parentum aut undecunque ad nostra pervenit dominatione, & ad præsens possidere videmur, cum omni merito & termino suo, cum adjacentiis, adjunctis, appendiciis, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, cum pastoribus gregis, peculium utriusque sexus majore vel minore, mobilibus & immobilibus, vel quicquid dici aut nominari potest, & tempore præsente nostra videtur esse possessio, ad præsente Ecclesia volumus esse concessum; ita ut ab hac die memorata villa illa pars antedictæ Ecclesiæ, vel Pontifex civitatis illius, aut auctores Ecclesiarum, eam habendi, tenendi, possidendi, vel quicquid exinde pro opportunitate ipsius elegerint faciendi, liberum in omnibus perfruantur arbitrium; ita ut nomen nostrum in libro vitæ conscribatur, vel pro nos utrumque sacrificium post obitum nostrum pio Domino offeratur. Licet in cessionibus pœnam adnecti non sit necesse, sed nobis pro omni firmitate placuit inserendum. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipse, quod absit, aut aliquis de heredibus vel proheredibus nostris, seu qualibet persona, calliditate commotus, aut cupiditate præventus, ullo unquam tempore contra præsentem epistolam cessionis nostræ, quam propter nomen Domini & veneratione sancti ipsius loci spontanea voluntate fieri decrevimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiversator extiterit, anathema sit, & cum suprascripto Domno illo ante tribunal Christi deducat rationes, insuper inferat juxta pœna

desideret. Nam ducentorum aureorum donationes, non minoris quantitatis, insinuari solitas ante Justiniani constitutionem notum est.

(1) *Si quis vero.*) Omnibus fere hujus libri formulis pœna adscribitur, si adversus eas factum commissumve quid fuerit, ut & in Capit. lib. 3. c. 25. quod tutius est quam ad id quod interest agere, cujus plerumque difficilis probatio, & ad exiguam summam deducitur. l. ult. De prætoriis stipulat. Hincmarus de divortio Hlotharii & Tetbergæ ad XII. interrog. p. 402. *Sed & in jure civili in conscriptione chartarum conditionalis constitutio ponitur. quo dispendio qui eandem chartam infringere tentaverit, fisco multetur, & accusator accusationi scripturæ se a conditione mutare non poterit.*

(2) *Stipulatione subnixa.*) Fortasse quod stipulatio ante intervenerat. Vel etiam hujus clausulæ ea mens est, ut perinde firmum id habeatur atque si in stipulatum deducta res fuisset. Nam stipulatio commune erat omnium obligationum astringendarum vinculum. Paulus Sentent. lib. 5. tit. 7. Id porro ex jure Romano petitum, omnibus formulis etiam inferioris ævi adscriptum videre est: cujus loco sæpe in traditionibus Fuldensibus *culmo subnixa*, quasi stipulatio a stipula descenderet, quod Isidorus asserit origin. libro quinto: *Stipulatio a stipula. Veteres enim quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebant; quam iterum jungentes, sponsiones suas agnoscebant*, Quamquam credibile sit Isidorum, cum hæc scriberet, de jure hospitii & tessera hospitali cogitasse. Aliam certe stipulationis notationem Varro, aliam quoque Jurisconsulti tradunt.

(3) *Cessio.*) Ex caussa donationis. Vetus instrumentum donationis tempore Justini Imp. *Huic cessioni atque donationi a me factæ in beatissimo atque apostolico viro sacerdote Ravennatis Ecclesiæ ad omnia quæ superius tenentur adscripta relegi, consensi, & subscripsi, & testes ut subscriberent conrogavi, stipulantique vobis, vir beatissime, & actoribus tuis in præsentia constitutis in verbis solennibus spopondi.* Quæ ideo longius exscripsi, quia non longe a nostris formulis absunt.

na feculi, cum cogenti fifco, partibus ipfius Ecclefiæ, aut auri libras tantas, aut argenti pondo tanta, & quod repetit nullatenus valeat vindicare, fed præfens ceffio omni tempore inlibata permaneat, cum ftipulatione fubnixa.

*Precaria de ipfa villa* (1), *dum vivit.*

V. Domino fancto & apoftolica fede colendo Domno & in Chrifto patri illi Epifcopo ego ille & conjux mea illa. Pluribus non eft incognitum qualiter propter nomen Domini ad Ecclefiam illam in honore fancti illius villa noftra nuncupante illa, fita in pago illo, quicquid ibidem undecunque fuit noftra poffeffio, in integritate per epiftolam ceffionis noftræ vifi fuimus conceffiffe, & eam vos ad parte fuprafcriptæ Ecclefiæ recepiftis. Sed dum poftea noftra fuit petitio (2), & veftra benevolentia & pietas habuit, ut ipfa villa, dum advivimus, aut qui pari fuo ex nobis fuppreftis fuerit, dum advivit, nobis ad beneficium ufufructuario (3) ordine excolendum tenere per-

---

(1) *Precaria de ipfa villa.*) Res Ecclefiæ alienari non poffe multis fynodorum decretis, pluribus etiam Imperatorum Regumque conftitutionibus fancitum eft. Illud tamen receptum, ut petenti ad certum tempus rei ecclefiafticæ ufusfructus non denegetur, fi quidem non minus quam alterius tantę quantitatis quantam acceperat reditus cum ipforum prædiorum dominio Ecclefiæ derelinquat. L. *Jubemus.* §. *Sane omnis.* Cod. de facrofanctis Eccleſ. Synodi Belvacenfis cap. 11. Meldenfis cap. 22. Solebant & qui res fuas Ecclefiæ dabant precibus rogare ut fibi, quoad vixiffent, iis uti frui liceret, ut hæc formula oftendit, & fupra hujus libri cap. 1. 3. Incerti auctoris formulæ cap. 27. Formulæ Leg. Rom. c. 7. Leg. Alaman. tit. 2. *Si quis liber res fuas ad Ecclefiam Dei dederit &c. & poſthæc a paftore Ecclefiæ per beneficium fufceperit ad victualem neceffitatem conquirendam diebus vitæ fuæ, & quod fpopondit perfolvat ad Ecclefiam cenfum de illa terra &c.* Leg. Bajuv. c. 1. tit. 1. *Poſthæc nullam habeat poteftatem exinde quicquam auferre, nec ipfe, nec pofteri ejus, nifi defenfor Ecclefiæ illius per beneficium præftare voluerit ei.* Fortunatus libro 8. carm. ad Gregorium Turonenfem pro agro præftito; tum carm. 22. ad eundem, precatoria pro ipfo agro:

*Quando repofcetur, veftris redit ufibus arvum,*
*Et domino proprio reftituemus eum.*

Inftrumentum vero feu chartam quæ eo nomine conficiebatur, *precariam* & *precatoriam* appellabant, quod precibus conceffa videretur. Concilii Toletani VI. c. 5. *Si quis Clericorum vel aliarum quarumlibet perfonarum ftipendium de rebus cujufdam Ecclefiæ Epifcopi percepit largitate, fub precariæ nomine debeat profeffionem fcribere, ut nec per tentionem diuturnam præjudicium afferat Ecclefiæ.* Synodi Epaunenfis c. 18. Rhemenfis fub Carolo Magno cap. 35. Unde & ipfum negotii genus precaria dicitur. Quod a precarii contractu aperte deductum eft, quamvis diverfa fit utriufque negotii natura. Nam ad certum tempus precaria conftituitur, non ad domini nutum; & utplurimum merces five cenfus in precaria intervenit, non autem in precario, quod gratuitum eft. Tandem omnis conceffio ufusfructus rerum Ecclefiæ ad certum tempus, precaria dicta eft; licet qui petit, de fuo nihil donaverit. Pipinus Rex in fynodo an. DCCXLII. *Ut fub precario & cenfu aliquam partem ecclefialis pecuniæ in adjutorium exercitus noftri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus &c. & iterum, fi neceffitas cogat, aut Princeps jubeat, precarium renovetur & refcribatur novum.* Capit. lib. 5. c. 3. ex fynodo Leptinenfi; & lib. 7. c. 142. *Præcipimus ut nullus res Ecclefiæ nifi precario poffideat; & poftquam ipfæ precariæ finitæ fuerint, faciant poteftative fpeculatores Ecclefiæ utrum elegerint, aut ut ipfas res recipiant, aut pofteris eorum fub precario & cenfu habere permittant.* Vide infra c. 39. 40. 41.

(2) *Noftra fuit petitio.*) Flodoardus hift. Rhem. lib. 2. c. 1. de Mapinio Epifcopo: *Hujus quoque temporibus Suavegottho Regina Rhemenfi Ecclefiæ tertiam partem villæ Virifiaci per teftamenti paginam delegaffe reperitur. Quam partem ipfe quoque Præful Teudechildi præfatæ Reginæ filiæ ufufructuario per precariam falvo Ecclefiæ jure conceffit, ita dumtaxat ut poft ejus obitum, abfque ullo præjudicio, ficut ab ea meliorata fuiffet, ad ditionem Rhemenfis revocaretur Ecclefiæ.*

(3) *Ad benefic. ufufructuar.*) Sic beneficium pro precario accipit Tertullianus adverfus Hermogenem: *Tribus modis aliena fumuntur, jure, beneficio, impetu, id eft, dominio, precario, vi, dominio non fuppetente.* Horatius epift. 2. lib. 2.

*Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ*
*Nunc prece, nunc precio, nunc vi, nunc forte fuprema*
*Permutet dominus.*

Ideoque & precarium genus liberalitatis effe Jurifconfulti teftantur. l. 1. & 2. De precario. Sic & in l. *Jubemus.* §. *Sane.* Cod. De facrofanctis eccleſ. ubi hoc negotii genus defcribitur: *Pacta confcribat per quæ & tempus intra quod hoc præftari placuerit ftatuatur, & manifeftum fit quod quifque acceperit hujufmodi beneficii gratia.* Leg. Alaman. tit. 2. *A paftore Ecclefiæ per beneficium fufceperit.* Leg. Baiuvar. cap. 1. tit. 1. *per beneficium præftare.* Conftitutio fynodi Piftenfis an. DCCCLXII. de villis B. Dionyfii: *Has villas, cum ceteris quæ per precarias aut beneficia inde homines retinent &c.* Inde beneficii nomine ea prædia dicta, quæ pro fervitio militari a Rege five etiam ab aliis concedebantur, quæ feuda pofteritas dixit. Initio namque vita accipientis finiebantur, & ex certis caufis revocari poterant. Capitul. lib. 1. c. 126. *Qui beneficia regalia tam de rebus ecclefiafticis quam quæ & de reliquis habere videntur &c.* Lib. 3. cap. 5. 19. 20. lib. 4. cap. 9. Carolus Calvus Rex in diplomate pro Ecclefia Rhemenfi apud Flodoard. lib. 3. c. 4. *Quicquid exinde nos fidelibus noftris beneficiavimus, præfentialiter reftituimus.* Hincmarus de villa Novilliaco: Carolus *dedit villam Novilliacum in beneficio Anfchero Saxoni, qui nonas ac decimas ad partem Rhemenfis Ecclefiæ ufque ad mortem fuam perfolvit.* Synodi Meldenfis c. 18. *Ut præcepta illicita jure beneficiario de rebus ecclefiafticis facta a vobis fine dilatione refcindantur.* Et cap. 20. cap. 53. Itaque cum Hadrianus Papa ad Fridericum Ænobarbum fcripfiffet *multa fe ei beneficia* contuliffe, hoc verbo exarfit Imperator; quod fic excufat Pontifex apud Radevicum lib. 3. c. 22. *Licet enim hoc nomen, quod eft beneficium, apud quofdam in alia fignificatione quam ex impofitione habeat affumatur, tunc tamen in ea fignificatione accipien-*

permisistis; ea scilicet ratione ut nihil exinde penitus de qualibet re alienandi aut minuandi pontificium non habeamus (1), sed absque ullo præjudicio supraſcriptæ Ecclesiæ vel vestro eam tantummodo excolere debeamus. Ideo hanc precariam vobis emittimus, ut nullo unquam tempore nostra possessio, etiamsi spatium vitæ nobis Dominus prolongaverit, nullo præjudicio aut deminutione aliqua de ipsa villa vobis generare non debeat, nisi usu tantum, dum advivimus, habere debeamus, & post nostrum ambobus discessum, cum omni re meliorata, quicquid ibidem undique adtrahere aut meliorare poterimus, per hanc precaturiam (2), ac si semper per quinquennium renovata (3) fuisset, absque ullius judicis aut heredum nostrorum expectata traditione, vos vel successores vestri aut agentes Ecclesiæ in vestram eam faciatis dominationem revocare perpetualiter possidendum, vel quicquid exinde facere elegeritis, sicut nostra continet epistola, ad profectum præfatæ Ecclesiæ Domni illius liberum habeatis arbitrium. Facta precaria ibi.

*Donatio de parva re ad Ecclesia.*

VI. Si aliquid de rebus nostris locis sanctorum vel in substantia pauperum conferimus, hoc nobis proculdubium in æterna beatitudine retribuere confidimus. Ergo ego in Dei nomine ille in amorem Domini nostri Jesu Christi & remissionem peccatorum meorum, ut veniam delictis meis consequi merear in futurum, dono donatumque in perpetuum esse volo ad basilica illa in honore sancti illius constructa portionem meam in villa nuncupante illa, in pago illo, quicquid ibidem ad præsens tam de alode parentum vel de qualibet adtractu possidere videor, totum & ad integrum ad præfata basilica volo esse donatum; ea videlicet ratione ut dum advixero, sub usu beneficii teneam absque ullo præjudicio vel deminutione aliqua de qualibet re antedictæ basilicæ excolere debeam. Post meum quoque quandoquidem Deus de hac luce voluerit discessum, de præsente, absque cujuslibet judicum aut heredum meorum expectata traditione aut contrarietate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, campis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscunque beneficiis Abba de ipsa basilica vel agentes ejus in eorum debeant dominatione revocare perpetualiter possidendum; habendi, tenendi, vel quicquid exinde pro opportunitate antedictæ Ecclesiæ elegerint faciendi liberam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipse, quod absit, aut aliquis de heredibus nostris, seu qualibet opposita persona, calliditate commotus, aut cupiditate præventus, contra hanc epistolam (4) do-

---

*piendum fuerat quam nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum; & dicitur beneficium apud nos, non feudum, sed bonum factum.* Aliquando autem in donationibus Ecclesiæ factis nominatim cavebatur ne in beneficium præstarentur; cujusmodi exempla sunt in traditionibus Fuldensibus lib. 1. *Ut nulli Clericorum aut laicorum aliquando res ipsæ quas tradidi in beneficium præstentur, sed ad locum quo præfatus martyr corpore quiescit perpetuo deserviant.* Lib. 2. *Ut nullius Clerici aut laici aut alterius personæ beneficium nunquam fiat; & si unquam factum fiat, nos jure hereditario prædictum locum accipiamus, vel successores nostri accipiant.* Flodoardus lib. 3. cap. 10. Anselmus Leodiensis cap. 56. *In tres portiones prædia Ecclesiæ divisit, unam sibi & successoribus reservavit, alteram Ecclesiis ac monasteriis impertiit, tertiam militibus, qui Ecclesiam armis protegerent, habere concessit.*

(1) *Pontificium non hab.*) Id est potestatem, facultatem. Infra cap. 8. 9. & passim his formulis. Gellius lib. 1. c. 13. *Re semel statuta deliberataque ab eo cujus negotii id pontificium esset.* L. 1. Cod. Th. de maternis bonis: *Ita sint in parentum potestate atque dominio ut fruendi pontificium habeant, alienandi eis licentia denegetur.* L. 3. Cod. Th. de fide cath. *Neque his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum pontificium facultatemque permitto.* In veteri instrumento S. Galli Alamannicar. Antiquit. tom. 2. quo etiam precaria huic formulæ omnino simillima continetur: *Absque præjudicio S. Galluni ipsam villam tenere & usare facias, & nullum pontificium habeas de ipsa villa nec vendere, nec donare, nec alienare, nec minuare, sed in quo possumus, semper meliorare faciamus.*

(2) *Per hanc precaturiam.*) Precaturia pro precaria. Synodi Epaunensis cap. 18. *Quod Clerici etiam sine precatoriis qualibet diuturnitate temporis de Ecclesiæ remuneratione possederunt, in jus proprietatis temporis præscriptione non vocetur.* Flodoard. hist. Rhemens. lib. 2. c. 5. ex synodo Rhemensi sub Sonnatio Episcopo: *De his quæ per precatoriam impetrantur ab Ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in jus proprium usurpentur, & Ecclesiæ defraudentur.*

(3) *Per quinquenn. renovata.*) Infra cap. 39. *absque ulla alia renovata, ut mos est in ceteris, precaria.* Incertus auctor cap. 41. *Et ut aliæ precariæ de quinquennio in quinquennium renovantur, istam vero non sit necesse renovandi.* Id institutum, ne longinquitas temporis proprietati obsisteret, ut Toletani Concilii sexti verbis utar. Synodi Belvacensis cap. 13. *Ut precariæ de quinquennio in quinquennium secundum antiquam consuetudinem & auctoritatem renoventur.* Meldensis cap. 22. Capitul. Caroli Calvi cap. 9. Burchardus lib. 3. cap. 169. cap. 1. De precariis. Precariarum porro, præter has formulas, exempla extant in appendice Flodoardi, ubi de Adalberone Episcopo Rhemensi, in veteribus S. Galli instrumentis, quæ Alamannicar. Antiquit. tom. 2. a Goldasto edita sunt, & in traditionibus Fuldensibus.

(4) *Contra hanc epistolam.*) Nil frequentius hoc libro & in formulis leg. Rom. quam per epistolam negotium gerere; atque adeo omnes hujus libri formulæ in epistolæ modum conceptæ sunt, ut supra *Domino sancto &c.* infra *Dulcissimis filiis, nepotibus &c.* Receptum illud esse sub Romanis Imperatoribus probabile est, par-

donationis noſtræ, quam ſpontanea voluntate propter nomen Domini fieri decrevimus, venire aut eam infrangere conatus fuerit, iram trinæ mageſtatis incurrat, & cum ſupraſcripto ſancto illo ante tribunal Chriſti deducat rationes; inſuper inferat partibus ipſius baſilicæ, cum cogente fiſco, auri libras tantas, argenti tantas, & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens epiſtola omni tempore firma & inviolata permaneat, ſtipulatione ſubnixa.

*Charta interdonationis inter* (1) *viro & femina de eorum res.*

VII. Quicquid enim inter conjugatos de propria facultate, manente caritate, pro amore dilectionis in invicem condonare placuerit, ſcripturarum neceſſe eſt titulis allegare, ne in poſterum ab heredibus eorum vel a quocunque poſſit convelli: quia ſecundum legem, ſi manente conjugio vir uxori vel uxor marito aliquid donaverit, ſi is cui donatum eſt prior mortuus fuerit, apud donatorem ea quæ donata fuerint remanebunt. Igitur ego in Dei nomine ille, & te dulciſſima conjux mea illa, dum & inter nos procreatio filiorum minime eſſe videtur, ideo convenit nobis ut omne corpore facultatis noſtræ invicem uſufructuario ordine condonare debeamus. quod ita & fecimus. Proinde dono tibi, dulciſſima conjux mea, ſi mihi in hunc ſeculum ſupreſtis fueris, omni corpore facultatis meæ, tam de alode, aut de comparatum, vel de qualibet adtractu, ubicunque habere videor, & quod pariter in conjugium (2) poſiti laboravimus, tam terris, villabus, domibus, cum omni præſidio, accolabus, mancipiis, vineis, campis, pratis, aquis, aquarumve decurſibus, aurum, argentum, veſtimenta, peculium utriuſque ſexus majore vel minore, ita ut dum vixeris uſufructuario ordine valeas poſſidere vel dominare; excepto quod pro animæ remedium ad loca ſanctorum condonavimus, ut inſpecta noſtra delegatione in omnibus conſervetur, & quantumcunque de alode noſtra poſt meum diſceſſum pro communi mercede ad loca ſanctorum legaliter condonare & delegare volueris, hoc licentiam habeas faciendi, & inſpecta delegatione inconvulſum permaneat; in reliquo vero omnes res ipſas, quantum poſt tuum diſceſſum inteſtamentum remanſerit, ad noſtros legitimos revertatur heredes. Similiter & ego illa, dulciſſime jugalis meus ille, commonet me dulcitudo tua, in compenſatione rerum tuarum quod in me viſus es contuliſſe, ſi mihi in hunc ſeculum ſupreſtis fueris, dono tibi omni corpore facultatis meæ, ubicunque, undecunque, tam de hereditate parentum quam de comparatum, vel quod pariter laboravimus, totum & ad integrum, tam in villabus, domibus, & cetera, excepto quod pro animæ remedio ad loca ſanctorum delegavimus, ut inſpecta ipſa inſtrumenta, in omnibus conſervetur, & quod de ipſa alode mea poſt meum diſceſſum pro communi mercede ad loca ſanctorum *** vel ingenuos relaxare volueris, licentiam habeas, & inſpecta ipſa inſtrumenta, in omnibus conſervetur. Poſt tuum quoque diſceſſum, quicquid inteſtamentum remanſerit, ad noſtros heredes, qui tunc propinquiores fuerint, revertatur. Si vero, quod futurum eſſe non credimus, aliqui de heredibus noſtris vel quicunque contra hanc interdonationem, unde inter nos uno tenore conſcriptas firmavimus, venire aut infrangere voluerit, nullatenus valeat vindicare, ſed inferat partibus veſtris, cum cogente fiſco, auri libras tantas, argenti tantas; præſente vero epiſtola in nullo poſſit convelli, ſed firma & inlibata permaneat.

*Item alia ſine aliqua minuatione.*

VIII. *Iſta alia a capite inſtar prioris uſque* dum advixeris uſufructuario ordine debeas poſſidere, poſt tuum quoque diſceſſum ad legitimos noſtros revertatur heredes, & nullum pontificium quicquam exinde alienandi aut minuandi habere non debeas. Similiter & ego illa, dulciſſime jugalis meus ille, commonet me dulcitudo tua in compenſatione rerum tuarum, quod in me viſus es contuliſſe, ſi mihi in hoc ſeculum ſupreſtis fueris, omnes res meas quaſcunque, aut ubicunque, tam in terris, & reliqua, ſub uſu beneficio debeas poſſidere, & nullum pontificium quicquam exinde alienandi, aut minuandi præter uſum tantum non habeas, & poſt tuum diſceſſum ad legitimos noſtros revertatur heredes.

*Char-*

---

paulatim recedente ſolennium verborum uſu, quibus per multas ambages res agebantur. Itaque & manumiſſio per epiſtolam fieri poterat. l. *Qui abſenti*. 38. De adquirenda vel amitt. poſſeſſ. §. *Multis*. Inſtit. de libertin. Cautionum quoque & obligationum per epiſtolam exempla paſſim occurrunt. Imo & teſtamenti loco plerunque epiſtolæ ſcribi ſolitæ, ut de Hilarione B. Hieronymus prodit, earumque epiſtolarum infinita exempla Juriſconſulti proferunt. l. *Miles*. 75. De legat. 2. l. *Alumnæ*. §. ult. De adim. leg.

(1) *Charta donat. inter.*) De ejuſmodi donatione lib. 1. c. 12.

(2) *Quod pariter in conjugio.*) Leg. Salicæ tit. 47. 2. *Si ibi aliquid elaboravit, quia legem noluit audire, amittat.* Leg. Ribuar. tit. 39. 2. *Tertiam partem de omni re quam ſimul conlaboraverint.* Tradition. Fuldenſ. lib. 1. *Notitia traditionis Hrungboten, qualiter ille pro æterna retributione elaboratum ſuum omne tradidit, hoc eſt, porcos* LX. *vaccas* VI. *oves* XII. Alibi in donatione Benedicti: *De elaboratu meo ſunt hæc, boves* XXXIX. *porci* LXXII. *oves* XX. *mappas* IV. *manutergia* II. *plumacia* VI. *opertoria* II. *pallia linea* VI. *pulvilli* XIV. *&c.* Lib. II. *Trado omnem laborem meum.*

*Charta obnoxiationis* (1) *a patre in filiis facta.*

IX. Dulcissimis filiis meis illis ego ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos villas aliquas nuncupantes illas, sitas ibi, genetrice vestra illa, antequam eam meo sociassem conjugio, per epistolam cessionis aut libellum dotis visus sum condonasse. Sed dum & ipsa, peccatis meis facientibus, ab hac luce discessit, & vos omni alode ipsius genetrice vestra illa, juxta quod & ratio præstitit, mecum exinde in præsentia bonorum hominum aut Regis altercastis, per ipsam epistolam, quam in eam feceramus, contra nos evindicastis (2), & in vestra potestate omne alode ipsius recepistis. Sed dum mea fuit petitio, & vos, ut condecet bonis filiis, voluntatem meam obtemperantes, ipsas villas vel res quæ fuerunt genetrice vestra, quas ego ei dedi vel condonaveram, mihi ad usum beneficii tenere & excolere absque ullo vestro præjudicio permisistis, ideo nobis complacuit alias villas nostras illas pro vestra benevolentia & suprascripto usu de villas vestras per hanc epistolam obnoxiationis vobis obnoxiasse; ita ut deinceps tam suprascriptas villas quam etiam & illas quas supra scriptæ genetricæ vestræ per meam epistolam contuleram, per vestro beneficio excolere debeamus, & nullum pontificium de omnia suprascripta nec vendere nec alienare nec concambiare nec per qualibet ingenio minuare habere non debeam potestatem, nisi tantum usum, sed per hanc epistolam obnoxiationis meæ in vestro sint arbitrio & potestate, & quandocunque volueritis, & vobis placuerit, absque ulla mea contrarietate aut repetitione omnia superius prænotata, tam quod vestrum antea de parte genetrice vestræ fuit alode, quam & illas alias nuncupantes sic, quod vobis pro ipso usu visus sum obnoxiasse, in vestra debeatis revocare dominatione perpetualiter ad possidendum, vel quicquid exinde facere volueritis, liberam inde habeatis potestatem, absque alia aliqua intercedente precaria, sed per hanc obnoxiationem, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, perpetim valeat obtinere vigorem. stipulatione subnixa. Actum & reliqua.

*Epistola cum in loco filiorum* (3) *nepotes instituuntur ab avo.*

X. Dulcissimis nepotibus (4) meis illis ego ille. Quicquid filiis vel nepotibus de facultate pater cognoscitur ordinasse, voluntatem ejus in omnibus lex Romana constringit adimplere. Ideoque ego in Dei nomine ille, dum & peccatis meis facientibus genetrix vestra filia mea illa, quod non optaveram, tempore naturæ suæ complente ab hac luce discessit, ego vero pensans consanguinitatis causa, dum & per lege (5) cum ceteris filiis meis avunculis vestris in alode meo succedere minime potueratis, ideo per hanc epistolam vos, dulcissimi nepotes mei, volo ut in omni alode mea post meum discessum, si mihi superstis fueritis, hoc est, tam terris, domibus, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, peculium utriusque sexus majore vel minore, omnique supellectile domus, in quodcunque dici potest, quicquid supradicta genetrix vestra, si mihi superstis fuisset, de alode mea recipere potuerat, vos contra avunculos vestros filios meos præfata portione recipere faciatis, & dum ipsius filiæ meæ genetricæ vestræ, quando eam nuptam tradidi (6), in aliquid de rebus meis mobilibus, drappos, fabricaturas, vel aliqua mancipia in solidos tantos dedi, vobis hoc in parte vestra supputare contra filiis meis faciatis. Et si amplius

---

(1) *Charta obnoxiationis.*) Epistola est, qua pater, qui bonorum uxoris suæ præmortuæ usumfructum a filiis accepit, remunerandi causa illis donat villas quasdam suas, earum tamen usufructu retento; atque ita se obnoxium reddit, ut ne illas in posterum alienare aut minuere possit. Ideoque hæc formula obnoxiatio appellatur. Quæ res proxime ad precariam Ecclesiæ accedit, de qua infra cap. 39. Nam & in fine additur clausula precariis adscribi solita, ut perinde valeat atque si per quinquennium renovata fuisset.

(2) *Evindicastis.*) Flodoard. hist. Rhemens. lib. 3. c. 10. *Res quoque nonnullas, juraque Ecclesiæ, ac mancipia, legibus per advocatos evindicata recepisse reperitur.*

(3) *Epist. cum in l. filior.*) Epistola est codicillorum loco, qua avus nepotes ex filia præmortua ad successionem vocat. Similis est & alia inter formulas leg. Rom. cap. 22. Verum ad legem Romanam ea pertinet; hæc autem, quæ indistincte concepta est, ad legem Salicam, ut opinor, referenda, etsi de lege Romana potest etiam accipi; qua de re ad leg. Romanæ formulas.

(4) *Dulciss. nepotib.*) Sic in l. *Lucius Titius.* 88. §. *Quæ marito.* De legatis II. l. *Titia.* 34. §. 1. De legatis II. & passim. Proprium illud liberorum epitheton. *Dulces natos* dixit Virgilius Æn. 4. *Dulces liberos* Horatius

(5) *Per legem.*) Salicam scilicet. Illa etenim tit. 62. proximiores tantum admittit. & nepotes omnes repellit. Quod Childeberti Regis constitutione innovatum est: *Ut nepotes ex filio vel ex filia ad aviaticas res cum avunculis vel amitis sic venirent tanquam si pater aut mater vivi fuissent.* Potest & de lege Romana accipi, quæ ante Justinianum ab intestato tertiam partem aviaticæ successionis nepotibus ex filia detrahebat. l. IV. Cod Th. De legitimis hereditat. Ut opus fuerit hac epistola in vice codicillorum, ne ullam deminutionem paterentur.

(6) *Quando nuptam trad.*) Hoc est, ut dotem matris conferant, si ad ejus successionem accedere velint. l. 5. Cod. Th. de legitimis heredit. *Ut mixtis matrum suarum dotibus, avi hereditatem pro rata parte, quam lex divalis censuit, cum avunculis partiantur.* Ibid. Anianus: *quicquid filia accepit tempore nuptiarum.*

plius vobis insuper de præsidio nostro (1) obvenerit, tunc cum filiis meis avunculis vestris portionem vobis ex hoc debitam recipiatis, & quicquid exinde omnia superius conscripta facere volueritis, liberam habeatis in omnibus potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, aliquis de heredibus vel proheredibus meis, vel qualibet persona, contra hanc epistolam venire tentaverit, aut eam infrangere voluerit, inferat vobis tan. & quod repetit nullatenus vindicare valeat; sed præsens epistola omni tempore firma permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum illo.

*Charta qui filio aut nepote suo (2) aliquid meliorare voluerit.*

XI. Dulcissimo filio vel nepote meo illi ego ille. Quicquid pater unumquemque de filiis vel nepotibus plus habere voluerit, hoc sibi secundum legis ordinem sine consortis repetitione defendat, nec præsumat aliquis contra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ille, dum & mihi jam senectus adgravat & necessitates meas ut oportet procurare non valeo, & tu mihi in necessitatibus meis solatium præbere non desistis, & die noctuque deservire non cessas, ideo pro bonitate & pro respectu servitii tui, qua circa me desudas, cedo tibi cessumque in perpetuum esse volo, & de meo jure in tua transfundo dominatione & potestate, absque consortio fratrum (3) tuorum vel filiis meis (4), loco nuncupante illo, quicquid ibidem usque nunc tam de alode parentum quam de reliquo adtractu visus sum tenuisse, una cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscunque beneficiis, tibi, ut diximus, a die præsente volo esse concessum; ita ut ab hac die, sicut superius diximus, eum cum omni integritate sua habeas, teneas, possideas, vel quicquid exinde facere volueris, absque consortium fratrum tuorum vel filiorum meorum, liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, aliquis de heredibus vel proheredibus meis, seu qualibet persona, contra hanc cessionem meam quoquo tempore venire aut eam infrangere voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tantum, & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens epistola firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum.

*Charta ut filia cum fratribus (5) in paterna succedat alode.*

XII. Dulcissima filia mea illa, ego ille. Diuturna, sed impia, inter nos consuetudo [a] tenetur (6), ut de terra paterna (7) sorores cum fratribus portionem non habeant. Sed ego perpendens hanc impietatem, sicut mihi a Deo æqualiter donati estis filii, ita & a me sitis æqualiter diligendi, & de res



[a] Lex Salica tit. 62. c. 6.

(1) *De præsidio nostro.*) Supra lib. I. cap. 12. *Cum terris &c. seu præsidiis domus eorum.* Hoc libro cap. 7. *Terris, villabus, domibus cum omni præsidio, etiam peculium, præsidium utriusque generis & sexus.* Gregor. Turonens. lib. 6. c. 4. *Inruerunt in domo Lupi, & direpto omni præsidio, fingentes se illud in thesauro Regis recondere, suis eum domibus intulerunt.* Lib. 9. cap. 19. in pactione Regum apud Andelaum: *Si quid de agris fiscalibus vel speciebus atque præsidio pro arbitrii sui voluntate facere aut cuiquam conferre voluerit, in perpetuo auxiliante Domino conservetur.* Gregor. Turonens. de gloria confessor. cap. 107. *Habens divitias multas, & tam in fundorum possessione quam in præsidio domorum valde dives erat ac locuples.* Ex quibus locis conjicio præsidii nomine pecuniam numeratam, aurum, argentum, & alia id genus intelligi. Nam & Celsus in l. *Si chorus* 79. §. I. De Legatis III. ait Proculum referre *audisse se rusticos senes ita dicentes, pecuniam sine peculio fragilem esse, peculium appellantes quod præsidii causa seponeretur.* Cui convenit quod ait Constantinus Imp. in pecunia veteres robur omne patrimoniorum posuisse. l. 22. Cod. de administrat. tutor. In formulis vero incerti auctoris præsidii nomine pecudum greges & boum armenta significari videntur, cap. 47. *etiam peculium, præsidium utriusque generis & sexus.*

(2) *Charta qui suo nepote.*) Nolui quid immutare. Nam seculi & auctoris vitium esse videtur. Est autem formula donationis, qua pater nepoti ex filio aliquid donat, ut præcipuum illud habeat, sitque melior ejus nepotis conditio quam ceterorum.

(3) *Absque consort. fratr.*) In donatione Haganonis ad S. Martinum anno quinto Hludovici Imp. *Fridegiso Abbati trado mansum nostrum dominicatum, quem extra consortium fratrum in hereditate habemus in pago Blesensi.*

(4) *Vel filiis meis.*) Leg. *filiorum meorum.*

(5) *Ut filia cum fratribus.*) Lege Salica, Ribuaria, & aliis, filia in alode seu terra paterna non succedebat. Hac vero formula patrem ad successionem suam potuisse eam revocare & veluti heredem cum fratribus instituere manifestum est. Quæ formula apud Cujacium Observat. VIII. edita exstat.

(6) *Consuetudo tenetur.*) Consuetudinem vocat leges Salicas, Ribuarias, & similes, merito, cum multo ante usu receptæ quam in scriptis redactæ sint. Sic autem leg. Salicæ tit. 62. *De terra vero Salica nulla in mulieris hereditate transeat portio, sed virilis sexus totam terram proprietatis suæ possideant.* Quæ diversa ab editis, ex Ms. reg. exscripsi. Leg. Ribuar. tit. 58. *Sed dum virilis sexus extiterit, femina in hereditatem aviaticam non succedat.* Leg. Saxon. cap. 39. *Pater aut mater defuncti filiis, non filiæ, hereditatem relinquant.* Leg. Anglionum tit. 7. *Hereditatem defuncti filius, non filia, suscipiat. Si filium non habuit qui defunctus est, ad filiam pecunia & mancipia, terra vero ad proximum paternæ generationis consanguineum pertineat.* Quod & olim Armeniis placuisse & a Justiniano Imp. sublatum docet Nov. XXI.

(7) *Terra paterna.*) Alode. Leg. Ribuar. tit. 58. *terra aviatica*, in leg. Saxon. & Anglion. *hereditas.* Vide supra ad c. 12. lib. I.

res meas poſt meum diſceſſum æqualiter gratuletis. Ideoque per hanc epiſtolam te, dulciſſima filia mea, contra germanos tuos filios meos illos in omni hereditate mea æqualem & legitimam eſſe conſtituo heredem, ut tam de alode paterna quam de comparatum vel mancipia aut præſidium noſtrum vel quodcunque moriens reliquero, æquale lance cum filiis meis germanis tuis dividere vel exæquare debeas, & in nullo penitus portionem minorem quam ipſi non accipias, ſed omnia vel ex omnibus inter vos dividere vel exæquare æqualiter debeatis. Si quis vero. & quod ſequitur.

*Si quis extraneo homine* ( 1 ) *in loco filiorum adoptaverit.*

XIII. Domino fratri illo ille. Dum peccatis meis facientibus, diu orbatus a filiis, & mihi paupertas & infirmitas afficere videtur, & te, juxta quod inter nos bonæ pacis placuit atque convenit, in loco filiorum meorum viſus ſum adoptaſſe, ita ut dum advixero, victum & veſtitum, tam in dorſo, quam in lecto, ſeu calciamentum mihi in omnibus ſufficienter impertias & procures, & omnes res meas, quaſcunque habere videor, tam manſo, vinea, prato, peculio, ſeu reliqua ſupellectile domus mei, ſalvo jure ille, me vivente in tua poteſtate recipere debeas, propterea tibi hanc epiſtolam fieri decrevi, ut neque ego, nec ullus de heredibus meis, aut quicunque hanc convenientiam inter nos factam emutare non poſſit, ſed ſicut ſuperius continetur, mea neceſſitate, dum advixero, debeas procurare, & omnes res meas & ad præſens & poſt meum diſceſſum in tua poteſtate permaneant, & quod tibi exinde placuerit faciendi liberam habeas poteſtatem. Quod ſi aliquis hoc quoquo tempore emutare voluerit, inferat tibi tantum, & quod repetit vindicare non valeat, ſed præſens epiſtola omni tempore firma permaneat.

*Pactum inter parentes* ( 2 ) *de eorum hereditate.*

XIV. Quicquid enim inter propinquos de alode parentum, non a judiciaria poteſtate coacti ( 3 ), ſed ſponte, manente caritate, juſte debita unicuique portio terminatur, non de rebus detrimentum, ſed augmentum potius poteſt eſſe cenſendum. Et ideo neceſſe eſt inter ſe eorum facta ſcripturarum ſerie alligari ( 4 ), ne ab aliquibus in poſterum valeat refragari. Ideo dum inter illo & germano ſuo illo de alode genitoribus eorum ill. & ill. bonæ pacis placuit atque convenit ut eam inter ſe manente caritate dividere vel exæquare deberent. quod ita & fecerunt. Accepit itaque ille villas nuncupantes illas, ſitas ibi, cum mancipia tanta illa ſimiliter. De præſidio vero, drappos, fabricaturas, vel omni ſupellectile domus, quicquid dici aut nominari poteſt, æqualentia inter ſe viſi ſunt dividiſſe vel exæquaſſe, & hoc invicem pars parti tradidiſſe, & per fiſtuca omnia partitum eſſe dixiſſe. Propterea præſentes epiſtolas duas uno tenore conſcriptas locum pactionis inter ſe viſi ſunt conſcripſiſſe, ut nullus deinceps contra pare ſuo, niſi quod ad præſens accepit, de ipſa alode genitore eorum amplius requirendi pontificium habere non debeat. Quod ſi aliquando aliquis ex ipſis aut heredes eorum hoc emutare voluerint, aut amplius requirere quam accepit voluerit aut adſumere, inferat pari ſuo iſta tuta ſervanti auri libras tantas, argenti pondua tanta, & quod repetit vindicare non valeat, ſed præſens pactio omni tempore firma permaneat. ſtipulatione ſubnexa. Actum.

*Libellum* ( 5 ) *dotis.*

XV. Quod bonum, fauſtum,

( 1 )

( 1 ) *Si quis extran. hom.* ) Adoptio eſt; quæ tamen propriam legem continet. Fit enim ab eo qui rebus ſuis ſupereſſe non poteſt, ideoque ſtatim bonorum ſuorum poſſeſſionem in adoptatum transfert, ea conditione ut victum & veſtitum, quandiu vixerit, ei ſuppeditet.

( 2 ) *Pactum inter parentes.* ) Diviſio paternæ hereditatis inter fratres, ut & formulæ incerti auctoris c. 39. l. Rom. 25. Parentes autem hic & alibi non raro dicuntur non proprie & ex uſu veterum, ſed in ea ſignificatione quam vulgo hodie retinemus, pro quibuſcunque proximis vel conſanguinitate junctis. Gregor. Turon. lib. 5. c. 5. *Cujus parentes condolentes propinqui exitum &c.* lib. 6. cap. 36. *Conjuncti parentes graviſſimis Clericum tormentis ſubdentes interimere voluerunt.* Sic fortaſſe Tertullianus lib. de carne Chriſti: *Cum indignatio parentes non neget, ſed objurget, mox demonſtrat qua conditione negaverit matrem & fratres. Negavit itaque parentes.* Et ita ibi ſæpe. Qua voce etiam uſos antiquiores Spartianum & Lampridium cum aliis pleriſque doctiſſ. Caſaubonus ad Marci Imp. vitam notat.

( 3 ) *Non a judic. pot. coacti.* ) Fratres quippe communem hereditatem conſenſu dividentes pietatis officio funguntur, inquit Papinianus in l. ult. familiæ erciſcundæ.

( 4 ) *Scriptur. ſerie alligari.* ) In charta abſolutionis Henrici II. Angliæ Regis apud Hovedenum annal. part. poſt. *Ne in dubium veniant quæ geruntur, & uſus habet & communis conſideratio utilitatis expoſcit ut ſcripturarum ſerie debeant annotari.*

( 5 ) *Libellus dotis.* ) Quo pater ſponſi, ſponſæ dotem conſtituit. Nam apud Germanicas illas gentes, ut Tacitus ſcribit, *dotem non uxor marito, ſed maritus uxori offert.* Leg. Burgundionum tit. 42. & tit. 62. Mulier *ſi ad alias nuptias tranſierit, omnia perdat; dote tamen ſua, quam a marito ſuo acceperat, quandiu vixerit utatur, filio proprietate ſervata.* Leg. Ribuar. tit. 39. *De dotibus mulierum. Si quis mulierem deſponſaverit, quicquid ei per tabularum ſeu chartarum inſtrumenta conſcripſerit, perpetualiter inconvulſum permaneat.* Quibus verbis libellus dotis deſignatur; cujus ſpecimen hoc capite exſtat. Leg. Saxon. tit. 7. & 8. in Tillia-

(1) felix, prosperumve eveniat. De disponsandis maritandisque ordinibus (2), ac procreatione liberorum (3), causis quæ stant necesse est, ut omnia, etiam donatio, per scripturarum seriem pleniorem obtineant firmitatem. Donat igitur ille honestæ puellæ ac nurui suæ illæ, sponsa filio suo illo, ante die nuptiarum, donantisque animo (4) transfert atque transcribit, hoc est, in tanto dono villa nuncupante illa, sitam ibi, cum domo condigna ad habitandum, vel omni integritate ibidem aspiciente. Similiter & in dotis titulum alias villas nuncupantes illas, sitas ibi, mancipia tanta illa & illa, inter aurum & argentum (5), fabricaturas in solidos tantos, caballos tantos, boves tantos, gregem equarum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ovium; ita ut hæc omnia per manu sua ad suprascripta puella nuro sua illa ante die nuptiarum debeant pervenire & in sua dominatione revocare (6), vel quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem. Quod si quis contra hunc libellum dotis venire & eum infrangere conaverit, inferat partibus ill. tantum, & reliqua.

*Si aliquis puella invita (7) traxerit.*

XVI. Dulcissima conjuge mea illa, ille. Dum & te per voluntate parentum tuorum habui disponsatam, & absque tua vel parentum tuorum voluntate, rapto scelere, meo conjugio sociavi (8), id est, dum & te faciente conturno *(9) contra voluntatem parentum tuorum rapto scelere in conjugio sociavi, unde vitæ periculum incurre-



---

liana editione cap. 45. & 46. Leg. Alaman. tit. 56. Sic dotem accipit Gregor. Turon. lib. 6. c. 18. ubi legatos refert in Hispaniam a Chilperico Rege missos ad inspiciendam dotem, quæ ejus filiæ constitui deberet. Et in pactione Regum apud Andelaum lib. 9. *De civitatibus quas Gailesuindam germanam Domnæ Brunichildis tam in dote quam in morghangeba hoc est matutinali dono, in Franciam venientem certum est adquisisse &c.* Sic in synodo Triburiensi sub Arnulpho Rege cap. 25. *dotare*; ubi de Franco qui uxorem e Saxonia duxit, nec eam lege Francorum desponsavit vel dotavit. In charta libertatum Joannis Angliæ Regis apud Matthæum Paridem: *Assignetur viduæ pro dote sua tertia pars totius terræ mariti sui, quæ sua fuit in vita, nisi de minori dotata sit ad ostium Ecclesiæ*. Illud ipsum est quod *dotalitium* dicitur a Clemente III. Papa in cap. *Plerunque*. De donation. inter vir. & uxor. & quod nos hodie *doarium* appellamus. Ejusmodi dotis constitutio a Willelmo Siciliæ Rege in Joannam Henrici II. Angliæ Regis filiam facta exstat in annalib. Rogerii Hovedeni. Est & alia libelli dotis formula c. 37. formular. incerti auctoris. Quibus addere visum est libellum dotis non dissimilem, a doctiss. viro Joh. Belio mihi concessum, qui circa annum MXL. conscriptus est.

*Cum Dominus omnipotens & excelsus condidit hominem ad imaginem & similitudinem suam, dixit: Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una; non tamen duo, sed una caro. Et: Quod Deus conjunxit homo non separet. Igitur ego in Dei nomine Adam, dilectissima sponsa mea nomine Heldigardis, dono tibi donatumque esse volo de rebus meis, seu de beneficiis meis quæ sita sunt in pago Andecavis in villa quæ dicitur Chezei, & alia villa quæ vocatur Nandulia, de Ecclesiis, de vineis, de pratis, de censu, de frixingis, de obligis, & de omnibus reddituris, tibi medietatem dabo. Et in alia comitate in pago Dunensi in villa quæ dicitur Vallarias, quæ teneo de filiis Alboldi per testimonia Geylæ fœminæ Hugoni, de ipsa villa medietatem. Et super fluvium Lidunum pharinarium, quæ est super quatuor & solidis quinque, & de super via chalceda arpenn. de vineis tres. In burbio S. Valleriani medietatem de mansionibus, & de areis similiter medietatem. Quod si quis libellum hunc dotis aliquid calumniaverit, auri libras quinque coactus exsolvat.*

(1) *Quod bonum faustum.*) Hæc a Romanis desumpta sunt, quos boni ominis causa in plerisque negotiis ita præfari solitos notum est. De relationibus Coss. Suetonius lib. 3. cap. 15. *Quod bonum felixque sit Cajo Cæsari*. De nuptiis Juvenalis:

*Signatæ tabulæ, dictum Feliciter.*

(2) *De disp. mar. ordin.*) Hæc non satis conveniunt; quibus tamen rudera & fragmenta quædam inesse vetustissimarum juris Romani formularum conjicere licet. Videntur enim hæc verba significare, has nuptias ex præscripto legis Juliæ de maritandis ordinibus fieri, & procreatione liberorum; quæ causæ, inquit, necessariæ sunt. Veteres namque legibus Juliis ad nuptias præmiis & pœnis adigebantur.

(3) *Procreationi liberor.*) Vetustissima hæc quoque clausula, tabulis nuptialibus adscribi solita. B. Augustinus de civitate Dei lib. 14. c. 18. *Quid concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium præscripta tabularum procreandorum fit causa liberorum?*

(4) *Don. animo.*) Separatur hic donatio a dote, etsi ab una eademque persona sponso scilicet vel ejus patre fiant. Infra, *similiter & in dotis titulum*. Sic apud Gregor. Turon. lib. 9. cap. 19. *dos* & *matutinale donum* seu *morghangeba* discernuntur.

(5) *Inter aur. & argent.*) *Inter* pro *præter*, sæpe hoc libro & alias passim.

(6) *In sua dominat. revoc.*) Ut liberam habeat facultatem ea omnia in suam potestatem revocandi, vel de his pro arbitrio disponendi.

(7) *Si aliquis puell. invit.*) Libellus est dotis, quæ a viro constituitur qui contra voluntatem parentum puellam rapuit, re tandem composita; ideoque epistola compositionalis vocatur. Trahere autem hic & infra cap. 29. pro rapere accipitur, ut in leg. Sal. tit. 14. *Si puer Regis vel litus ingenuam feminam traxerit, de vita componat*. Formulæ leg. Rom. cap. 16.

(8) *Rap. scel. meo con. sociavi.*) Legi posset, *raptam scelere, meo conjugio sociavi*; sive *rapto scelere*, quasi per rapinæ scelus. In l. 3. Cod. Theod. de raptu virgin. *conjugium raptus scelere contractum*.

(9) *Faciente conturno.*) Nullus sensus. Itaque asterisco notavi. Legendum opinor *facto contubernio*, id est, copiis contractis, ope sociorum & amicorum. Sic leg. Salicæ tit. 16. *Si quis villam alienam adsallierit, ipse & omnes qui convicti fuerint quod in ejus contubernio fuissent &c.* Et tit. 44. *Si quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo sua adsallierit.*

re debui (1), ſed intervenientes ſacerdotes vel bonis hominibus vitam obtinui, ſic tamen ut quod tibi in tanto dono, vel in dotis titulum, ante die nuptiarum, ſi te diſponſatam habuiſſem, conferre debueram, per hanc epiſtolam compoſitionalem, aut, ſi convenit, ceſſionem firmare deberem. quod ita & feci. Ideoque dono tibi locello nuncupante illo, ſitum in pago illo, cum domibus ad manendum condignis, vel omnia intrinſecus utenſilia neceſſaria, cum terris, accolabus, mancipia tanta illa, vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, vel reliquis, quibuſcunque beneficiis, caballos tantos, boves tantos, gregem equorum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ovium, inter aurum & argentum, fabricaturas in ſolidos tantos, drappos (2) tantos, hæc omnia ſuperius comprehenſa a die præſente in tua tradidi poteſtate & dominatione poſſidendum, habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris faciendi liberam habeas poteſtatem. Si quis vero. & cetera.

*Qualiter in uno volumine (3) teſtamentum duarum perſonarum condatur.*

XVII. Regnante in perpetuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, loco illo, anno illo, regnante illo Rege, ſub die illo, ego ille & conjux mea illa ſana mente (4) integroque conſilio, metuentes caſus humanæ fragilitatis, teſtamentum noſtrum condidimus, quem illi notario ſcribendum commiſimus, ut quomodo dies (5) legitimus poſt tranſitum (6) noſtrum advenerit, recognitis ſigillis (7), inciſo lino, ut Romanæ legis decrevit auctoritas, per inluſtris viros illos, quos in hac pagina teſtamenti noſtri legatarios inſtituimus, geſtis reipublicæ municipalibus (8) titulis eorum proſecutione ab ipſis muniatur. Igitur cum jubente Domino de iſtius vitæ curſu migraverimus, tunc quicquid in omnibus pridie quam moriamur tenere videmur, quicquid ex proprietate parentum, vel proprio labore, ſeu ex munificentia a piis Principibus percipere meruimus, vel de quibuslibet titulis atque contractibus venditionis, ceſſionis, donationis, vel undique Domino adjuvante ad noſtram pervenit dominationem, tu tunc dulciſſima conjux mea illa, heredes quoque meos quos eſſe volo, hereditatem meam habetote. Reliqui vero exheredes (9) ſint. Ergo excepto quod unicuique per hoc teſtamentum dedero dareque juſſero, id ut fiat, detur (10), præſtetur, impleatur, te, omnipotens Deus, teſtem committo. Villas vero illas & illas, ſitas in pago illo, filius noſter ille recipiat. Similiter villas illas ſitas in pago illo filius meus vel filia illa recipiat. Villas illas baſilica illa vel monaſteria ſitas ibi recipiat. Id ut fiat, detur, præſtetur, impleatur, te omnipotens Deus ad defenſandum committo; licet de omnibus, dum advivimus, noſtrum reſervavimus uſum. Sed dum in villas

---

(1) *Vitæ peric. incurr. deb.*) Illud eſt ex lege Romana, l. 2. Cod. Th. de raptu virg. Lege autem Salica tit. 14. crimen raptus, ut cetera fere delicta, pecunia tantum æſtimatur.

(2) *Drappos.*) Veſtes, ſupra lib. 1. c. 12.

(3) *Qualiter in uno volumine.*) Formula eſt teſtamenti mutui inter conjuges; quod poſt Novellam Theodoſii & Valentiniani frequentari cœpit. Antea quippe vix licebat; quia & captatoriæ inſtitutionis ſpeciem referre videbatur. Theodoſius & Valentinianus Novellar. lib. 2. tit. 4. *In unius chartæ volumine ſupremum votis paribus condidere judicium, ſeptem teſtium ſubſcriptionibus roboratum: cui nos æternam tribui firmitatem legis hujus definitione cenſuimus: quoniam nec captatorium dici poteſt, cum duorum fuerit ſimilis affectus, & ſimplex religio teſtamenta condentium.* Quo pertinet l. *Captatorias*. De heredib. inſtituend. *Captatorias*, inquit Papinianus, *non eas Senatus improbavit quæ mutuis affectionibus judicia provocarent.*

(4) *Sana mente.*) Teſtamentum Gregorii Nazianzeni Epiſcopi: ζῶν καὶ φρονῶν, καὶ ὑγιεῖ γνώσει, καὶ ἐῤῥωμένοις τοῖς λογισμοῖς διεθέμην τὴν διαθήκην μου ταύτην.

(5) *Ut quomodo dies.*) Leg. *ut quando*.

(6) *Dies legit. poſt tr.*) In Ms. legebatur *legitonos*; cujus loco *legitimus* legendum eſſe nemo negaverit. Ita enim in codice Ms. Petri Pithœi. Apud Briſſonium, qui hanc formulam exſcripſit, vitioſe exaratum eſt *dies ultimus*, præter ſenſum & manuſcripti fidem. Legitimus autem dies aperiendarum tabularum teſtamenti fuit poſt mortem teſtatoris, intra triduum vel quinque dies. Paul. Sentent. lib. 4. tit. 6. Gregor. Turon. lib. 6. c. 45. *Multi meliores natu, qui vi compellebantur abire, teſtamenta condiderunt, reſque ſuas Eccleſiis deputantes, atque petentes, ut cum in Hiſpanias puella introiſſet, ſtatim teſtamenta illa, tanquam ſi jam eſſent ſepulti, reſerarentur.*

(7) *Recognitis ſigillis.*) Paulus Sentent. lib. 4. tit. 6. *Tabulæ teſtamenti aperiuntur hoc modo, ut teſtes vel maxima pars eorum adhibeantur qui ſignaverint teſtamentum, ita ut agnitis ſignis, rupto lino, aperiatur & recitetur, atque ita deſcribendi exempli fiat poteſtas, ac deinde ſigno publico obſignatum in archium redigatur, ut ſi quando exemplum ejus interciderit, ſit unde peti poſſit.*

(8) *Geſtis reip. municip.*) L. *Teſtamento* Cod. de teſtament. l. *In hac*. Cod. de donation. Ejuſque rei formula exſtat infra cap. 37.

(9) *Reliqui exheredes.*) Teſtamentum B. Remigii Rhemenſis Epiſcopi apud Flodoard. hiſt. Rhemenſ. lib. 1. c. 18. *Hæc ita do, ita lego, ita teſtor. Ceteri omnes exheredes eſtote ſuntote.* Teſtamentum Gregorii Theologi Nazianzeni: Ἐὰν ἂν συμβῇ με τέλει τοῦ βίου χρήσασθαι, ἔσω μου κληρονόμος Γρηγόριος ὁ διάκονος καὶ μονάζων &c. οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἔστωσάν μου ἀποκληρονόμοι. Inde inter ceteros exheredare. Quod hac verborum formula fieri conſueviſſe Theophilus auctor eſt lib. 2. Inſtitut. tit. de exheredat. liberorum.

(10) *Id ut fiat detur.*) Hadoindi Cenomanenſis Epiſcopi ſub Chlodoveo Rege teſtamentum apud Briſſonium: *Ita ut ubicunque aliquid per hoc teſtamentum meum dedero, legavero, darique juſſero, id ut detur, fiat, præſtetur, fidei tuæ hæres mea committo.*

las (1) aliquas, quas ſuperius memoravimus, quas ad loca ſanctorum heredibus noſtris deputavimus, quod pariter ſtante conjugio adquiſivimus, prædicta conjux noſtra tertiam inde habere potuerat (2), propter ipſam tertiam villas nuncupantes illas, ſitas in pagos illos, in integritate, ſi nobis ſubpreſtis fuerit, in compenſatione recipiat. Et quicquid exinde pro commune mercede, vel in pauperibus, aut benemeritis noſtris facere decreverit, licentiam habeat. Et poſt ejus diſceſſum, ſi aliquid inteſtamentum remanſerit, heredes noſtri recipiant. Liberos, liberas (3), quos quaſque pro animæ remedium fecimus, aut inantea facere voluerimus, & eis epiſtolas manu noſtra firmatas dederimus, obſequium (4) filiorum noſtrorum habere cognoſcant, & oblata (5) vel luminaria, juxta quod ipſas epiſtolas continent, ad ſepulchra noſtra tam ipſi quam proles eorum implere ſtudeant. Et quibus aliquid de facultate noſtra contulimus, ſingulariter in hoc teſtamentum noſtrum inſerere curavimus. In reliquo vero, qualeſcunque a quocunque epiſtolas de nomine noſtro manus noſtras firmatas oſtenſas fuerint, & ante hoc teſtamentum prænotas, quas hic non commemoravimus, excepto de ingenuitatibus, quas pro animæ noſtræ remedium fecimus aut adhuc facere voluerimus, vacuas permaneant. Et qui ex nobis pari ſuo ſupreſtitis fuerit, & per qualecunque inſtrumentum de ſupraſcripta facultate in cujuslibet perſona vel benemeritos noſtros munere aliquid contulerimus, in quantum lex permittit, firma ſtabilitate debeat perdurare. Reliquas vero epiſtolas vacuas & inannis permaneant. Et ſic nobis pariter convenit; ſi tu mihi, dulciſſima conjux, ſupreſtis fueris, & ad alio marito, quod tibi Deus non permittat, tranſire volueris, omnem facultatem meam, quod ad uſu fructu poſſidere tibi conceſſimus, vel quod a die præſente deputavimus, & habere potueras, hoc præſentaliter heredes noſtri recipiant inter ſe dividendum. Itemque ego illa ancilla tua, Domne & jugalis meus ille, in hoc teſtamentum promtiſſima voluntate ſcribere atque perpetua conſervatione rogavi, ut ſi tu, Domne & jugalis meus, mihi ſupreſtis fueris, omni corpore facultate mea, quantumcunque ex ſucceſſione parentum habere videor, vel in tuo ſervitio pariter laboravimus, & quod in tertia mea accepi, in integrum, quicquid exinde facere elegeris, aut pro animæ remedium in pauperes diſpenſare, aut ad vaſſos noſtros (6) vel benemeritis noſtris, abſque repetitione heredum meorum quod tua decrevit voluntas faciendi liberam habeas poteſtatem. Et poſt diſceſſum veſtrum, quod non fuerit diſpenſatum, ad legitimos noſtros revertatur heredes. Hanc paginam teſtamenti & manus noſtræ propriæ ſubſcriptionibus, quod ex conſuetudine habuimus, ſubſcripſimus, & per perſonas reliquas ſtuduimus ſubſcriptionibus roborari. Et ut hæc pagina (7) hujus teſtamenti in diſceptatione venire non poſ-



(1) *Sed dum in villis.*) Poſt varia legata adſcripta, conjugi villas quaſdam relinquit, in compenſationem earum quas antea aliis legavit, in quibus, quod ſtante conjugio adquiſitæ eſſent, uxori tertia pars competebat.

(2) *Tertiam habere pot.*) Gentes illæ quæ ex Germania in Galliis ſedes poſuerunt, uxoribus tertiam partem concedebant rerum, quas mariti ſtante conjugio adquiſierant. Leg. Burgund. tit. 42. & tit. 62. *Filius unicus defuncto patre tertiam partem facultatis matri utendam relinquat, ſi tamen maritum alium non acceperit.* Leg. Ribuar. tit. 39. *Si virum ſupervixerit, quinquaginta ſol. in dotem recipiat, & tertiam partem de omni re quam ſimul conlaboraverint ſibi ſtudeant vindicare.* Capit. lib. 4. c. 9. ubi de collaboratione in beneficio ſeu feudo tantum agitur. Appendix Gregor. Turon. c. 85. Simile quid moribus noſtris obſervatur, per eam ſocietatem bonorum quæ inter conjuges intercedit. Apud Saxones media pars uxori cedebat, leg. Saxon. tit. 7. Apud Bajuvarios cum filiis in portionem vocabatur, & *qualem unus ex filiis uſufructuariam portionem* auferebat, leg. Bajuvar. c. 14. tit. 7.

(3) *Liberos, liberas.*) Vide l. 18. §. ult. de aliment. & cibariis legat.

(4) *Obſequium.*) Vide l. 71. §. *Titio centum.* de conditionib. & demonſtrat.

(5) *Oblata.*) Vide B. Auguſtin. confeſſ. lib. 7. cap. 2. de civitate Dei lib. 8. cap. 27. Idem ep. 64. *Oblationes pro ſpiritibus dormientium ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſæ.* Tertullianus de reſurrectione carnis: *Et tamen defunctis parentant, & quidem impenſiſſimo officio pro moribus eorum, pro temporibus eſculentorum, ut quos negant ſentire quicquam, etiam deſiderare præſumant.* Vide Apollonii Tyrii hiſtoriam.

(6) *Ad vaſſos noſtros.*) Vaſſi, fideles qui ſervitium exhibent. Nomen retinemus, *vaſſaus.* Leg. Alaman. tit. 36. 4. *Qualiſcunque perſona ſit, aut vaſſus Ducis aut Comitis.* Et tit. 79. 3. *Et dominus ejus duodecim vaſſos infra domum habet.* Leg. Bajuvar. c. 2. tit. 15. *Sive Regis vaſſus ſive Ducis, omnes ad placitum veniant.* Capitul. lib. 2. cap. 24 *Vaſſi & vaſalli nobis famulantes.* Lib. 3. c. 64. & 73. Capitula Epiſcoporum Rhemenſis & Rhotomagenſis provinciarum in Cariſiacenſi palatio ad Ludovicum Regem an. DCCCLVIII. *In comitatu drudorum atque vaſſorum.* Apud Falcetum antiquit. lib. 9. cap. 15. *Drudi* pro fidelibus, a Germanico vocabulo *Drovv, fides.*

(7) *Et ut hæc pagina.*) Teſtamentum B. Remigii: *Huic autem teſtamento meo dolus malus abeſt aberitque; in quo ſi qua litura vel charaxatura fuerit inventa, facta eſt me præſente, dum a me relegitur & emendatur.* Bertchramni Cenomanenſis Epiſcopi teſtamentum apud Briſſonium: *Si quæ lituræ, ſi quæ caraxaturæ, ſi quæ litteræ adjectæ ſunt vel detractæ, ego feci fierique juſſi, dum meam mihi ſæpius prælego voluntatem, & omnia per ſingula recognoſco vel emendo.* Clauſula teſtamentis adſcribi ſolita. Ulpianus in l. 1. de his quæ in teſtam. delentur. *Et ideo etſi noviſſime, ut ſolet, teſtamento fuerit adſcriptum,* LITURAS, INDUCTIONES, SUPERINDUCTIONES IPSE FECI, *non videbitur referri ad ea quæ inconſulto contigerunt.* Quo loci non *ſuperinductiones*, ſed *ſuperdictiones* lego, ut mox ſequitur venuſte. Alioqui putida eſſet illa repetitio.

possit, si quæ lituræ, caraxaturæ (1), adjectiones, superdictionesve (2) factæ sunt, nos eas fecimus vel facere jussimus, dum testamentum nostrum sæpius recurrimus vel emendavimus. Si quis nostra voluntate resistere aut testamentum nostrum cujuslibet calliditas conatus fuerit casu aliquo refragari, id implorantes divini nominis majestatem obtestamur ut pro nostrorum omnium criminum ac peccatorum obnoxius in die judicii teneatur expers Ecclesiæ catholicæ communionis & pacis ante tribunal Christi (3) pro violata defuncti voluntate compellatur subire rationem, atque in eum Dominus suam ultionem, quam promisit injustis, cum venerit seculum judicare per ignem, feriatur, & accipiat in conspectu ejus damnationem perpetuam, quam suscepit Judas traditor Domini. Illud namque intimare volumus, ut si aliquis de heredibus vel proheredibus (4) nostris seu qualibet persona contra hanc testamenti paginam, quam plena & integra voluntate fieri rogavimus, venire aut aliquid pulsare voluerit, inferat contra quem repetit tantum & alium tantum quantum in hunc testamentum continetur scriptum, & insuper sacratas fisco auri libras tantas, argenti tantas, & quod repetit vindicare non valeat.

*Securitas pro homicidio (5) facto.*

XVIII. Domino fratre illo ille. Dum & instigante adversario, quod non debueras, germano nostro illo visus es interfecisse, & ob hoc vitæ periculum incurrere potueras, sed intervenientes sacerdotes & magnificis viris, quorum nomina subtus tenentur adnexa, nos ad pacis concordiam ob hoc visi fuerunt revocasse, ita ut pro ipsa causa solidos tantos (6) in pagalia mihi dare deberes, quos & in præsente per vuadio tuo visus es transolsisse, & nos ipsa causa per festuca contra te visus sum vuerpisse. Propterea, juxta quod convenit, hanc epistolam securitatis in te nobis conscribere complacuit, ut de ipsa morte germano nostro nec a me nec ab heredibus meis aut suis, nec de judiciaria potestate, nec a quemlibet

(1) *Caraxaturæ.*) Deletiones, maculæ, inquinamenta ab atramento. Sic in testamento B. Remigii & Bertchramni Episcopi, locis proxime adductis. Gregorius Turonensis lib. 7. cap. 36. *Tune es pictor ille qui tempore Chlotarii Regis per oratoria parietes atque cameras caraxabas?* Et lib. 9. c. 5. *Vasa per domos diversorum signis nescio quibus caraxata sunt, quæ res nullo unquam modo aut eradi potuit aut deleri.* B. Irenæi vetus interpres lib. 3. c. 3. *Tantam apostoli & discipuli eorum habuere reverentiam ut ne verbo quidem communicarent cuiquam incaraxanti veritatem.* Agobardus pag. 71. Glossæ veteres Labbæi Ms. *Charaxatis, scriptis.*

(2) *Superdictiones.*) Superscriptiones, quæ deletis imponi solent. Ceterum hic videtur omissa clausula codicillaris, quam B. Remigius & Hadoindus Cenomanensis Episcopus non omiserunt, *Id codicillorum vice valere præcepi, si juris aliquid videbitur defuisse.* Qua omissa, testamentum minus perfectum vim codicillorum non habebat. l. 1. de jure codicillorum.

(3) *Ante tribunal Christi.*) Gregorii Theologi testamentum: Ταύτην μοῦ τὴν διαθήκην κυρίαν καὶ βεβαίαν εἶναι βούλομαι ἐπὶ παντὸς δικαστηρίου καὶ πάσης ἐξουσίας· εἰ δὲ καὶ ὡς διαθήκη μὴ ἰσχύσειεν, ὡς βούλησιν αὐτὴν, εἰ δ' ἂν κωδίκελλον αὐτὴν ἰσχύειν βούλομαι. Ὁ δὲ ἐπιχειρῶν αὐτὴν ἀνατρέπειν δώσει λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, καὶ ἕξει τὸν λόγον πρὸς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος.

(4) *Proheredibus.*) Qui loco heredum fuerint; ut protutor qui tutor non est, sed tutoris loco.

(5) *Securitas pro homicidio.*) Omnibus Germanicis gentibus, quæ Gallias insederunt, mos erat privatas inimicitias armis persequi. Quæ prava consuetudo adeo invaluit ut nec Principis imperio nec legum auctoritate per sexcentos ferme annos aboleri potuerit; quinimo legibus id non omnino prohibebatur, sed tantum nimia licentia certis finibus coercita erat. Itaque qui unum ex propinquis & omnes adversos habebat, adeo ut si aliquis occisus aut vulneratus aut male multatus ab inimico quodam privato fuisset, continuo illius propinqui, affines, & amici advolabant, suam & suorum injuriam armis vindicaturi. Sed aliquando pace per amicos facta vel etiam in judicio secundum leges transigebatur; quo casu, securitatis cautiones interponi solitæ; quarum exemplum hoc capite continetur & in formulis incerti auctoris cap. 18. & formulis leg. Rom. cap. 39. Tacitus de Germanis: *Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est.* Exempla passim extant, præcipue apud Gregorium Turonensem, ut lib. 5. c. 5. & 32. lib. 6. c. 17. lib. 8. c. 18. lib. 10. c. 27. Pracipuum vero est quod pluribus ab eodem refertur lib. 7. c. 47. de Sichario & Austresigilo; quorum Austresigilus a Sichario cum quibusdam aliis interfectus, Sicharius a propinquis defuncti petitus, post varia dissidia, discrimina, cædes, ægre evasit; tandemque compositione facta, intercessione Episcopi ipsius Gregorii Turonensis & judicum, argentum ab Ecclesia Turonensi pro Sichario solutum est, & securitas ei ab adversariis data. *Tunc*, inquit, *dato ab Ecclesia argento, quæ judicaverant accepta securitate componunt, datis sibi per partes invicem sacramentis ut nullo unquam tempore contra alteram pars altera mussitaret, & sic altercatio terminum fecit.* Qui mos privatæ vindictæ (quam *faidam* dicebant) reprobatur in Capitul. lib. 5. c. 332. sed ut facile appareat pessimam consuetudinem prævaluisse, nec potuisse coerceri; *Nescimus qua pernoxia inventione a nonnullis usurpatum est ut hi qui nullo ministerio publico fulciuntur, propter sua odia & diversissimas voluntates pessimas, indebitum sibi usurpant in vindicandis proximis & interficiendis hominibus vindictæ ministerium, & quod Rex saltem in uno exercere debuerat, propter terrorem multorum ipsi impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odium.* Quod tandem gravius exarsit extremis secundæ Regum familiæ temporibus, & initio tertiæ. Namque & jus belli privati factum est; de quo nos fortasse aliquando plura.

(6) *Pro i. ca. sol. tant.*) Delicta enim certa pecuniæ summa æstimabantur, ut dictum est ad cap. 18. lib. 1. Gregor. Turon. lib. 9. c. 19. de Sichario ad Chramnisindum: *Magnas mihi debes referre gratias, dulcissime frater, eo quod interfecerim parentes tuos, de quibus accepta compositione aurum argentumve superabundant in domo tua,*

bet nullo casu nec refragatione aliqua aut damnietate amplius habere non pertimescas, sed in omnibus exinde ductus & absolutus appareas. Et si fortasse ego ipse aut aliquis de heredibus meis vel quicunque te ob hoc inquietare voluerit, & a me defensatum non fuerit, inferamus tibi cum cogente fisco duplum quod nobis dedisti, & quod repetit quis vindicare non valeat, sed præsens epistola securitatis a me facta firma permaneat, stipulatione subnexa.

*Venditio* (1) *de villa.*

XIX. Domino fratre illo ille. Licet empti venditique contractus sola pretii adnumeratione & rei ipsius traditione consistat, ac tabularum aliorumque docimentorum ad hoc tantum interponatur instructio ut fides rei factæ & veri ratio comprobetur, idcirco vendidisse me tibi constat & ita vendidi villa juris mei nuncupante illa, sitam in pago illo, quam ex legitima successione parentum ( vel de quolibet modo ad eum pervenit ) habere videor, in integritate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adjecentiis, appenditiis, vel omni merito & termino ibidem aspiciente. Et accepi a vobis in pretio, juxta quod mihi complacuit, tantum, & memorata villa vobis præsentaliter tradidi ad possidendum, ita ut ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris faciendi liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus vel proheredibus, seu qualibet opposita persona, contra venditionem venire tentaverit, aut me male vendidisse convicerit, & a me vel heredibus meis defensatum non fuerit, tunc inferamus vobis heredibusque vestris dupla pecunia (2) quantum a vobis accepi & ipsa villa meliorata valuerit, & quod repetit vindicare non valeat, sed præsens venditio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum.

*Venditio de area infra civitate.*

XX. Domino sancto & apostolico Domno & patri illo Episcopo ille. Constat me nullius coactum imperio, neque imaginario jure (3), sed propriæ voluntatis arbitrio, vobis vendidisse & ita vendidi aream juris mei infra muros civitatis illius, habentem per longo pedes tantos & in lato pedes tantos, quæ subjungit ad uno latus terra illo, ab alio latus terra illo, a fronte uno terra illo, & ab alio fronte terra illo. Et accepi a vobis in pretio, juxta quod mihi complacuit, auri solidos tantos, & præfata area vobis præsentaliter tradidi possidendum, ut habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeritis faciendi liberum perfruatis arbitrium. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, seu qualibet persona contra hanc venditionem venire tentaverit, aut eam infrangere conatus fuerit, inferat vobis aut auctoribus vestris dupla pecunia vel quantum area ipsa eo tempore meliorata valuerit, & cetera.

*Venditio de campo.*

XXI. Domino fratri illo ille. Constat me tibi vendidisse & ita vendidi campo juris mei, situm in territorio illo, habentem plus minus tantum, qui subjungit a latere uno lui, ab alio latere lui, a fronte uno illo, ab alio vero fronte illius. Et accepi a vobis in pretium, juxta quod mihi complacuit, auri solidos tantos; & ipso campo vobis præsentaliter tradidi possidendum, habendi vel quicquid exinde volueris faciendi liberam habeas potestatem. Si quis vero. & cetera.

*Venditio de servo aut ancilla.*

XXII. Domino fratri illo ego ille. Constat me vobis vendidisse (4) & ita vendidi servum juris mei aut ancillam nomen illo, non furo (5), non fugitivo, neque cadivo (6), sed mente & omne corpore sano. Pro quo accepi a vobis in pretio, juxta quod mihi complacuit, auri solidos probos atque præsentes (7) numero tantos, & ipso

(1) *Venditio.*) Formulæ incerti auctoris cap. 14. leg. Roman. c. 3. & 8.

(2) *Duplam pecuniam.*) Cautio est duplæ evictionis causa, in venditionibus solita interponi, ut & capite proximo.

(3) *Neque imaginario jure.*) Imaginaria enim venditio nulla est. l. *Nuda*. 55. de contrah. empt.

(4) *Me vobis vendid.*) Venditorem leges suæ rei perpetuo dixisse, non emptorem, notat Cujacius Observat. 23. c. 31.

(5) *Non furem.*) Horat. lib. 2. sat. 3.

*Mentem nisi litigiosus*
*Exciperet dominus*,

Sic in formulis leg. Rom. c. 9. In servorum venditionibus id promitti & præstari solebat. Varro de re rustica lib. 2. c. 10. de pastoribus servis: *In horum emptione solet accedere peculium, aut si excipiet, stipulatio intercedere sanum eum esse, furtis noxisve solutum*. Ulp. in l. *Si ita quis*. 31. de eviction. *sanum esse, furem non esse*. Et in l. 32. *furem non esse, fugitivum non esse, erronem non esse*. l. 4. l. *Quod si nolit*. 31. §. 1. de ædilitio edicto.

(6) *Neque cadivum.*) Malum, improbum. Idioma Italicum integrum retinet *cattivo*. Unde & nostris *chetif*. Leg. Boior. tit. 15. cap. 9. 2. *herniosum aut caducum*. Ant. Oisellus significari hoc nomine contendit comitiali morbo vexatum, quem nos hodie morbum caducum dicimus. In veteribus glossis barbaris Ms. Labbæi: *Caducus, dæmoniacus*.

(7) *Probos atque præsentes.*) Sic Genes. 23. Abraham pro agro quem emebat appendit quadringentos siclos argenti *probatæ & publicæ monetæ*; quo loci Chaldæus Paraphrastes vertit, *argenti quod per mercatores recipiebatur in unaquaque provincia*.

ipſo ſervo vobis præſentaliter tradidi poſſidendum, ita ut ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde decreveris faciendi liberum potiaris arbitrium. Si quis vero, quod futurum eſſe non credimus, ſi ego ipſe, aut aliquis de heredibus meis, ſeu qualibet perſona contra hanc venditionem venire tentaverit, aut eam infrangere voluerit, inferat tibi cum cogenti fiſco auri tantum vel quantum ſervus ipſe eo tempore melioratus valuerit, & hæc venditio omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnexa. Actum illo, ſub die illo, anno illo.

*Concambio de villis* (1).

XXIII. Inter quos caritas inlibata permanſerit, pars parti beneficia opportuna præſtantur: quia nihil ſibi de rebus propriis cenſet minui quod e contra recipit in augmentum. Ideo placuit atque convenit inter venerabile viro illo ex permiſſo apoſtolico viro illo & inluſtris viro illo ut locella aliqua inter ſe concambiare deberent. quod & ita fecerunt. Dedit igitur ille venerabilis vir lui locello nuncupante illo, ſitum ibi, de parte baſilicæ ſancti ill. memorato lui quicquid ibidem ad præſens de qualibet adtractu tenere videbatur, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, vel omnia ibidem aſpicientem. Similiter in compenſationem hujus meriti dedit ſupraſcriptus ille ad partem memorato Abbate illo vel prædicta baſilica alio locello nuncupante illo, ſitum ibi, quicquid ibidem ad præſens de quocunque adtractu ibidem habere videbatur, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, vel omnia ibidem aſpicientem, ita ut ab hac die unuſquiſque memorata loca, quod acceperunt, habendi, tenendi, vel quicquid exinde pro eorum opportunitate & compendio facere elegerint, liberum perfruantur arbitrium. Illud vero addi convenit, ut ſi aliqua pars ex ipſis aut heredes vel ſucceſſores eorum hoc emutare vel refragare voluerit, rem quam accepit amittat, & inſuper inferat pari ſuo, qui hoc facere præſumpſerit, auri libras tantas, argenti pondua tanta, & quod repetit vindicare non valeat, ſed præſens commutatio, unde duas inter ſe uno tenore chartas conſcripſerunt, firma & inviolata permaneat, ſtipulatione ſubnexa. Actum illo.

*Concambio de terra aut vinea.*

XXIV. Ideoque placuit inter illo & illo ut terra aliqua, aut prato, aut vinea, ſeu qualibet inter ſe commutare deberent. quod ita & fecerunt. Dedit igitur ille illius campo in loco nuncupante illo, habente tantum, qui ſubjungit a latere uno illo, ab alio latere aut fronte illo. Simili modo e contra in compenſo dedit ille illius alio campo ibi, aut in alio loco, habente tantum, qui ſubjungit de lateribus a frontibus illius, ita ut ab hac die unuſquiſque ex ipſis quod accepit habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegerint faciendi liberam habeant poteſtatem. Si quis vero aliquid ex ipſis aut heredes eorum vel quicunque hoc emutare voluerit, quam acceperit pari ſuo amittat, & inſuper inferat cum cogenti fiſco auri tantum, & quod repetit vindicare non valeat, ſed præſens commutatio, unde inter ſe pro firmitatis ſtudium duas uno tenore conſcripſerunt, omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnexa. Actum illo.

*Cautiones diverſo modo* (2) *factas.*

XXV. Domino mihi propitio illo ille. Dum & ad meam petitionem & neceſſitatem ſupplendo veſtra bonitas habuit ut libram de argento de rebus veſtris mihi ad beneficium præſtitiſtis, ideo per hunc vinculum cautionis ſpondeo me Kalendas illas proximas (3) ipſum argentum veſtris partibus eſſe redditurum. Quod ſi non fecero, & dies placitus mei præfinitus tranſierit, pro duplum in craſtinum me aut heredes meos vos aut heredes veſtri, aut cui hanc cautionem dederitis exigendam, teneatis obnoxium. Facta cautione ibi, ſub die illo, anno illo.

*Item alia.*

XXVI. Domino ſuo illo ille. Conſtat me a vobis accepiſſe & accipere debere & debeo,

(1) *Concambium de villis.*) Concambium pro permutatione frequentiſſime apud Marculfum & ceteros formularum auctores; unde *concambiare* & *concamiare* apud eoſdem pro commutare & permutationem facere. Leg. Sal. tit. 39. leg. Bajuvar. cap. 15. tit. 8. *Commutatio, hoc eſt, quod cambias, talem qualem emptio habeat firmitatem.* In libris feudorum lib. 1. tit. 22. *Cambium*; & alias ſæpe.

(2) *Cautiones div. modo.*) Cautionis vocabulum pro repromiſſione & chirographo accipitur, etiam ſine ſatiſdatione; ut *cautio creditæ pecuniæ.* in l. *Minor.* 40. de Minorib. & in l. *Lecta.* 40. de rebus creditis; ubi cautionis creditæ pecuniæ formula exſcribitur, cujuſmodi ſunt illæ quæ hoc capite & proximis exhibentur, quibus debitor cavet ſe pecuniam a creditore accepiſſe, eamque certo die ſoluturum ſpondet; addita dupli pœna, ſi debitor ceſſaverit. Quamvis Romano jure pœnam ultra legitimum modum uſurarum ſtipulari non liceret.

(3) *Kl. illis proximis.*) Singulis Kalendis fœnebrem pecuniam veteres locabant. unde & Kalendarium. Martial. lib. 8. *Centum explicentur paginæ Kalendarum.* Fœnebris enim pecuniæ ratio menſtrua erat. B. Baſilius in pſalmum 14. homil. 2. de debitore; φοβεῖται τὰς μῆνας, ὡς τόκων πατέρας.

beo, hoc eſt, ſolidos tantos; pro quos ſolidos ſpondeo me, quandiu ipſos poſt me retinuero, annis ſingulis per ſingulos ſolidos ſingulos triantes veſtris partibus eſſe redditurum. Et ſi hoc facere contempſero, aut exinde neglegens apparuero, ad duplum ipſo locario vobis reddere ſpondeo. Et quomodo (1) de mea proprietate ipſos ſolidos veſtros reddere potuero, hanc cautionem a vobis recipiam.

*Item alia.*

XXVII. Domino fratri illo ille. Quatenus a neceſſitate mea ſupplendo ſolidos veſtros numero tantos mihi ad beneficium præſtitiſti, ideo juxta quod mihi aptificavit, taliter inter nos convenit, ut dum ipſos ſolidos (2) de meo proprio reddere potuero, dies tantos in unaquaque hebdomada ſervitio veſtro, quale mihi vos aut agentes veſtri injunxeritis, facere debeam. Quod ſi exinde negligens aut tardus apparuero, licentiam habeatis ſicut & ceteros ſervientes veſtros diſciplinam corporalem imponere. Et quomodo ſolidos veſtros reddere potuero, meam cautionem abſque ulla evacuaturia (3) intercedente recipiam.

*Qui ſe in ſervitio* (4) *alterius obnoxiat.*

XXVIII. Domino mihi proprio illo ille. Dum & inſtigante adverſario, fragilitate mea prævalente, in caſus graves cecidi, unde mortis periculum incurrere potueram, ſed dum veſtra pietas me jam morti adjudicatum (5) de pecunia veſtra redemiſtis, vel pro mea ſcelera res veſtras quamplures deliſtis, & ego de rebus meis unde veſtra beneficia rependere debuiſſem non habeo, ideo pro hoc ſtatum ingenuitatis meæ vobis viſus ſum obnoxiaſſe, ita ut ab hac die de veſtro ſervitio penitus non diſcedam, ſed quicquid reliqui ſervi veſtri faciunt pro veſtro aut agentium veſtrorum imperio facere ſpondeo. Quod ſi non fecero, aut me per quodlibet ingenium de ſervitio veſtro abſtrahere voluero, vel dominium alterius expetere aut res ſuſcipere voluero, licentiam habeatis mihi qualemcunque volueritis diſciplinam imponere vel venundare aut quod vobis placuerit de me facere, Facta obnoxiatione tunc, ſub die illo,

*Charta de agnatione* (6), *ſi ſervus ingenuam trahit.*

XXIX. Igitur ego in Dei nomine ille, illa femina. Omnibus non habetur incognitum qualiter ſervus meus nomine ille te abſque parentum vel tua voluntate rapto ſcelere in conjugium ſociavit, & ob hoc vitæ periculum incurrere potuerat, ſed venientes & mediantes amicis vel bonis hominibus convenit inter nos ut ſi aliqua procreatio filiorum orta fuerit inter vos, in integra ingenuitate permaneant,

*Et ſi voluntaria ſervum accipit, dicis.*

Omnibus non habetur incognitum qualiter ſervo meo nomine illo voluntaria ſecuta es & accepiſti maritum. Sed dum te ipſa & agnatione tua (7) in meo inclinare (8) potueram ſervitio, ſed propter nomen Domini & remiſſionem peccatorum meorum pro-

---

(1) *Et quomodo,*) Leg. *& quando*. Similiter & cap. ſeq.

(2) *Dum ipſos ſolidos,*) Donec pecuniam ſolvere poſſit, ſervitio creditoris ſe ipſum obligat. Obæratos Romani dicebant. Varro de re ruſtica lib. 1. cap. 17. Idem de lingua Lat. lib. 6. *Qui ſuas operas in ſervitute pro pecunia quam debet dum ſolveret dat, nexus vocabatur, ut ab ære obæratus, Hoc C. Popilio rogante Sylla dictatore ſublatum ne fieret, & omnes qui bonam copiam ejurarent, ne eſſent nexi.*

(3) *Abſque ullo evacuario,*) Apocha evacuatoria, de qua c. 35.

(4) *Qui ſe in ſervitio.*) Formula eſt qua is qui ſupplicio liberatus eſt, ſoluta ejus nomine ab aliquo pecunia, *ſtatum ingenuitatis ſuæ obnoxiat*, id eſt, ei qui redemit ſeipſum ſubjicit, addicit, & in ſervitutem tradit, Gregor. Turon. lib. 6. cap. 36. *Clericum ſub precio venundari procurant, ea videlicet ratione ut aut eſſet qui redimeret, aut certe morti addiceretur obnoxius, Cumque hæc Ætherio Epiſcopo delata fuiſſent, miſericordia motus, datis viginti aureis eum ab imminenti exemit interitu*. Leg. Bajuvar. c. 2. tit. 1. 5. Licebat autem unicuique ſe in ſervitutem dare, ut dicam infra ad leg. Rom. formulas.

(5) *Jam morti adjudicatum,*) Veteribus quippe legibus crimina pleraque ita vindicabantur ut aut reus capite plecteretur, aut pecunia redimeretur, Leg. Salicæ tit. 52. & paſſim.

(6) *Charta de agnatione.*) Hac formula dominus ſervi qui puellam ingenuam rapuit, ſopita controverſia, cavet ut qui adgnaſcerentur ex his nuptiis liberi & ingenui permanerent, non ſervi. Eſt & alia ſub eodem capite formula. Nam ſi mulier ſponte ſervo alieno conjuncta ſit, ex Senatuſconſulto Claudiano libertatem amittebat, ut etiam lege Salica, Hic vero jus illud a domino remittitur, ut qui ex his naſcentur liberi ſint, nec poſſit eos ut ſervos vindicare, aut manum injicere.

(7) *Agnationem tuam.*) Quod ex te natum erit. Adgnaſci pro naſci ſæpe apud Juriſconſultos. Edictum Theoderici Regis cap. 65. *Neceſſe eſt ut omnis matrem ſequatur agnatio*; id eſt, filii omnes ad dominum ancillæ pertineant.

(8) *In meo inclinare.*) Mulier, quæ ſe alieno ſervo junxiſſet, SC. Claudiano libertatem & ſubſtantiam amittebat, Tacitus *annal.* 12, Quod a Veſpaſiano renovatum diu in uſu remanſit, & a Gallis obſervatum hinc apparet; ſed in Oriente tandem Juſtinianus antiquavit. Idipſum lege Salica cavetur tit. 14. 7. *Si ingenua femina quemcunque de illis* (ſervis) *ſua voluntate ſequuta fuerit, ingenuitatem ſuam perdat*. Ivo Carnotenſis epiſt. 221. & 242. Eodem jure Longobardi uſi ſunt. Sic & ingenuus qui alienam ancillam uxorem duxiſſet, ſervus efficiebatur, lege Salica tit. 14. 11. tit. 27. 3. Quibus conveniunt quarumdam Galliæ provinciarum leges: *En formariage le pire emporte le bon.*

meum, ſi mihi ſupreſtis fueris, ſis ingenuus, tamquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus, & nulli heredum ac proheredum meorum vel cuicunque ſervitium impendas; peculiare conceſſo quod habes aut elaborare potueris. & cetera.

*Item alia adhuc alio modo.*

XXXIV. Si aliquos ex ſervientibus noſtris a jugo ſervitutis abſolvimus, mercedem in futurum nobis ex hoc retribuere confidimus. Igitur ego ille propter nomen Domini & retributione æterna te illum ab omni vinculo ſervitutis abſolvimus, ita ut ab hac die vitam ducas ingenuam, tamquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus, & nulli heredum ac proheredum meorum vel cuicunque ſervitium impendas, niſi ſub integra ingenuitate defenſione cui te ex meis heredibus elegeris habere debeas, & oblata mea, ubi meum requieſcit corpuſculum, vel luminaria annis ſingulis debeas procurare; peculiare conceſſo quod habes aut elaborare potueris, aut ſi convenit defenſionem Eccleſiæ illius, & vitam ſemper ducas ingenuam. Si quis vero.

*Evacuatoria* (1).

XXXV. Domino fratri illo ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos, aut ante anno, ſolidos noſtros numero tantos ad beneficium accepiſti, & cautionem nobis pro hoc emiſiſti ut ipſos ſolidos tunc nobis reddere deberes. quod & ita feciſti. Sed dum illa cautione quod nobis emiſeras ad præſens non invenimus, ideo tibi hanc epiſtolam evacuaturiam fecimus, ut de ipſis ſolidis tantum omni tempore ductus & abſolutus reſideas; & ſi ipſa cautio apparuerit, vel a nobis aut heredibus noſtris quoquo tempore oſtenſa fuerit, nullum fortiatur effectum, ſed vacua & inanis permaneat (2).

*Si aliquis ſervo vel gaſindo ſuo* (3) *aliquid concedere voluerit.*

XXXVI. Juſtiſſimis noſtris ſublevantur muneribus qui nobis fideliter & inſtanter famulantur officio. Ego in Dei nomine ille fideli noſtro illo. Pro reſpectu fidei & ſervitii tui, quam circa nos impendere non deſiſtis, promptiſſima voluntate cedimus tibi a die præſente locello nuncupante illo, aut manſo illo infra termino villa noſtra illa cum omni adjacentia ad ipſo locello aut manſello (4) aſpiciente, terris, dómibus, mancipiis, vineis, pratella, ſilvola, vel reliquis beneficiis ibidem aſpicientibus, ita ut ab hac die ipſo jure proprietario, ſi ita convenit, aut ſub reditus terræ in tua revoces poteſtate, & nulla functione aut reditus terræ vel paſcuario (5) aut agrario (6), carropera, aut quodcunque dici poteſt, exinde ſolvere nec tu nec tua poſteritas nobis nec heredibus noſtris nec cuicunque poſt nos ipſa villa poſſederit, non debeatis, niſi tantum ſi ita vult riga (7); ſed ipſum omnibus die-

(1) *Evacuatoria.*) Evacuatoria tum dicebatur apocha qua creditor profitebatur ſibi ſolutam fuiſſe pecuniam, ab evacuanda obligatione; idque cautione amiſſa. Nam hic apparet cautione reddita evacuatoriam non dari, quaſi redditio chirographi ſatis eſſet ad ſolutionem probandam. L. 2. de pactis. Securitas etiam dicebatur, præſertim in tributorum ſolutione. Senator Variar. lib. 11. ep. 7. *Merito ergo teſtimonium ſolutionis ſecuritas dicitur, quo non ſolum animus ſed ſubſtantia communitur.*

(2) *Vacua & inanis permaneat.*) Inde *Evacuatoria*. B. Auguſtinus de cura pro mortuis: *Ubi eſſet recautum, quo illa cautio vacuata fuerat indicavit.* Qui locus a Cujacio iam notatus eſt ad tit. de apochis lib. 10. Cod. Theodoſ & Valentinianus de tributis fiſcalibus Novell. lib. 1. tit. 23. *Cautiones quæ expenſarum nomine v. in l. Octaviano emiſſæ ſunt, juſta ratione vacuamus.* Eo ſenſu vetus B. Pauli interpres ad Galatas: *Evacuati eſtis in Chriſto, cum proxime ſupra dixerit, debitor eſt univerſæ legis faciendæ.*

(3) *Si aliq. ſer. ſ. gaſindo.*) Forma hic traditur donationis qua dominus ſervo; qui jugiter ei miniſtrabat, aliquantulum agri concedit ab omnibus colonariis functionibus omnino liberum & immune. Gaſindi autem nomine, ut lib. 1. cap. 33. diximus, is ſervus ſignificabatur qui non in agris, ſed domi miniſtrat, quem veteres quædam aliæ formulæ & capitula *miniſterialem de intus caſa* vocant.

(4) *Manſellum.*) Parvum manſum; qua de re ad lib. 1. cap. 22.

(5) *Paſcuarium.*) Vectigal ex animalium paſtione: Greg. Turon. de miracul. lib. 2. c. 17. *Fuit quidam Diaconus qui relicta Eccleſia fiſco ſe publice junxit. &c. Accidit autem quadam vice ut ſaltus montenſes, ubi ad æſtivandum oves abierant, circuiret, atque paſcuaria quæ fiſco debebantur inquireret.*

(6) *Agrarium.*) Vectigal agro impoſitum; quod in quibuſdam Galliæ provinciis nomen retinet *agrier*, ſeu vulgo *champart*, *terrage*. Leg. Baiuvar. cap. 1. tit. 13. *De colonis vel ſervis Eccleſiæ, qualiter ſerviant vel qualia tributa reddant, hoc eſt agrarium, provideat hoc judex, ſecundum quod habet donet &c.* Agraticum l. 2. Cod. Theod. de veteran. Hic porro vocula una reponi debet, quæ in regio exemplari vetuſtate exeſa legi non potuit, ſed ex alio reſtituimus. Ea eſt *vel carropera*; quo nomine operæ continentur quæ carris ſeu plauſtris fieri debent. Adnuntiatio Caroli Regis apud Piſtas c. 29. *Ut illi coloni tam fiſcales quam & eccleſiaſtici qui ſicut in polypticis continetur, & ipſi non denegant, carropera & manopera ex antiqua conſuetudine debent, & margilam & alia quæque carricare, quæ illis non placent, renuunt, quoniam adhuc in illis antiquis temporibus forte margila non trahebatur, quæ tempore avi ac Domni & patris noſtri trahi cœpit, & de manopere in ſcuria battere nolunt, & tamen non denegant quia manoperam debent, quicquid eis carricare præcipitur de opera carroperæ, quando illam facere debent, ſine ulla differentia carricent, & quicquid eis de opera manoperæ, quando illam facere debent, præcipitur, ſimiliter ſine ulla differentia faciant.* Apud Anſegiſum Capitul. lib. 1. c. 75. *carralia opera.*

(7) *Riga.*) Tributi & vectigalis ſpecies. Vetus formula: *In ea ratione ut riga exinde in cultura dominica arare & recondere faciam.* Item: *In ea ratione ut riga & alios reditus terræ perſolvam.*

diebus vitæ tuæ aut heredis tui emuniter debeatis poſſidere, vel quicquid exinde facere volueritis liberam habeatis poteſtatem. Si quis vero, quod futurum eſſe non credimus, aliquis de heredibus noſtris, vel quicunque contra hanc ceſſionem noſtram agere aut ipſam rem tibi auferre conaverit, inferat tibi cum cogente fiſco auri tantum & hæc epiſtola firma permaneat, ſtipulatione ſubnexa.

*Geſta juxta conſuetudinem* (1) *Romanorum, qualiter donationes vel teſtamenta allegentur.*

XXXVII. Anno illo, regnante Domno noſtro Rege illo (2), ſub die illo, in civitate illa, adſtante viro illo laudabile defenſore & omni curam (3) illius civitatis, vir magnificus ille proſecutor dixit: Peto, optime defenſor (4), voſque laudabiles curiales atque municipes, ut mihi codices publicos patere jubeatis (5). quædam enim in manibus habeo quæ geſtorum cupio allegatione roborari. Defenſor & curiales dixerunt: Patent tibi codices publici. Proſequere quod optas, dicere non moreris. Vir magnificus proſecutor ille dixit: Venerabilis vir aut inluſter vir ille per chartam mandati ſui mihi injunxit ut illam donationem teſtamenti aut ceſſionem quam ad baſilica ad loco ſancto illo aut inluſtri viro illo ad præſens aut poſt diſceſſum delegavit, in vice ſua, ut mos eſt, geſtis municipalibus ipſam donationem debeam allegare. Vir honeſtus defenſor dixit illi: Mandatum quod in te conſcriptum habere dicis nobis oſtende, vel in præſente recitare. Et ille proſecutor hoc modo recitavit.

*Textum mandatum* (6).

XXXVIII. Domino magnifico fratri illo ille. Peto & ſupplico caritati tuæ ut in vicem meam epiſtolam donationis aut teſtamenti ſeu ceſſionis quod de rebus meis illis ad baſilica illa pro animæ meæ remedium aut inluſtris viri illius poſt diſceſſum meum vel ad præſens delegavi, in civitate illa publice proſequere & geſtis municipalibus, ut mos eſt, eam debeas allegare. Propterea tibi hunc mandatum conſcripſimus, ut ſicut ſuperius continetur, taliter proſequere & firmare debeas; & quicquid exinde egeris geſ-



(1) *Geſta juxta conſuetud.*) Conſtantinus in l. 1. Cod. Th. de ſponſalibus teſtatur patrem ſuum nullam voluiſſe liberalitatem valere, ſi actis inſerta non eſſet, hoc eſt, ut Anianus interpretatur, nullam donationem de quibuſcunque rebus valere poſſe, ſi geſtis non fuerit allegata. L. *Data*. l. *In hac*. Cod. de donationibus. Edictum Theoderici Regis cap. 72. *Teſtamenta, ſicut leges præcipiunt, allegentur. Hoc modo fides voluntatis alienæ titubare non poterit*. Itaque teſtamenta publicari & inſinuari neceſſe erat. L. *Teſtamenta*. Cod. de teſtamentis. Publicabantur autem teſtamenta & donationes in urbe apud magiſtrum cenſus, in provinciis apud provinciarum rectores, vel, ſi præſto non fuiſſent, apud magiſtratus municipales, aut ſi civitas illa vel oppidum, in qua donatio celebratur, non habeat magiſtratus, apud defenſorem plebis. L. 8. Cod. Th. de donationibus. Hujus inſinuationis & publicationis forma hoc capite continetur. Geſta vero pro publicis actis paſſim dicuntur in conſtitutionibus Imperatorum & Aniani interpretatione. L. *Data*. Cod. de donationibus: *Geſta conſici ſuper rebus etiam alibi collatis ubicunque ſufficit*. & l. *In donationibus*. 31. Cod. eod. *geſtis alligari*. In l. 8. Cod. Th. de donationibus: *Geſtorum*, inquit Honorius, *confectionem ſive ante traditionem ſive poſt traditionem fieri oportebit, ut inſtrumentum quo continetur munificentia apud acta publicetur*.

(2) *Regn. Rege ill.*) B. Ambroſius in Lucam: *Si Conſules adſcribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tempus adſcribi! Habes ergo omnia quæ in contractibus eſſe conſueverunt, vocabulum ſummam illic poteſtatem gerentis, diem, locum, cauſam*.

(3) *Omni curia*.) Notum eſt civitates ſub Romano Imperio curiam ſeu ſenatum, duumviros ſeu magiſtratus municipales, & defenſores plebis habuiſſe, oppida autem defenſoſores tantum. In civitatibus quæ curiam & magiſtratus habebant, publicatio & inſinuatio actorum fiebat. Anianus ad l. 4. Cod. Th. de teſtamentis: *Teſtamenta omnia vel reliquas ſcripturas, apud cenſuales in urbe Roma voluit publicari, hoc eſt, ut in reliquis regionibus apud curiæ viros teſtamenta vel quæcunque ſcripturæ actis firmari ſolent, geſtorum alligatione muniantur*. Inde ſæpiſſime in veteribus donationum formulis, *geſtis municipalibus alligare*. Formulæ leg. Rom. c. 3. incerti auctoris c. 54.

(4) *Optime defenſor*.) De defenſoribus civitatum tituli ſunt in utroque Codice; de quibus etiam agitur Nov. XV. Apud eos fiunt inſinuationes teſtamentorum & donationum, teſtationes, depoſitiones. Qua de cauſa & archivum habent, ſive ſcrinium, & ſcriniarium, & exceptores. Alii ſunt defenſores Eccleſiarum, ſive advocati. Alii quoque defenſores illi, qui a ſummis Pontificibus ad curanda in provinciis S. Petri patrimonia ſeu poſſeſſiones delegabantur; quorum officium a Pelagio Papa in epiſtolis & in regiſtro Gregorii late exponitur.

(5) *Patere jubeatis*.) Quæ ſequuntur uſque ad verba *proſequere quæ optas*, in regio exemplari deerant, ſed ex cap. 54. formularum incerti auctoris facile fuit reſtituere, quod ex ingenio Cujacius præſtiterat ad Pauli Sent. lib. 4. tit. 6.

(6) *Textus mandati*.) Mandatum ut teſtamentum ſive donatio apud acta publicetur. In fine teſtamenti Hadoindi Cenomanenſis Epiſcopi, apud Briſſonium, ſubjicitur ejuſmodi mandatum. *Magnificis in Chriſto & ſancta Eccleſia filiis Bodilonno & Audranno Hadoindus Epiſcopus. Rogo & ſupplico caritati veſtræ ut cum me dominus & creator omnium de hoc ſeculo migrare præceperit, Cenomannis civitatem ire faciatis, & ibi teſtamentum meum, cum apertum fuerit, vobis proſequentibus apudque publica geſtis municipalibus faciatis allegagare, ut quod unicuique per ipſum teſtamentum ſanctis, civibus, vel propinquis meis viſus ſum delegaſſe, veſtra diſpenſatione unuſquiſque juxta ipſam delegationem percipere valeat, & quicquid exinde egeritis geſſeritis, ratum & firmiſſimum debeat permanere. Quod mandatum manu noſtra firmavimus &c.* Quæ cum Marculfo omnino conveniunt. Sic in formulis incerti auctoris c. 55. & leg. Rom. c. 2.

ſeriſve, ratum & definitum apud nos in omnibus eſſe cognoſcas. Factum mandatum tunc, ibi, anno illo.

Poſt recitationem (1) mandati, vir honeſtus ille defenſor dixit: Mandatum quidem recitatum eſt; ſed ſupraſcripta donatione, teſtamentum, aut ceſſione, quam præ manibus habere dicis, nobis præſentibus recitetur; & ut poſtulas geſtis publicis firmetur. quam vero donationem ille profeſſor recitavit. Poſt recitationem vero vir laudabilis ille defenſor & curiales dixerunt: Epiſtola qui recitata eſt; geſtis publicis inſeratur, & quod ille proſecutor vellit & petit, geſta ei publice datur. Ille proſecutor dixit: Sufficit mihi, bone defenſor, ut donatio quæ recitata eſt, ſi mihi geſta tradere jubeatis. Ille defenſor dixit: Et quia epiſtola donationis aut ceſſionis ſeu teſtamenti & mandatum in te conſcriptum per ordinem condita & bonorum hominum manibus roborata, atque ſignata, manifeſta eſſe cognovimus, dignum eſt ut geſta ex hoc conſcripta atque ſubſcripta tibi tradatur, & ut in arcipibus publicis (2) memoranda ſervetur. Edatur ſuper ordine & mandatus ſuus in loco, & totum textum, & manumiſſoris epiſtolæ ſcribantur; & poſtea defenſor & curiales civium & reliqui eam ſubſcribantur atque ſignentur.

*Epiſtola ſi aliqui rem Eccleſiæ ad uſum habeant, & eorum proprietatem pro hoc donent.*

XXXIX. Domino ſancto & apoſtolico. Domno & in Chriſto patri illi Epiſcopo ille & conjux mea illa. Quatenus ad noſtram petitionem veſtra habuit pietas & benevolentia ut locello aliquo Eccleſiæ veſtræ, nuncupante illo, ſitum in pago illo, quam ille pro animæ ſuæ remedium ad Eccleſia veſtra illa in honore ſancti illius delegavit, nobis ad beneficium, dum pariter advivimus, aut qui ex nobis pare ſuo ſupreſtis fuerit, dum advixerit, excolere permiſiſtis. Et nos pariter, juxta quod convenit, tam pro ipſo uſu quam pro animæ remedium, alio locello nuncupante ſic, ſitum ibi, poſt noſtrum ambobus diſceſſum, vobis vel ſucceſſoribus veſtris ad memorata Eccleſia viſi fuimus condonaſſe, ea tamen conditione ut dum advivimus, ſupraſcripta loca, tam illa quam nobis præſtitiſtis, quam & ea quod nos pro animæ noſtræ remedium ad ipſam Eccleſiam delegavimus, abſque ullo præjudicio Eccleſiæ veſtræ ſine ulla diminutione de qualibet re uſufructuario ordine poſſidere debeamus, & poſt noſtrum, ut diximus, ambobus diſceſſum, præfata loca abſque ulla alia renovata, ut mos eſt in ceteris, precaria per hanc epiſtolam abſque ullius heredum noſtrorum aut cujuſcunque contrarietate vel expectata traditione vos vel ſucceſſores veſtri aut agentes Eccleſiæ in veſtra faciatis revocare dominatione perpetualiter dominandum, & noſtra poſſeſſio nullo unquam tempore nullum præjudicium vobis ex hoc generare non debeat. Si quis vero, quod futurum eſſe non credimus, nos ipſi, aut aliquis de heredibus noſtris, vel qualibet perſona contra hanc epiſtolam venire aut aliquid de ipſa locella vobis minuari aut auferre voluerit, cum ſupraſcripto Domno illo ante tribunal Chriſti deducat rationes, & inſuper inferat partibus Eccleſiæ veſtræ tantum, & quod repetit vindicare non valeat, ſed præſens epiſtola firma permaneat. ſtipulatione ſubnexa. Actum illo.

*Præſtaria de re Eccleſiæ (3) ab Epiſcopo facta.*

XL. In Chriſto ſanctæ Eccleſiæ filiis, aut (ſi tales fuerint) inluſtribus viris illis, ille illius Eccleſiæ gratia Dei Epiſcopus. Dum ad petitionem veſtram alio locello nuncupante ſic, ſitum ibi, vobis pariter ad beneficium, dum advixeritis, excolere permiſimus, & per hoc alio locello nuncupante ſic, ſitum ibi, de proprietate veſtra tam pro ipſo uſu quam pro animæ veſtræ remedio poſt amborum diſceſſum ad ipſa Eccleſia ſancti illius per veſtram epiſtolam delegaſtis, ideo nobis cum conſenſu fratrum noſtrorum convenit hanc epiſtolam præſtariam in vobis pariter conſcribere, ut dum pariter advixeritis, aut qui ex vobis pari ſuo ſupreſtis fuerit & advixerit, nec nos nec ſucceſſores noſtri nec quiſlibet de parte Eccleſiæ noſtræ ipſa locella de veſtra poteſtate pontificium auferendi non habeamus, ſed per noſtrum beneficium aut ſucceſſorum noſtrorum, dum advixeritis, abſque ullo præjudi-

(1) *Poſt recitationem.*) Sequitur continuatio geſtorum & recitatio teſtamenti.

(2) *Arcipibus publicis.*) Archiis, archivis, ſcriniis. Notum eſt.

(3) *Præſtaria de re Eccl.*) Precaria proprie dicebatur libellus, quo quis res Eccleſiæ utendas ſibi dari rogabat. Qua de re hujus libri capite quinto. Hincmarus de divortio Hlotharii & Teibergæ ad XII. interrogat. p. 399. *Quod ſuum erat locis ſanctis donant per confirmationem & ſibi uſurpant per occupationem; quod ut ſeculi pauperiores non obtinent per deprecatam præſtationem, immo & ſibi auferunt, & locis ſanctis non tribuunt.* Præſtaria autem vocabatur epiſtola, qua Epiſcopus vel Abbas rem Eccleſiæ concedebat. Præſtationis charta tradit. Fuldenſ. lib. 1. *Ea ratione ut per veſtram præſtationis chartam ad vitam meam illud habere poſſim.* Quod alibi ſic exprimitur: *Ut quod trado per veſtram præſtariam ad vitam meam poſſideam.* Hincmarus Ludovico Regi apud Flodoardum hiſt Rhemenſ. lib. 3. c. 20. *Qualiter ſanctus Clodoaldus (villam Dudiciacum) ſancto Remigio dederit, & quomodo Carolus Pipini Regis filius eandem villam apud Tilpinum Archiepiſcopum obtinuerit in præſtariam.* Idem lib. 3. c. 26. ex ejuſdem Hincmari epiſtolis: *Bernardo Comiti Toloſano propinquo ſuo, pro rebus Rhemenſis Eccleſiæ in Aquitania conjacentibus, quas ille in præſtariam ſibi concedi petebat.*

judicio Ecclesiæ nostræ vel minuatione aliqua de qualibet re in integritate amba locella excolere debeatis, & post vestrum ambobus discessum, sicut & vestra continet epistola locum præcariæ facta, absque ullius expectata traditione eas nos aut successores nostri ad partem Ecclesiæ nostræ revocare debeamus. Facta epistola.

*Si aliquis rem alterius quam excolit ad proprietatem habere vult, & non potest, & postea eam precaverit.*

XLI. Domno inlustri illo & mihi proprio Domno illi. Dum per malorum hominum consilium, quod non debueram, de terra vestra in loco nuncupante illo, quem excolere video, revellare amavi & ipsa terra ad proprietatem facire, & non potui, quod nec ratio præstitit, & vos vel agentes vestri eam ad partem vestram revocastis, vel nobis exinde ejecistis, sed postea ad petitionem bonorum hominum nobis eam ad excolendum reddidistis. Propterea hanc precariam dominationi vestræ emittimus, ut quandiu vobis placuerit ut eam teneamus, absque ullo vestro præjudicio, quicquid reliqui accolani vestri faciunt, nos reddere spondimus. Quod si non fecerimus, & ob hoc neglegentes, tardi, aut contumaces fuerimus, publice per hanc precariam, ac si semper per quinquennium renovata fuisset, condemnati, ut lex præstat tardis aut neglegentibus, & de ipsa terra nos pontificium habeatis eiciendi. Facta precaria ibi, sub die illo, anno illo, illo Rege.

*Indiculus Episcopi* (1), *ad alium in resurrectione Domini eulogias dirigendo.*

XLII. Domino sancto & apostolica veneratione colendo Domno & in Christo fratri illi Episcopo ille gratia Dei, ac si peccator, Episcopus. Dominicæ festivitatis resurrectionisque mysteria, in qua idem Deus Christus tartarius per semetipsum decrevit absolvere, nudus victorque de exsuperato hoste triumphans captivitatem, dedit bona hominibus, propterea remeavit ad cælos, anni circulum revolventi, quæ felicitas prosperitatem vestram constitit industriam, aut sanctitatem excepisse, ipsoque Deo præsule percogisse, cum eologias peculiaris patro vestro sancti illius, & salutationis officia veneratione præcipua, quæsumus ut nostram extremitatem affatu dignabili jubeatis specialibus informare.

*Rescriptio ad Episcopo.*

XLIII. Domino sancto, meritis apostolico, in Christo desiderabili, Domino & fratri illo Papæ, ille peccator Episcopus. Vestras sacras common. almitatui vestri deferenti venerabile filio commune illo, ut cælitus donabile, nos accepisse prænusce & comperite. De edulium inquit dedepasti recreati sancto hoc de munere vestro trepudiantes, multum de qua pagina færrit. quod valitantes vobis præscimus esse cum vestris & quintati habuit vestra dignatio instigio ut in virendotirio fuistis dignati, infimo gratias agimus. In his e plura solventes, pluscculum quod valeat internum congignere compus, vel verborum carmina pandant, oracula dictua dicimus. Et illud quod nos flagitare oportet, ut in vestris sæpius nobis reminiscat oratio.

*Quomodo Episcopus nativitatem Domini ad Regi, Regina, vel ad Episcopo visitationis dirigit scriptum.*

XLIV. Glorioso atque præcelso & universale catholicæ sanctæ Ecclesiæ filio illi Re-



(1) *Indiculus Episcopi.*) Solebant olim Episcopi in præcipuis solemnitatibus, ut in Paschate aut Natali Domini, litteris Coepiscopos, Reges, & amicos visitare, & eulogias mittere; quo pertinet hoc Marculfi caput, cum tribus sequentibus. Eulogia vero benedictio est; atque etiam res quæcunque, sive panis, seu sal, seu vinum, aut aliud ejusmodi cui benedictio illa accessit, eulogia dicitur. Eulogiæ quidem nomine sal aut panem catechumenis datum fuisse loco communionis ex synodo Carthaginensi & B. Augustino notat eruditiss. Fr. Pithœus in Glossario. Unde & loco communionis, quæ singulis dominicis diebus fiebat, postea receptum est ut panis benedictus fidelibus non communicantibus daretur, qui uno verbo eleganter Græcis ἀντίδωρον. Balsamon ad synodum Antioch. cap. 2. Honorius in Gemma animæ lib. 1. c. 67. Eulogiarum autem mittendarum morem antiquissimum esse constat. B. Augustinus ep. 34. *Panis quem misimus, uberior benedictio fiet dilectione accipientis benignitatis vestræ.* Paulinus & Therasia ad Augustinum inter B. August. epistolas epist. 31. *Panem unum, quem unanimitatis indicio misimus caritati tuæ, rogamus accipiendo benedicas.* Paulinus epistola ad Alypium, quæ est 35. inter epistolas B. Augustini: *Hunc panem eulogiam esse tu facies dignatione sumendi.* Gregor. Turon. lib. 4. cap. 16. *Chramnus ad basilicas ab antedicto sacerdote susceptus est; ibique comedens panem ad Childericum pertendit.* Lib. 6. c. 5. Chilpericus *postulat ut accepta benedictione discedere &c. Hæc dicens, aquam manibus porrigi jubet; quibus ablutis, facta oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipsi accepimus & Regi porreximus &c.* Lib. 8. c. 2. *Surrexi ad occursum ejus, & data oratione deprecor ut in mansione mea eulogias B. Martini dignaretur accipere. Quod ille non respuens, benigno animo ingressus, hausto poculo, admonitis nobis, ad convivium lætus abscessit.* Idem de gloria confessor. cap. 31. Benedictionem vocat Sulpitius Severus dialogo 2. Flodoardus hist. Rhemens. lib. 2. c. 11. de S. Rigoberto Episcopo: *Hic venerabilis Præsul Pipinum Majorem domus regiæ traditur amicissimum habuisse, cui eulogias pro benedictione crebro solebat mittere.* Ad eulogias pertinet quod in vita Ludeuvici Pii dicitur Carolum M. filium interrogasse, *cur Rex cum esset, tantæ tenuitatis esset in re familiari ut nec benedictionem quidem nisi ex postulato sibi offerre posset &c.* Sangallensis lib. 1. c. 13. Capitul. lib. 6. c. 65.

Regi, ille Episcopus. Gloriosa atque præcelsa & universale catholicæ sanctæ Ecclesiæ filia illa Regina, ille misericordia Dei Episcopus. Domino inclitoque cultore atque apostolico Domino & in Christo fratri illi Episcopo, ille peccator Episcopus. Dum generaliter dominicæ nativitatis exultamus adventum, censum debita subjectionis desolvere perurguemus ex voto: atque ideo salutationum munia cum eologias peculiaris patroni vestri sancti illius (*si ad Regem*) clementiæ vestræ, (*si ad Episcopum*) sanctitati vestræ direximus, cum omni humilitatis genere clementissime dependentes, suggerimus ut jugi nos præmunientes orato, de vestræ sospitate integritatem trepudiare faciatis, dignabili protinus rescribtu.

*Item alia de nativitate Domini.*

XLV. Iocunditatis mutuæ gratiam cognoscere cupientes, divinitus universitate conlata, non distituemus epistolis præferendam vestram prævenire clementiam, aut sanctitatem, cum eulogias peculiaris patroni vestri illius, honorabili ac devoto cultu poscentes ut qua alacritate festiva nativitatis dominicæ peregistis insignia, nos doceant vestræ sanctitatis exempla. Erunt enim nobis provectuum vestræ incrementa salutis, locuplex thesauri facultatis.

*Commendatitias litteras ad Episcopo noto.*

XLVI. Domino reverentissimo illo Papæ ille. Reminiscentes vestram affectuosam beatitudinis caritatem, qua tunc ab obtentu retributionis æternæ nostræ extremitatis personolam in intimis visceribus ac si unicæ dilectionis vinculum amplectebamini sedule; qua fiducia provocatus hos apices vilitatis nostræ fidenter ad dignationem vestram per fratres nostros filios vestros gerulos præsentes destinare præsumpsi, per quos vestram almitatem, si præsumptio non offendit, salutationum munia, ut decet, non arroganter, sed humiliter destinare præsumo, quos ut commendatos in omnibus recipere dignetis, quæsumus opportune. Etenim in tam longinquis regionibus propter necessitates fratrum comparandum euntes, vestris Christo præsule indigent adminiculis; pro quibus beneficiis centuplicato fœnore a Domino retributore bonorum omnium refertum mercedis cumulum in ævum recipiatis dignissimum. Dominus Deus noster piam coronam vestram memorem mei & præsentibus repleat bonis & dignam reddat æternis, Domne semper meus.

*Item commendatitias litteras ad Abbate noto.*

XLVII. Domino beatissimo & meritis venerando sancto patri illo Abbati ille in Domino perpetuam mittit salutem. Multimoda nobis benivolo vestro generare comperite gaudia quotiens aditus dederit opportunus ut ad indagandam sospitatem vestram nostras dirigere debeamus litterolas. Idcirco cum salutationum officiis humili prece almitati vestræ quæsumus ut pro nobis misericordiarum dominum, ubi dignas sedulasque funditis preces, exorare non dedignemini quatenus vestris fulti precibus olim optatam adire mereamur patriam. Pariterque latores præsentes famulos vestros, fratres in Christo nostros, quos ob necessaria monasterii nostri illuc usque destinavimus, vestræ beatitudini plurimum commendare præsumimus, ut eis in quo necessarium duxerint solatium præbere pro divino intuitu non dedignetis. Vale pro nobis orans, Domne sancte ac beatissime pater.

*Supplicaturio* (1) *pro eo qui in monasterio conversare desiderat.*

XLVIII. Domino sancto, Deique cultore, & mihi in Christo honorabile fratri, illi Abbati, ille salutem optans mitti in Christo. Primum illud tanquam præsens sanctis vestris suggero provolutus pedibus ut meæ extremitatis litterolæ, cum vestris fuerint sacris manibus traditæ, pro me meisque, quos mihi in Christo cohærere fecit amor, fratribus, precibus Domino commendetis. Deinde subjectus vestri frater in Christo noster ille, superno inspiratus munere, vestræ sanctitati obedientiæ nostras se petiit litterolas almitati vestræ commendari; per quas suppliciter postulamus ut ovem fauce lupi boni pastoris Christi manu erepta, ad caulas Christi gregis tua sit diligentia reducta, ac vice patris ac medici pia, oro, circa hunc sit vigilantia ægrum: quem si pristinæ redditum sanitati pastori omnium cum ceteris præsentaveris inlæsum, quæ sequatur tuo merces laboris, optime divinis nosti instructus oraculis. Vale, memor esto mei venerabilis in Christo frater.

*Indiculum generale* (2) *ad omnes homines.*

XLIX. Domno nostro, orthodoxo Romanæ sedis apostolicæ a Deo instituto illi Papæ, vel omnibus apostolicis Domnis & patribus, seu Abbatibus; vel Deo dicatis cœnobiis degentibus, necnon & inlustribus viris

(1) *Supplicaturio.*) Preces sunt seu potius commendatitiæ litteræ Abbati factæ, ut in cœnobio aliquem qui monachus fieri cupit recipiat. Conversare enim tum usurpabatur pro monachum fieri; quasi dicas in monasterio degere.

(2) *Indiculus generalis.*) Indiculus pro omni epistola & libello accipitur, ut libro primo diximus. Hic autem qui generalis dicitur, epistola est commendatitia Episcopi, ut verisimile fit, qua is, qui limina Apostolorum peregrinationis causa petit, omnibus Episcopis commendatur & Principibus, per quorum ditiones iter facturus est.

ris Patriciis, Ducibus, Comitibus, vel omnibus Christiani cultus divine religione sectantes, ille peccator Episcopus vilissimus omnibus in Domino præsumo mitti salutem. Quatenus præsens portitor ille, radio inflammante divino, non (ut plerisque mos est) vacandi causa (1), sed propter nomen Domini, itinera ardua & laboriosa parvipendens, ob lucrandam orationem, limina sanctorum Apostolorum Domni Petri & Pauli adire cupiens, meæ parvitate se petiit vestræ commendare almitate ac industriæ litterolas; per quas vilissimus omnium, tanquam vestris provolutus vestigiis singulorum, supplicare præsumo ut pro me minimo exorari jubeatis, & eundem euntem vel redeuntem, si Dominus permiserit, propter nomen Domini solita pietate commendatum recipiatis, & quod necesse habuerit impertire tanti habeatis; quatenus ab ipso mereamini mercedem recipere cumulum qui sibi dixit impleri quantum quis in suis pauperibus visus fuerit erogare.

*Indiculum commendatitium ad viros inlustres laicos.*

L. Domino inlustre, & præ cunctis magnificentissimo, ac nobilitatis prosapiæ decorato atque sublimato illi, ille peccator in Domino præsumit mittere salutem. Quamquam vestra excellentia meæ parvitate minime sit cognita, tamen multorum relatione didici vestram in Domino maximam devotionem & in servos Dei vel pauperes ejus ob æterna retributione sollicitudinem non pigram. Qua fiducia provocatus, hos apices vilitatis meæ per latores præsentes famulos vestros, fratres in Christo nostros, ad dominationem vestram direximus; per quos vestram industriam, si præsumptio non offendit, plurimum salutare præsumo; & peto ut eis euntibus vel redeuntibus, in quo necessarium duxerint, propter nomen Domini solita pietate consolare jubeatis.

*Indiculum ad homines potentes palatinos, maxime ad cognitos sibi.*

LI. Domino inlustri & præ cunctis magnificentissimo viro illi ille peccator perennem in Domino mittit salutem. Uberem strenuitatis vestræ agapem erga nos potissimo jure flagrantem litterarum serie non omittimus excitare, quo, avidi facilitatis vestræ quæstus præstolantes, uberes in Domino a vobis fructus semper suscipiamus, & dum præsenti in vita tibi rerum arbiter locum dedit quo & Ecclesiarum & amicorum feras suffragia, non pigeat subire laborem qui in posterum mercedem conferat lucra, & nunc multiplicia ex numero amicorum ferant suffragia, & unde tibi præsentium portitores, sodales mei, famuli vestri suggesserint, pie obaudientes affectui mancipetis. Vale vir vigoris atque tuorum decus amicorum. Omnipotentis Domini pietas ad Ecclesiarum profectum per multa spatia temporum vos conservare & custodire dignetur.

*Qualiter ex ordinatione Regis (2) pro nativitate filii sui Domesticus de villa Regis per sua epistola relaxat ingenuos.*

LII. Ego in Dei nomine ille Domesticus (3) ac si indignus gloriosissimi Domni illius Regis super villas ipsius illas, illi ex familia dominica de villa illa. Dum generaliter ad omnes Domesticos Regis ordinatio processit pro nativitate Domnicelli nostri illo, ut a Domino melius conservetur, de unaquaque villa fiscale tres homines ex servientibus inter utroque sexu a servitio laxarentur, & nos ita faciendum ob hoc ordinatione recepimus, propterea te per hanc epistolam nostram, sicut mihi jussum est, ab omni vinculo servitutis absolvo, ita ut deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, vitam ducas ingenuam, & in nullo servitio nec a nobis nec a successoribus Domesticis nec a quocunque de



(1) *Non vagandi causa.*) Ideo Concilio Cabilonensi sub Carolo M. c. 44. & 45. prohibitum est Romam sive Turonum absque licentia Episcopi sui adire. *Sunt pauperes*, inquit, *qui vel ideo id faciunt ut majorem habeant materiam mendicandi*. Burchardus lib. 19.

(2) *Qualiter ex ordinat. Regis.*) Superiore libro formula est mandati regii ad Domesticos & Comites dati, quo jubet Princeps ut propter filii nativitatem in unaquaque fiscali villa tres servi manumittantur. Hoc autem capite forma proponitur, qua Domesticus, ut regio mandato satisfaciat, servos fiscales manumittit.

(3) *Domesticus.*) Dignitas fuit non contemnenda sub prima & secunda Regum nostrorum familia. Nam inter præcipuos regni ministros Domestici sæpe enumerantur, & in præfatione leg. Burgundion. *Sciant itaque Optimates, Comites, Consiliarii, Domestici, & Majores domus nostræ.* Et cum munera in judicio accipere prohibeantur, eos quoque judicasse dici potest. Sic leg. Ribuar. tit. 90. *Ut Optimates, Majores domus, Domestici, Comites, Grafiones, Cancellarii, vel quibuslibet gradibus sublimati in provincia Ribuaria in judicio residentes, munera ad judicium pervertendum non recipiant.* Hos etiam Regi judicanti adsedisse probat Marculfus ipse libro primo, dum inter ministros & officiales qui Regi adsiderent, Domesticos recenset. Quod autem proprium Domesticorum munus fuerit, non satis constat. Nec enim iidem sunt qui aulæ Constantinopolitanæ Domestici, quos planum est scholis palatinis & militaribus excubiis præfuisse; de quibus tit. de domesticis & protectoribus in utroque Codice. Apud Francos vero expensas Regi ad placita proficiscenti suppeditasse & necessaria quæque præparasse Domesticos ex Gregorio Turonensi apparet. Sic enim ille lib. 9. cap. 28. *Fuerunt etiam ad hoc placitum multi de regno ejus tam Domestici quam Comites, ad præparanda regalis expensæ necessaria.* Ex hoc tamen Marculfi loco nil clarius eorum officio. Quippe *Domesticus* dicitur *super villas Regis*. Ut planum sit Domesticos villis fiscalibus & fundis dominicis præfuisse & omnes reditus curasse.

de parte fisci penitus in servitio inclinari non possis; sed per hanc epistolam ingenuitatis, sicut nobis jussum est fieri, bene & integre ingenuus cunctis diebus vitæ tuæ debeas permanere. Si quis vero aliquis te de statu ingenuitatis tuæ impulsare voluerit, inferat tibi cum cogenti fisco auri libram unam, & quod repetit vindicare non valeat, sed præsens epistola firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum ibi sub die illo, anno illo, Rege illo, suprascripto illo Domno nostro Rege.

---

# APPENDIX
## FORMULARUM MARCULFI,
### *SIVE*
# FORMULÆ VETERES
## INCERTI AUCTORIS.

### INCIPIUNT CAPITULA.



*Notitia de colono evindicato* (1).

I. NOtitia qualiter vel quibus præsentibus veniens homo aliquis, nomine ille, advocatus sancti illius (2) de monasterio illo & illo Abbate, in civitate illa in mallo publico ante illustri viro illo Comite vel aliis quampluribus personis ibidem residentibus, interpellabat homine

(1) *Notitia de colono ev.*) Exemplum est sententiæ inter Advocatum seu Defensorem Ecclesiæ, qui vindicat aliquem in colonum fundi ecclesiastici, & ipsum colonum, qui asserebat se liberum. Sed cum id probare non potuisset, nec die dicta ad sacramentum cum aliis præstandum adfuisset, convictus ipse agnovit se colonum. Itaque per Vicarium Comitis Advocato redditus est. Qua de re conficitur instrumentum, ut omnibus id notum fiat. Unde & Notitia appellatur. Chronicon Besuense: *Notum fiat posteris & memoriæ commendetur quod &c.* infra. Alio sensu notoriæ vocabulum usurpant Jurisconsulti pro relationibus quæ ab Irenarchis, Stationariis, officio præsidis, & (ut ait D. Augustinus ep. 159.) ab his ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat, in criminibus fieri solebant. l. 7. ad Sc. Turpillian. l. 31. Cod. Th. de Episcop. & Cleric. l. 7. Cod. de accusat.

(2) *Advocatus sancti ill.*) Defensor sive protector Ecclesiæ aut monasterii, qui res & jura

mine aliquo nomine illo, repetebat ei, dum diceret eo quod ante hos dies ipse homo sacramentum contra ipsam casam Dei (1) vel ipsius Abbatis habuisset adhramitum (2) ad suam ingenuitatem defensandum in ipso mallo in basilica sancti illius ob hoc jurare debuisset, & ipse homo de ipso sacramento jectivus remansit, & ipse homo nullatenus rationes potuit tradere per quod ingenuus esse deberet, vel ipso sacramento jurare potuisset. Et dum hæc causa apud ipso Comite vel ipsis Racimburgiis (3) diligenter fuit inventa vel inquisita, & legibus fuit definita, & ipse homo in præsente pro colono (4) ad casam sancti illius vel ipsius Abbatis sibi recognovit vel recredidit (5), & ipse vicarius (6) per jussionem ipsius Comitis ipsum hominem per manus, pro colono

---

ra eius tam in judicio quam extra judicium tuetur & actiones exercet. Ἔκδικος. Nam ex synodo Carthaginensi cap. 75. inducta est advocatorum defensio pro causis Ecclesiæ.

(1) *Casam Dei.*) Ecclesiam. Alibi *donatio ad casam Dei*, & passim.

(2, *Adrhamitum.*) Promissum. Adrhamire enim est jurejurando cavere se certa die & certo loco solemniter juraturum. *De sacramento fidem facere* in leg. Ribuar. tit. 68. Capitul. lib. 3. cap. 58. *Ut si sacramenta ad palatium fuerint adrhamita, in palatio perficiantur.* Lib. 4. c. 28. *Ubi antiquitus consuetudo fuit de libertate sacramenta adhramire vel jurare.* Et cap 29. Leg. Sal. tit. 39. Infra cap. prox. *Unde tale sacramentum per suam fistucam visus fuit adhramire.*

(3, *Racimburgios.*) Comites non soli, sed adsidentibus septem ut plurimum Consiliariis, jus dicebant, qui *Racimburgi* vel *Rachimburgi* dicebantur. Leg. Salicæ tit. 52. 3. *Tunc Grafio congreget secum septem Rachimburgios.* Et tit. 60. leg. Ribuar. tit. 57. Capitula Pipini Regis: *Si causa sua ante ipsum Comitem fuit & ante Racemburgos.* Infra cap. 6. Eosdem Scabineos dictos esse ex[illegible]. Siquidem Scabinei judices erant, & septem numero Comiti adsidebant. Capitul. lib. 3. c. 40. *Ut nullus ad placitum banniatur nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet; exceptis Scabineis septem, qui ad omnia placita præesse debent.* Qua occasione lubet exscribere ex Besuensis monasterii Chronico Comitis & Scabineorum judicium, quo tam hæc formula quam sequentia capita, quæ eodem fere pertinent, non parum illustrantur.

*Notum fiat posteris & memoriæ commendetur quod ante illustrem virum Hildegarium Comitem seu Judices quos Scabinos vocant, & quamplures personas qui cum eo aderant in Montaiaco villa, in mallo publico, ad multorum causas audiendas & recta judicia terminanda, ibi veniens Betto Episcopus (Lingonensis) & Advocatus suus Burgoardus novem legitimos testes ibi præsentavit, quorum nomina hæc sunt. Simeon, Agano, Bertchrannus, Govo, Macoirius, Adalardus, Gerino, Gerento, Syrannu. Isti testificaverunt & juraverunt de finibus Besuensis monasterii, quod a fine Pontense, & a fine Vendobrinse, & Waurense, & Tillense, & Vetusnimense, & Bustellense, & Bustense & Lucense, & Burburense, & Berecholpo villare, per istas marcas inter ipsos fines immunitas sit S. Petri ad integrum, & in alio loco bosco communitas ad integrum, & ab ipso fine Bustulense usque ad viam petrosam, & deinde usque ad stradam fractam, & deinde usque ad finem Burburenensem immunitas est S. Petri ad integrum. Per istas marcas euntes ipsi novem testes quos supra nominavimus, misso secum Balacterio illustri viro ab Hildegario Comite & a suis Scabinis, dixerunt & per judicium testificaverunt quod a tempore Pipini Regis & deinceps per tempora Domni Caroli Imperatoris vidissent inde legitimas vestituras ad partem S. Petri haberi, ita ut nec Aldo nec heredes sui ullam legitimam vestituram exinde unquam habuissent, sed per legem & per justitiam vestitura S. Petri fontis Besuensis erat. Tunc ipsi Scabinei unanimiter judicaverunt quod omni tempore ipsæ res per illas marcas ad partem S. Petri essent vindicatæ atque legibus conquisitæ. His præsentibus testibus, Balacterio, Madaberto, Beato, Eppleno, Baldrico, Ausino, Wormerio, Milone, Albrico notario, Feilagio, Leuduno, Alberto. Walterius præsens fuit & subscripsit. Data notitia die Mercoris proxima in mense Majo, anno secundo regnante Domno nostro Lugdovico Rege atque Imperatore.*

(4) *Pro colono.*) Gloss. vett. *Colonus*, δουλοπάροικος. Coloni liberi quidem, non servi erant, obnoxiæ tamen sortis & conditionis. Leg. Alaman. tit. 9. & 23. *Liberi ecclesiastici, quos colonos vocant.* Quos tamen frequentissime servis adjungi & connumerari reperias. Nam ad tributa & serviles operas tenebantur. L. Bajuvar. cap. 1. tit. 13. *De colonis vel servis Ecclesiæ, qualiter serviant, vel qualia tributa reddant &c.* Adnuntiatio Caroli apud Pistas cap. 20. *Si quis reputatus fuerit mensuram adulterasse, & cum majori modio vel sextario annonam vel vinum accepisse, ut cum minori mensura venundaret, si liber homo est, aut secundum suam legem se inde sacramento idoneum reddat, aut &c. Si autem colonus vel servus inde reputatus fuerit, aut judicio Dei se examinet, aut si inde convictus fuerit, hoc, ut supra diximus, unde mensuram adulteravit perdat, insuper & virgis nudo corio vapulet.* Sane jure Romano, ut antea diximus, nec prædia receptis colonis vendi legarive poterant, l. *Si quis inquilinos.* 112. de legatis 1. l. 2. l. 12. de agricolis & cens. Cod. lib. XI. In donatione Haganonis ad S. Martinum Turonensem imperante Ludovico: *Fridegiso Abbati trado mansum nostrum indominicatum &c. cum hominibus ibidem commorantibus, quos colonario ordine vivere constituimus.*

(5) *Recredidit.*) Recredere ejusmodi scriptoribus restituere est & reddere. Ivo epist. 275. *Dicit Comes quod libenter reddet aut recredet Comitem Nivernensem.* Vetus instrumentum in tabulario S. Martini Turonensis anno tertio Rodulfi Regis: *Et sic ex ipsis decimis sese recredidit & per fistucam guerpivit.*

(6) *Vicarius.*) Comitis. Gregor. Turon. lib. 10. c. 5. *Responderunt hoc Animondi Vicarii dolo, qui pagum illum judiciaria regebat potestate, factum fuisse.* Et lib. 7. c. 23. de Armentario Judæo, qui Turonum civitatem venit *ad exigendas cautiones quas ei propter tributa publica Injuriosus ex Vicario, ex Comite vero Eunomius deposuerant.* Quibus locis videtur Gregorium sensisse de Vicario qui per provinciam vices Comitis agebat, quique postea Vicecomes appellatus est. Erant enim & alii minores Vicarii, quorum singuli sub eodem Comite certis territoriis præerant; ideoque a Walafrido plebanis & parochis Ecclesiarum comparantur. Capitul. lib. 2. c. 28. *Habeat unusquisque Comes Vicarios & Centenarios suos secum.* Hincmarus epist. 4. c. 15. *Comites & Vicarii vel etiam Decani plurima placita constituunt.* Idem epistola pro Episcopis Galliæ & Ger-

lono ipſius , advocato illius Abbatis viſus eſt reddidiſſe, propterea taliter ei fuit judicatum ut de hac cauſa notitiam bonorum hominum manibus roboratam eum accipere deberet (1), quod ita & fecit, ut ipſum hominem ipſa caſa Dei vel ipſe Abba ſeu rectores eorum pro colono habeant evindicatum, & ſit inter ipſos poſtmodum ex hac re ſublata cauſatio. His præſentibus qui ſubter firmaverunt.

*Charta ſacramentalis* (2).

II. Veniens advocatus ſancti illius de monaſterio illo, ſeu & illius Abbatis de prædicto monaſterio illo, caſtro illo, in mallo publico (3), ante illuſtre viro illo Comite vel aliis quampluris qui ibidem aderant, interpellabat homine aliquo nomen illo, repetebat ei dum diceret eo quod genitor ſuus nomine ille colonus ſancti illius de villa illa fuiſſet, & ipſo colonitio de capud ſuum ad ipſa caſa Dei redebeat, & exinde neglegens aderat; & ipſe in præſente hoc fortiter denegabat, & taliter dedit in ſuo reſponſo quod de patre franco fuiſſet generatus, & de matre franca fuiſſet natus. unde tale ſacramento per ſuam fiſtucam viſus fuit adrhamire, & taliter ei fuit judicatum, ut hac cauſa apud proximiores parentes (4) ſuos, octo de parte genitore ſuo, & quatuor de parte genetricæ ſuæ, ſi præmortui non ſunt, & ſi præmortui ſunt, apud duodecim francos, tales qualem ſe eſſe dixit, in illo caſtro, in baſilica ſancto illo, ubi reliqua ſacramenta percurrunt, in quadraginta noctes (5) in proximo mallo poſt bannum reſiſum hoc debeat conjurare.

*Notitia de ſervo.*

III. Notitia qualiter vel quibus præſentibus veniens ille in cauſa monaſterii ſancti illius, civitatis illius Pontifici, ad vicem venerabile viro illo Abbate de prædicto monaſterio, die illo, illa civitate, in mallo publico, ante inluſtre viro illo Comite, & ante illo Epiſcopo, vel aliis plures magnificis viris qui ibidem reſedebant, homine aliquo nomen illo ibidem interpellabat dicens eo quod ſervus monaſterii ſancti illius de capud ſuum aderat, & colonus ipſius ſancti ille nomine illum de franco homine comparaſſet, & malo ordine ipſo ſervitio partibus monaſterii ſancti illius effugiebat vel intendebat. Interrogatum fuit ipſi ſervo ſi ipſa cauſa vera erat aut non. Sed ipſe ſervus in omnibus hoc fortiter denegavit, & ipſe Abba vel ſuus advocatus contra prædicto ſervo intendebant, & taliter dixerunt, quod teſtimonia homines francos præſentare potebant, qui hic adſtabant, quod ipſe colonus ipſo comparaverat, & in ſuum ſervitium eum viderant deſervire, & per lege ſervus ſancti illo eſſe debet. Et ipſa hora ipſe Abba, vel ipſe advocatus, ſua teſtimonia homines ſeptem, his nominibus illo & illo, adrhamivit ut in craſtinum die illo ibidem præſentare deberent. quod ita & fecerunt. Et ipſi homines ſic teſtimoniaverunt, quod per lege ſervus ſancti illius aderat debitus, & quomodo hoc teſtimoniaverunt . . . ſuper altario ſancti illius, in illa capella, quam in curte fiſci, ubi reliqua ſacramenta ſoluta ſunt, jurati dixerunt. Denuo ipſius ſervo fuit interrogatum ſi ipſa cauſa recognoſcebat, ſi ſic erat veritas. Sed ipſe ſervus in omnibus hanc cauſam recognovit, & ad ſervitium ſibi reverſus fuit; & ipſe Abba per judicium ad ipſas perſonas, per juſſionem illius Comite, de maru ill. Vicario exceptum, ibidem pro ſervo

---

Germaniæ cap. 3. *Regum Comites in civitatibus ſuis, & Comitum Vicarii in plebibus*. Inde frequenter veteribus inſtrumentis *in pago illo, in vicaria illa*. Hodie *Viguiers*.

(1) *Accipere debere.*) Leg. Ribuar. tit. 61. *Hoc itaque conſtituimus, ut quicunque in cauſa victor extiterit, ſemper judicium conſcriptum accipiat.*

(2) *Charta ſacramentalis.*) Qua ſtatuitur ut qui pro colono vindicatus ſe liberum aſſerit, manu ſextadecima propinquorum certa die in baſilica Sancti alicujus juret ſe liberum eſſe.

(3) *In mallo publico.*) Mallus, placitum majus, ubi majora negotia a Comite finiebantur, Leg. Salicæ tit. 1. 46. 48. 56. 59. 60. Capitul. lib. 3. c. 28. 51. 57. & lib. 4. c. 28. *Ubi antiquitus conſuetudo fuit de libertate ſacramenta adrhamire vel jurare, ibi mallum habeatur, & ibi ſacramenta jurentur. Mallus tamen neque in Eccleſia neque in atrio ejus habeatur. Minora vero placita Comes, ſive intra ſuam poteſtatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat. Volumus itaque ut domus a Comite in loco ubi mallum tenere debet conſtituatur, ut propter calorem ſolis & pluviam, publica utilitas non remaneat.* Adnuntiatio Caroli Regis apud Piſtas cap. 32. *Ut conlimitanei & vicini Comites in una die, ſi fieri poteſt, mallum non teneant, maxime poſt octavas Paſchæ, propter francos homines & advocatos qui ad utrumque mallum non poſſunt occurrere; ſed mittant ſibi invicem Miſſos; & ſi unus die Lunis mallum habuerit, alter die Jovis aut die Lunis ſequentis hebdomadæ mallum habeat. Et ne grave ei ſit qui ſuum mallum interjecit, qui uno anno primus tenuerit mallum, ſequenti anno conſentiat alteri primum tenere. Et ſi ſacramenta legalia in primo die Lunis poſt Paſcha juranda devenerint, aut in aliis feriis quando mallum tenere debuerat, mittat quiſque Comes Miſſum ſuum qui ipſa ſacramenta auſcultet, ne ipſi homines jectivi inveniantur, & ipſe ſic mallum ſuum teneat ut barigildi ejus & advocati qui in aliis comitatibus rationes habent ad ſuum mallum occurrere poſſint.* Synodi Meldenſis c. 76. Paſſim in formulis quæ ſequuntur.

(4) *Apud proxim. parentes.*) Inde in lege Salica tit. 63. qui cognitioni renuntiat, dicere debet, *quod ſe de juramento & de hereditate & de tota illorum ratione tollat.*

(5) *Noctes.*) Tacitus de Germanis: *Nec dierum numero, ut nos, ſed noctium computant, ſic conſtituunt, ſic condicunt, ut nox ducere diem videatur.* Sæpiſſime in lege Salica, Capitulis, hiſtoricis, veteribus inſtrumentis, ut ad Capitula Caroli M. doctiſſ. Fr. Pithœus obſervat. Quo fit ut ad hæc uſque tempora plerique *anuict*, quaſi *hac nocte*, pro *hodie* uſurpent.

ſervo ſancti illius evindicabat. His præſentibus.

*Judicium evindicatum de colono.*

IV. Cum reſediſſent venerabilis ille Abba & inluſter vir ille in villa illa in pago illo, ubi ille Comes eſſe videtur, per juſſionem Domno & glorioſo illo Rege, ad universorum cauſas audiendum vel recta judicia in Dei nomine terminandum; ibique veniens ille advocatus monaſterii illius vel illius Abbatis homine aliquo nomen illo interpellabat, repetebat ei; dum diceret eo quod legitimo colonitio partibus monaſterii ſancti illius vel illius Abbatis ad villa illa de parte genetrice ſua redeberet, & negligens & jectivus (1) exinde adeſſet. Sed ipſe homo de præſenti adſtabat, & ipſam cauſam nullatenus potuit denegare, & ad ipſum colonitium ſe recognovit, & per manibus ipſum hominem ipſius Abbatis reddidit. Proinde taliter ab ipſis Miſſis dominicis, vel illo Comite, ſeu & ab ipſis Rachimburgiis (2), ipſius advocato in cauſa ſancti illius vel ipſius Abbatis pro firmitatis ſtudium fuit judicatum ut dum ipſa cauſa taliter fuit inventa & legibus definita, ut tale judicio evindicato exinde accipere deberet, quod ita & fecit, ut omni tempore ad ipſum colonitium ſancti illius ad villa illa illum habeat evindicatum vel elidiatum, & ſit in poſtmodum inter eos ex hac re ſublata cauſatio. Datum in menſe illo, in anno illo.

*Notitia de colona evindicata.*

V. Veniens homo aliquis nomine ille advocatus ſancti illius, de monaſterio ſancti illius, vel illius Abbatis de ipſo monaſterio, die illo, in mallo publico, ante inluſtre illo viro illo Comite, vel ante quampluris perſonis qui ibidem aderant ad univerſorum cauſas audiendum vel recta judicia in Dei nomine terminandum, qui ſubter firmaverunt, femina aliqua nomine illa ibidem interpellabat, repetebat ei dum diceret eo quod avus ſuus nomine ille quondam, vel genitor ſuus ille quondam, coloni ſancti illius de villa illa fuiſſent, & ipſa femina colona eſſe debebat, & ipſo colonitio malo ordine de ipſa caſa Dei effugeret. Sic ipſa femina in præſente abſtitit, & ab ipſis perſonis ei interrogatum fuit ſi ipſa cauſa eſſet veritas, an non. Sed ipſa ... in omnibus fortiter denegavit, & taliter dixit, quod avus ſuus ille quondam, nec genitor ſuus ille quondam, coloni ſancti illius de villa illa nunquam fuiſſent, nec ipſa colonitio de capud ſuum ad ipſa caſa Dei ſancti illius nunquam redebebat, ſed de patre & de matre bene ingenua nata vel procreata fuiſſet. Sic ab ipſis perſonis taliter ei fuit judicatum, ut apud duodecim homines parentes ſuos, octo de patre, & quatuor de matre, ſi præmortui non ſunt, & ſi præmortui ſunt, apud duodecim homines bene francos Salicos, in ipſo mallo ſuper altario ſancti illius, in proximo mallo quem ipſe Comes ibidem tenebit, hoc conjurare debeat quod avus ſuus ille quondam, nec genitor ſuus ille quondam, coloni ſancti illius de monaſterio illo de villa illa nunquam fuiſſent, nec ipſa colonitio de capud ſuum ad ipſa caſa Dei non redebeat. Et ſi hoc in eo placito, ſicut ſuperius inſertum eſt, conjurare potuerit, de hac cauſa ducta & ſecura reſideat. Sin autem non potuerit, ad ipſa caſa Dei ſe recognoſcere faciat. Datum ibi.

*Notitia de ſervo quem colonus comparat.*

VI. Notitia qualiter vel quibus præſentibus veniens magnificus vir ille die illa in illa civitate in mallo publico ante inluſtre viro illo Comite & ante apoſtolico viro illo, vel præſentibus quampluribus viris venerabilibus Rachimburgis qui ibidem ad univerſorum cauſas audiendum vel recta in Dei nomine judicia terminandum reſidebant vel adſtabant, quorum nomina ſubter tenentur adnexa, homine aliquo nomine illo interpellabat, dixit eo quod ſervus ad colono ſuo nomine illo de capud ſuum aderat, & venditionem habebat quomodo ipſe colonus ipſum comparaverat, & ipſam venditionem ibidem oſtendebat ad relegendum. Relecta epiſtola, ſic ipſi viri ipſum interrogaverunt, ſi aliquid contra ipſa charta dicere volebat, vel ſi eam agnoſcebat, an non. Sed ipſe ſervus ipſa charta vera & legitima recognovit. Sic ipſi viri tale decreverunt judicio, ut ipſe ille ipſum ad ſervitium recipere deberet. quod ita & fecit, & per manu illius Vicarii per juſſionem inluſtre viro illo Comite & per judicium ad ipſas perſonas præſentaliter recepit. His præſentibus. Datum ibi, ſub die illo.

*Notitia de terra evindicata.*

VII. Notitia qualiter vel quibus præſentibus veniens venerabilis vir ille Abbas de monaſterio illo, die illo, in illo loco, ante inluſtribus viris magnificis illis & illis Miſſis Domno & glorioſiſſimo illo Rege (3), vel aliis quampluris qui ſubter firmaverunt, quo-

(1) *Jectivus.*) Supra ad Marcul. lib. I. c. 38. Adnuntiatio Caroli Regis apud Piſtas cap. 33. *Multi inde contendunt, & ſe inter ſe jectiſcunt.* Poſtea: *Suum ſacramentum ſe jurare debere contendant, & contra cauſatores ſuos, ſi ad hoc audiendum non venerint, jectiſcant.*

(2) *Rachimburgiis.*) De quibus ſupra cap. I.

(3) *Miſſos Regis.*) Miſſos dominicos infra hoc ipſo capite. Pipinus Major domus in diplomate pro S. Dionyſio: *Omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Domeſticis, Grafionibus, Vegariis, Centenariis, vel omnibus Miſ-*

*ſis*

quorum nomina subter tenentur inserta, homine aliquo nomine illo interpellabat, repetebat ei, eo quod illa terra quam apud homine illo concambiavit, qui est in pago illo, in grafia illa (1), in loco qui vocatur ille, post se malo ordine retineret injuste. & ipse homo in præsente adstabat, & hanc causam nullatenus potuit denegare, nec tradere rationes per quas ipsam terram habere debeat. Sic ipsi homini fuit judicatum, ut ipsam terram ante ipsos Missos dominicos secundum suam legem ipsi venerabili viro illo Abbati reddere vel revestire deberet. quod ita in præsente & fecit. Propterea jubemus ut dum hanc causam sic actam vel perpetratam esse cognovimus, ut ipsa terra ipse Abbas habeat evindicata atque elidiata (2), sit postmodum ex hac re omnique tempore sublata causatio. Datum ibi sub die illo, anno illo, regnante Domno nostro illo gloriosissimo Rege.

*Ingenuitas* (3).

VIII. Quoniam sanctissimi Hludovici Imperatoris pietas, quam habet in Deum, ea quærere & indagare non cessat quæ Domini potissimum congruant voluntati, quibus quoque religionis honor & devotio magis ac magis de die in dies crescat atque proficiat, & ea quæ ad divinum cultum & officium sanctum pertinent, decoris & honestatis amplius in diebus ejus quam prius habuerint accipiant, & cunctis in futurum temporibus quæ secundum Deum ab eodem inventa procurataque sunt proficiant, & perenni stabilitate a successoribus ejus & fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ inviolabiliter in perpetuum conserventur, memor semper quod dicitur, [α] *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & justitia firmatur thronus ejus*, adeo ut verissime & propemodum specialiter de eo dictum videatur, [β] *Beata terra cujus Rex sapiens est*; cui etiam illud non inconvenienter potest aptari quod Dominus de David perhibuit dicens: [γ] *Inveni David secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas*. Hujusmodi itaque studiis Rex iste sapiens & beatus indesinenter intentus, & Domini semper adhærens voluntati, cupiens, ut præmissum est, divinum officium modis omnibus honestare, & eos qui Domino Deo sacrificium super altare sanctum offerre debent, & corpus & sanguinem dominicum precum mediatione consecrare, honori habere, & ampliore gratia circumdare, statuit [δ] ut Episcopi & Abbates (4) & quicun-

[α] Prov. 20. [β] Ecclef. 10. Sap. 6. [γ] Act. 13. [δ] Capitulare an. 816. c. 6.

---

*sis nostris discurrentibus, seu quacunque judiciaria potestate præditis*. Quater in anno a Principe legati per provincias mittebantur, ut si quid Episcopi aut Comites negligentius egissent, per eorum admonitionem corrigeretur, hisque quibus a Comite jus dictum non esset, illi dicerent, & pleraque negotia Regis nomine perficerent, aut ad eum referrent. Constitutiones quoque Principum seu Capitula ab iis per provincias transmittebantur & annuntiabantur. Capitul. lib. 2. c. 18. 26. 27. 28. lib. 3. c. 14. 17. 83. 85. 88. & passim. Horum officium præclare describit Flodoardus hist. Rhem. lib. 2. cap. 18.

(1) *In grafia illa*.) In illo comitatu. Grafiones enim Germanica lingua pro Judicibus & Comitibus usurpantur. Aventinus lib. 7. ad an. 1285. *Eodem anno Cæsar* VIII. *KL. Januarias Augustam in confinio Rhetiæ atque Vindeliciæ concilium procerum convocat. Albertum Hallusium in classem præfectorum, quos nos Graphios, litteratores Comites vocant, refert*. Rigordus in vita Philippi Augusti Regis ad an. MCCVIII. *Eodem anno quidam Comes palatinus, qui eorum lingua Landgraf vocabatur, id est, Comes palatii &c.* Sic enim ex veteribus libris legendum est. Carlomannus Rex in synodo anni DCCXLII. *Decrevimus quoque ut secundum canones unusquisque Episcopus in sua parochia sollicitudinem habeat, adjuvante Grafione qui defensor Ecclesiæ ejus est, ut populus Dei paganias non faciat*. Ibi enim Grafio Comes est. Sic in lege Salica & veteribus aliis legibus Grafionis vocabulum accipitur.

(2) *Atque elidiata*.) Corrupta hæc sunt, sed ita restituenda crediderim: *Ut ipsam terram ipse Abbas habeat evindicatam atque elitigatam, ne sit postmodum ex hac re omnique tempore subita causatio*. Elitigata, pro extra litem & controversiam posita; quæ vox frequentissima est in variis formulis.

(3) *Ingenuitas*.) Exemplum manumissionis a Senonensi quodam Archiepiscopo factæ Ludovico Pio imperante, qua secundum ejus constitutionem Archiepiscopus servum suum in Ecclesia manumittit, ut ad sacros ordines possit promoveri.

(4) *Episcopi atque Abbates*.) Illud ipsum antea cautum erat synodo Aurelianensi III. sub Childeberto Rege c. 25. Vita Ludeuvici Pii: *Considerans idem piissimus Imperator non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ servituti &c. statuit ut quicunque ex servili conditione, conciliante scientia & morum probitate, ad ministerium altaris adsciscerentur, primum manumittantur a propriis dominis, vel privatis, vel ecclesiasticis, & tunc demum gradibus altaris induantur*. Quæ eadem continuationi Aimoini inserta sunt lib. 5. cap. 10. Capitul. lib. 1. cap 82. *De servorum ordinatione &c. statutum est ut nullus Episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere præsumat, nisi prius a dominis propriis libertatem consecuti fuerint*; & quæ sequuntur; quod ipsum iisdem verbis refertur ex incerto quodam Concilio Toletano a Burchardo lib. 2. cap. 31. & ab Ivone Decreti par. 6. cap. 182. Antea etiam id sæpe constitutum. Nam & in eandem sententiam citatur ab eodem Burchardo & Gratiano auctoritas Leonis Papæ. Præterea synodi Aurelianensis III. sub Childeberto Rege cap. 21. nominatim cautum apparet, *ut nullus servilibus colonariisque conditionibus obligatus juxta statuta sedis apostolicæ ad honores ecclesiasticos admittatur, nisi testamento aut per tabulas constiterit eum absolutum*. Eodem pertinet Novel. 123. §. *Si servus*. c. 17. Sic ratiociniis obnoxii ordinari non poterant. l. 4. Cod. de Episcop. & Cleric. Concilium Carthaginense can. 8. & 9. Burchardus lib. 2. cap. 36. Ivo part. 6. c. 87. Gratianus dist. 54. can. 4. ubi falso tribuitur Moguntinensi. cap. 2. de obligatis ad ratio-

cunque eccleſiaſticis poſſeſſionibus jure prælati ſunt, ſi aliquos ex familia ad presbyteratus ordinem promovere velint, prius eos, permiſſu ipſius, libertate donent (1), & ſic tandem ad ſacerdotii gradum digniſſime ſubvehant. Igitur ego ille minimus ſervorum Dei famulus Eccleſiæ Senonicæ Archiepiſcopus tanta ſereniſſimi Hludovici Auguſti auctoritate (2), quæ Senonis in arcibo (3) Eccleſiæ epiſcopii (4) ſervatur, fultus per hunc libellum manumiſſionis te fratrem noſtrum, quem ſervilis conditio hactenus addictum tenuit inter hujus Eccleſiæ familiam, quia fratrum teſtimonio, inter quos enutritus es, dignus ad ſacerdotalem honorem ſuſcipiendum prædicaris, cenſeo te atque ſtatuo ante ſacri altaris cornu (5) in conſpectu ſacerdotum & cleri & populi adſtantis a præſenti die & deinceps ab omni jugo ſervitutis humanæ abſolutum fore civemque Romanum (6) appellari, ita ut nulli hominum pro ſervili conditione quicquam (7) debeas ſervitii nec obſequii neque etiam libertinitatis munus impendere, non mihi, nec ſucceſſoribus, aut actoribus, quicunque præfuerint huic Eccleſiæ, non judiciaria præditis poteſtate; ſed ſoli Deo licentiam & facultatem habeas libere famulandi, dieſque tuos vitamque ipſi dicandi; ut in ipſius Eccleſia proficias ad honorem & profectum plebis pretioſo ſanguine Chriſti redemptæ; quatenus hanc pro modulo tuo monitis inſtruas, orationibus juves, exemplis informes, corporis & ſanguinis dominici conſecratione, propter cujus honorem hanc conſecutus es dignitatem, reficias; ut ſicut ab humana ſervitute liberatus per hanc manumiſſionem eſſe cognoſceris, ita per divinam doceas diabolicæ dominationis jugum evadere plebem quæ tibi a proprio Pontifice fuerit commiſſa. His quoque ſubnectere placuit, canonicis admoniti conſtitutionibus, ut ſi qua deinceps prædia (8) vel mancipia tui nominis titulo compara-

---

tiocinia ordinandis vel non. Id innuit Thomas Cantuarienſis apud Rogerum Hovedenum annal. parte poſter. anno 1165. *Mandavit ei Rex ut redderet ei plenariam computationem de omnibus receptis quæ receperat de redditibus regni quandiu Cancellarius fuerat. Reſpondit Thomas: In electione mea Henricus filius ejus & Thomas Brito Barones Scaccarii & Richardus de Luci Juſtitiarius Angliæ clamaverunt me quietum Deo & ſanctæ Eccleſiæ de omnibus receptis & computationibus & ab omni exactione ſeculari ex parte Domini Regis, & ſic liber & abſolutus electus fui ad hujus officii adminiſtrationem.*

(1) *Perm. ip. lib. don.*) Innuit ſervos Eccleſiarum, de quibus hic agitur, non potuiſſe manumitti, etiam ordinandi gratia, ſine Principis auctoritate, cum alienationis ſpecies videatur.

(2) *Hludovici Aug. auctorit.*) Capitul. lib. 1. cap. 82. *De Eccleſiarum vero ſervis communi ſententia decretum eſt ut Archiepiſcopi per ſingulas provincias conſtituti noſtram auctoritatem, ſuffraganei vero illorum exemplar illius penes ſe habeant. Et quandocunque de familia Eccleſiæ utilis inventus aliquis ordinandus eſt, in ambone ipſa auctoritas coram populo legitur &c.* Burchardus lib. 2. cap. 32. Synodi Triburienſis c. 25.

(3) *In arcibo.*) Archio, archivo.

(4) *Epiſcopii.*) Domus Epiſcopi. Synodi Meldenſis c. 26. *Suggerendum eſt & ex divino mandato intimandum regiæ majeſtati ut epiſcopium, quod domus Epiſcopi appellatur &c. venerabiliter ac reverenter introeat, & ſecundum ſanctam prædeceſſorum conſuetudinem, quando orationis & debitæ ſuſceptionis gratia in tranſitu convenienti civitatem ingreſſus fuerit, habitaculis epiſcopalibus reverenter inhabitet.*

(5) *Ante altaris cornu.*) Manumiſſio in Eccleſia ante altaris cornu ſolita celebrari. Formulæ leg. Rom. c. 12. Capitul. lib. 1. c. 82. *In ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, & coram ſacerdotibus vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate, libertatem conſequatur, & tunc demum ad gradus eccleſiaſticos promoveatur.* Leg. Longob. lib. 2. tit. 35. lib. 3. cap. 9. *circa ſacrum altare manumiſſus.* Exemplum manumiſſionis apud Burchardum lib. 2. c. 26. *Ego Burchardus Wormatienſis Eccleſiæ Epiſcopus quendam Eccleſiæ noſtræ famulum nomine Eberhardum, ſacris ordinibus oblatum, ad altaris cornu, nobilium virorum in præſentia, per hoc auctoritatis teſtamentum ſtatuo, ita ut ab hodierno die & tempore bene ingenuus atque ab omni ſervitutis vinculo ſecurus permaneat.* Servos autem qui manumittebantur ut Clerici fierent, alibi quam in Eccleſia manumitti non potuiſſe docet idem Burchardus c. 28.

(6) *Civemque Romanum.*) Qui in Eccleſiis manumittebantur, cives Romani, non Latini, fiebant, maximamque libertatem conſequebantur, ex conſtitutione Conſtantini l. 1. Cod. Th. de manumiſſ. in Eccleſ. Ideoque hæc clauſula inſtrumentis libertatis apponi ſolita. Formulæ leg. Rom. c. 12. B. Gregorius Papa regiſt. lib. 5. epiſt. 12 *Vos Montanum atque Thomam famulos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui Deo adjutore deſervimus, liberos ex hac die civeſque Romanos efficimus, omneque veſtrum vobis relaxamus ſervitutis peculium.* Cujus tamen appellationis Caroli M. & Ludovici Pii ſeculo non aliam vim fuiſſe exiſtimo quam ut lege Romana manumiſſi uterentur.

(7) *Nulli hominum quicquam.*) Hinc apparet non tantum ſervos, ſed etiam libertos, qui obſequiis erga patronos tenerentur, ordinari non potuiſſe. Debet enim ab aliis immunis eſſe qui divinæ militiæ aggregandus eſt, ut Leonis Papæ verbis utar. Synodus Toletana apud Burchardum lib. 2. cap. 25. *Quicunque libertatem a dominis ſuis ita percipiunt ut nullum ſibi met in eis obſequium patronus retentet, iſti ſi ſine crimine capitali ſunt, ad clericatus ordinem ſuſcipiantur, quia directa manumiſſione abſoluti eſſe noſcuntur. Qui vero retento obſequio manumiſſi ſunt, pro eo quod adhuc patrono ſervituti tenentur obnoxii, nullatenus ſunt ad eccleſiaſticum ordinem promovendi; ne, quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis ſervi.*

(8) *Si qua deinceps prædia.*) In Capitulis idipſum ſtatuitur lib. 1. cap. 82. *Si poſt ordinationem aliquid adquiſierint, illud obſervetur quod in canonibus de conſecratis nihil habentibus conſtitutum eſt.* Canonicæ autem ſanctiones illæ, de quibus hic & in Capitulis, ſunt ſynodorum decreta, quibus ſtatuitur ut Clerici, qui ni-

paraveris, hoc observare studeas quod in eisdem decretum esse cognoscitur. E si forte, quod absit, a tuo proposito exorbitaveris, presbyteratus gradum canonico judicio amittere cogaris. Hanc ingenuitatem manu propria subscripsi, & qui subscriberent rogavi. Actum. & reliqua.

*Mandatum* (1).

IX. Legibus institutum est & consuetudine per tempora conservatum ut quicunque advocatum instruere velit, mandato legaliter dato atque solenniter confirmato eum instruere debeat, ut omnes causas quas adgredi vel repellere debet, prosequi & defendere inoffense valeat. Igitur ego ille sanctæ illæ Ecclesiæ vocatus Episcopus injungo, mando, & per has litteras delego tibi illo fideli meo de rebus sancti illius, sitis in pago illo, in locis nuncupatis sic, cum adjacentiis vel aspicientibus ad eas locis aliis per omni jure investigare, inquirere, prosequi, & admallare debeas per mallos, vicos, castella, oppida, & civitates, necnon etiam, si necessitas incubuerit, in palatio ante Vicarios, Comites, Missos dominicos, Comites palatii, sive ante omnes judices quibus hoc officium delegatum est causationes & lites definire & terminare juste & rationabiliter debeant; & quicquid legibus cum justitia inde profecutus fueris & definieris, scito apud me ratum & acceptum atque inconvulsum mansurum. Quod mandatum in te conlatum ut firmum fixumque permaneat, manu propria subter firmavi, & qui adfirmare deberent rogavi.

*Tracturia* (2) *pro itinere peragendo.*

X. Dominis sanctis & apostolicis sedibus allocatis Episcopis, Abbatibus, vel Abbatissis, & omnibus in Christo patribus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis (3), & Decanis (4), vel omnibus in Christo credentibus & Deum timentibus, ego in Dei nomine ille, ac si indignus peccator, ultimus omnium servorum Dei servus, Episcopus videlicet sive Abbas de civitate illa vel de monasterio illo, ubi pretiosus ille martyr sive confessor Christi humanitus in corpore requiescit, salutem vobis perennem in Domino destinare curavimus. Cognoscatis siquidem, Domni & sancti patres, seu & sorores in Christo, quia innotescimus vobis eo quod peregrinus iste, nomen ille, ex genere illo, ad nos venit, & nobis innotuit atque consilium quæsivit de hoc videlicet facto quod instigante adversario, peccatis facientibus, proprio filio suo vel fratre suo sive nepote nomine illo interfecit, & nos pro hac causa secundum consuetudinem vel canonicam institutionem dijudicavimus ut in lege peregrinorum ipse præfatus vir annis tot in peregrinatione ambulare deberet. Propterea cognoscatis, sanctissimi patres, has litteras, ut quando ad sanctitatem vestram venerit, melius ei credatis, & quod nullatenus pro alia causa ambulare dinoscitur, nisi, sicut superius diximus, pro peccatis suis redimendis, ut vos eum nullo modo teneatis; nisi tantum, quando ad vos venerit, mansionem ei & focum (5), panem &

---

nihil habentes consecrati sunt, si postea aliquid adquisierint, id omne ad Ecclesiam pertineat. Synodi Carthaginensis III. c. 49. *Placuit ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici qui nihil habentes ordinantur, & tempore episcopatus vel clericatus sui agros vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint.* Justinianus idipsum sanxit Novell. 131. cap. 13. contra id quod olim observabatur ex constitutione Leonis & Anthemii l. 34. Cod. de Episcop. & Clericis. Burchardus: *Ut unusquisque Presbyter res quas post diem consecrationis acquisierit, propriæ Ecclesiæ relinquat.* Idem Burch. lib. 3. cap. 118. ex synodo Rhemensi refert hæc verba: *Investigandum si nihil patrimonii habens Presbyter quando provectus est ad ordinem ecclesiasticum, postea emerit prædia, cujus juris sint; quoniam Ecclesiæ, ad quam de nihil habente promotus est, esse debent juxta canonicam auctoritatem.* Eadem verba exstant in cap. 1. de peculio Clericorum; quæ tamen citantur ex Concilio Arelatensi.

(1) *Mandatum.*) Continet simplex mandatum seu procurationem litigandi causa; ut & similis est apud Marculfum lib. 1. c. 21. & lib. 2. cap. 31.

(2) *Tracturia.*) *Tracturia* pro *Tractoria*. Nam hic forma quædam quasi tractoriæ refertur, qua Episcopus eum, cui ob delicta pœnitentiæ causa peregrinatio indicta fuerat, commendat iis ad quos iter faciens pervenerit, ut sciant non alia ex causa illum peregrinari nec vagari. Itaque rogat ut ei mansionem & focum, panem & aquam præstent. De tractoria dictum est ad Marculf. lib. 1. c. XI.

(3) *Centenariis.*) Singuli comitatus in centenas seu territoria quædam dividebantur, quibus minores judices præerant sub Comitis dispositione, qui a centena Centenarii dicebantur. Synodi Cabilonensis sub Carolo M. cap. 21. *Comitibus & judicibus hoc summopere observandum est ut juste judicent.* Paulo post: *Sed & ministros, quos Vicarios & Centenarios vocant, justos habere debent.* Qui tamen non de omnibus causis, sed de minoribus tantum judicabant. Capitul. lib. 4. c. 26. *Omnis controversia coram Centenario definiri potest, excepta redditione terræ & mancipiorum, quæ nonnisi coram Comite fieri potest.* Lib 3. c. 79. *Ut nullus homo in placito Centenarii neque ad mortem neque ad libertatem suam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia judicetur; sed ista in præsentia Comitis vel Missorum nostrorum judicentur.* Centenarios porro per pagos statutos esse scribit Walafridus Strabo, & plane eosdem cum Vicariis facit; quos etiam cum Presbyteris Ecclesiarum baptismalium, qui minoribus Presbyteris præsunt, comparat.

(4) *Decanis.*) Minimi sunt judices sub Centenariis, & a Walafrido minoribus Presbyteris conferuntur Hincmar. ep. 4. c. 15. *Comites & Vicarii vel etiam Decani plurima placita constituunt &c.*

(5) *Mansionem ei & focum.*) Capitula quædam

& aquam largire dignemini; & postea sine detentione liceat ei ad loca sanctorum festinare. Sic exinde agite pro amore Dei & reverentia sancti Petri, sanctissimi patres, ut vobis pius Dominus in illa beata seu immortali vita remunerare dignetur, quia in ipso peregrino Christum pavistis seu suscepistis, considerantes videlicet quod ipse Dominus dixit: [α] *Hospes fui, & suscepistis me*. Et: [β] *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis*. Quid plura? Ad sapientes (1) sufficit semel loqui. Commendamus nos obnixe in vestris sacris precibus, ut nostri meminisse dignemini. Valete in Christo feliciter, sanctissimi patres, ut ad æternam angelorum digni habeamini mansionem [γ] perpetuam. Facta hæc epistola sub die illo.

*Cessio ad Ecclesiam a novo ædificatam.*

XI. Regnante Domino Jesu Christo in perpetuum, ego ille Episcopus. Omnibus non habetur incognitum qualiter ego auxiliante Domino in pago, in villa cujus vocabulo est ibi, basilicam sanct. . . . atque sancti Stephani, vel in honore ceterorum sanctorum quorum ibidem reliquiæ quiescunt, construxi atque Kalendas Junii dedicare certavi, consentientibus etiam confratribus, tam Canonicis quam & monachis, vel ceteris hominibus qui ad præsentes fuerunt, ut villæ quarum vocabula sunt Cadiliaco, Tanculfovilla, Fagido, & Barbitione villare, ut ibidem aspicere deberent, ad Missas veniendi & ad baptismum vel prædicationem, & ut decimas suas ad memoratam basilicam dare deberent. Propterea pro firmitatis studium hanc consensionem scribere rogavimus ut temporibus nostris atque successoribus nostris hæc nostra consensio firma & stabilis valeat permanere, & sciant omnes tam præsentes quam & absentes seu successores nostri quia dedimus in memoratum illum Cadiliaco duos mansos ad ipsam luminariam providendam, vel unde Presbyter qui ibidem officium fungere videtur vivere debeat. Et addimus ad hoc insuper de terra arabile . . . & de vinea aripenne uno & dimidio, ut ævo tempore in elimosinam nostram seu successorum nostrorum ita valeat perdurare. Actum fuit hoc sub die memorato KL. Junii in anno VIII. Christo propitio imperii Domni Karoli serenissimi Augusti, & anno [δ] regni ejus in Francia, atque XXXV. in Italia, Indictione prima, in Dei nomine feliciter. Amen. His præsentibus qui adfuerunt, illuc his præsentibus.

*Litteræ commendatitiæ* (2).

XII. Sancto & Deo amabili Magnoni (3) dono Dei Archiepiscopo ex Senonica urbe. Ego enim in Dei nomine Ebroinus donum Dei Archiepiscopus ex Bitorige urbe in Domino Jesu salutes optamus vobis in perpetuum. De cetero notum facimus sanctitati vestræ quia iste præsens Presbyter, nomen Dodobertus, parrochianus noster, in nostra dio-



α Matth. 25. β Ibid. 18. γ Pervenire. δ XLIII.

dam Caroli M. & Ludovici Pii Mss. c. 16. *Ut infra regna Christo propitio nostra omnibus iterantibus nullus hospitium deneget, mansionem & focum tantum. Similiter pastum nullus contendere faciat, excepto prato & messe.*

(1) *Quid plura ad sap.*) Clausula qua commendatoriæ epistolæ claudi solebant, ut & aliæ. In Historia augusta: *Dictum sapienti sat est*. Sic de formulis variis cap. 22. 23. 24. Verba omisit, sed sensum expressit, Senator sub Vitigis Regis persona Variarum lib. 10. epist. 33. *Pauca dixisse sapientiæ vestræ sufficiunt; &c.*

(2) *Litteræ commendatitiæ.*) Clericis sine proprii Episcopi licentia peregrinari non licebat, nec peregrinantes ab alio Episcopo suscipi & admitti poterant nisi a proprio Episcopo commendatitias litteras impetrassent. Gregorius Nazianzenus in Julianum: Ἐν ἐπιστολικοῖς συνθήμασιν, οἷς ἡμεῖς ἐξ ἔθνους εἰς ἔθνος τοὺς χρήζοντας παραπέμπομεν. Synodi Calchedonensis can. 13. Ξένους κληρικοὺς καὶ ἀγνώστους ἐν ἑτέρᾳ πόλει δίχα συστατικῶν γραμμάτων τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου μηδὲ ὅλως μηδαμοῦ λειτουργεῖν. Synodi VI. in Trullo can. 17. Synodi Agathensis c. 38. *Clericis sine commendatitiis epistolis Episcopi licentia non pateat evagandi*. Synodi Epaunensis cap. VI. Burchardus lib. II. cap. CXXXVII. CXXXVIII. CXLI. *Formatæ* utplurimum apud Latinos scriptores hæ litteræ appellantur. Optatus Milevitanus lib. I. de Syricio PP. *Cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat*; sive quod certa forma certisque notis conceptæ essent, sive etiam a forma seu sigillo quod addebatur, ut putat eruditissimus Jacobus Sirmondus in Notis ad Goffridum: cui posteriori sententiæ suffragari videtur quod dicitur in synodo Cabilonensi sub Carolo M. cap. 41. Presbyterum qui proprio loco dimisso ad alium migrat litteras habere debere, *in quibus sint nomina Episcopi & civitatis plumbo impressa*. Est etiam in Ordine Romano epistola, qua Episcopi a Pontifice Romano consecrati ad civitates suas remittuntur & officii admonentur; quæ *Formata Episcopo danda* nuncupatur, cum tamen commendatitia non sit; quod aliis confirmari posset exemplis. Illud autem observandum, non tantum Clericis peregrinantibus formata opus esse, sed nec Episcopis remota loca petere absque Metropolitani formata licuisse; ideoque Laudunensem Episcopum nepotem suum Hincmarus reprehendit quod absque Metropolitani epistola extra diœcesim sæpe profectus esset. Quod jus formatæ Episcopis dandæ Vigilius Papa epist. 7. Auxanio Arelatensi Episcopo tribuit, cui vices suas commiserat. *Nullus*, inquit, *de Pontificibus tuæ per has vices ordinationi commissis in longinquis quibuslibet locis audeat proficisci nisi solenni more, sicut decessores nostri prædecessori vestro similiter concedentes consueverant, formatam vestræ caritatis acceperit.*

(3) *Magnoni.*) Carolo M. imperante vixit Magno Senonensis Archiepiscopus, cuius est hæc formata; quod & annus his litteris adscriptus ostendit. Ille est qui Notas juris collegit & Carolo M. dicavit; quibus ipse hos præfixit versiculos:

*Hæc juris σημεῖα libens Rex accipe Carle,*
*Offert devotus quæ tibi Magno tuus.*

diocese natus, & sacris litteris edocatus sit, ad ordinem sacrum eum promovere jussimus. Postea vero petivit nobis licentiam ut in vestra parrochia apud hominem aliquem nomen Hercambaldum manere voluisset. Nos vero petitionem illius non denegavimus, nisi licentiam illi dedimus, quia scimus quod de bene liberis hominibus ortus sit. Unde has litteras commendatitias more ecclesiastico factas ad sanctitatem vestram misimus, ut scire valeat Deo digna caritas vestra eum nec fuga lapsum, nec sua malitia a nobis ejectum, sed nostra voluntate destinatum. Et ut certius credatis, Græca elementa (1) quæ octogenarium quadringentesimum & primum numerum exprimunt inprimitus adnexuimus. Π. Petri quoque nomine primam litteram sumptam in medium adscribere rogavimus. Nihilominus etiam parvitatis nostræ nomine primam litteram E. magnitudinis vestræ secundam litteram A. istius fratris nomine tertiam litteram Δ. civitatis nostræ quartam Ω. & Indictionem quartam adjunximus. Addidimus nonagenarium & nonum numerum, id est Φ. & Θ. & insequenter impressione sigilli nostri subter confirmavimus, & manu propria eam roboravimus, & Clericis nostris roborari jussimus. Actum in anno decimo imperii Domni nostri ill. & anno XLIII. regni ejus in Dei nomine feliciter. Amen.

In nomine Π & Υ & Α. Reverentissimo sancto & Deo amabili illi Archiepiscopo Senonicæ urbis, Ego enim in Dei nomine ille Cinomanicæ civitatis Episcopus in Domino Jesu Christo opto vobis salutem in perpetuum. De cetero notum facimus sanctitati vestræ quia iste præsens Presbyter &c. *quæ ad verbum eadem sunt cum superiori, ideoque hic repetita noluimus.*

In Dei nomine, Sanctissimo ac reverentissimo fratri illo Episcopo ille illius urbis Episcopus in Domino sempiternam salutem. Cognoscat fraternitas seu caritas vestra quia iste præsens Presbyter nomine ille in parrochia & in Ecclesia nostra sacris litteris edocatus fuit, & ab infantia fuit apud nos seu prædecessores nostros bonum habens testimonium, bonamque continentiam & innocentem vitam deducens. Unde placuit illi modo ut ad aliam Ecclesiam se converteret, volens sibi quærere seniorem qui se de rebus temporalibus adjuvet, & cui ille secundum ministerium quod sibi injunctum est obsequium præbeat. Unde vestram fraternitatem compertam facimus ut cuicunque placuerit eum suscipere, absque ulla ambiguitate hoc faciat, sciens illum & boni esse testimonii & a nobis sibi ab Ecclesia, quæ nobis ad regendum concessa est, migrandi licentiam accepisse. Et ut hæ litteræ firmiorem obtineant dignitatem, meliusque eis fides adhibeatur, manu nostra eas subter roboravimus.

*Ingenuitas* (2).

XIII. Dum omnipotens Deus nobis concedit in hoc seculo sanum corpus habere, oportet nobis pro salute animæ nostræ frequentius cogitare debere ut aliquantulum de peccatis nostris minuare mereamus. Itaque ego ille in Dei nomine pro animæ meæ remedium, vel pro meis peccatis minuendis, ut in futurum Dominus veniam mihi præstare dignetur, servum juris mei nomine illum relaxavi ingenuum; ea vero ratione ut a die præsente sit bene ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset procreatus vel natus. Peculiare vero si aliquid habet, aut inantea Christo propitio laborare potuerit, cessum habeat. Et nulli heredum ac proheredum meorum nullum impendat servitium nec libertinitatis, nisi soli Deo, cui omnia subjecta sunt. Testamentum etiam faciendi (3), defensionem vel mundeburdem Ecclesiarum (4) aut bonorum hominum, ubicunque se eligere voluerit licentiam habeat ad conquirendum. Si quis vero, quod nec fieri . . . si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, quæ contra hanc ingenuitatem ista, quam ego plenissima voluntate mea pro amore Domini nostri Jesu Christi & pro meis peccatis fieri & adfirmare rogavi, venire conaverit, inferat tibi una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, & præsens ingenuitas omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

*Venditio*.

XIV. Domino inlustri illo ille. Ratio & con-

---

(1) *Græca elementa.*) Solebant Episcopi in formatis seu commendatitiis litteris, ne qua fraus fieret, uti quibusdam notis & symbolis, litteris videlicet Græcis, quæ certum numerum exprimerent. Quod quomodo fieret exponit Atticus in fine synodi Calchedonensis, Ivo Decreti par. 6. cap. 433. Gratianus distinct. 73. additis duabus harum epistolarum formulis, quarum una Burchardi est lib. 2. c. 227. Vide Sirmondum in Sidonium pag. 109. 110. 111. 112. 113.

(2) *Ingenuitas.*) De ingenuitate ad Marculf. c. 32. lib. 2. abunde diximus.

(3) *Testamentum faciendi.*) Salvianus ad Ecclesiam catholicam lib. 3. *Illi testamenti faciendi arbitrium dant libertis, tu tollis liberis.* Quod plenæ libertatis, qua cives Romani efficiebantur, proprium erat, non Latinæ. Verum hoc seculo ejusmodi differentiam evanuisse antea monui.

(4) *Mundeburdem Ecclesiarum.*) Marculfus lib. 2. c. 22. Synod. Matisconens. II. sub Guntranno c. 7. Concilium Toletanum V. c. 72. *Liberti qui a quibuscunque manumissi sunt, atque Ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum patrum constituerunt, sacerdotali defensione a cujuslibet insolentia protegantur, sive in statu libertatis eorum, seu in peculio quod habere noscuntur.*

consuetudo exposcit ut inter emptore & venditore scriptura confirmat, ita ut nec distrahendi, sed ulla repetitio, nec comparandi qualibet videtur esse formido. Idcirco nulli cogentis imperium, nec a judiciaria potestate coactus, sed mea propria & spontanea voluntate & arbitrium, accepto vero pretio, constat me vendidisse vel tradidisse, & ita vendidi, vel de præsente tradidi, hoc sunt res proprietatis meæ in pago illo, quæ dicuntur illæ, id est, tam mansis, domibus, ædificiis, totum & ad integrum re inexquisita. Et accepi a te pretium pro hoc quod mihi bene complacuit, hoc est, tam in argentum quam in actum valentes solidos tantos tantum. Et superscriptas res per hanc venditionem publice tibi a die præsente tradidi ad possidendum, ut quicquid exinde a die præsente facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de meis heredibus, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra venditionem istam venire conaverit, & a me vel heredibus meis non fuerit defensatum, tunc inferat tibi, una cum socio fisco, duplum tantum quantum a te accepi, vel quantum ipsas res immelioratas valuerint in duplum esse reddendum, & præsens venditio omni tempore firma permaneat.

*Cautio.*

XV. Domino fratri illo ille. Ad petitionem meam mihi non denegasti nisi ut in summa necessitate mea argento vel acto tuo valente solidos tantos in manu mea ad præstitum beneficium mihi præstitisti. Et ego pro hoc talem cautionem in te fieri & adfirmare rogavi ut usque ad annos tantos in unaquaque hebdomada dies tantos opera tua, qualia mihi injunxeris, & ratio præstat, facere debeam. Quod si minime fecero, aut neglegens aut tardus exinde apparuero, aut ante ipso placito me immutare præsumpsero, tunc spondeo me per hujus vinculum cautionis, ubi & ubi me invenire potueris, sine ullo judicio interpellationis pro dupli satisfactione me retineas debitorem. Et quomodo ipsi anni transacti fuerint, debito tuo tibi reddito, cautionem meam per manibus recipiam, stipulatione subnexa. & reliqua.

*Obnoxiatio.*

XVI. Domino fratri illo ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter mihi gravis necessitas & natas pessimas mihi oppresserunt, & minime habeo unde vivere vel vestiri debeam. Propterea ad petitionem meam mihi non denegasti nisi ut in summa necessitate mea argentum vel acto tuo valente solidos tot in manu mea mihi dedisti, & ego minime habeo unde ipsos solidos tuos tibi reddere debeam. Propterea obnoxiationem de capud ingenuitatis meæ in te fieri & adfirmare rogavi; ut quicquid de mancipia tua originalia vestra facitis, tam vendendi, commutandi, & disciplinam imponendi, ita & de me ab hodierno die liberam & firmissimam in omnibus potestatem faciendi habeas. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel quislibet opposita persona, qui contra hanc obnoxiationem istam venire conaverit, inferat tibi una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, & præsens obnoxiatio firma permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum illo.

*Commutationes de terris.*

XVII. Inter quos caritas inlibata permanserit, pars pari suo opportuna & congrua beneficia non denegabit. Ideoque auxiliante Domino nostro placuit atque convenit inter illum & illum de commutandis terris eorum, ut pro communi opportunitate inter se commutare deberent. quod ita & fecerunt. Dedit itaque ille de parte sua ad partem ipsius illius terram proprietatis suæ in pago illo, in loco qui dicitur ille. Habet in longo dextros tantos, & in lato dextros tantos. Subjungit de uno latus terra lui, de uno fronte terra illius, ex alio vero fronte terra illius infra ipsa terminatione & mensura ad integrum. E contra ad vicem dedit ille de parte sua ad parte ipsius lui terram proprietatis suæ in pago illo, in loco qui dicitur ille. Habet in longo dextros tantos, & in lato dextros tantos. Subjungit de uno latus terra lui, de alio latus terra illius infra ipsa terminatione & mensura ad integrum. Ita ut ab hodierno die unusquisque contra pare suo quod accepit habeat, teneat, atque possideat; vel quicquid exinde a die præsente facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona qui contra hanc commutationem pars contra pare suo venire conaverit, inferat pars pari suo ista tota servante, una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multandum, & præsentes commutationes duo uno tenore conscriptas omni tempore firmas & inviolatas permaneant.

*Charta agnationis* (1).

XVIII. Femina illa, ille. Omnibus non ha-



(1) *Charta agnationis.*) Qua dominus servi, cui se ingenua junxit, illis indulget, ut qui ex eis nascentur, liberi permaneant. Marculfus lib. 2. c. 29. ubi plura. Vide Cassiodorum lib. 7. cap. 11.

habetur incognitum qualiter te per voluntatem tuam servus juris mei nomine ille ad conjugium sociavit uxorem, unde te vel procreationem tuam in servitio inclinare potueram. Sed mihi præpatuit voluntas plenissima ut talem epistolam donationis in te fieri & adfirmare rogarem, ut si aliquæ procreationes filiorum aut filiarum ex te natæ vel procreatæ fuerint, sub integra ingenuitate cum omni peculiare eorum valeant Christo propitio permanere, & quicquid laborare potuerint cessum habeant, & nulli heredum ac proheredum meorum nullum impendat servitium nec hominium vel patronatus obsequium, nisi soli Deo, cui omnia subjecta sunt. Testamentum etiam faciendi, defensionem vero vel mundeburdem Ecclesiarum aut bonorum hominum, ubicunque eligere voluerit, licentiam habeat ad conquirendum. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc epistolam agnationis venire conaverit, inferat ei cui litem intulerit ista tota servante, una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multandum, & præsens agnatio omni tempore firma permaneat.

*Traditoria de terra* (1).

XIX. Veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in loco qui dicitur ille, ante bonos homines qui subter firmaverunt, terram illam, id est, tam mansis &c. totum & ad integrum, quam ante hos dies homine aliquo nomine ille per venditionis titulum accepto vero pretio visus fuit vendidisse; sed ante ipsos bonos homines ad integrum, ut quicquid prædicta venditione ei vendidit, per manus partibus ipsius lui vel herbam vel terram (2) visus fuit tradidisse, & per suam fistucam contra ipsum illum exinde exitum fecit (3), ut quicquid ipse ille de ipsa terra a die præsente facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi, & cetera.

*Traditoria de venditione.*

XX. Notitia qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis nomine ille Missus inlustris viri illius super fluvio illo, in loco quod dicitur ille, ad illo manso vel illa terra quam ille homo hominibus illis ante hos dies ad casa sancti illius pagensis per chartam cessionis partibus ipsius illius per illud ostium vel anaticula de ipsa casa per herba vel terra de ipso manso, vel quicquid ad ipso manso aspicit, sicut in ipsa cessione est insertum, ad partem ipsius Ecclesiæ visus fuit tradidisse vel consignasse. Id sunt quibus præsentibus.

*Notitia de servo* (4).

XXI. Notitia qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in loco qui dicitur ille, seu in mercato, vel in quocunque loco, ante bonis hominibus qui subter firmaverunt, dato suo pretio ad hominem negotiantem solidos tantos, servum suum nomine illum visus est comparasse. Et ipse negotians ipsum servum superius nominatum per manus partibus ipsius lui visus est tradidisse, non fraude, sed in publico; ut quicquid exinde a die præsente facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Id sunt.

*Notitia de jactivis* (5).

XXII. Notitia qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, ante viro illo Comite vel reliquis quampluris bonis hominibus qui subter firmaverunt, repetebat ei, dum diceret eo quod homine aliquo nomine illo ante ipsum Comitem aframitum habuisset. a quo placitum venit ipse, ille placito suo custodiebat, & nec ipse ille ad eum placitum venit, nec misso in vicem suam direxit qui ulla sonia nuntiasset, & placito suo neglexit, & jactivus exinde remansit. Id sunt quibus præsentibus fuerunt.

*Securitas* (6).

XXIII. Non minima sed maxima vertitur discordia inter illos & illos. Venientes ante

---

(1) *Traditoria de terra.*) Forma est traditionis agri antea venditi.

(2) *Terram vel herbam.*) Vide Plinium lib. 22. cap. 4. Infra cap. 43. *Per terram vel herbam, sicut lex est, ad partem sancti illius visus est tradidisse.* Sic leg. Bajuvar. cap. 17. tit. 3. *Ea ratione firmet per quatuor angulos campi, aut designatis terminis, per hæc verba tollat de ipsa terra vel aratrum circumducat, vel de herbis aut ramis, silva si fuerit. Ego tibi tradidi & legitime firmabo per ternas vices.* Non dissimilis est traditionis forma quæ ab Innocentio III. Papa describitur in cap. 2. de consuetudine: *Hanc conferendi formam esse proponis, quod in hujusmodi donationibus modicum terræ consuevit in manu accipere, vel in extremitate pallii manu Prælati Ecclesiæ sustinetur, aut super altare ponendum sub testimonio videntium & audientium sub dicta forma, quæ scotatio vulgariter appellatur.* De aliis traditionum modis nonnulla notavimus ad Marcul. lib. 1. c. 13.

(3) *Exitum fecisse.*) In signum scilicet traditionis exibat, loco cedebat, vacuamque possessionem in alterum transferebat. Alias tamen *exutum* scriptum est; ut sit sensus, eum possessione se exuisse, ut alius ea vestiretur, si seculi verbis uti licet. Utrumque retineri potest.

(4) *Notitia de servo.*) Instrumentum venditionis servi.

(5) *Notitia de jactivis.*) Qua notum fit quemdam vadimonium deseruisse. Marculf. lib. 1. c. 37. unde petenda hujus capitis interpretatio.

(6) *Securitas.*) Marculf. lib. 2. cap. 18.

ante illo & illo, repetivit ipse ille adversus ipsius lui, eo quod genitore suo aut germano suo illo malo ordine interfeciffet. Interrogatum fuit ab ipsis viris ipsi lui si hæc causa ita acta vel perpetrata fuisset an non, id ipse in præsente dicere deberet. Sed cum ipse ille hanc causam minime potuit denegare, sic ab ipsis viris fuit judicatum, ut illa leode (1), ut lex erat, desolvere deberet. quod ita in præsente & fecit. Et ego hanc securitatem in ipso illo fieri & adfirmare rogavi ut nullo unquam tempore de jam dicta morte nec de ipsa leode nec ego ipse nec ullus de heredibus meis nec quislibet ullas calumnias nec repetitiones agere nec repetere non debeamus. Quod qui attentaverimus, nullum obtineat effectum, & insuper inferamus tibi, una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multando, & præsens securitas omni tempore firma permaneat.

*Charta denarialis ante Regem.*

XXIV. Ille Rex Francorum vir inluster. Et quia ille veniens ante nos vel procerum nostrorum præsentia jactante denario secundum lege Salica servo suo nomen ille dimisit ingenuo, ejus quoque absolutionem per præsente auctoritate firmamus. Præcipientes enim ut sicut enim & reliqua mansuaria qui per tale titulum in præsentia Principum noscuntur esse relaxati ingenuum, ita & admodum memoratus ille per nostro præcepto plenius in Dei nomen confirmatum perennis temporibus cum Dei & nostra gratia valeat Christo propitio permanere bene ingenuus atque securus.

*Mandatum* (2).

XXV. Domino magnifico fratri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter me senectus adgravat & infirmitas domat, & causas meas minime valeo prosequere vel admallare. Propterea precor & supplico caritati tuæ ut in vicem meam omnes causas meas, tam in pago, quam & in palatio, vel in quibuscunque pagis vel territoriis ubicunque mihi oportet, apud quemlibet hominem, tam ad mallandum quam ad responsum dandum prosequere facias. Et quicquid exinde egeris gesserisve, apud me in omnibus & ex omnibus ratum & aptum atque transactum in omnibus definitum esse cognoscas: quia amo te plus quam me, plus te quam heredes meos. Et ut hoc mandatum post te firmius retineas, & taliter obtineat firmitatem quasi gestis fuisset alligatum, manu propria subter decrevi adfirmare, & qui subscripserunt in præsente rogavi.

*Cessio ad Ecclesiam.*

XXVI. Dominæ sanctæ ac reverentissimæ Ecclesiæ sancti illius, quæ est constructa in pago illo, in loco qui dicitur ille, ego in Dei nomine ille, pro meis peccatis minuendis, ut in futurum Dominus veniam mihi præstare dignetur, cedo ad luminare vel sacrificio ad ipsa casa Dei vel ipso domo Dei condirgendo, cessumque in perpetuum esse volo, & de jure meo in jure & dominatione ipsius Ecclesiæ transcribo atque transfundo, hoc est, res proprietatis meæ in pago illo, in loco quod dicitur illo, in jamdicta loca, id est, tam mansis, domibus, ædificiis, totum & ad integrum re inexquisita, ita ut ab hodierno die ipsa casa Dei ad altare Domini proferendo, vel ad ipso domo Dei condirgendo, ipsas res habere debeat. Et si mihi placuit inferendum ut nullus Pontifex aut quislibet rector, si de ipsa casa Dei, de ipso luminare vel sacrificio ipsas res abstrahere conaverit, au in beneficium dare præsumpserit, tunc ipsas res as ad me vel heredibus meis perveniant. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel quislibet opposita persona, qui contra hanc cessionem istam, quam ego plenissima voluntate mea pro amore Domini nostri Jesu Christi fieri & adfirmare rogavi, venire conaverit, inferat tibi ista tota servante, una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multando, & præsens cessio omni tempore firma permaneat.

*Precaria* (3).

XXVII. Dominæ sanctæ ac reverentissimæ Ecclesiæ pagensi, his nominibus, quæ est constructa in pago illo, in loco quod dicitur ille, ego in Dei nomine ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter res proprietatis meæ in pago illo, in loco cui vocabulum sunt illas & illas, in jam dicta loca, id est, tam mansis, omnia & ex omnia per mea cessione ad lumen vel sacrificium ad ipsa casa Dei a die præsente delegavi; postea ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi ut ipsas res, quandiu advivo, mihi ad usandum vel condirgendum præstare deberetis. quod ita & fecistis, sic taliter ut tempore vitæ meæ ipsas res habere & usare vel condirgere debeam, & post meum quoque discessum, cum omni re immeliorata, agentes ipsius Ecclesiæ absque ex-



(1) *Ut illam leudem.*) Leudis, pretium compositionis pro homicidio. Leg. Salicæ tit. 43. 11. *Si autem qui præcipitatus est mortuus fuerit, tota leude sua componatur.* 12. *Medietate leudis ejus componat. Ille vero qui eum occiderit, secundum legem eum componat.* Leg. Frisionum tit. 2. *Expositor nec juret, nec leudem solvat, sed inimicitias propinquorum occisi patiatur donec se cum eis reconciliet.*

(2) *Mandatum.*) Ejus qui propter morbum vel ætatem rebus suis superesse non potest. Marculf. lib. 1. cap. 21.

(3) *Precaria.*) De precaria jam satis ad Marculf. lib. 2. cap. 5.

exſpectata traditione in eorum revocent dominatione vel poteſtate. Propterea talem precariam ad ipſa caſa Dei fieri & adfirmare rogavi ut ipſas res nec vendere nec donare nec commutare, nec per nullis modis nulliſque ingeniis de ipſa caſa Dei abſtrahere nec minuare pontificium non habeam, nec mea poſſeſſio nullo præjudicio vobis nec ad ipſa caſa Dei agere nec generare non debeam nec ego ipſe, nec ullus de heredibus meis, nec quislibet oppoſita perſona. Quod ſi attentaverimus, nullum obtineat effectum, & inſuper inferamus partibus ipſius Eccleſiæ vel ſuis rectoribus, una cum ſocio fiſco, auri uncias tantas eſſe multando, & alias precarias per quinquennium fuerint renovatas, iſta per ſe obtineat firmitatem.

*Præſtaria* (1) *ad Eccleſia.*

XXVIII. In Chriſto filio illo, in Dei nomine ille donum Dei rector qui eſt cuſtos Eccleſiæ illius, quæ eſt conſtructa in pago illo, in loco quod dicitur ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter tu res proprietatis tuæ tam infra civitatem quam & aforis in ipſo pago, in loco cujus vocabulum ſunt illas & illas, in jam dicta loca omnem rem tuam per tua ceſſione ad ipſa caſa Dei vel ipſo domo Dei a die præſente delegaſti. Poſtea ad petitionem tuam non denegavimus, niſi ut ipſas res ad præſtitum beneficium tibi præſtare deberemus. Quod ita & fecimus, ſic taliter ut tempore vitæ tuæ ipſas res per noſtro beneficio habere vel condirgere ſive uſare debeas, & annis ſingulis in feſtivitate ſancto illo cenſo ad lumen (2) vel ſacrificium ſolidos tantos per temetipſo ſolvere facias; & nec nos ipſe nec nullus de ſucceſſoribus noſtris, nec quislibet de parte noſtra, ipſa res tempore vitæ tuæ tibi abſtrahere nec minuare non debeamus. Et ut has litteras firmius poſt te firmiores retineas, manu propria ſubter decrevimus adfirmare.

*Notitia de homine forbatudo* (3).

XXIX. Notitia qualiter & quibus præſentibus veniens homo aliquis, nomine illo, in pago illo, in loco quod dicitur ille, in mallo publico, ante ipſo Comite illo vel aliis bonis hominibus qui ſubter firmaverunt, poſita manu ſua ſuper ſacroſancto alterio ſancto illo ſic juratus dixit: Hic juro per hunc loco ſancto & Deo altiſſimo & virtutis ſancti illius quod homo aliquis nomine ille, ita factus, apud arma ſua ſuper me venit, & colpus (4) ſuper me miſit, & ſic mihi Deus directum dedit, ego ipſo de arma mea percuſſi, & talis colpus ei dedi pro quid ipſe mortuus eſt; & quod feci ſuper me feci; & ego hodie ipſo facio infra damno & forbatudo (5) infra noctes XLII. (6) ſicut lex eſt (7) & noſtra conſuetudo, apud tres aloarius (8), & duodecim conlaudantes juraverunt, & de linguas eorum legibus dixerunt (9). Id ſunt qui præſen.

Indi-

(1) *Præſtaria.*) Præſtationis charta ſupra ad Marculf. cap. 40. lib. 2.

(2) *Cenſum ad lumen.*) In precariis ab Eccleſia conceſſis ſolebat merces quædam ſeu cenſus annuus intervenire. Synodus Leptinenſis: *Ea conditione ut annis ſingulis de unaquaque caſata ſolidus id eſt duodecim denarii ad Eccleſiam vel monaſterium reddantur.* Flodoard. hiſt. Rhem. lib. 3. c. 20. ex Hincmaro: *Quomodo Carolus Pipini Regis filius eandem villam apud Tilpinum Archiepiſcopum obtinuerit in præſtariam, ea conditione ut capellas ad ipſam pertinentes cum nonis & decimis Epiſcopus Rhemorum retineret, & Rex duodecim libras argenti in luminaribus Eccleſiæ daret, & quod hunc cenſum tam ipſe Rex quam ſucceſſores ejus perſolverunt.* Quem cenſum in recognitionem dominii præſtari idem Hincmarus innuit apud eundem lib. 3. c. 26. *Ne forte ſuggeratur Imperatori quod cupiditate illectus hunc cenſum repetat quem in ſuos uſus nunquam redegerat; ſed cupiens evadere periculum, ne ſilentio ſuo in diebus ſuis cenſus ipſe depereat, & ipſa villa in alodem vertatur.*

(3) *De homine forbat.*) Formula juriſiurandi quod præſtare tenetur is qui adgreſſorem interfecit, nimirum ob tutelam corporis ſui & vim repellendo occidiſſe. Ejuſdem argumenti eſt caput trigeſimum formularum legis Romanæ.

(4) *Colpus.*) Ictus, ut vett. gloſſæ apud Pithœum recte interpretantur, noſtris *coup.* Leg. Salic. tit. 19. *Si quis ingenuus ingenuum fuſte percuſſerit, & tamen ſanguis non exierit uſque ad tres colpos, pro unoquoque ictu centum viginti denarios, qui faciunt ſol. tres, ſolvat.* Colpus a colapho, ut in leg. Sal. vet. codice.

(5) *Forbatudum.*) Sic in form. leg. Rom. cap. 30. Decretum Childeberti Regis: *Judex loci illius ſolatio collecto ipſum raptorem occidat, & jaceat forbatudus*; quaſi forbatudus pro jure cæſo diceretur. Quod apertius traditur in leg. Ribuar. tit. 77. *De homine forbatudo. Si quis hominem ſuper rebus ſuis comprehenderit, & eum ligare voluerit, aut ſuper uxorem, ſeu ſuper filiam, vel his ſimilibus, & non prævaluerit ligare, ſed colpus ei excuſſerit, & eum interfecerit, coram teſtibus in quadrivio in clida eum levare debet, & ſic* XL. *ſeu* XIV. *noctes cuſtodire, & tunc ante judicem in arabo conjuret quod eum de vita forfactum interfeciſſet. Sin autem iſta non adimpleverit, homicidii culpabilis judicetur.*

(6) *Infra noctes* XLII.) Numerus reſpondet legi Ribuariæ, cujus particulam modo adſcripſi: in qua tamen ex hoc loco pro XIV. legendum eſſe putarem XLIV. Alii viderint.

(7) *Sicut lex eſt.*) Leg. Ribuar. tit. 77.

(8) *Apud tres aloarius.*) Sic infra cap. 23. *poſt ipſum tres aloariæ & duodecim conlaudantes juraverunt.* Plenius tamen inquirendum cenſeo. Aloarii videntur hoc ſeculo dicti qui probarent & laudarent idemque affirmarent, a laudando. Unde & noſtris hodie *alouer*, pro rationem probare. Monuit Johannes Savaro V. C.

(9) *Legibus direxerunt.*) Hoc eſt, ſecundum leges juraverunt eum qui juravit vera dixiſſe. Formulæ legis Rom. cap. 31. *Similiter teſtes ſibi ſimiles viſores & cognitores, ſecundum quod ei judicatum fuit, poſt ipſum juraverunt, ut quicquid jam dictus ille de hac cauſa juravit verum & idoneum ſacramentum dedit.* Leg. Alam. tit. 6. Supra ad Marculf. lib. 1. cap. 38. Forte legendum *dixerunt*, ut infra c. 33. & 34.

### *Indiculus regalis* (1).

XXX. Ille Rex Francorum vir inlufter magnifico fratri illi Comiti (2). Cognofcas quia ifte præfens ille ab hac miffa petitione nobis fuggeffit eo quod homo aliquis nomine ille res fuas in veftro minifterio (3) ad fancto illo delegaffet, & dicit quod ille vel alii homines ipfas res contendunt malo ordine. Propterea omnino tibi rogamus ut, fi veritas eft, integram juftitiam fine ulla moratione ei facias exinde. Et fi antea minime definitum non fuerit, tunc ipfos homines qui hoc contendunt malo ordine, per fidejuffores pofitos, fuper noctes tantas (4) poftquam has litteras recipies, ante nos facias advenire. Taliter agas, fi gratiam noftram velis habere.

### *Item alius indiculus* (5).

XXXI. Ille Rex Francorum vir inlufter illo Comite, feu junioribus atque fucceforibus veftris, feu Miffis noftris difcurrentibus. Cognofcatis quia in noftra eleemofyna taliter ifto præfente illo, dum & ipfe fenus effe videtur, taliter ei conceffimus, ut de omnes hoftes (6) vel omnibus bannis feu & arribannus (7) fit confervatus, ut neque vos neque juniores atque fucceffores veftri ipfo pro hoc inquietare nec difmanuare (8) non præfumatis, nec facere dimittatis; fed liceat ei cum Dei & noftra gratia quieto ordine ad propria vivere vel federe. Et ut certius credatis, manu noftra fubter adfirmavimus, & anulo noftro figillavimus.

### *Notitia de colonitio* (9).

XXXII. Notitia qualiter vel quibus præfentibus veniens homo aliquis nomine illo in pago illo, in mallo publico, ante viro illo Comite vel reliquis quampluris bonis hominibus qui fubter firmaverunt, homine aliquo nomine illo ibidem interpellabat, repetebat ei eo quod genitor fuus aut genetrix fua illa coloni fui fuiffent, & ipfe ille fuus colonus effe debebat, & malo ordine de ipfo colonatico fe abftrahebat & neglegens erat. Interrogatum fuit ab ipfis viris ipfius, fi ipfe ille colonus ipfius lui effe debebat, an non, in præfente ei dicere deberet. Et ipfe ille nullatenus potuit dicere nec adponere, nec nullam ratione tradere per quid ipfe de ipfo colonatico fe abftrahere potuiffet; & in præfente pro colono ipfius lue fe recredidit vel recognovit. Sic ab ipfis viris fuit judicatum, ut ipfe ille ipfo illo pro colono habere debeat. Et fic jam dictus Comes ipfo illo per manus partibus lue vifus eft reddidiffe. His præfentibus.

### *Notitia facramentalis.*

XXXIII. Notitia qualiter & quibus præfentibus veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in bafilica fancto illo, ubi plurima facramenta percurrere videntur, ante viro magnifico illo vel reliquis quampluris bonis hominibus qui fubter firmaverunt, pofita manu fua fuper facrofancto altario fancto illo, fic juratus dixit: Hic juro per hunc loco fancto & Deo altiffimo & virtutis fancto illo, unde me ille homo in mallo publico mallabat, quod ego terra fua aut ad conjuge fua illa, in pago illo, in loco quod dicitur ille, de eorum poteftate per fortia nunquam proprifi aut pervafi, fed de ifta parte triginta & uno anno fere amplius . . . femper exinde fui veftitus, & poft me divifi, & per legem & juftitiam plus obtineat me ad habere quam ipfius lue aut conjuge fua reddere, & ad quod mihi judicatum fuit in nullo non redebeo, nifi ifto

---

(1) *Indiculus regalis.*) Regia epiftola, qua Rex Comiti mandat ut cuidam, qui queritur quod alii res fuas retinerent, jus dicat, aut fi illi fatisfacere recufent, cogat eos fidejuffores ante Regem judicio fiftendi caufa dare. Marculf. lib. 1. cap. 27. & 28. Quid fit indiculus, ad caput fextum Marculfi expofitum eft.

(2) *Fratri illi Comiti.*) Comites civitatum fratris appellatione a Principe decoratos hoc capite docemur; quod jus ut provinciæ rectores & præfides confequebantur. His enim id Caffiodorus tribuit lib. 6. c. 21. *Additur quod a Principe frater vocaris*. Ita Majorianus Aug. apud Sidonium lib. 1. ep. ult. compellat: *frater Camille*. Videantur Novellæ Theodofii, Valentiniani, & Majoriani, ubi non raro illud occurrit.

(3) *In veftro minifterio.*) Minifterium pro territorio. Capitul. lib. 2. c. 18. *Sicut in capitulis quæ de hac re illis Comitibus dedimus in quorum minifteriis moneta percutitur conftitutum eft*; & paffim.

(4) *Super noctes tantas.*) Id eft, intra tot dies. Nam fpatia temporis non numero dierum, fed noctium, finiebant, ut antea dictum eft.

(5) *Alius indiculus.*) Immunitas eft militiæ, quæ feni a Rege conceditur.

(6) *De omni hofte.*) Exercitu. Capitul. lib. 3. c. 9. 10. *Quicunque homo noftros habens honores in hoftem bannitus fuerit*. Appendix Aimoini lib. 4. cap. 56. *Rebellantibus Saxonibus paganiffimis, qui contra Rhenum fluvium confiftunt, ftrenuus vir Carolus hoftem movit Francorum*. Adnunciatio apud Piftas cap. 26. *Ut pagenfes Franci qui caballos habent vel habere poffunt, cum fuis Comitibus in hoftem pergant*. Noftris *hoft*.

(7) *Aribanno.*) Seu *heribanno*. Pœna eft pecuniaria ejus qui ad expeditionem poft Principis bannum feu edictum profectus non eft. Gregor. Turon. lib. 5. cap. 26. *Poft hæc Chilpericus Rex de pauperibus & junioribus Ecclefiæ vel Bafilicæ juffit bannos exigi pro eo quod in exercitum non ambulaffent*. Et lib. 7. cap. 42. *Poft hæc edictum a judicibus datum eft ut qui in hac expeditione tardi fuerant damnarentur*. Capitular. lib. 3. cap. 14. *De heribanno volumus ut Miffi noftri fideliter exactare debeant*. Et cap. 35. & 68. In legibus Longobardorum heribanni mulcta eft fexaginta folidorum. Vox eft hodie quoque nota.

(8) *Difmanare.*) Id eft, de domo extrahere.

(9) *Notitia de colonitio.*) Supra cap. 1. 4. 5.

isto & unico sacramento, per hunc loco sancto & Deo altissimo & virtutis sancto illo. Insequenter vero post ipso tres aloarii & duodecim conlaudantes juraverunt, & de linguas eorum legibus dixerunt. Id sunt, & reliqua.

*Notitia de berbas maleficas* (1).

XXXIV. Notitia qualiter vel quibus præsentibus veniens femina aliqua nomine illa in pago illo, in mallo publico, in basilica sancto illo, ante illos & illos & alios quamplures bonis hominibus qui subter firmaverunt, posita manu sua super sacrosancto altare sancto illo, sic jurata dixit: Hic juro per hunc loco sancto & Deo altissimo & virtutis sancto illo, unde me ille ante viro magnifico illo vel aliis bonis hominibus mallavit (2) quod ego herbas maleficas (3) temporassem, vel bibere ei dedissem, per quid ipse infirmasset aut vitam suam perdere debuisset, ego herbas maleficas nec potiones malas nunquam temporavi, nec bibere dedi, per quid ipse infirmus vel insanus fuisset aut vitam suam perdere debuisset, & aliud de ista causa in nullum non redebeo nisi isto unico & idoneo sacramento per hunc loco sancto & Deo altissimo & virtutis sancto illo. Insequenter vero post ipsam tantæ juraverunt, & de linguas eorum legibus dixerunt. Id sunt.

*Cessio* (4).

XXXV. Dulcissimo atque in omnibus amantissimo filio meo illo ille. Ammonuit mihi amor & dulcitudo tua, & ex alia parte tu cotidie mihi non cessas deservire, & in bono impendas effectum. Propterea mihi præpatuit plenissima voluntas ut aliquid de heredibus propriis meis extra consortium germanus tuus tibi concedere deberem. quod ita & feci. Propterea cedo tibi post meum quoque discessum de hac luce, a die præsente, cessumque in perpetuum esse volo, & de jure meo in jure & dominatione tua transcribo atque transfundo, hoc est, servo juris mei nomine illo, vel aliam rem, terris, vel quacunque domum, ita ut ab hodiernum diem habeas, teneas, atque possideas, vel quicquid a die præsente facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc cessionem ista venire conaverit, inferat tibi una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, & præsens cessio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

*Evacuatoria* (5).

XXXVI. Fratri illo ille. Omnibus non habetur incognitum quia ego ad petitionem tuam solidos tantos ad præstitum beneficium in manu tua tibi præstiti, & tu pro hoc talem epistulam cautionis in me adfirmasti ut usque annos tantos in unaquaque hebdomada dies tantos opera mea facere deberes, quod ita & fecisti, (* ad placito ipso debito meo mihi reddere deberes, quod ita & fecisti) & ego ipsam cautionem minime invenire possum. Propterea talem epistolam evacuaturiam in te fieri & adfirmare rogavi, ut si ipsa cautio ullo unquam tempore inventa aut reperta fuerit, nullum obtineat effectum, evacuaturia inanis permaneat, & nec ego ipse, nec ullus de heredibus meis, vel quislibet de parte mea ipso debito superius nominato neque in ipsa cautione, nec per nullis modis nullo unquam tempore tibi ex hoc nullas calumnias nec repetitiones agere nec repetere non debeamus. Quod si attentaverimus, ista tota servante, una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multando, & præsens evacuaturia omni tempore firma permaneat.

*Libellum dotis* (6).

XXXVII. Dum omnipotens Deus concessit jugale consortium & tale permissum dedit ei in omnibus ut unusquisque cum vira sua nubat juxta consuetudinem anteriorum Christianorum & item legimus quod ipse Dominus noster cum discipulis suis ad nuptias invitatus fuisset, & cui Deus conjungit, homo non separet; quod bonum, felix, faustumque sit. & reliqua. Donat itaque ille honestæ puellæ sponsæ suæ, nomine illa, quam, si Christo placuerit, in conjugium sociare uxorem cupio, donatumque in perpetuum esse volo, & de jure meo in jure & dominatione ipsius puellæ transcribo atque transfundo, hoc est, res proprietatis meæ in pago illo, in loco quod dicitur ille, tam mansis, domibus, ædificiis, totum & ad

* Hæc addita sunt in margine in codice Ms.

(1) *De berbis maleficis.*) Jusjurandum mulieris quæ veneficio hominem occidisse accusabatur, quod scilicet potionem maleficam ei nunquam temperasset aut propinasset.

(2) *Mallavit.*) In jus seu ad mallum Comitis vocavit.

(3) *Herbas maleficas.*) Leg. Sal. tit. 21. *De maleficiis. Si quis alteri herbas dederit bibere, & mortuus fuerit, octo mille denariis, qui faciunt solidos ducentos, culpabilis judicetur. Si vero biberit & mortuus non fuerit &c. ille qui dedit pro aliquo malefisio, culpabilis judicetur.* Greg. Tur. lib. 5. cap. 35. de Mummolo, qui maleficii incusatus est, quod herbam se habere ad tormina & dysenteriam sanandam professus sit. Apud eumdem Gregorium, *per herbarum venena*. Inde *enherber*.

(4) *Cessio.*) Donatio a patre uni ex filiis facta, ut præcipuum illud habeat. Similis est apud Marculf. lib. 2. cap. 11. quæ in nepotem confertur.

(5) *Evacuatoria.*) Apocha. Supra ad Marculf. lib. 2. cap. 35.

(6) *Libellus dotis.*) De libello dotis supra ad lib. 2. cap. 15.

& ad integrum re inexquisita, seu mancipias tantas (1) his nominibus ille & ille, seu caballos tantos, boves tantos, vaccas cum vitulos tantos, oves capita tanta, sodis capita tanta, lectarios condignos ad lectos tantas, fabricaturias vero, auro, argento in solidos tantos, . . . ostensolia vero tam æreis quam ferreis, seu & lineis, quicquid in domo rationabiliter contenit. Omnia superius nominata, cum dies felicissimus nuptialis advenerit, dulcissima sponsa mea illa, a die præsente habeas, teneas, atque possideas, vel quicquid exinde a die præsente facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hunc libellum dotis venire conaverit, inferat tibi, una cum socio fisco, auri uncias tantas esse multando, & præsens libellus dotis firmus permaneat.

*Indiculus regalis* (2).

XXXVIII. Ille Rex Francorum vir inluster. Cum nos in Dei nomine palatio nostro ad universorum causas audiendas vel recta judicia terminanda una cum proceribus nostris resideremus, ibique veniens homo aliquis nomine ille suggessit eo quod apud nostro signaculo (3) homine aliquo nomine illo mannito (4) habuisset ut super noctes tantas ante nos debuisset venire in rationes, pro eo quod dixit quod res suas post se malo ordine tenebat injuste. Ad quod placitum veniens ipse ille per triduo seu amplius placitum suum custodivit; & nec ipse ille ad eum placitum venit, nec missum in vicem suam non direxit qui ulla sonia nuntiasset. Proinde nos taliter una cum fidelibus nostris vel Comite palatii nostri illo visi fuimus judicasse ut dum ipse ille per triduo seu amplius placitum suum legitime custodivit, & nec ipse ille ad eum placitum venit, nec missum in vice sua direxit qui ulla sonia nuntiasset, & placitum suum neglexit, & jectivus exinde remansit, propterea jubemus ut quicquid lex loci vestri de tale causa debuerit, vobis distringentibus ipse ille partibus ipsius sue hominis componat atque emendare studeat.

*Æqualentia* (5) *vel pactum.*

XXXIX. Auxiliante Domino nostro Jesu Christo, placuit atque convenit inter illo & germano suo illo de alode qui fuit genetore ill. ut inter se æqualentia (6) dividere vel exæquare deberent. quod ita & fecerunt. Accepit igitur ille de parte sua manso in pago illo, in loco qui dicitur illo, cum omni desuper posito (7), seu vineis, olicis, campis, totum & ad integrum re inexquisita. E contra ad vicem accepit ille de parte sua manso in pago illo, in loco qui dicitur illo, ubi accola commanet, id est, tam mansis, vineis, olicis, totum & ad integrum re inexquisita, etiam aurum, argentum, drapalia, æramen, peculium, præsidium (8) utriusque sexus, mobile & immobile, inter se æqualentia visi fuerunt dividisse, & pars contra pare suo invicem tradiderunt, & per eorum fistucam pars contra pare suo se exinde exitum fecerunt; ita ut ab hodierno die unusquisque quod accepit habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut aliquis de heredibus nostris vel quislibet opposita persona, qui contra hanc epistolam loco pactionis venire conaverit, inferat pars pare suo cui litem intulerit ista tota servante una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, & præsens epistola pactionis omni tempore firma permaneat.

*Donatio ad casam Dei* (9).

XL. Domino vere sancto ac reverentissimo monasterio illo quod est constructum in honore sanctæ Mariæ semper virginis genetricis Dei & Domini nostri Jesu Christi, vel ceterorum dominorum suorum, quorum reliquiæ ibi conditæ sunt, & inluster Deo sa-

(1) *Mancipia stantia.*) Villici, qui fundum exercent, & inter instrumenta fundi numerantur.

(2) *Indiculus regalis.*) Videndus Marculfus lib. 1. cap. 37.

(3) *Apud nost. signac.*) *Apud* hic dicitur pro *cum*, aut *per*; quod non raro in illius seculi auctoribus occurrit. Supra cap. 2. *apud proximiores parentes suos octo* juret; & cap. 29. in fine. Itaque quod hic dicitur *apud nostrum signaculum*, sic accipiendum est, *per litteras anulo seu sigillo nostro firmatas*. Nam, ut diximus, indiculo sigillum non addebatur.

(4) *Mannitum.*) Mannire, in jus vocare, leg. Sal. tit. 1. & alias sæpissime, quasi *monere*.

(5) *Æqualentia.*) Divisio hereditatis inter fratres; quæ æqualentia hic appellatur, quod æquis partibus fiat. Marculf. lib. 2. cap. 14.

(6) *Æqualentia.*) Æqua lance. Inde hujus capitis titulus. Marculf. lib. 2. cap. 14. *Æqua lance inter se visi sunt divisisse vel exæquasse.*

(7) *Cum desuper posito.*) *Supraposito* passim in formulis leg. Rom. Infra cap. XL. *una cum superpositis*; apud Jurisconsultos, *cum omnibus quæ ibi erunt*. Clausula in venditionibus, donationibus, legatis, divisionibus hereditatis frequentissima.

(8) *Peculium præsidium.*) De peculii & præsidii voce ad librum secundum Marculfi.

(9) *Donatio ad casam Dei.*) Casa Dei pro quacunque Ecclesia, quasi domus Dei. Hincmarus epist. 7. c. 35. *Providendum est etiam ut de nihil habentibus promoti Presbyteri non præsumant quæ de facultatibus Ecclesiæ comparaverunt vendere, vel quasi ad casam Dei tradere, nisi ad Ecclesiam cujus propria esse debent*. Sane hodieque in Arvernia extat cœnobium, quod Casæ Dei nomen velut proprium sibi retinuit.

sacrata illa Abbatissa una cum norma plurimarum ancillarum Dei ad laudem Christi canendum custrix præesse videtur, ego in Dei nomine femina aliqua nomine illa dono ad præfato monasterio a die præsente, donatumque in perpetuum esse volo, & de jure meo in jure & dominatione ipsius monasterii vel suis rectoribus trado atque transfundo ad possidendum, pro eo quod in ipso monasterio sub religione & sancta conversatione habitare debeam, hoc est, res meas in pago illo, in loco nuncupante cujus vocabulum est illo & illo, in grafia illa (1), super fluvium illum, quantumcumque a die præsente in jam dicta loca visa sum tenere vel possidere, quod manente conjugio apud jugale meo illo visa sum conquisisse (2), vel in mea portione recepi, vel quantumcumque de filio meo nomen illo de luctuosa hereditate (3) mihi obvenit, sicut dixi, quantumcunque in hæc loca a die præsente mea est possessio vel dominatio, totum & ad integrum ad ipso monasterio a die præsente de jure meo in jure ipsius monasterii & suisque rectoribus trado atque transfundo ad possidendum, hoc est, tam terris, mansis, una cum superpositis, domibus, ædificiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, cultis & incultis, adjacentiisque omnibus, aquis aquarumve decursibus, una cum mancipia tanta his nominibus illa, sicut dixi, inexquisita portione mea ad integrum publice trado atque transfundo ad possidendum; ut quicquid ab hac die ipsa Abbatissa vel rectores ipsius monasteriæ ad profectum ipsius exinde facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, quod.

*Precaria ad casa Dei.*

XLI. Domini viri sancti atque ostensione crucis patibulum mirabilis remuneratione fulgente basilicæ, quæ in honore sancta Maria & sancti Petri & sancti Pauli princeps Apostolorum, Gaico monasterio constructo in pago Wastinense, & inlustri Abbatissa illa inibi constris præesse videtur, una cum norma plurima ancillarum Dei ibidem consistentium, ego illa femina. Dum non habetur incognitum, sed a pluris est manifestum, quod ego res proprietatis meæ in loco qui dicitur illo per epistolam donationis ad ipso monasterio vestro delegavi, propterea expetivi a vobis, & petitione mea non denegasti, ut ipsas res, quandiu advivo, sub uso beneficio vestro tenere & usare debeam, & aliubi ipsas res alienare pontificium non habeam, & post meum quoque discessum, cum re immeliorata ad ipso monasterio absque ulla exspectata traditione vos vel rectores ipsius monasterii in eorum faciant revocare potestatem & dominationem, & vos reverentia discorditis ut inpostmodum mea possessio aliqua præjudicio ex hoc generare non debeant. Propterea hanc precariam in vos vel in ipso monasterio vestro emittendo decrevi, ut neque ego neque ullus de heredibus meis, quamvis per longinqua spatia ipsas res ad usandum habeo, agere nec repetere non debeamus. Quod qui fecerit, inferat vobis vel partibus ipsius monasterii suisque rectoribus auri libra una, argento pondo duo, & præsens precaria firma permaneat, & ut alias precarias de quinquennium in quinquennium renovantur, ista vero non sit necesse renovandi, sed per semetipsam omnique tempore obtineat firmitatem, cum stipulatione subnixa. Actum illo.

*Præstaria.*

XLII. Dulcissima femina illa, ego illa Abbatissa. Dum non est incognitum qualiter tu ante hos dies rem proprietatis tuæ in pago illo, in loco qui dicitur ille, ad monasterio sanctæ Mariæ adfirmasti, unde precaria nobis vel ab ipso monasterio adpetisti, propterea has litteras in te adfirmavimus, ut dum advivis, usualiter ipsam rem tenere & dominare debeas, & aliubi ipsas alienare pontificium non habeas. Et si hoc conaveris facere, ipsam rem a die præsente perdas. Et ut has litteras vires firmiores obtineas, manu nostra subter adfirmavimus, cum stipulatione subnixa. Actum illo.

*Traditoria de terra.*

XLIII. Notitia qualiter & quibus præsentibus veniens homo aliquis advocatus sancto illo de monasterio illo ad res illas, in pago illo, in loco cujus vocabulum est ille, quas ante hos dies femina aliqua nomine illa per suo instrumento ad ipso monasterio visa fuit delegasse cum omni integritate, sicut in ipsa donatione constat; quod portio sua est ad integrum a die præsente Missus ipsius feminæ ille ipsius Misso monasterii nomine illo per ipso ostio de ipsa casa per . . herbam & cespitem, sicut lex est, ipsius Misso ad partem sancto illo vel ipso... visus est tradidisse, & per sua fistuca ipso Misso vel ipsa femina de ipsas res se exitas ex omnibus esse dixit. Id sunt.

*Emunitas sanctorum* (4).

XLIV. Ille Rex Francorum vir inluster. Quotiescunque petitiones sacerdotum aut ancilla-

(1) *Grafia illa.*) Comitatu illo. Supra ad caput septimum.

(2) *Apud jug. m. visa sum conq.*) Tertiam videlicet rerum stante conjugio quæsitarum. Plura ad lib. 2. cap. 17.

(3) *De filii mei luctuosa hereditate.*) Ita Papinianus apud Justinianum l. ult. Cod. de instit. & substitut. *Luctuosam hereditatem ad matrem venire curavit*. Justiniano *tristis successio*. Institut. de senatusconsul. Tertullian. in principio. Inscriptio Viennensis: MISERI PARENTES CONTRA VOTUM PP.

(4) *Emunitas sanctorum.*) Privilegium immunitatis monasterio a Rege concessum; qua de re plura ad cap. 3. libri primi.

cillarum Dei ad effectum perducimus, regiam conſuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem vel ad ſtabilitatem regni noſtri in Dei nomine pertinere confidimus. Ideoque Dominis viris ſanctis ac venerabilibus apoſtolicis in Chriſto patribus omnibus Epiſcopis, vel omnibus Abbatibus, ſeu inluſtribus atque magnificis viris Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, ſeu omnes vaſſos noſtros (1), vel omnes Miſſos noſtros diſcurrentes. Cognoſcatis quod inluſtris Abbatiſſa illa de monaſterio illo, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in honore ſancti illius conſtructo, una cum monichas vel Dei ancillas ad laudem Chriſti canendum ſub religionis norma converſari videntur, clementia regni noſtri ſuggeſtionem intulit eo quod glorioſus Domnus & genitor noſter ille quondam Rex per ſua præceptione ſua manu roborata talem immunitatem ad ipſa caſa Dei, ſancto illo, vel ſeu monaſterio illo, vel ipſa Abbatiſſa habuiſſet conceſſum atque indultum ut nullus Epiſcopus aut Archidiaconus loci illius niſi orationem aut prædicationem lucranda gratia, ut nullus judex publicus quislibet judiciaria poteſtate accinctus in... villis ipſius monaſterii nullum debuiſſet habere introitum, nec cauſas audiendas, nec freda exigenda, nec fidejuſſores tollendos, nec manſiones aut paratas requirendas, nec nullas retributiones exactandas, & quod fiſcus noſter exinde exigere poterit, nullatenus exactetur nec requiratur. Unde & confirmationes anteriorum Regum parentumque noſtrorum nobis in præſente protulit relegendas, & petiit celſitudine noſtra ut circa ipſo monaſterio noſtra hoc deberet auctoritas generaliter confirmare. cui nos hunc beneficium gratante animo pro mercedis noſtræ augmentum non ſolum confirmaſſe, ſed etiam in novo ſub immunitatis nomine conceſſiſſe. Denuo per hunc præceptum ſpecialius decernimus ordinando, atque omnino jubemus, quod in perpetuum abſque ullis obſtaculis & refragationibus volumus eſſe manſurum cognoſcite, præcipientes ut ſicut conſtat in ſupradictis titulis ſcriptum eſſe ut illud monaſterium maneat abſque ullum introitum Epiſcopi aut Archidiaconi, niſi orationem aut prædicationem lucrando, ut nullus judex publicus in curtes vel villas (2) ipſius monaſteriæ nullum debeat habere introitum, nec cauſas audiendas, nec freda exigenda, nec fidejuſſores tollendos, nec manſiones aut paratas requirendas, nec nullas retributiones exactandas (3), & quod fiſcus noſter exinde exigere poterit, nullatenus exactetur nec requiratur, niſi, ut diximus, pro mercedis noſtræ augmentum, ſicut ab anteceſſores Reges parentes noſtros ſeu & Domno & glorioſo genitore noſtro illo quondam Rege moderno tempore fuit conceſſum atque indultum, ita per noſtris oraculis plenius confirmamus, quod in perpetuum volumus eſſe manſurum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur & per tempora melius conſervetur, manu noſtra ſignaculis ſubter ea decrevimus roborare, & de anolo noſtro ſubter ſegelavimus.

*Indiculum regale* (4).

XLV. Karolus gratia Dei Rex Francorum tam præſentibus quam & futuris Domnis ſanctis & apoſtolicis, ac venerabilibus in Chriſto patribus, Ducibus, Comitibus, Domeſticis, Vicariis, Centenariis, vel omnis agentes noſtros, & juniores ac ſucceſſoreſque noſtros, vel omnes amicos noſtros, ſeu & omnes Miſſos noſtros diſcurrentes. Cognoſcat magnitudo ſeu almitas veſtra quod nos partibus noſtris bene habemus compertum quod dominus taliter illius fidele noſtro illo illa merito ſuo compellente conceſſimus, ubicunque infra regno Deo propitio noſtro homines ſui ad negotium exigendum advenerint, nullus quislibet de judiciaria poteſtate veſtra nec Miſſus noſter nulla telonea, nec nullas venditas (5), nec rodaticus (6), nec forati-

(1) Alias, *Hominibus vaſſis noſtris.*) Fortaſſe legendum, *omnibus vaſſis noſtris*; aut faltem addendum, *hominibus & vaſſis noſtris.*

(2) *In curtibus vel villis.*) Villas etiam curtes dictas fuiſſe hic locus oſtendit. Sic in diplomate Caroli R. pro Corbejæ cœnobio, *villas ſeu curtes vel ea quæ deinceps in parte ipſius Eccleſiæ voluerit divina pietas augeri*; & in traditionibus Fuldenſibus lib. 2. *jugerum curtiferum* dicitur, in quo ædificium ruſticum & villula eſſet. Leg. Salicæ tit. 6. *canem cuſtodem domus ſive curtis*. Olim quidem *cortem* Romani dixere eam villæ partem quæ mœnibus cincta eſt, & in qua permulta ruſtica opera exercentur. Varro de re ruſtica lib. 1. & Palladius lib. 1. Sane in ſynodo Confluentina anni DCCCLX. aliter accipitur. Curtem enim aulam & comitatum Principis vocat: *in hoſtem & ad placitum ſive ad curtem veniens.*

(3) *Retribut. exact.*) Exactare pro exigere. Marculfus lib. 1. cap. 2. Diplomata Ludovici & Caroli Calvi pro S. Germano, quæ interſeruntur continuationi Aimoini lib. 5. cap. 10. & 33. *Neque ſervitia ab eis exactet, neque paraveredos aut expenſas ad hoſpitum ſuſceptiones recipiat.* Capitul. lib. 3. cap. 14. *heribannum exactare.*

(4) *Indiculus regalis.*) Exemplum immunitatis vectigalium a Carolo Rege conceſſæ.

(5) *Nullas venditas.*) Vectigal eſt rerum in foro & publicis nundinis venditarum, cujus mentionem in Gallicis quibuſdam vetuſtis inſtrumentis legiſſe memini. Hodie quidem rerum immobilium ἐνδεκτικὰ dicuntur *ventes.*

(6) *Rodaticum.*) Capitul. lib. 6. c. 243. *Ut nullus homo præſumat teloneum per vias, nec per villas rodaticum, nec pulveraticum recipere.* Hodie *Rouage*; quod vectigalis genus ex vino vendito colligitur. *Rotaticum* in diplomate Dagoberti Regis de mercato S. Dionyſii, ubi varia tributorum nomina recenſentur, & in præcepto confirmationis Pipini Regis de eodem mercato: *Nec de navigiis, nec de portibus, nec de carris, nec de ſaumis ullum telo-*

raticus (1), nec pontaticus (2), &, ficut dixi, nullus quislibet teloneo nec venditas ejus in nullo exactare non præfumatis, nifi, ut diximus, in quafcunque portus civitatis feu mercada (3) nullo contradicente fuos vin. vel fuus commercius (4) quislibet negotium (5) abfque ullo contradicente poteftatem habeat vendendi, quia nos taliter ei habemus conceffum. In reliquo vero de parte noftra vel veftra ex noftra indulgentia vifi fuimus conceffiffe atque indulfiffe, feu & in omnibus confirmaffe. Et ut hæc præceptio noftra firmior appareatur & per tempora confervetur, manu noftra propria fubter eam decrevimus adfirmare.

*Relatum quod dicitur apennis* (6).

XLVI. Mos nobilium Romanorum adfuevit, & ratio jure depofcit, ut fi cujufcunque domus igne cremetur, is per feriem fcripturarum chartulam relationis, quod dicitur apennis (7), recipiat. Quamobrem cum quadam die inlufter ille Comes ad multorum caufas audiendum vel recta judicia terminandum una cum pluribus perfonis refideret; ibique veniens homo aliquis nomine ille fuggerit intulit eo quod ante hos dies, cafu faciente, cafa fua cum omni mobili, vel intro domo compendia, feu & ftrumenta chartarum ibidem igne cremaffent. Et quia ille judex vel vicini pagenfes ipfius ad præfens venientes ita dixerunt vel teftimoniaverunt quod ad hoc videndum accefferant, fic vero & actum aderat, fic fupradictus ille Comes vel reliquis francis perfonis juxta præforium retroque præcedentium chartola relationis, quæ dicitur apennis, ei dare decreverunt, ut quicquid ex acceffione parentum aut ex contractu habebat, tam per venditiones, donationes, ceffiones, judicia, obnoxiationes, cautiones, commutationes, feu quod per ceteris fcripturis ad eum pervenit, dominum vel poteftate inceps perveniatur in fuo jure abfque refragationis vel modolationis in fuo permaneant, vicinarum manu propria fubter roboravimus & poft noftro roborare decrevimus.

*Hereditoria* (8).

XLVII. Dulciffima filia mea illa, ille. Dum non eft incognitum, fed per populum devulgatum & patefactum, quod ego in ancilla mea nomine illa tibi generavi, & poftea antea Domno illo Rege jactante denario (9) fecundum legem Salicam te ingenuam dimifi, & tu minime in hereditate mea

---

*loneum, vel foraticum, feu rotaticum, vel pontaticum, vel portaticum, vel falutaticum, feu cefpitaticum, five mutaticum, vel aliquam exactionem aut confuetudinem exigere.*

(1) *Foraticum.*) Præcepta Dagoberti & Pipini, quæ modo exfcripfimus. Diploma Ludovici & Lotharii in continuat. Aimoini lib. 5. cap. 10. Hodie certe *foragium* jus illud vocamus, quod ex vino minutatim vendito debetur.

(2) *Pontaticum.*) Quod in pontibus pro tranfitu datur. Capitular. lib. 3. c. 12. *Placuit nobis ut antiqua & jufta telonea a negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quamque de navigiis feu mercatis*. Idem Carolus Imp. & Ludovicus prohibuerunt teloneum exigi, ubi neceffe non eft fluvium per pontem tranfmeare, & ne quis cogatur ad pontem ire telonei caufa. Capitular. lib. 4. c. 31. In legib. Benearnenfium, *pontage*.

(3) *Seu mercada.*) Mercatus.

(4) *Commercius.*) Negotiationis focius.

(5) *Negotium.*) Negotium pro re venali, merx. Sic negotium pro mercatura in Capitul. lib. 1. c. 125. *Si hoc propter neceffitatem comparat, ut fibi habeat & aliis tribuat, negotium dicimus*. Gregor. Turonenf. de miracul. lib. 1. cap. 32. & cap. 58. *Negotia multa in atrio protulerunt*.

(6) *Relat. q. dic. apennis.*) De inftrumentorum amiffione vel exuftione, quæ hoftium incurfu aut quolibet alio cafu accidit, fatis multa ad 33. caput libri primi; ubi litterarum principalium exemplum proponitur, quæ ab eo qui jacturam paffus erat impetrari folebant, ne difficili poftea probatione ejus jura deteriora fierent. Hic autem fimilis quædam formula exhibetur, non tamen a Rege, fed a Comite data; qua, fedente in judicio Comite, teftes adhibentur qui alicujus domum cum mobilibus rebus, chartis, & inftrumentis quæ inerant, incendio confumptam teftentur. Ideoque Comes ejus rei teftationem in fcriptis redactam concedit, ut res omnes quas hic antea poffidebat, in pofterum fecure etiam poffideat.

(7) *Quæ dicitur apennis.*) Sic in formulis leg. Rom. cap. 28. Quæ autem ejus nominis origo fit, mihi plane non liquet; & fortaffe mendum eft. Sane dubitavi, num legendum effet *a pari*, quod eandem & parem vim habeat atque inftrumenta amiffa; quam vocem *a pari* & *apparibus* eodem fere fenfu hac ætate ufitatam fuiffe reperio. In regiftro B. Gregorii lib. 7. eft epiftola, ut Epifcopi cum mulieribus non habitent, quæ ad plures Defenfores & Subdiaconos fcripta eft; additur *apparibus*, id eft, omnibus eodem exemplo. Nam etfi pluribus fit infcripta, ad unum tantum loqui Gregorium manifeftum eft. Sic eodem lib. ep. 112. accipienda eft epiftolæ infcriptio: *Syagrio, Betherio, Virgilio, & Defiderio Epifcopis Galliarum a paribus*. Et apud Hincmarum ep. 6. c. 28. Zofimus Papa *ad Aurelium & univerfos Epifcopos per Africam conftitutos, univerfofque Epifcopos per Gallias & feptem provincias conftitutos, & univerfis Epifcopis per Hifpaniam conftitutis, a pari*, hoc eft, eodem exemplo. Anaftafius Bibliothecarius in Hadriano: *Apparem ipfius donationis per eundem Etherium afcribi faciens ipfe Rex* (*Carolus M.*) *intus fuper corpus B. Petri, fubtus evangelia quæ ibidem ofculantur, pro firmiffima cautela & æterna nominis fui ac regni Francorum memoria propriis manibus pofuit; aliaque ejufdem donationis exempla per Scriniarium hujus fanctæ Ecclefiæ defcripta, ejus excellentia fecum deportavit*. Aliorum fit judicium.

(8) *Hereditoria.*) Libellus feu epiftola, qua pater filiam naturalem, quam ex propria ancilla fufceperat, ad hereditatem fuam vocat, alias non fucceffuram.

(9) *Jactante denario.*) Jactato denario ante Regem. Manumiffionis modus, de quo ad lib. 1. cap. 22.

mea succedere potebas, propterea ego hanc chartulam hereditoriam in te fieri & adfirmare rogavi ut si tibi Dominus jusserit quod mihi in hunc seculum suprestis apparueris, de omnes res meas, tam ex alode parentum meorum quam & ex meum contractum mihi obvenit, in hereditate succedas, tam terris, mansis, domibus, ædificiis, mancipiis, litis, libertis, accolabus, merito accolanarum, vineis, olicis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, in quibuscunque pagis, aut territoriis, seu agris vel omnibus locis ubi habere videor, etiam peculium, præsidium utriusque generis & sexus, aurum, argentum, drapalia, mobile & immobile, quicquid dici aut nominari potest, quantumcunque moriens de meum dereliquero; in omnes res meas in hereditate apud germanos tuos filios meos succedas, & æqualentia inter vos exinde dividere vel exæquare faciatis; & quod ad parte tua exinde recipis, quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut aliqui de heredibus meis vel quislibet opposita persona, qui contra hanc chartolam heredetoriam istam, quam ego plenissima voluntate mea fieri & adfirmare rogavi, venire conaverit, tibi una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, & præsens hereditoria omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

*Redemptionale* (1).

XLVIII. Dilectissimo mihi bene merito illo, ille. Omnibus non habetur incognitum, sed patefactum, quod tu quotidie in bonis partibus fideliter mihi deservire non cessas, & pro respectu servitii tui, & pro fidelitate tua, quam circa partibus meis impendere non desistis, mihi præpatuit plenissima & integra voluntas, propter nomen Domini, ut de servitio meo temetipsum vel omne peculiare tuum redimere deberes. quod ita & fecisti; & dedisti mihi pro hoc quod mihi bene complacuit, tam in argento quam in amicto (2), valentes solidos tantos. Propterea hanc chartulam redemptionalem in te fieri & adfirmare rogavi, ut taliter sias ingenuus tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus vel natus, cum omni peculiare tuo; & nec mihi nec ulli heredum meorum nullum impendas servitium nec hominium nec libertaticum nec nullum obsequium nec patronaticum; sed eam pergas partem quam volueris, liberamque & firmissimam in omnibus habeas potestatem; & neque servitio, nec . . . onio nec libertatico, nec patrocinium nec nullum obsequium nec ego ipse nec ullus de heredibus meis, nec quislibet opposita persona, tibi exinde nullas calumnias nec fatigationes nec repetitiones agere nec generare nec repetere non debeamus. Quod qui tentaverit, & a me vel heredibus meis defensatum non fuerit, inferamus tibi una cum socio fisco auri uncias tantas esse multando, & præsens redemptionale omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

*Heredetoria* (3).

XLIX. Dulcissima atque in omnibus amantissima filia mea illa. Ego enim vir magnificus ille. Omnibus non habetur incognitum quod, sicut lex Salica continet (4), de res meas, quod mihi ex alode parentum meorum obvenit, apud germanos tuos (5) filios meos minime in hereditate succedere potebas. Propterea mihi præpatuit plenissima & integra voluntas ut hanc epistolam heredetoriam in te fieri & adfirmare rogavi, ut si mihi in hoc seculo subprestis apparueris, in omnes res meas, tam ex alode parentum meorum quam ex meo contractu mihi obvenit, in pago illo, in loco qui dicitur ille, & in quibuscunque pagis aut territoriis, ubicunque habere videor, tam mansis, domibus, ædificiis, vineis, olicis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, quicquid dici aut nominari potest, quantumcunque de meo proprio moriens dereliquero, in omnes res meas in hereditate apud germanos tuos filios meos succedas, & æqualentia inter vos exinde dividere vel exæquare faciatis. Et quod ad partem tuam exinde recipis, quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo.

*Cautio de vinea* (6).

L. Domino fratri illo ille. Ad petitione mea mihi non denegasti, nisi ut in summa necessitate mea argento vel amicto valentes solidos tantos in manu mea ad præstitum be-



ne-

(1) *Redemptionale.*) Seu *charta redemptionalis*, per quam servus seipsum de peculio suo redimit, & dato pretio libertate a domino donatur, ita ut ab obsequiis omnibus & jure patronatus liber & immunis permaneat. Quod ita demum procedit, si sciat dominus nummos peculiares esse. Alioqui enim (ut est in leg. Bajuv. c. 15. tit. 7.) *Si quis servus de peculio suo fuerit redemptus, & hoc dominus ejus forte nescierit, de domini potestate non exeat: quia non pretium, sed res servi sui, dum ignorat, accipit.* Quod caput exscripsit Benedictus Levita Capitular. lib. 5. cap. 359.

(2) *In amicto.*) In veste; ex qua amictus dictione supplendæ lacunæ supra cap. 15. & 16.

(3) *Hereditoria.*) Cum lege Salica filia in antiqua patris alode non succederet, tamen hac formula ad hereditatem admitti potest, ut cum fratribus portionem ferat. Marculf. lib. 2. cap. 12. *ut filia cum fratribus in paterna succedat alode.*

(4) *Lex Salica continet.*) Tit. 62.

(5) *Apud germanos tuos.*) Id est, cum germanis tuis.

(6) *Cautio de vinea.*) Oppigneratio est vineæ pro debito, cum antichresi.

neficium mihi præſtitiſti. Propterea oppignoro tibi vineam proprietatis meæ in pago illo, in loco qui dicitur illo aripennos tantos (1). Subjungit de ambobus lateribus & ambobus frontibus terra lui, infra ipſa terminatione & menſura ad integrum, & uſque annos tantos fructum quem ibidem Deus dederit, ad parte tua elidiatum habere debeas, & per temetipſum ipſa vinea condirgere facias; & quomodo ipſo fructus tantos annos tranſactos habueris, & debito tuo tibi reddidero, cautionem meam per manibus recipiam, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

*Securitas* (2).

LI. Non minima ſed maxima vertitur diſcordia inter illo & illo. Venientes in loco illo ante bonis hominibus, repetebat ipſe ille in cauſa ſua, vel in conjuge ſua illa, adverſus ipſius lue, dum diceret eo quod ipſa genua ſua impinxerit, & ſuper filia eorum nomine illa ceſſiſſet (3), & ipſam ibidem occiſit; ſed ipſa illa hanc cauſam minime potuit denegare. Exinde taliter ad ipſos bonis hominibus fuit judicatum, ut illam leudem, ut lex erat, ipſius luo ſolvere deberet. quod ita in præſente fecit, & ſervo ſuo nomine illo vel alia rauba ſua ipſa illa pro illa leude ipſius lue vel conjuge ſua illa, in quod eis bene complacuit, dedit. Propterea jam dictus ille & conjux ſua illa hanc ſecuritatem in ipſa illa vel... go ſuo fieri & adfirmare rogaverunt, ut nullo unquam tempore de jam dicta cauſa, nec de illa morte, nec de ipſa leude, nullas calumnias nec repetitiones nec fatigationes nec nos nec nuullus de heredibus noſtris nec quislibet oppoſita perſona agere nec generare nec repetere non debeamus. Quod qui attentaverit, & a nobis vel heredibus noſtris defenſatum non fuerit, inferamus tibi una cum ſocio fiſco auri uncias tantas, argento pondo tanto eſſe multando, & præſens ſecuritas omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

*Donatio ad filios* (4).

LII. Geſta lex & conſuetudo expoſcit (5) ut quæcunque perſona naturales filios habuerit, & alios plures non habuerit, ſi eos in ſua voluerit inſtituere hereditate, qualiter in ſuum potius arbitrium ad faciendi de id pater hoc quod in eos voluerit, liberam habeat poteſtatem. Ideoque ego ille, dum non eſt incognitum quod femina aliqua nomen illa bene ingenua (6) ad conjugium mihi ſociavi uxore, ſed qualis cauſas vel tempora me oppreſſerunt ut chartolam libelli dotis ad eam, ſicut lex declarat, minime exceſſit facere, unde ipſi filii mei, ſecundum legem, naturales appellantur (7), & filios in

---

(1) *Aripennos tantos.*) Menſura eſt terræ, ut & jugerum, acra, bunnaria, arialis, opera. Gregor. Turon. lib. 5. cap. 28. *Statutum fuerat ut poſſeſſor de propria terra unam amphoram vini per aripennem redderet.* Hodie *arpent*. Gloſſæ vett. *Arpendium*, πλέθρον; quam vocem Scaliger in Diras Valerii Caronis Latinam eſſe contendit, quaſi *arvipennium*. Reperio tamen apud Columellam de re ruſtica lib. 5. cap. 1. Gallos ſemijugerum *arepennem* vocaſſe. Nunc certe ut plurimum pro integro jugero accipitur.

(2) *Securitas.*) De ſecuritate Marculf. lib. 2. cap. 18. & ſupra cap. 31.

(3) *Ceſſiſſet.*) Pro cecidiſſet.

(4) *Donatio ad filios.*) Naturales videlicet, non ex juſtis nuptiis procreatos. Pertinet hæc formula ad legem Romanam.

(5) *Lex & conſuetudo expoſcit.*) Jure Romano filii naturales patri ex teſtamento heredes eſſe poterant in aſſem; atque adeo in ſubſtitutione facta, ſi ſine liberis aliquis deceſſerit, Papinianus exiſtimavit deficere conditionem, ſi naturales liberi extarent. l. *Ex facto*. 17. §. *Si quis*. ad Senatuſconſ. Trebel. l. *Generaliter*. §. ult. Cod. de inſtitut. & ſubſtit. Lege tamen a Valentiniano, Valente, & Gratiano lata, is qui legitimos filios vel nepotes aut patrem vel matrem haberet, non poterat naturalibus liberis plus uncia relinquere. Quod ſi non eſſent juſti liberi, nec pater aut mater, uſque ad tres uncias filii naturales conſequi poſſunt. l. 1. Cod. Th. de naturalibus filiis. Anaſtaſius poſtea conſtituit, ut ſi quis concubinam uxoris loco habuerit, & filios ex ea ſuſceperit, illis poſſit omnem hereditatem relinquere, non extantibus aliis. l. *Jubemus*. Cod. de naturalibus liberis. Sed id Juſtinianus immutavit & ad ſemiſſem reduxit. l. *Humanitatis*. eod. tandemque revocavit Nov. 89. ut in aſſem inſtitui poſſent. In Galliis autem veterem uſum ſervatum fuiſſe docet hæc formula, nec obſervatam Valentiniani conſtitutionem de tribus unciis; quo pertinent hæc verba, *conſuetudo expoſcit*; maximeque propter commixtionem exterarum gentium, quæ naturales liberos a legitimis vix diſcernebant.

(6) *Bene ingenuam.*) Impari tamen dignitate. Alioqui ſolo affectu uxor eſſe potuiſſet.

(7) *Naturales appellantur.*) Innuit ſine dotalibus inſtrumentis non intelligi matrimonium, nec legitimos naſci liberos. Modeſtinus tamen inter regulas juris refert, in liberæ mulieris conſuetudine non concubinatum eſſe, ſed matrimonium. l. *In liberæ*. de ritu nupt. Quod ita intelligendum eſt, ſi quidem affectu & honore uxoris ſit habita. Sane enim, inquit Ulpianus, niſi dignitate nihil intereſt. l. *Item legato*. de legatis 3. Et Papinianus cum dixiſſet donationes in concubinam collatas non poſſe revocari, adjicit: *An autem maritalis honor & affectio pridem præceſſerit, perſonis comparatis, vitæ conjunctione conſiderata perpendendum eſſe; neque enim tabulas facere matrimonium*. l. *Donat.* 31. de donat. Sed poſtea receptum eſt & Theodoſiano jure probatum, ut inter impares honeſtate perſonas non alias conſtaret matrimonium, niſi dotalibus inſtrumentis conſcriptis, nec alias legitimi eſſent liberi. l. *Si donat.* C. de nupt. l. 3. Cod. Theod. eod. Quo referri poſſunt hujus formulæ verba, *ſed talis cauſa &c.* Non dubito hoc jus poſtea a Juſtiniano immutatum, ut etiam inter impares legitima eſſent matrimonia ſine inſtrumentis dotalibus. l. *Imperialis*. §. *Immo*. Cod. de nuptiis. Quam legem idem refixit Novel. 74. fixit.

in ea generavi, quibus baptismo nomen imposuimus illos & illos, propterea volo ut prædicti filii mei in omni corpore facultatis meæ in pago illo, in loca denominantes illos & illos, in legitimam successionem debeatis addere appatuere, hoc est, tam terris, mansis, una cum superpositis domibus, ædificiis, utriusque generis sexus peculiis, mancipiis ibidem commanentibus, tam ibidem quam & aliunde translatis, sicut dixi, quod nostra est possessio, & quod de successione parentum nobis obvenit, tam de alode, quam de comparato vel de qualibet adtractu ad nos noscitur pervenisse, & quicquid a die præsente nostra est possessio vel dominatio, cum omni jure & merito & omni re inexquisita quandoquidem moriens dereliquero, in vestra debeatis revocare potestate & dominatione, & faciatis exinde jure proprietario quod volueritis, & nullus vobis de omni hereditate mea repudiare non debeat, nec facere possit, stipulatione subnixa.

*Mandatum* (1).

LIII. Dulcissimo amico meo illo, ego ille. Rogo atque injungo caritate tua ut hias ad vicem meam ad civitate illa, ad illo defensore & illo professore, vel curia publica ipsius civitatis, & hanc epistolam, qua ego filios meos illos in totius hereditatis meæ legitima successione instituere & legitimos filios meos, sicut in ipsius epistolæ textu continetur, conscribere volui, ea gestis municipalibus, ut mos & lex est, juxta morem & consuetudinem alligare atque firmare facias, ad prosecutionem celebratam: quod tibi rogo mihi rescribere pigrum non graveris. stipulatione.

*Heredituria de hereditate.*

LIV. In nomine Domini. Anno illo Domini nostri illius Regis, mense illo, gesta (2) habita apud laudabile viro illo defensore & illo professore vel curia publica ipsius civitatis, ille ait. Quæso vobis, optime defensor, ut mihi codices publicos patere jubeatis, quia habeo quædam prosequere quæ gestorum allegatione cupio roborari. Memorati defensor & ordo curiæ dixerunt: Patent tibi codices publici, prosequere quæ optas. Ille dixit: Amicus meus ille mihi injunxit per suum mandatum sollemniter roboratum ad laudabilitatem vestram accedere debere, & hanc epistolam, quam ipse, sicut textus declarat, in prædictos filios suos illos conscripsit, pro eo quod in bene ingenua femina illa ipsos generavit, & tamen chartolam libelli dotis ei secundum legem non adfirmavit, propterea jam dicti filii secundum legem naturales appellantur, ita antedictus pater eorum ei complacuit ut ipsos secundum legem Romanam in ipsa civitate ante curiam publicam debeat in legitima totius hereditatis suæ instituere hereditate, ita & fecit, dum inprolis, nec legitimos infantes non habuerit, ipsos in legitima hereditate pro legitimis filiis in omnes causas recepit; ut prædicta epistola juxta morem & consuetudinem gestis municipalibus alligari atque firmari debeat. Suprascriptus defensor una cum suis curialibus vel subscriptionibus instituerunt vel inobodierunt sub signaculis. Et hæc gesta quomodo est conscripta, manu eorum roborata, ei visi fuimus tradidisse, stipulatione subnixa. Actum.

*Epistola* (3).

LV. Magnifico amico meo illo, ego ille. Cognoscas juxta injunctionem tuam, ut per tuum mandatum mihi rogasti, ad illa civitate ad illo defensore vel curia publica ipsius civitatis me accessisse, & hanc chartolam, qua infantes tuos, quod naturales sunt, in legitima hereditate secundum legem instituisti, sicut in ipsa chartola tam de rebus quam & de ipsa munera ad ipsius infantes continetur, gestis municipalibus juxta morem & consuetudinem allegasse atque firmasse cognoscas, & de persecutione celebrata, quod mihi rogasti, rescribere vel prosequere mihi pigrum non fuit. stipulatione subnixa.

*Gesta manumissionis* (4).

LVI. Quod secundum legem Romanam actum est nullatenus revocetur. Itaque sub die illo, anno illo regni Domini nostri illius Regis, Indictione illa, vir venerabilis ille Diaconus testatur (5) eis quia stabili sub



xit rursum Nov. 112. exceptis illustribus viris, quos non aliter matrimonium contrahere voluit nisi dotalibus instrumentis confectis, ceteros ex solo affectu uxores ducere. Sed Justinianeum jus necdum in Galliis usu receptum fuisse jam antea animadvertimus.

(1) *Mandatum.*) Forma mandati ad insinuandam & publicandam superiorem donationem; quo facto ejusmodi naturales liberos legitimos effici & legitimam percipere patris successionem docet hæc formula.

(2) *Gesta.*) Insinuatio & professio apud acta municipalia, stabiliendæ & firmandæ donationis gratia. De ejusmodi gestis vide Marculfum lib. 2. cap. 37.

(3) *Epistola.*) A procuratore scripta, qua se ex mandato donationem insinuasse refert.

(4) *Gesta manumiss.*) Acta sunt manumissionis in Ecclesia celebratæ, ex parte tamen mutila.

(5) *Ille Diac. testat.*) Primus Diaconorum, sive Archidiaconus. Præerat ille libertatibus quæ in Ecclesia dabantur, manumissionisque tabulas conficiebat, ut hæc formula testatur. Leg Ribuar. tit. 58. *Qui servum suum pro animæ suæ remedio seu pro precio secundum legem Romanam liberare voluerint, ut in Ecclesia coram Presbyteris, Diaconibus, seu cuncto clero & plebe, in manum Episcopi servum cum tabulis tradat, & Episcopus Archidiacono jubeat* ut

sub scripturis manumittere in Ecclesia illa vindictaque liberare (1) famulo illo suo nomen illo bene sibi merito secundum constitutionem bonæ memoriæ Constantini (2) legis, qua fixum est ut omnes qui sub oculis Episcoporum, Presbyterorum, seu Diaconorum in Ecclesia manumittuntur, ad civitatem pertineat, & ab Ecclesia defensetur, & vult eum juxta consuetudinem, cujus commemoratio [a] subpravida est, ad civitatem pertinere Romanam, ea tamen conditione (3) ut eat ubique, quam voluerit partem pergat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus, & nulli heredum ac proheredum meorum minime quicquam debeat servitutis, nec libertinitatis gratiam, nec patronatus obsequium, sed, sicut dixi, sub integra & legitima ingenuitate debeat permanere ingenuus atque securus, & semper ad civitatem debeat pertinere Romanam, testamentum etiam faciendi liberam in omnibus habeat potestatem. Si quis vero.

[a] *Lindenbrog.* supradicta.

*Traditoria.*

LVII. Notitia traditionalis, qualiter vel quibus præsentibus venit homo aliquis nomine ille ad illo manso, quem ante hos dies per chartolam venditionis ad filium suum adfirmavit, per . . . . visus fuit tradidisse vel consignasse, & exitum inde fecisse. His præsentibus,

*Obnoxiatio.*

LVIII. Domino meo semper, ego enim ille. Dum non est incognitum qualiter instigante parte adversa mihi contigit quod ego caballo ad homine aliquo in texaga subduxi, unde & de furto victus apparui, & vitæ periculum exinde incurrere potueram, & ego non habeo unde ipsum facinus vel ipsum furtum emendare vel satisfacere debeam, propterea expetivi a vobis, & habuit pietas & dignatio vestra. & reliqua.

---

*ut ei tabulas secundum legem Romanam, qua Ecclesia vivit, scribere faciat, & tam ipse quam omnis procreatio ejus liberi permaneant, & sub tuitione Ecclesiæ consistant.* Statuit etiam eadem lex Ribuaria ut si in judicio controversia existat utrum aliquis liber an servus sit, & manumissionis tabulæ in dubium vocentur, ut Archidiaconus & testes ante Regem vel Episcopum hac de re jurent; & si vere manumissum fuisse asseveraverint, mulcta XLV. solidorum Archidiacono debetur; sin minus, servum cum pari mulcta domino Archidiaconus restituere jubetur. Ex quibus non parum lucis huic capiti accedit. Idipsum testatur Amalarius Trevirensis, ubi de Archidiaconi officio agit, non quidem in vulgatis, sed in Ms. codice S. Victoris Parisiensis. *Gesta*, inquit, *libertatum Episcopo defert.* Ebo de ministris Rhemensis Ecclesiæ, in Archidiaconi officio: *Libertates liberorum cum testibus probare, alienorum servorum ad gradus venire volentium exigere; potestatem etiam habens libertatem ecclesiastica propria de familia facere, & alienis exigere.*

(1) *Vindictaque liberare.*) Improprie. Nam aliud est vindicta manumittere, aliud in Ecclesia. Sed quia vetustissimus plenæ libertatis dandæ modus erat per vindictam, ut manumissi cives Romani fierent, ideo hoc nomine in manumissione Ecclesiæ usus est, quæ post constitutionem Constantini eandem vim obtinuit.

(2) *Constitut. Constantini.*) Constat manumissionis in Ecclesia Constantinum auctorem fuisse, Quod præsertim honori Ecclesiarum tributum est, sed & libertati, cujus adipiscendæ apud magistratus propter varias ambages major tum erat difficultas. Tres igitur editæ sunt a Constantino de ea re constitutiones; quarum una est in Cod. Th. tit. *De manumissionibus in Ecclesia* ad Osium Episcopum, eaque postrema, nimirum Crispo & Constantino Coss. Est alia huic prior in Cod. Justinianeo, *De his qui in Ecclesiis manumittuntur*, ad Protogenem Episcopum, Sabino & Aradio Rufino Coss. *Jamdudum placuit*, inquit Constantinus, *ut in Ecclesia catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis adsistentibus Christianorum antistitibus id faciant, ut propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscunque scriptura.* Ex quo apparet præcessisse & aliam quæ non exstat. Sane Sozomenus histor. eccles. lib. 1. cap. 9. asserit tres Constantinum fecisse leges de manumissionibus in Ecclesiis. Auctoris verba, quia huic formulæ lucem afferunt, visum est adscribere: ἄξιον μὴ παραλιπεῖν τὰ νενομοθετημένα ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερουμένων. . . πολλῆς δυσχερείας οὔσης περὶ τὴν κτῆσιν τῆς ἀμείνονος ἐλευθερίας, ἣν πολιτείαν Ῥωμαίων καλοῦσι, τρεῖς ἔθετο νόμους, ψηφισάμενος πάντας τοὺς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερωμένους ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι πολιτείας Ῥωμαϊκῆς τυγχάνειν. ταύτης τῆς εὐσεβοῦς [illegible], εἰς ἔτι νῦν ὁ χρόνος φέρει τὸν ἔλεγχον. ἔθους κρατήσαντος τοὺς περὶ τούτου νόμους προγράφεσθαι ἐν τοῖς γραμματείοις τῶν ἐλευθεριῶν. Quæ postrema non est assequutus Latinus Tripartitæ interpres; sed ex hac formula interpretationem claram & certam accipiunt. Hujus manumissionis præclarum exstat exemplum apud Ennodium Ticinensem Episcopum, de Gerontio Agapiti servo; ubi elegantissimum ex B. Augustini sermonibus nondum editis locum adfert eruditissimus Sirmondus. Est etiam ea de re Aurelianensis Inscriptio, quam multi exscripsere; quam tamen posterioris ætatis esse existimo, circa tertiæ Regum nostrorum familiæ primordia

(3) *Ea tamen conditione.*) Etsi nulla lacunæ nota in manuscripto hic apponatur, quædam tamen deesse manifestum est, ea scilicet quæ ad gesta manumissionis de qua agitur pertinent.

FOR-

# FORMULÆ BIGNONIANÆ,

## *SIVE*

## FORMULÆ QUÆDAM

### VARIÆ ET INCERTI AUCTORIS,

### *Ex veteri codice Petri Danielis primum editæ a clarissimo viro Hieronymo Bignonio.*

### INCIPIUNT CHARTÆ REGALES (1) SIVE PARENSALES.

### CAPITULA.



*Ingenuitas.*

I. OPortet enim unumquemque hominem, dum in hac vita vivit pro animæ suæ remedio cogitare. Idcirco ego in Dei nomine ille, recogitans pro Dei intuitu vel pro animæ meæ redemptione, ut ab impiorum consortio erui mereamur, dimitto ergo a die præsente vernaculum juris mei nomine illum ingenuum, in ea vero ratione ut ingenuus permaneat, tanquam si de bene ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus. Peculiare vero si aliquid habet, aut inantea laborare potuerit, in omnibus habeat concessum atque indultum; & mundeburdem vel defensionem ad basilicam sancti illius se habere cognoscat, non ad affligendum, sed ad se defensandum, nisi, ut diximus, bene ingenuus de hoc die valeat residere. Si quis vero, quod fieri non credo, si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus, aut ulla emissa persona, quæ contra ingenuitatem istam venire aut eam infrangere tentaverit, fisco discutiente solidos triginta multæ componat, & quod repetit per nullum ingenium evindicare valeat; præsens ingenuitas & merces nostra firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum in loco illo.

*Venditio de servo.*

II. Domino magnifico fratri illi emptori, ego in Dei nomine ille venditor. Constat me, non imaginario jure, nec nullo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meæ arbitrio tibi vendere, quod ita & vendidi, a die præsente, vernaculum juris mei nomine illum, non furem, non fugitivum, nec cadivum, nec ullum vitium in se habentem, sed in omni corpore scimus eum sanum usque ad annum & diem. Et accepi a te in pretio pro hoc, juxta quod mihi bene complacuit vel convenit, solidos tantos, ita ut ab hac die memoratum vernaculum superius denominatum, quem dato pretio de me legibus comparasti, habeas, teneas, atque possideas, & quicquid exinde facere volueris, libere & firmissime in tua permaneat potestate ad faciendum. Si quis vero, quod fieri non credo, si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, qui contra venditionem istam venire aut eam infringere tave-



(1) *Chartæ Regales.*) Perperam his formulis chartarum regalium titulus adscribitur. Non enim nomine Regis inscriptæ, sed privatæ epistolæ forma more seculi confectæ; ad quas longioribus notis opus non est, cum omnia fere ad Marculfum & alios exposita sint.

taverit, fiſco diſcutiente ſolidos triginta multæ componat, & quod repetit nihil evindicet, ſed præſens &c.

*Venditio de terra.*

III. Domino magnifico fratri illi emptori, ego in Dei nomine ille venditor. Conſtat me, non imaginario jure, nec ullo cogentis imperio, ſed proprio voluntatis meæ arbitrio tibi vendere, quod ita & vendidi tibi a die præſenti bunuaria tanta (1) de terra arabili, in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, quem de parte parentum meorum tam & de alode quam & de comparato vel de quolibet adtracto ad me legibus obvenit, hoc eſt, de uno latere terræ illius ſubjungit, de alio latere illi, & de uno fronte terræ illius, de alio vero fronte per viam publicam. Et accepi a te in pretio taxato pro hoc, juxta quod mihi bene complacuit vel conventum fuit, ſolidos tantos, ita ut ab hac die memoratam terram ſuperius denominatam, quam de me legibus comparaſti, ipſam hanc habeas, teneas, poſſideas, vel quicquid exinde facere volueris, libera in omnibus Chriſto propitio in tua permaneat poteſtate ad faciendum. & cetera.

*Venditio de ſervo ad Eccleſiam.*

IV. Breve in vicem venditionis qualiter vendidit homo aliquis nomine ille ad Eccleſiam aliquam nomine illam vernaculum ſuum nomine illum, a die præſente, non furem, non fugitivum, non cadivum, nec ullum vitium in ſe habentem, ſed in omni corpore ſcimus eum ſanum uſque ad annum & diem. & ſicut ſuperius factum eſt.

*Donatio ad ſponſam.*

V. Dum Dominus ab initio conceſſit in veteri teſtamento & præcepit ut relinquat homo patrem & matrem & adhæreat ſuæ uxori, ut ſint duo in carne una, & quod Dominus conjunxit homo non ſeparet. Ego enim in Dei nomine ille, dulciſſimæ conjugi meæ illi. Dum & ego te per ſolidum & denarium (2) ſecundum legem Salicam (3) viſus fui ſponſare, ideo in ipſa amoris dulcedine dabo ergo tibi a die præſente, quod in perpetuum volo eſſe manſurum, rem pro portione mea in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, quæ de parte parentum meorum ad me legibus obvenit, hoc eſt, in ipſa portione, manſis ad commanendum (4), cum caſticiis (5), ſuprapoſitis, terris arabilibus, & mancipiis, vel quicquid in ipſa portione eſt aſpectum, tibi dico eſſe donatum atque firmatum; ut quando die feliciſſimo nuptiarum inſimul nos Deus conjunxerit, iſta omnia ſuperius conſcripta in tua permaneant dominatione ad poſſidendum. Si quis vero &c.

*Notitia de mancipio.*

VI. Cum reſediſſet ille Vigarius inluſtris viri illius Comitis in illo mallo publico, una cum ipſis Scabinis qui in ipſo mallo reſedebant ad cauſas audiendas vel recta judicia terminanda; ibique veniens monachus ſancti illius, vel ille Abbas nomine illo, de illo monaſterio, una cum advocato ſancti

---

(1) *Bunnuaria tanta.*) Modus terræ, *Bonniere* in Butellerii libro; qua voce Ambiani & Atrebates adhuc utuntur.

(2) *Per ſolidum & denarium.*) Uxoris ducendæ forma, quaſi per coemptionem, veteribus Francis uſitata. Fredegarius de nuptiis Chlodovei & Chlotildis: *Legati offerentes, ſolido & denario, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei ſponſant.* Imaginaria hæc coemptio vetuſtiſſimæ obſervantiæ ſpecies, qua uxores emi non apud Germanos tantum, ſed apud pleraſque gentes mos erat. Saxones etiam vere ſibi uxores emebant. Leg. Saxonum cap. 38 *Uxorem ducturus trecentos ſolidos det parentibus ejus.* In legib. Burgundionum tit. 12. *Sexies puellæ pretium raptor exolvat.* Et tit. 34. *Si quis uxorem ſuam ſine cauſa dimiſerit, inferat ei alterum tantum quantum pro pretio ipſius dederat.* Qua de re alias fortaſſe.

(3) *Secundum leg. Salic.*) Morem Francorum dixit Fredegarius, ut & vetus formula apud Franciſcum Pithœum. *N. filius N. puellam ingenuam nomine N. illius filiam per ſolidum & denarium ſecundum legem Salicam & antiquam conſuetudinem deſponſavit.* In lege quidem Salica de virginis nuptiis nil cautum exſtat. De viduis autem ducendis titulus eſt XLVI. ubi tamen non unus ſolidus, ſed tres ſolidi & denarius memorantur. *Ille*, inquit, *qui viduam accipere vult, cum tribus teſtibus qui adprobare debent, tres ſolidos æque penſantes & denarium habere debet. Et hoc facto, ſi eis convenit, viduam accipiat.* Deinde: *Si tres ſolidos & denarium ille cui reippus debetur acceperit, tum eam legitime accipiat.*

(4) *Manſis ad comman.*) Manſus villula eſt coloni unius habitationi deſtinata, cum certo agri modo, quantum ille arare poteſt. Adnuntiatio Caroli apud Piſtas c. 30. *Ut quoniam in quibuſdam locis coloni tam fiſcales quam & de caſis Dei ſuas hereditates, id eſt, manſa quæ tenent, non ſolum ſuis paribus, ſed & Clericis Canonicis, ac villanis Presbyteris, & aliis quibuſcunque hominibus vendunt, & tantummodo cellam retinent, & hac occaſione ſic deſtructæ ſunt villæ ut non ſolum cenſus debitus inde non poſſit exigi, ſed etiam quæ terræ de ſingulis manſis fuerunt, jam non poſſunt cognoſci &c.* Hodie quoque Burgundionibus *Moix* dicitur coloni adſcriptitii herediolum. Aliis *Mas*. Harum certe formularum exemplar perpetuo, non *manſum*, ſed *maſum* habet.

(5) *Caſticiis.*) Caſticias ſepta Falcetus interpretatur antiquit. lib. 9. cap. 13. ubi capitula quædam ſynodi Sueſſionenſis an. DCCCLIII. refert, ne cui *in caſticiis & ſilvis cuſtoditis* venari liceret. In epiſtola Epiſcoporum Rhemenſium & Rothomagenſium apud Pithœum & eundem Falcetum lib. 10. c. 15. *Judices ut ædificent villas moderatis caſticiis*; quo loco ædificia deſignari ſequentia verba manifeſtant. Sic infra cap. 9. *manſum ad commanendum cum caſticia ſuperpoſita.* In veteri inſtrumento S. Galli, Alamannic. antiquit. tom. 2. p. 1. c. 68. *caſa dominicata, caſticiis, terris, campis, pratis, paſcuis, &c.*

cti illius nomine illo, feminam aliquam nomine illam interpellabat, repetebat ei dum diceret eo quod colona esset sancti illius, de curte sua quæ dicitur illa, de parte aviæ suæ nomine illius quondam, & ipsa illa & de ipso servitio sancti illius negligens aderat; sed ipsa femina de præsenti adstare videbatur, & nullatenus habuit quod dicere nec opponere nec tradere rationes per quas de ipso servitio sancti illius se abstrahere potuisset, sic ei in præsenti fuit judicatum, ut ipsum servitium sancti illius, unde negligens aderat, ipsi advocato sancti illius reuvadiare deberet. quod ita & fecit, & se ad ipsum servitium sancti illius ibi se in præsenti recredidit. Exinde opportunum fuit ipsos monachos sancti illius, vel ipsum advocatum sancti illius nomine illum, talem notitiam ante ipsas personas quæ in ipso mallo residebant manibusque eorum roboratas accipere, quod ita & fecerunt, ut omni tempore ipse advocatus, vel casa sancta illa vel ille Abbas, vel successores sui, ipsam feminam superius nominatam vel agnationem suam ad opus sancti illius habeant evindicatam atque elitigatam. Præsentibus his quorum præsentia actum fuit. Facta notitia in loco illo publiciter.

*Notitia de homicidio.*

VII. Dum & per plures homines ponitur in notitia qualiter veniens homo aliquis nomine ille in contubernio, hominem aliquem nomine illum ipsum ibidem adsallisset, & ipsum ibidem interfecisset vel occidisset; sed venientes parentes & amici ipsius hominis interfecti ante inlustrem virum illum Comitem, interpellabant ipsum hominem qui eorum parentem in contubernio adsallisset vel interfecisset; sed ipse ille in præsenti adstare videbatur, & hanc causam nullatenus potuit denegare, sed taliter fuit professus quod instigante inimico ipsum hominem interfecisset vel occidisset. Tunc taliter ei judicaverunt, ut ipsam leudem vel ipsum homicidium ad ipsos parentes legibus transsolvere deberet. quod ita & fecit. Sed postea in ipso placito ei fuit judicatum ut ipsi parentes talem epistolam securitatis manu eorum vel bonorum hominum firmatam ei fieri vel conscribere deberent, quod ita & fecerunt, ut post hunc diem nec ipsi illi, nec ullus in causa ipsorum, nec ulla opposita persona de præfata morte illius quondam, nec de ipso homicidio, nec de ipsa leude nullam reclamationem nec nullum impedimentum pontificium non habeant ad faciendum. Qui hoc facere voluerit, ipsos solidos per manus reddat, & ob hoc solidos tantos una cum fisco discutientibus multæ componat, & qui repetit nihil evindicet.

*Securitas de homicidio.*

VIII. Cum resedisset inluster vir ille Comes in illo mallo publico ad universorum causas audiendas vel recta judicia terminanda, ibique veniens homo aliquis nomine ille repetebat ei, dum diceret eo quod ipse ille hominem suum nomine illum quondam bene ingenuum in via malo ordine ipsum adsallisset, & ipsum ibidem interfecisset vel occidisset, & rauba sua, caballos, aurum & argentum, & drapalia exinde tulisset vel deportasset, vel leudem contra legem ibi burisset; sed ipse ille de præsenti adstare videbatur, & hanc causam nullatenus potuit denegare; sed taliter fuit professus, quod faciente inimico ipsum hominem occidisset vel interfecisset; sed taliter in ipso mallo ei judicaverunt, ut ipsum hominem vel ipsam leudem legibus exinde transsolvere deberet. quod ita & fecit. Sed postea apud ipsum Grafionem vel apud ipsos bonos homines qui in ipso mallo resedebant epistolam securitatis manu eorum firmatam accipere deberet, quod ita & fecit, ut post hanc diem nec ipsi illi, nec ullus de heredibus suis, nec ullus in causa ipsorum & hominis interfecti quondam, nec ulla opposita persona de præsenti die de ipsa morte illius, nec de ipso homicidio, nec de ipsa leude contra ipsum illum nullam reclamationem nec nullum impedimentum pontificium non habeat ad faciendum; & qui hoc facere præsumpserit, duplum tantum quantum ipsa leodis continet, & partibus cui hæc facta est, una cum socio fisco coactus multæ componat, & quod repetit vindicare non valeat.

*Donatio quam pater facit filio suo.*

IX. Dulcissimo atque amantissimo filio meo illi, ego in Dei nomine ille genitor tuus. Dum & ego te dulciter enutrivi, & tu mihi fideliter deservisti, vel tuum servitium vel benevolentiam circa partem nostram habemus compertam, ideo in ipso amore dulcedinis vel tuo servitio componente, dabo ergo tibi a die præsente quod in perpetuum volo esse mansurum, hoc est, mansum ad commanendum cum casticia, superposita, terris arabilibus, & mancipiis his nominibus illis & illis, ut per hanc epistolam donationis vel deliberationis (1) nostræ manu mea vel bonorum firmatam, ut quandiu advivis tam tu ipse quam hereditas tua, contra tuos germanos & germanas quieto ordine vel elitigato valeas possidere vel dominare. Propterea hanc epistolam traditionis vel deliberationis nostræ manu mea firmatam exinde tibi fieri vel conscribere rogavi, ut de præsenti die de ipso manso, vel quicquid ad ipsum mansum aspicit, & ipsa mancipia superius denominata hoc habeas, teneas, atque possideas,

Con-

(1) *Deliberationis.*) Deliberatio, traditio. Capitular. lib. 6. cap. 370. *Pro quocunque illas Deo deliberare voluerit, ad serviendum ex his Deo in sacrificiis.* Inde *livrer* & *delivrer*.

*Conculcaturia* (1) *quam Abbas facit ad hominem suum.*

X. Ego in Dei nomine, ac si peccator, venerabilis vir ille Abbas de monasterio sancto illo, quod est in pago illo constructum. Dum & omnibus non est incognitum qualiter filius servi nostri nomine ille quandam feminam nostram nomine illam, bene ingenuam, filiam illius quondam, contra voluntatem parentum ipsius feminæ sociavit sibi ad conjugium, sed postea ipsis parentibus complacuit & nobis ut talem epistolam conculcaturiam manu nostra vel a fratribus nostris firmatam ipsi feminæ fieri vel firmare rogaremus, ut de ipso servitio, si agnatio inter ipsos apparuerit, in servitio publico nunquam sint coinquinati, sed sub integra ingenuitate dies eorum debeant perseverare, ideo precor atque supplico ad successores nostros vel ad Deum timentes homines ut benefacta nostra jubeant conservari qualiter ipsi vellent ut in postmodum eorum facta debeant esse stabilia; & per malorum hominum infestationem multam in ipsa epistola conculcaturia fieri vel conscribere rogavimus, ut si fuerit, quod Deus non permittat, extranea pars quæ hæc facta nostra infrangere voluerit, in primis iram Dei & sancti illius incurrat, & ob hoc solidos centum partibus ipsius cui hæc facta est multæ componat, & quod repetit vindicare non valeat.

*Donatio quam homo facit ad filium suum.*

XI. Ego in Dei nomine ille. Constat me in amore Domini nostri Jesu Christi, ut veniam delictis meis consequi mereamur, donasse & dono donatumque esse volo ad dulcissimum filium meum nomine illum peciam de terra arabili in loco qui dicitur ille, qui est in pago illo, per loca designata vel circuita, in ea ratione ut post hunc diem jam dictus filiolus meus, cui epistola donationis ista legibus facta fuit, ipsam terram habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam in omnibus Christo propitio habeat potestatem. Et si quis &c.

*Notitia de cruce evindicata* (2).

XII. Dum & omnibus non est incognitum qualiter veniens homo aliquis nomine ille ante Vigarium inlustris viri illius Comitis nomine illo, adversus hominem aliquem nomine illum, repetebat ei dum diceret eo quod terram suam de suo manso vel de sua potestate malo ordine proprisisset (3). Sed ipse ille de præsenti adstare videbatur, & hanc causam fortiter denegavit quod suam terram de suo manso malo ordine nunquam proprisisset, nec post se nunquam retinuerit. Sed taliter ei fuit judicatum in ipso placito ante ipsum Vigarium, vel ante ipsos pagenses, ut ad crucem ad judicium Dei pro ipsa terra in noctes quadraginta duas in ipso placito pro hoc deberent adstare. quod ita & fecerunt. Sed venientes ad ipsum placitum, sicut eis fuit judicatum, ante ipsum Vigarium, vel ante ipsos pagenses, ad ipsum judicium vel ad ipsam crucem visi fuerunt stetisse; sed ipse illum hominem, qui ipsam terram proprisit, ad ipsum judicium vel ad ipsam crucem eum convicit; sed ipse in ipso placito ad ipsam crucem visus cadisse; sed dum hæc causa sic fuit inventa, quod ipse ille qui ad ipsum judicium vel ad ipsam crucem cadisset, solidos tantos ei transsolvere deberet, quod ita & fecit, & de ipsa terra ipsum illum legibus revestire deberet, quod ita & fecit. Tunc taliter ei judicaverunt, ut ipse ille de præsenti die ipsam terram tam contra ipsum illum vel heredes suos quam contra quemlibet hominem omnique tempore habeat evindicatam atque elitigatam, ut tam ipse ille quam & posteritas sua post hanc diem prædictam terram quieto ordine valeat possi-

(1) *Conculcatoria.*) Hac formula Abbas, cujus servus puellam ingenuam rapuerat, concedit ut ex eo conjugio nati, liberi sint. Ejusdem argumenti est apud Marculf. lib. 2. cap. 29. Quid sit autem conculcatoria, amplius inquirendum. Legi posset *conciliatoria*.

(2) *Cruce evindicata.*) Crucis judicium seu examinatio inter probationis species recensetur. Capitular. lib. 3. cap. 46. *Si auctor venerit, & rem intertiatam recipere renuerit, campo vel cruce contendant.* Append. II. cap. 34. *Dicens quod illi sit damnum factum, & hoc contendere voluerit in judicio, aut in campo, aut ad crucem, licentiam habeat.* Synodi apud Vermeriam sub Pipino Rege c. 17. *Si mulier dicat quod vir suus nunquam cum ea coisset, exeat inde ad crucem.* Burchardus lib. 9. c. 41. Quod quidem prohibetur Capitul. lib. 1. cap. 102. *Sancitum est ut nullus examinationem crucis facere præsumat; ne Christi passio, quæ est glorificatio, cujuslibet temeritate contemptui habeatur.* Usum tamen invaluisse docent posteriora capitula. Ejus probationis forma describi videtur in legib. Frisionum tit. 14. duas scilicet præparari tesseras, quarum una pura, altera crucis signo insignita sit, quæ duæ super altare linteo evolvuntur; deinde post varias preces a Presbytero aut puero debent extrahi; quod si crucis tessera prima extrahatur, innocentiam satis probatam existimabant. Agobardus pag. 288. *Jube ferrum vel aquas calefieri, quas manibus illæsus attrectem; aut constitue cruces, ad quas stans immobilis perseverem.* Ex quibus verbis apparet alium quam tesserarium modum purgationis fuisse. Vide de cruce 1384. ex Guiberto, ubi est juramentum super crucem. Beda. Syn. epist. 8. Testam. Kar. M. *judicium crucis Dei.*

(3) *Proprisisset.*) Invasisset. Leg. Ribuar. tit. 77 *Si quis caballum, hominem, vel quamlibet rem in via propriserit, aut eum sequutus fuerit, per tres marcas eum ostendat.* Capitul. lib. 5. cap. 242. *De rebus proprisis, ut ante Missos & Comites & judices nostros veniant, & ibi accipiant finitivam sententiam, & antea nullus præsumat alterius res proprindere, sed magis suam causam quærat ante judices nostros, ut diximus, & ibi recipiant quod justum est.*

possidere vel dominare, & ducti & securi exinde valeant residere. Factum judicium in loco illo publiciter.

*Cautio de clavibus* (1).

XIII. Dum & per plures homines est patefactum qualiter in Dei nomine ille veniens in placito ante illos vel quamplures bonos homines adversus hominem nomine illum, repetebat ei dum diceret eo quod cellaria vel camara & granica (2), quicquid in eis habuit repositum, hoc est, aurum, argentum, drapalia, arma, vinum, annonam, vel vitalia sua (3) per suas claves commendasset ad custodiendum vel ad salvandum, & ipsam rem in naufragium vel in damnum posuit. Sed ipse ille de præsenti adstabat; & hanc causam nullatenus potuit denegare; sed taliter ei fuit professus, quod ipsam rem superius denominatam per suum neglectum & per suum facinus fuit perdita vel naufragata (4). Tunc taliter ei judicaverunt, ut ipsam rem ei transsolvere vel emendare deberet. Sed ipse ille nullatenus habuit unde ipsam rem transsolvere vel emendare deberet. Sed taliter ei fuit judicatum, ut talem cautionem de capite suo, manu sua vel bonorum hominum firmata, ei fieri vel conscribere rogaret, quod ita & fecit, ut dum ipsam rem non habui, nec pretium unde transsolvere vel emendare debuissem, ut quandiu advivam in servitio publico (5), quod mihi injungitis, vobis deservire debeam; & si negligens aut tardus de ipso servitio apparuero, qualemcunque disciplinam ad alios servos tuos impendis, talem super me potestatem habeas ad faciendum. Et si fuerit aut ego ipse, aut ullus de meis heredibus, qui contra hanc cautionem venire aut reclamare &c.

*Concamiatura inter duos Abbates.*

XIV. Placuit auxiliante Domino atque convenit inter venerabilem virum illum Abbatem de monasterio illo, vel congregationem monasterii sui, necnon & magnificum virum illum, de commutatione locorum, quam inter se facere deberent: quod ita & fecerunt. Per quam accepit venerabilis vir ille Abba ad opus monasterii sui in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, hoc est, in ipso loco illo mansos ad commanendum, casticiis superpositis, terris arabilibus, vel quicquid in ipso loco ad præsens cernitur esse possessio, totum & ad integrum re inexquisita in commutatione vel in concamio. Simili modo vir magnificus ille accepit ad opus suum aliam rem in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, hoc est quod superius diximus, totum & ad integrum re inexquisita in commutatione vel in concamio. Unde duas epistolas pariculas uno tenore conscriptas manu eorum vel bonorum hominum firmatas inter se fieri & firmare rogaverunt, ut unusquisque post hunc diem quod a pari suo in commutatione vel in concamio accepit, teneat atque possideat, vel quicquid.

*Charta tracturia* (6).

XV. Domnis sanctis & apostolicis ac venerabilibus in Christo patribus, Regibus, Comitibus, Episcopis, Abbatibus, Sacerdotibus, Clericis, vel omni populo Christiano qui in Romanorum vel Longobardorum provinciis Deo serviunt, tam in monasteriis quam & in civitate, seu per pagos, vel per vicos, ego in Dei nomine ille Major domus. Cognoscat magnitudo seu & sanctitas vestra quod iste frater noster nomen ille serviens vester periit nobis ut ad basilicam sancti Petri patris vestri pro suis culpis vel pro nostra stabilitate valeat ambulare ad orationem. Propterea has litteras cum salutatione per ipsum ad vos direximus, ut in amore Dei & sancti Petri ipsum ad hospitium recipiatis ad benefaciendum vel ad suam consolationem, tam ad eam ambulando quam & in redeundo, ut per vos salvus eat & salvus revertatur. Interim, sicut vestra est consuetudo bona, vel consolationem vel adjutorium ei impendere jubeatis, lætumque diem jubeatis habere. Cujus potestas regnat in æternum, ipse vos custodiat in regno suo perpetuo. Salutamus vos omnes salutatione plenissima.

*Donatio quam homo donat ad suam parentem.*

XVI. Dilectissimæ atque amabili mihi in Domino consobrinæ meæ nomine illo, ego in Dei nomine ille, Dum & pluribus est percognitum eo quod tu partibus meis amabilia servitia impendere non desinis, pro tua bonitate, & pro eo quod dictum est [a] *Faciamus bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* vel ad propinquos nostros, igitur dono tibi a die præsente per hanc episto-

[a] Gal. 6.

(1) *Cautio de clavibus.*) Cautio est ab eo facta, qui cum rem aliquam custodiendam suscepisset, eamque postea dolo vel injuria amissam nec restituere potest nec æstimationem præstare, domino rei seipsum tradit, ut pro servo deinceps habeatur. Ideoque cautio de clavibus dicitur; quia per clavium traditionem res quæ in horreo vel cellario continebantur, commendatæ ei fuerant.

(2) *Granica.*) Horrea, a grano, unde & nos hodie *granaria* dicimus. Leg. Bajuvar. c. 1, tit. 13. 12. *Fænile, granicum, vel tumnum.* Granea in Capitul. Addit. IV. cap. 144. ubi de decimis: *Infra septa Ecclesiæ cui jure debentur in suis ut liter. graneis collectas habeat &c.*

(3) *Vitalia sua.*) Nobis *vectualles*.

(4) Alias, *perdita vel naurata.*) In ora manuscripti, unde hæc desumpta sunt, Petrus Daniel adnotaverat fortasse legendum *non onrata*.

(5) *Publico.*) Delendum videtur.

(6) *Charta tracturia.*) Incertus auctor c. 10.

ſtolam donationis, quæ in perpetuum ſit manſura, & de jure meo in tua dominatione trado atque firmabo, id eſt, manſum ad commanendum in pago illo, in loco qui dicitur ille, & eſt ipſe manſus per loca deſignata de latere uno & de fronte terræ illius, & de alio latere & fronte terræ illius tanto, ita ut ab hac die memorata conſobrina mea illa quicquid de ipſo manſo facere voluerit, ut abſque uniuſcujuſque repetitione liberam in omnibus habeat poteſtatem ad faciendum.

*Donatio ad caſam Dei.*

XVII. Prudens conſilium bajulat qui pro animæ ſuæ remedio cogitat illi Dominum retribuere, & exinde habere cogitat, & de Dei miſericordia non dubitat. Idcirco nos in Dei nomine ille, & conjux mea illa. Admonet nos divina pietas & Chriſti miſericordia ut aliquid de rebus noſtris pro redimenda ultione noſtrorum peccaminum Domino offerre deberemus, ut in die judicii miſericors Dominus vel in aliquantulum de ſcelere noſtro nobis relaxare dignaretur, donamus compunčto corde & devoto animo ad baſilicam illam, quæ eſt in honore ſančti illius conſtructa in loco illo, hoc eſt, rem noſtram in loco nuncupante illo, hoc eſt, in ipſa re manſis ad commanendum, caſticiis, ſuperpoſitis, terris arabilibus, ut poſt hunc diem ipſi cuſtodes qui ad ipſum ſančtum locum deſerviunt, ipſam rem ſuperius denominatam habeant, teneant, atque poſſideant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam & firmiſſimam habeant poteſtatem ad faciendum. Et ſi quis.

*Pactum diviſionis inter fratres.*

XVIII. Pactum diviſionis inter fratres, id ſunt ille & ille, heredes illius & illius quondam, qualiter ſe de alode eorum dividere vel exæquare deberent. quod ita & fecerunt. Per quem accepit vir magnificus ille manſum illum in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, hoc eſt, ipſe manſus circumcinctus, cum arboribus & caſticiis, ſuperpoſitis, terris arabilibus, & cetera. Simili modo vir magnificus ille accepit ad opus ſuum alium manſum in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, in centena illa (1), hoc eſt, quod ſuperius diximus, manſum circumcinctum, cum arboribus & caſticia, ſuperpoſita, terris arabilibus, & cetera, vel quicquid pars contra parem ſuum per æqualentiam inter ſe diviſerunt, abſque ulla repetitione vel reclamatione hoc habeant, teneant, poſſideant, vel quicquid exinde facere voluerint, libera in omnibus Chriſto propitio in ſua permaneat poteſtate ad faciendum. Si quis vero.

*Venditio ad monaſterium.*

XIX. Venerabili in Chriſto patri illi Abbati de monaſterio qui vocatur ſančti illius, quod eſt in pago illo ſuper fluvium illum conſtructum, emptori, ego in Dei nomine ille venditor. Conſtat me non imaginario jure, nec nullo cogentis imperio, ſed proprio voluntatis meæ arbitrio, vobis vel ad monaſterium veſtrum vendere, quod ita & vendidi vobis a die præſente, rem pro portione mea, in loco nuncupante illo, quod eſt infra pagum illum, quod de parte parentum meorum ad me legibus obvenit, hoc eſt, tam manſis, caſis, caſticiis, mancipiis, ingenuis his nominibus, vel quicquid ibidem præſens eſt mea dominatio, totum & ad integrum de jure meo in dominatione veſtra per hanc venditionem tradidi vobis ad poſſidendum; & accepi a vobis in pretio taxato, juxta quod nobis aptificatum vel conventum fuit, ſolidos probos atque penſantes numero tantos; ita ut ab die memorata omnia ſuperius nominata, quæ de me legibus comparaſtis, hoc habeatis, teneatis, poſſideatis tam vos quam & ſucceſſores veſtri, liberumque & firmiſſimum in veſtra permaneat poteſtate ad faciendum. Si quis vero.

*Precaria.*

XX. In Chriſto venerabili patri & Domno illi Abbati de monaſterio ſančti illius, quod eſt in pago illo ſuper fluvium illum conſtructum, ego in Dei nomine ille. Precator acceſſi ad vos ut rem pro portione veſtra, in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, quam ego ille ante hos dies per venditionis titulum dato pretio ſančto illi ſeu veſtro monaſterio adfirmavi, hoc eſt, in ipſa portione manſum ad commanendum, caſticiis, ſuperpoſitis, terris arabilibus, mancipiis, ingenuis his nominibus, vineis, pratis,

(1) *Centena illa.*) Comitatus in centenas diſtributi erant. Capitul. lib. 3. cap. 10. *Et de ipſo pago aut de vicinis centenis eligantur; niſi forte longius extra comitatum cauſa ſit inquirenda.* Et lib. 4. cap. 23. *Si tamen contentio quæ inter eos exorta eſt, in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adjacentis comitatus ad cauſam ſuam teſtes habere.* Proxime Heildelbergam adhuc apparet centenæ veſtigium in aliquot pagis, & manſit vocabulum. Rhenanus rer. Germanic. lib. 2. p. 88. *Nomen alibi fere incognitum & exoletum in Palatinatus regione integrum notumque remanſit, die centen. centenarii, centgraffen.* Freherus orig. Palat. p. 1. c. 5. p. 36. Rhenanus Romanam eſſe vocem contendit & originem; quod doctiſſ. Frehero minus placet. Huc referri poſſet Taciti locus: *Quod primo numerus fuit, jam nomen & honor eſt.* Sed an vere, adhuc inquirendum cenſeo. Vetus Chronicon in Aluredo Rege Anglor. *Centurias quas hundredas vocant, & decimas, quas tethinge appellant, inſtituit ut omnis Angligena legaliter vivens centuriam habeat & decimam: quos ſi quis alicujus delicti argueretur incommodo, ſtatim exhiberentur ex centuria qui eum vadarentur, & decima.* Vide Pithœum in gloſſar. Capitul.

tis, silvis, pascuis, vel quicquid ibidem aspicit vobis delegavimus. Sed postea taliter vobis supplicavimus, ut ipsam portionem ad usum beneficium ad excolendum quandiu advivo mihi præstare vel relaxare deberetis. quod ita & fecistis. Propterea hanc precariam manu mea vel bonorum hominum firmatam vobis exinde emisimus, ut annis singulis censum denariorum tot ad luminaria sancti illius & decimam de omnibus fructibus, quicquid supra ipsam conlaborare potuerimus, die illo, quod eveniet festo ipsius sancti illius, pro hoc vobis dare & adimplere faciam. Et si negligens aut tardus de ipso censu ad illud placitum apparuero, fidem exinde vobis legibus faciam, & ipsam rem dum advivo per vestrum beneficium tenere & usufructuare faciam; in ea vero ratione ut aliubi ipsas res nec vendere nec donare nec alienare nec ad alias casas Dei delegare, nec in naufragium ponere, nec ad proprium facere, nec heredibus meis in alode derelinquere pontificium non habeam ad faciendum, nisi post meum discessum, una cum re immeliorata vel superposita, quicquid ibidem inventum fuerit, absque ullius judicis contradictione pars monasterii vestri ad vestrum faciat revocare dominium. Si quis vero,

*Commendatitia* (1) *de re vendita.*

XXI. In Christo filio Ecclesiæ illi, in Dei nomine ille Abbas de monasterio illo sancti illius, quod est in pago illo, una cum consensu fratrum nostrorum. Dum & tua fuit petitio & nostra decrevit voluntas ut duas partes darem pro portione nostra in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quem tu ipse ante hos dies per venditionis titulum dato pretio de thesauro sancti illius nobis vendidisti; sed postea taliter nobis supplicasti ut ipsius portionis duas partes in prædicto loco illo ad usum beneficium ad excolendum, quandiu advivis, tibi præstare deberemus. quod ita & fecimus. Propterea hanc commendatitiam manu nostra firmatam tibi pro hoc dedimus, ut annis singulis censum tantum & illam decimam de omni fructu, quicquid supra ipsam terram conlaborare potueris, die illo, quod eveniet festo sancti illius, pro hoc dare debeas. Et si negligens aut tardus ad id placitum de ipso censu fueris, fidem exinde pro hoc nobis facias, & ipsam rem ad viventum tuum per nostrum beneficium teneas, in ea tamen ratione ut ipsam rem aliubi nec vendere nec donare nec alienare nec ad alias casas Dei delegare, nec ad proprium facire, nec heredibus tuis in alode derelinquere, nec in naufragium ponere, potestatem non habeas ad faciendum, nisi post tuum discessum, una cum ipsa re immeliorata vel superposita, quicquid ibidem inventum fuerit, sine ullius judicis consignatione pars monasterii nostri elitigato ordine præsentaliter ipsam rem immelioratam in nostrum faciat revocare dominium, & hæc commendatitia firma sit. Facta commendatitia in ipso monasterio sancti illius publiciter in anno duodecimo regni.

*Indiculus precatorius* (2) *ad Episcopum.*

XXII. Domino sancto & apostolica sede colendo in Christo venerabili Domno & patri illi Pontifici urbis illius, civitatis illius, ego in Dei nomine ille, bene cupiens vester, in Domino vobis dirigimus salutem, & precamur sanctitatem vestram ut pro nobis orare dignemini. Denique cognoscatis quod iste homo vester, nomine illo, ad nos confugium fecit, & dixit quod contra vos culpas habeat commissas. Propterea has litteras cum salutatione ad vos direximus, & precamur vobis ut vitam & immancationem (3) & disciplinam corporalem ei concedere jubeatis, aliam pœnitentiam, qualem ei volueritis judicare, in vestra est potestate. qualiter ipse homo secum gaudeat quod nostram suggestionem ad vos deportasset; & unde nobis reconjungitis vobis remerire cupimus. Quid plura?

*Indiculus quem Præpositus transmittit ad Abbatem.*

XXIII. Diligendo ad nos Domno & in Christo patri nostro venerabili illi Abbati, ego

(1) *Commendatitia.*) Præstaria, charta præstationis.

(2) *Indiculus precatorius.*) Epistola est ab Abbate forte aut alio quolibet sacerdote Episcopo scripta, qua illius servum ad se confugisse declarat: quem obnixe rogat ut vitam & membra salva integraque repromittat.

(3) *Vitam & inmancat.*) Solebant veteres, seu Episcopi, seu Clerici, pro reis ad Ecclesiam confugientibus intercedere, nec prius eos reddere quam *ad evangelia datis sacramentis*, (inquit synodus Aurelianensis I. cap. 3.) *de morte & debilitate sint securi, ita ut ei cui reus fuerit criminosus, de satisfactione conveniat*; quod etiam in servis obtinebat, qui non nisi excusati dominis permittebantur. Synodi Aurelianensis I. cap. 4. & 5. Præclarum ejus rei apud Gregorium Turonensem exstat exemplum. Sic igitur ille lib. 5. cap. 3. de Rauchingo: *Ajebant quidam eo tempore duo de famulis ejus, ut sæpe contingit, mutuo se amore dilexisse, virum scilicet & puellam. Cumque hæc dilectio per duorum annorum aut eo amplius spatia traheretur, conjuncti pariter Ecclesiam petierunt. Quod cum Rauchingus comperisset, accedit ad sacerdotem loci, rogat sibi protinus reddi suos famulos excusatos. Tunc sacerdos ait ad eum: Nosti enim quæ veneratio debeat impendi Ecclesiis Dei. Non enim poteris eos accipere nisi ut fidem facias de permanente eorum conjunctione, similiter & ut de omni pœna corporali liberi maneant repromittas &c.* Zosimus lib. 5. de Stilichonis exitu, qui cum Ecclesiam tutelæ causa petiisset, παρελθόντες εἰς τὴν ἐκκλησίαν οἱ στρατιῶται καὶ ὅρκοις πιστωσάμενοι τοῦ ἐπισκόπου παρόντος, ὡς οὐκ ἀνελεῖν αὐτὸν, ἀλλὰ φυλάξαι μόνον παρὰ τοῦ βασιλέως ἐτάχθησαν, ἐπειδὴ τῆς ἐκκλησίας ὑπεξῆλθεν, ὑπὸ τὴν τῶν στρατιωτῶν ἦν φυλακήν.

ego ille ſerviens atque Præpoſitus veſter. In primis illud precamur ſanctitatem veſtram, ut in veſtra ſancta oratione pro me eſſe non dedignemini. Denique, Domne, cognoſcatis de iſto ſervitio ubi nos tranſmiſiſtis, per verbum inluſtris viri illius Comitis, ſui juniores non exinde fecerunt quomodo eis fuit demandatum. Propterea has litteras ad vos direximus, ut de ipſo certiores ſitis, & inantea quomodo vobis eſt utile ſic compenſetis ut noſtram rem non perdamus. Quid plura? Salutamus vos uſque ad gaudium.

*Indiculus quem Abbas tranſmittit ad hominem pagenſem.*

XXIV. Dulciſſimo noſtro & ut credimus amico ſancti illius in Dei nomine illi, ille etſi peccator Abba, nos & noſtri, ſervientes veſtri, in Domino vobis dirigimus ſalutes, & illud precamur Deum ut merearis agere in iſta vita quod Deo ſit beneplacitum. Precamur vos de illis veſtris homunciunculis qui in veſtro miniſterio commanent, vel de noſtris cauſis invicem noſtrum bonum certamen exinde mittatis, ſicut nos de veſtra caritate bene confidimus, ut ſic exinde perportare faciatis uſque nos inſimul conjungimus. Quid plura?

*Indiculus quem Epiſcopus tranſmittit ad Abbatem.*

XXV. Sanctorum meritis beatificato Domno atque patri, Deique cultore, & ut confidimus vero amico noſtro illi gratia Dei Abbati, nos enim in Dei nomine ille quamvis peccator donum Dei Epiſcopus. Deus ſcit, veſter in omnibus proprius amicus, imprimitus ſalutationem. *Deſunt reliqua.*

*Cautio de infracturis* (1).

XXVI. Contigit quod cellarium vel ſpicarium (2) veſtrum infregi, & exinde annonam vel aliam raupam in ſolido tantos furavi. Dum & vos & advocatus veſter exinde ante illum Comitem interpellare feciſtis, & ego hanc cauſam nullatenus potui denegare, ſic ab ipſis Racimburgiis fuit judicatum, ut per wadium meum eam contra vos componere atque ſatisfacere debeam, hoc eſt, ſolidos tantos vel *. Sed dum ipſos ſolidos minime habui unde transſolvere debeam, ſic mihi aptificavit, ut brachium in collum poſui, & per comam capitis mei coram præſentibus hominibus tradere feci, in ea ratione ut interim quod ipſos ſolidos veſtros reddere potuero, & ſervitium veſtrum & operam qualemcunque vos vel juniores veſtri injunxeritis, facere & adimplere debeam; & ſi exinde negligens vel jactivus apparuero, ſpondeo me contra vos ut talem diſciplinam ſupra dorſum meum facere jubeatis quam ſuper reliquos ſervos veſtros.

---

(2) *Cautio de infracturis.*) Qua is qui effracto horreo vel cellario furtum commiſerat, eo nomine in certam pecuniam condemnatus ſeipſum pro pignore tradit. Exſcribitur hæc formula a Franciſco Pithœo ad leg. Sal. tit. 60.

(3) *Spicarium.*) Horreum, a ſpicis ſcilicet reconditis. Leg. Sal. tit. 18. 2. *Si quis ſpicarium aut macholum cum annona incenderit.*

Sed jam portum conſpiciens, ſupereſſe videtur ut ſaltem in extremo operis profitear, cum multos in his Notis merito lubenſque nominaverim per quos profeci, nullum tamen eſſe cui plus tribuendum ſit quam Rolando Bignonio IC. patri optimo atque amantiſſimo, qui mihi inter maximas difficultates, quæ toties occurrerunt, hærenti manum præbuit, fulſit, & digitum ad fontem intendit, licet audendi auctor non exſtitiſſet. Sed a quo conſilium de tanta re non petiiſſem, ſubſidium tamen petere non dubitavi. Is eſt cui non tantum vitam, ut parenti, ſed inſtitutionem, ut præceptori, & quicquid in me eſt, debeo: qui mores & ingenium formavit, litteris & ingenuis artibus excoluit, atque etiam ad juriſprudentiam & auctores adeo facilem aditum præbuit, ut hæc ſtudia nullo non modo labori ſed voluptati mihi fuerint; nec alio anteceſſore opus, aut quærendus Scævola, a cujus latere nunquam diſcederem; de quo non eſt animus quicquam amplius dicere, ne videar ſuffragari mihi. Tantum volui hoc exſtare grati animi indicium, Deum hominesſque teſtatus nihil mihi magis eſſe in votis quam ut talem tantumque paternum affectum pari pietate poſſim compenſare. Faxit Deus, cui omnis gratiarum actio, laus & honor.

FRAN-

# FRANCISCI PITHŒI
# GLOSSARIUM,
## SIVE
### *INTERPRETATIO OBSCURIORUM VERBORUM Quæ in Lege Salica habentur.*

L*Egis Salicæ* .) Francorum , quos consuetudo Salios vocitavit ; ſicut Ammianus Marcellinus ſcribit . Fortaſſe a Saliendo . Sidonius :

*Tibi vincitur illic*
*Curſu Herulus , Chunnus jaculis , Francuſque natatu ,*
*Sauromata clypeo , Salius pede , falce Gelonus .*

Et in prologo harum legum : *Gens Francorum inclyta , fortis in armis , audax , velox , & aſpera* . Lex ſimpliciter dicitur ſynodis Cabillonenſi & Rhemenſi . Videantur Ado , Einardus , Ottho Friſingenſis , Sigebertus , Trithemius , & Nicolaus Vignerius libello cui titulus eſt , *Traitè de l' ètat & origine des anciens François* .

#### Titulus I.

*Mallum* .) Flodoardus ex epiſtolis Hincmari : *Quia de Presbytero & Eccleſia ad Epiſcopos & ſynod. definitio pertineat , non ad mallum vel civilium judicum diſpoſitionem* . Vide Gloſſarium ad Capitularia . Quid enim repetam quæ ibi habentur ?

*Mannitus* .) Monitus , *ſemont* . Mannitiones , *ſemonces* & *adjournemens* Nortmannis .

*Sunnis* .) Sic veteres omnes . Nec tamen alibi male *Sonnis* . Veteres Gloſſæ . *Sonnis , impedimentum* . *Eſſoine , ou empeſchement* . Conſuetudines Hannonenſes . Tit. xix. §. 6. legis Salicæ in editione Germanica : *Si in mallum vocatus fuerit , & is qui vocatus eſt non venit , ſi eum aut infirmitas aut ambaſcia dominica detinuerit , vel forte aliquem de proximis mortuum inter domum ſuam habuerit , per iſtas ſunnis ſe poteſt homo excuſare , alias de vita componat* .

*Denarios* .) Monetæ minutioris ſpecies ſunt , & hodie hæ apud nos . *Denier* . Denarius . Unde *denrèe* , denarata in adnuntiatione Caroli apud Piſtas DCCCLXII. & *fruicts adenerez* Bleſenſibus . *Double* ; unde *doublon* Binio , dinummium Ægeſippo , Vet. Gloſſ. & C. Tit. de Alex. primat . *Liar* , Miliariſium Epiphanio & Cedreno : *Blanc* , Germanis *Vueiſpenning* ; *Bianco* Italis , *Aſprum* Græcis , *Katau* Perſis ; & *Grand blanc* , ad differentiam *des ſols nerets* .

*Solidos* .) Solidus lege Salica fuit quadraginta denariorum ; quod Pipinus immutavit . Canone XLI. ſynodi Rhemenſis : *Ut Dominus Imperator ſecundum ſtatutum bonæ memoriæ Pipini miſericordiam faciat ne ſolidi qui in lege habentur per quadraginta denarios diſcurrant ; quoniam propter eos multa perjuria multaque falſa teſtimonia reperiuntur* . Quod tamen omnino non placuit Karolo Magno Capitul. lib. 3. cap. 30. Sed tandem Ludovicus Pius conſtituit lib. 4. cap. 75. *Ut omnis ſolutio atque compoſitio quæ in lege Salica contineretur , inter Francos per duodecim denarios ſolidos componatur , excepto ubi contentio intra Saxones & Friſones exorta fuerit* . Remanent tamen hodie veſtigia ſolidi iſtius moribus noſtris in mulctis & ἀνδεκτικοῖς ſive laudimiis .

*Si in juſſione Regis* .) *Lettres d' Eſtat* . Marculfus in formula pro cauſa ſuſpenſa : *Cognoſcat magnitudo tua , dum nos ad præſens apoſtolico viro illuſtri pro noſtris utilitatibus illic ambulare præcepimus . Ideo jubemus ut dum in illis partibus fuerit demoratus , omnes cauſæ ſuæ ſuorumque amicorum aut gaſindorum in ſuſpenſo debeant reſidere* .

*Infra pagum* .) Anonymus de translatione beati Gildaſii : *Per illud tempus cum omni reverentia nobis nominatus glorioſus princeps nobilis Ebbo maximam partem pagi Bituricenſis ſub ditione ſua tenebat . Siquidem a Charo fluvio uſque ad Vuortempam & Engliam potentiſſime principabatur* . Sigebertus anno 759 *Arvernorum pagum depopulatum premit , & multa caſtella , ipſam urbem Arvernis capit* .

#### Titulus II.

*Lactantem* .) Retinui omnium codicum ſcripturam . Grammaticis quidem lactans dicitur quæ lac præbet , lactens cui lac præbetur . Sed hæc tam anxie a noſtris obſervata non ſunt .

*De bramme* .) Sic veteres tres , & Germana editio . *Rhan* . Unde Campanis noſtris *Mettre les porcs en rhan* , ut pinguiores fiant .

*Capitali* .) Tit. 10. *Si quis animal aut caballum vel quodlibet pecus in meſſe ſua invenerit , penitus eum lædere non debet . Quod ſi fecerit & confeſſus fuerit , capitale in locum reſtituat , ipſum vero debile quod percuſſit ad ſe recipiat* . Et tit. LXVIII. *Caballum ipſum in capite reſtituat* . Et tit. 5. & 8. legis Alamannorum .

*Delatura* .) Gloſſ. *fredo* .

*De ſude* .) Porcorum ſtabulo . Noſtris *Seu* . Liber de arithmeticis proportionibus , ſive is Gerberti ſit , ſive alterius : *Paterfamilias ſtabilivit curtem novam quadrangulam , in qua poſuit ſcrofam , quæ peperit porcellos ſeptem in media ſude* . Et tit. 18. infr. *ſi qui ſudem cum porcis* .

*Scrovam* .) Sic veteres quinque .

*Subbatit* .) Gloſſ. *porcellos in ventre matris occidit* . Recapitulatio : *Si quis ſcrofam alterius ſubbatit ut porcellos non habeat* .

*Tertuſſum* .) Gloſſ. *qui domi nutritur* . *Der Zubous* .

*Verrum* .) Sic omnia exemplaria . *Verrat* .

*Scrovam ducariam* .) Gloſſ. *ductricem aliarum ſcrovarum* . Longobardis *ſonopar* ſectarius dicitur ſive dux gregis , aut ducator , ſicut loquitur Tertullianus . Nam *ſennetem* & *ſente* armenta ſignificantur in legibus Ripuariorum & Angliorum , unde Seniſcalci nomen , *armentorum miniſtri* . Alamannorum leg. ſub tit. de eo qui paſtores vel artifices occiderit . Sic apud Otfridum *Druthines ſcalche* , Domini miniſtri ſive Apoſtoli . Kero : *ſervus* , *ſcal* ; ut *Adelſcalke* , *ſervi principis* in ſynodo ſub Thaſſilone habita . Theodulphus Antulphum Seneſcalci officio functum ſcribit , quem Sigebertus & Aimoi-

moinus præpositum mensæ Regis, Regino principem coquorum dicunt. Videndus Hincmarus Rhemensis admonitione ad Episcopos & ad Regem Karolomannum cap. 23.

*Sacrivum.*) Gloss. *qui est defensor aliorum porcorum.* Sacrivæ arbores, synodus Antissiodorensis cap. 4. Auctor de rectitudine catholicæ fidei: *Fontes & arbores quos sacrivos vocant succidite.* Porci sacres Varroni & Festo dicuntur ad sacrificium idonei.

*Qui dicitur votivus.*) Greg. Turon. 2. mirac. 3. *Quæ sit mansuetudo pecorum in hac basilica votivorum, qualiter vituli petulantes, calcitrantes equi, grunnientes sues, ut limen sanctum ingressi sunt, conquiescunt.* Idem: *De his vero quæ votiva sunt, nulli penitus quippiam subtrahere licet.*

### TITULUS III.

*Hoc est trespellius.*) Germana editio: *tresbellio*, id est, de tribus villis, *de trois clochers*, sicut loquuntur consuetudinarii. Gloss. *Clocca, belle.* Cloccarium vel lucar, *bell-bus.* Sic *trimarchisia* apud Pausaniam, quod singuli equites Galli constarent ex tribus.

*Taurum Regis.*) Sic veteres tres.

### TITULUS IV.

*Berbices.*) *Berbis.* Gregor. epist. 16. lib. 8.

### TITULUS V.

*Capritum.*) Hircum, *cabrit.*

*Si quis buccum.*, Nostris *bouc.* Germ. *bock.* Turon. 9. 23. *Buccus validus vocabatur.*

### TITULUS VI.

*Seusium.*) Sic veteres omnes. Vid. tit. 19. leg. Bajoar. tit. 42. leg. Alaman. Videturque nomen istud reponendum tit. 15. Respons. Papiani, cum vetus exemplar habeat, *si saucium al. sacium.*

*Veltrem.*) Canis Gallicus Ovidio & Martiali. Clemens Scotus, sive potius incertus Sancti Galli monachus in vita Caroli Magni: *Assumsit duos caniculos in manum suam, quos Gallica lingua Veltres vocant, qui agilitate sua vulpes & ceteras minores bestias facillime capientes.* *Veltro* Danti, nostris *vaultroy* dicitur. Et tit. 10. leg. Burgund. *veltrabus.* Et apud Gratium de venatione:

*At te leve si qua*
*Tangit opus, pavidosque juvat compellere dorcas,*
*Aut versuta sequi leporis vestigia parvi,*
*Petronios sic fama canes, volucresque Sicambros,*
*Et pictum macula veltrahum dilige falsa.*

Sic enim legendum. Petrunculorum fit mentio eodem titulo legis Burgundionum.

*Argutarius.*) Sic veteres quatuor. *Qui sciat occultos & signis arguat hostes.*

*Curtis.*) Leg. Alam. *qui curtem defendit.* Petrus Beneventanus: *Curtis vulgare est Gallicorum, sicut mansus Italicorum.*

*Canem pastorem.*) Sic veteres quatuor. Alias *pastoralem.* Vid. tit. XXXII. legis Alamannorum.

### TITULUS VII.

*Acceptorem.*) Sic antiqua omnia exemplaria & tit. 99. leg. Alamannorum. Charisius: *Acceptor quoque & accipiter dicitur. Virgilius enim accipiter dixit. Lucil. acceptor.* Gloss. *Acceptor*, ἱέραξ.

*Sparvarium.*) Sic vet. *Esparvier.* Germ. *Sparuver.*

*Anetam.*) Sic veteres duo & tit. 99. leg. Alaman. Gloss. *Aneta ened.* In veteri formula: *Similiter & porcellos habent, & unam vaccam, & duas anetas a ceteris separat, & dat illis quotidie abundanter.*

*Gallum.*) Unum exemplar, *coccum*, Gloss. *Gallus, cocc. Gallina, henn.*

*Si quis turturem.*) Duo vetera exemplaria: *Si quis aucellum de trappa furaverit*; sicut & Germana editio. Inde *Trappe* & *entrapper.*

### TITULUS VIII.

*Matriamen.*) Sic veteres tres, & infra tit. XXIX. Inde nostris *Marien.*

*Concapulaverit.*) Sic veteres quatuor. Gloss. *truncaverit vel exciderit.* Tit. 32. editionis Germanicæ de debilitate. Vet. Gloss. *Scapellare, id est, exscindere, frangere.* In legib. Longob. *Si quis caballo alterius caudam capellaverit, id est, setas traxerit.*

### TITULUS IX.

*De intro clave.*) Sic veteres quatuor. *Estant sous clef.*

### TITULUS X.

*Incluserit.*) Veteres quatuor *inclauserit*, & inf. *inclausa.* Turon. 3. *Hac nocte cum equos ad claudendum adduxeris.*

*Aut minentur.*) Paulus Diaconus: *Agere modo significat ante se pellere, id est, minare.* Vetus interpres Actor. cap. 18. *& minavit eos a tribunali*, ἀπήλασεν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ βήματος.

*Si alicujus pecora.*) Conveniunt mores. *De labourt*, Tit. 3. art. 9. 19.

*Sepem alienam aperuerit.*) *Qui clost empesche.* Gregorius Turon. de virt. S. Martini: *Primo die Paschæ jussus est a domino suo ut agrum circuiret: inventoque aditu unde pecora introibant, dum eum claudere conatur, excæcatus est.*

*In quemlibet laborem.*) Gregorius Turon. lib. 7. cap. 22. *Nam dum esset in libertate, equi ac pecora per segetes pauperum vineasque dimittebantur. Quod si expellebantur ab his quorum ea vertebant laborem, statim a suis arcebantur.*

### TITULUS XI.

*In texaga.*) Gloss. *Intra tecta.*

*Vinitorem.*) Gloss. *Vinitor*, ἀμπελουργός. Turon. 5. 48. *a fiscalis vinitoris servo.*

*Siue venatorem.*) Additur in uno exemplari, *sive scantionem.* Vet. Gloss. *Scantio, pincerna.* Inde nobis *Eschanson.* Et in Concilio Toletano *Comes scancziarum.*

*De ministerio.*) Flodoardus: *Plebeiis quoque quibusdam personis, villarum scilicet ministerialibus, pro rebus ministeriorum suorum nonnunquam scribens, qualiter res sibi commissas tractare deberent.*

### TITULUS XIII.

CXX. *ictus accipiat.*) Nec enim olim arbitrio carnificis, sicut hodie, cædebantur condemnati ad flagra; quod ex sacra Scriptura constat. Petron. Harmenopulus: διὰ δώδεκα ἀλλακτῶν σωφρονιζέσθω. Et alius: διὰ κ' μαγγλαβίων σωφρονιζέσθω, quod idem est. Gloss. μαγγλάβια ἑκατόν. In legibus Bajoariorum: *quadraginta gamactas accipiat, & rumpatur dorsum ejus quinquaginta gamactis*; quæ sunt veteri interpreti *percussiones.*

*Aut castretur.*) Sic tit. 27. & 42. Furcæ affigitur apud Gregorium Turonensem de virtutibus sancti Martini lib. 1. c. 21. & lib. 3. c. 53. *Genitoris*, inquit, *civis nostri servus a judice pro furti scelere comprehensus, patibulo dijudicatur.* Et de glor. confess. cap. 101. & de glor. Mart. lib. 1. cap. 73. & lib. 6. hist. cap. 8.

### TITULUS XIV.

*Screuna.*) Sic codices veteres quatuor. Alii *screona*, sicut leodes, leudes, beodum, beudum. Tit. 29. leg. Burgund. *Effractores omnes qui aut domos aut scrunias.* Sic quinque. *Escrenes*

*nes* etiam hodie rusticis Campanis dicuntur cameræ illæ demersæ in humum, multo insuper fimo oneratæ, in quibus hyeme puellæ simul convenientes pervigilant ad mediam noctem.

*In verbo Regis.*) Ribuariorum tit. 37. Greg. Turon. lib. 9. cap. 19. *Brunichildis graviter accepisset, eo quod in ejus verbo Sicharius positus taliter fuerit interfectus.* Et alibi: *Præceptionem tribui jussit ut in verbo suo posita a nullo unquam parentum defuncti illius in aliquo molestiam pateretur.* Inde hodie, *En parole de Roy.*

*Propter fredum.*) Gregor. Turon. *Quosdam ex eis qui absoluti fuerant ad se venisse, atque compositionem fisco debitam, quam illi fredum vocant, se fuisse eis indultum.*

*Litus.*) Sic duo exemplaria, ut tit. 1. leg. Frison. & tit. 2. leg. Saxon. *Litus si per jussum vel consilium domini sui.* Alias *Lidus*. Gloss. *Fiscalinus vel sanctuarius.* In Synodo Bavarica: *Homo Regis, id est, fiscalinus, vel ecclesiasticus, vel lidus, interfectus.* Albertus Stadensis: *Plures autem se eis dediderunt proprios, & qui ab eis vivere sunt permissi, litones sunt ab eodem vocabulo nuncupati. Inde litones in provincia Saxonum sunt exorti.* In privilegio concesso ab Henrico Imperatore anno 1009. Ecclesiæ Mindensi: *Aut homines ipsius Ecclesiæ francos, liberos, & ecclesiasticos litones maalman, vel servos cujuslibet conditionis, seu colonos contra rationem distringendos.* In privilegio ab Ottone III. Imperatore eidem Ecclesiæ: *Aut homines ipsius Ecclesiæ litos vel cujuslibet conditionis servos contra rationem distringendos.* In privilegio concesso ab Ottone I. eidem Ecclesiæ: *Hominibus quoque famulatum ejusdem monasterii facientibus qui Saxonice malman dicuntur, prædictum mundeburdam & tuitionem nostram constituimus.* In Constitutionibus Caroli Magni, & lib. 3. leg. Longobardorum: *Aldiones ea lege vivant in Italia in servitute dominorum suorum qua lidi in Francia.*

*Ingenuam feminam traxerit.*) Marculfus in formula, Si aliquis puellam invitam traxerit: *Dulcissimæ conjugi meæ ill. Dum te præter voluntatem parentum tuorum habui desponsatam, & absque tua vel parentum tuorum voluntate raptam scelere meo conjugio sociavi, unde vitæ periculum incurrere debui.* Et charta de agnatione, si servus ingenuam trahit: *Dum hominibus non habetur incognitum qualiter servus meus ill. te absque tua voluntate rapto scelere in conjugium sociavit, & ob hoc vitæ periculum incurrere potuerat, sed intervenientibus amicis vel bonis hominibus convenit inter nos ut si aliqua procreatio filiorum orta fuerit inter vos, in integra ingenuitate permaneant.*

*De sua voluntate.*) Marculfus in formulis: *Dictis hominibus non incognitum qualiter servum meum nomine N. voluntarie accepisti maritum, ut te ipsam & agnationem meam in meo inclinare potuerim servitio.*

*Druchte.*) Gloss. *Sponsata. Druhtines haus*, Templum domini apud Otfridum. *Kero* interpret. vocab. barbar. Dominus, *Truhtin*. Sidonius: *Neque patiaris ut te ab hoc proposito propediem conjux domum feliciter ducenda deflectat.*

*Per virtutem.*) Sic veteres omnes codices. Vulgat. *Per vim mœchatus fuerit.*

*Sororis.*) Alias, *sororem aut fratris filiam.*

*Certe alterius.*) Sic vetera quatuor. Alia duo, *certe ulterius.*

*Fratris uxorem.*) Gregor. Turon. lib. 3. cap. 6.

TITULUS XV.

*De eo qui.*) Vetera duo exemplaria, sicut & Germanica editio, *de superventis & expoliationibus.* Et sane mirum est quam male conveniat in plerisque editio Tiliana cum Germanica. Nec tamen utraque sine veteribus libris; ut putem Tilianam repetitæ prælectionis esse, saltem posteriorem Germanica.

*In superventu.*) Turon. 8. 40. *furta superventa, pervasiones.* Gloss. ἐπέρχομαι, *superventum facio.* Tit. 29. leg. Burgund. *Si quis superventu aut latrocinii scelere negotiatorem aut aliquem occiderit.*

*Præceptum Regis habentis.*) Gregor. Turon. lib. 9. historiar. cap. 20. Aim. 5. c. 36. *Præceptum tamen de confirmatione totius abbatiæ de more Principum fecit.* Odo monachus Fossatensis in vita Burcardi Comitis: *Post hæc etiam Regis adeuntes præsentiam deprecati sunt ut hæc dona præcepti sui auctoritate roboraret & annuli sui impressione munire dignaretur.*

*Adsalire.*) *Assalir.*

*Viæ laciniam ei facere.*) Germanica editio: *Extra ordinationem Regis restare aut adsailire præsumpserit.* *Arrester.* Arrestare in leg. Longobard. lib. 3. tit. 1. l. 78.

*Furtu.*) Sic veteres omnes, ut inf. tit. 17.

TITULUS XVI.

*Contubernio.*) Gloss. *auxilio.*

*Unusquisque eorum culpabilis judicetur.*) Desunt hæc in antiquissimo exemplari.

TITULUS XVII.

*Naufo.*) Sic veteres tres. Gloss. *Sarcofago ligneo.* Nostris *Nau*, *Noue*. Gregor. Turon. de glor. confess. *Cumque sancta corpora palliis ac naufis exornata.* Sic veteres. Nec tamen male vulgat. edit. *mappis.*

*Aristatonem.*) Gloss. *Staplum super tumulum missum*; ut tit. 57. inf. *Palla tegebant tumulum.* Einardus de sanctis martyribus Marcellino & Petro fol. 528. in editione recentiori: *Lapidem quo summitas sepulchri tegebatur, de loco suo levare moliantur.* Gregor. Turon. cap. 54. de miraculis Sancti Martini: *De palla quæ sanctum tegit tumulum.* Et lib. 1 mirac. *Pallam holosericam auroque exornatam ex gemmis, quæ sanctum tegebat sepulchrum, temerario ausu deripuit secumque sustulit.* Et de glor. confess. *Palla erat lignea quæ sanctum confessoris tegebat sepulchrum.* Nobilibus superponebant tapetem. In veteri chartulario: *In redemptionem unius tapetis, quod patri mortuo superpositum est, ut est consuetudo nobilium.*

TITULUS XVIII.

*Spicarium.*) Gloss. *Horreum cum tecto.* Germ. *Spicker.*

*Mabolum.*) Sic veteres quatuor. Gloss. *Horreum sine tecto.* Nostris, *Machau.*

*Scuriam.*) Alaman. *Schure* sive *scheure*. Hincmar. Rhem. advers. Hincmarum Laudun. *Insuper & scuriam ipsius interclusit, & annonam de terris dominicatis collectam sine licentia ipsius Presbyteri in eam misit.* Et tit. 4. leg. Bajuvar. *Qui defendere volunt casas vel scurias ubi fœnum vel granum inveniunt.* Inde nostris *Escurie*, & fortasse Glossar. B. German. *Curia*, ἵππων βολή.

*Fenile.*) *Fenil.* Gloss. *Fenile locus ubi fœnum ponunt*; χορτολόγιον, *fenile, fenisecium.*

*Mallare eum debent.*) Inde *hamallus* tit. 49.

*Concisam.*) Sic veteres quatuor. Vetus Chronicon: *Et nimia festinatione Saxonum casas seu firmitates subito introiit.* Item: *Multos Britones conquisierunt una cum castellis, & firmitates eorum locis palustribus & incesis.* Quod alius auctor sic: *Et ibi multa castella acquisierunt, & loca firma & munita palustria & incesa.* Nec tamen omnino male vetus unum exemplar *concidem* habet. Gregor. Turon. lib. 2. *Franci simulato metu se in remotiores saltus receperant, concidibus per extrema silvarum procuratis.* Et, *Qui conjunctis arborum truncis vel conci-*

*cidibus superstantes*. Concedes appellat Cæsar, & Marcellinus, *Concædе*, inquit, *arborum densa undique semitis clausis*. Et alibi: *Difficiles vias & suapte natura clivosas concædibus clausere solerter, arboribus immensi roboris cæsis*.

TITULUS XIX.

*Colpus*.) Gloss. *ictus*. *Coup*.

*Sagitta toxicata*.) Gregor. Turon. 2. hist. *Sagittas tormentorum ritu effudere inlitas berbarum venenis*.

*Plagaverit*.) Vetus interpres Juvenal. *Mars tum plagatus est a Diomede*.

*Ut sanguis ad terram cadat*.) Ribuar. 2. *ut sanguis exeat terramque tangat*.

*Intrania*.) Sic veteres quinque. Gregor. Turon. 4. miracul. Sancti Martini: *Doloris malum in illis intraniorum flexuosis recessibus bacchabatur*. In edicto Turci Aproniani Præf. Urb. *Reliqua caro cum pelle & interaneis proficiat venditori*.

*Plaga semper currit*.) *La playe court*.

TITULUS XXI.

*VIII. denarios*.) Apud Nitardum in fluvium merguntur. *Gerbergam*, inquit, *more maleficorum in Ararim mergi præcepit*.

*Herbas dederit*.) *Herbarum venena*. Gregor. Turon. lib. 2. cap. 9. & cap. 36. lib. 4. de miraculis Sancti Martini: *Ligamina herbarum atque incantationum verba proferebant*. Unde *enherber*. Vetus Poeta:

> *Souz gist le frais serpent en l'herbe.*
> *Fuyez enfans, car il enherbe.*

*Superjactatus fuerit*.) Sic veteres sex.

*Cum ligaturis*.) Turon. mirac. 2. cap. 45. *Incantationes immurmurat, sortes jactat, ligaturas collo suspendit*. Et de mirac. S. Mart. c. 26. Hincmarus in gestis habitis super divortio Thietbergæ ad 15. interrogationem: *Ad hæc non pertinent ligaturæ execrabilium remediorum quæ ars medicorum commendat, sive in præcantationibus, sive in characteribus, vel in quibusdam rebus suspendendis atque ligandis*. Quæ verba exstant apud Rabanum epistola ad Bonosum. Burchardus lib. 19. collect. canon. *Fecisti ligaturas & incantationes*.

TITULUS XXII.

*Mamillam strinxerit*.) Editio Alamannica, *capulaverit*. Vid. tit. Leg. Lang. *De paupere*, Burchard. decret. lib. 19.

TITULUS XXIV.

*In molino annonam*.) Greg. Turon. de virtutib. S. Mart. *Quidam non metuens neque honorans diem sanctum dominicæ resurrectionis, accepta annona ad molam vadit; impositoque tritico, molam manu vertere cœpit*. Et de glor. confess. cap. 107.

*Si quis sclusam*.) *Escluze*. Inde ἐχυρώματα, *Clusuræ* sive *sclusæ*. Anonymus in Pipino: *Aistulphus Rex Langobardorum supradictam justitiam vetando sclusas Langobardorum petiit*. Quas Aimoinus vocat *clausuras*.

*De farinario*.) Marculf. *pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, adjacentiis, appenditiis*. Odo Fossatensis monachus in vita Burchardi Comitis: *Item prope castrum farinarium quod vocatur Toluia*.

TITULUS XXV.

*Pro eo quia descenderit*.) Sic veteres omnes. Tilius, *pro equa quam ascenderit*.

TITULUS XXVI.

*Sive crinitum*.) Lucanus: *Crinibus in nodum tortis venere Sicambri*. Apud Romanos usque ad pubertatem comæ nutriri consueverant. *Unum e crinitis*. Agathias 8. 9.

*Totonderit*.) An respicit ad illum morem, de quo Otto Frising. lib. 1. cap. 16. & veteres annales? *Karolus*, inquiunt, *Francorum Princeps filium suum ad Liutprandum misit, ut more fidelium Christianorum ejus capillum primus attonderet & pater illi spiritualis existeret*. An ad clericatum? Greg. Turon. 3. hist. 19. *Et sibi propria manu capillos incidens Clericus factus est*. Et lib. 4. cap. 4. Vid. tit. 6. leg. Burgundionum. Marculfus in præcepto de clericatu: *Veniens ille ad nostram præsentiam petiit serenitati nostræ ut licentiam tribuere deberemus qualiter comam capitis sui ad onus clericatus deponere deberet*. Sequitur paulo post: *Præcipientes ergo jubemus ut si memoratus ille de capite suo bene ingenuus esse videtur, & in polyptycho censitus non est, licentiam habeat comam capitis sui tonsurare*. Greg. Turon. lib. 9. cap. 38. *Drocheltum incisis capillis & auribus ad vineam exercendam delegavit*.

*Infra IX. noctes*.) Sic veteres omnes. Pueris ergo nono die nomina imposuerunt, sicut & Romani. Festus, *Lustrici*. Inde vir & uxor inter se solidum capere poterant, si duos trimos vel si tres post nonum diem amisissent. Lib. 2. leg. Wisig. tit. 4. §. 17. 18. Ulpian. lib. Regul. Alii septimo; quidam decimo. Aristot. Harpocrat. Schol. Aristoph. Suidas. Galli vero omnes spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiebant, ut noctem dies sequeretur; ut docui Glossario ad Capitula Caroli Magni.

*IIII. Den*.) Non igitur multa plectitur qua qui virum occiderit; quod est contra jus Romanum. *Leg. pen. C. ad l. Cornel.*

*Fredus ei non requiratur*.) XII. Tab. Impuberes si furtum fecerint, Prætoris arbitratu verberantur.

TITULUS XXVII.

*Aliena ancilla*.) Jure Romano tenetur injuriarum actione. *l. inter liberas. D. ad leg. Jul. de adult*. & aliam reformare cogendus est, *Paul. 1. sentent. tit. 12.*

*Ipse cum ea in servitio*.) SC. Claudiano mulier, quæ se alieno servo jungit, ancilla fit, *Ulp. tit. XI. lib. sing. regular.*

*Castretur*.) Ut qua parte peccavit, eadem multetur. Niceph. hist. 11. δι' ὧν γάρ τις ἁμαρτάνει, δι' αὐτῶν καὶ τιμωρεῖται.

*Postquam infantes habere cœpit*.) Rib. 12. *Postquam parturire cœperit, usque ad quadragesimum annum*.

TITULUS XXVIII.

*In hoste*.) *En l'host*. Inde *hostage*.

*Per denarium*.) Præcepti denarialis formula exstat in explicatione obscuriorum vocabulorum Capitularium. In veteri chartula Ecclesiæ Lugdunensis: *Servum juris vestri manu propria & manu illius excutientes denarium, secundum legem Salicam liberum, cum omnibus quæ habet vel adquisierit, fecimus*. In veteri formula: *Inde quemdam servum N. ut eum ob mercedis augmentum liberum dimitteremus rogarunt. Nos vero manu propria nostra excutientes de manu supradicti N. denarium vel nummum vel argenteum vel aureum vel dragmam vel sestertium vel minam, secundum legem Salicam, eum liberum dimisimus, & ab omni jugo servitutis absolvimus*.

TITULUS XXIX.

*De pecoribus tintinnum*.) Clementianus Fortunatus:

> *Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille*
> *Qui jumentorum colla tenere solet.*

*Skellam*.) Sic quinque exemplaria, non *scellam*, ut editum erat antea. *Tintinnabulum*, Ala-

Alamannis *Skel*, Tolosanis *Esquila*. In vita B. Anselmi: *Unum eorum sumpta in manibus corda pro excitandis fratribus, scillam pulsantem ad ejus sonitum*. Durandus 1. de divin. offic. cap. 4. *Nota sex esse genera tintinnabulorum quibus in Ecclesia pulsatur, squilla, cymbalum &c. Squilla pulsatur in triclinio, id est, refectorio*. Aimoinus lib. 3. cap. 82.

*Reffare.*) Editio Basileensis: *Repascere*. Alias *tripaverit aut meterit*. Gloss. *Raptor. reofere. Messor. Rifiere*. Et hodie Germanis *Reupfen*. Gallice *Raffler*, vellere est.

*Inpotos.*) Sic veteres quinque. An inde *impffen* Alamannis, *Enter* nostris. Gloss. *fructus pœstin*.

*Milario.*) Sic veteres quinque. Gloss. Malarium pomum. Vet. donat. instrum. & 2. *melarios in ipso loco*.

*Decorticaverit.*) Exemplar primum, *excervicaverit*.

*Cultellum.*) Nostris *Coultre*.

*Si quis aratrum.*) Gallos adinvenisse formam aratri cum rotis testatur Plin. lib. 18. cap. 18.

*Testaverit.*) Sic veteres omnes libri præter unum, qui habet: *Si quis aratrum de campo alieno anteostaverit aut jactaverit aut testaverit*. Basiliensis: *aratrum anteortaverit aut jactaverit*.

*Descargaverit.*) *Descharge*.

*Si vero tantum tulerit.*) Licet tamen viam transeunti pabuli nonnihil equo carpere. Leg. 1. Long. De transeunt. Leg. Neapol. lib. 3. tit. 58. Jure Saxonico lib. 2. Specul.

*Post annum quam fuerit signata.*) In diplom. Ludovici II. apud Lazium: *Ex parte Austri usque ad medium montis Slavonum Colmiza dicta, ubi duabus arboribus signa certa posita sunt*. Et in Chronico Laureshamensi, ex donatione Cancronis: *De illo rubero ut per Agilosum & suos consortes pro signa incisa*. Et paullo post: *Sicut ipsa incisio arborum in ipsa die facta est, quæ vulgo lachus appellatur sive divisio*. Inde *Laye*. *S. Germain en Laye*.

*Statuam.*) Sic veteres septem. Alii *flavam*. nostris *Estave*. Genus majoris retis. Palum, Germ. *Staf*.

*Tremaculum.*) Sic veteres quinque. Alii *Tramaculam*, *Tramacalum*, *Trimaclum*, *Vrematium*. *Tremail* nostris.

*Vertivolum.*) Sic veteres quinque; duo *Vertuolum*. Al. *Verticulum*. Nostris *Verveil*. Genus piscatorii retis; quo cum intravit piscis, exire non potest.

*Brachile.*) *Bracelet*. Tacitus de moribus Germanorum: *Nec alius feminis quam viris habitus; partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos*.

*Si quis casam.*) Sic veteres septem. Tacitus de moribus Germanorum: *Ne cœmentorum quidem apud illos aut tegularum usus. Materia ad omnia utuntur informi*.

TITULUS XXXI.

*Truncaverit.*) Basil. edit. *capolaverit*.

*Digitum quo sagittatur.*) Ribuar. tit. 5. *digitus unde sagittatur*.

*Si vero pollex mancatus pependerit.*) Rib. 5. *Quod si pollix ibidem mancus pendiderit*.

TITULUS XXXII.

*Cenitum.*) Gloss. *oculum erutum habentem*. *Borgne*.

*Conchagatum.*) Gloss. *sordidatum*. Honos auribus, *foireux*, *breneux*.

*Vulpiculam.*) *Renard*. Greg. Tur. 8. hist. cap. 6. *Multas eis perfidias & perjuria exprobravit, vocans eos sæpius vulpes ingeniosas*. In vita S. Remigii: *Jussit nominari vulpeculam; quod cur ita eum nominari voluerit, qui fraudes & significationes ipsius animalis cognoscit, satis advertit*.

*Leporem.*) Sidonius: *Cum sint in prætoriis leones, in castris lepores*. Eusebius in Chronico: *Cornificius poeta a militibus destitutus interiit, quos sæpe fugientes galeatos lepores appellarat*.

*Si quæ mulier.*) Abest hic paragraphus in omnibus exemplaribus, præterquam in vetustiori.

*Quod scutum suum projecisset.*) Videndus Agathias libro secundo. Gallos scuta patria thireos vocasse scribit Pausanias. Hodie *Targes*. Tacitus de moribus Germanorum: *Scutum reliquisse præcipuum flagitium; nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas; multique superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt*.

*Delatorem.*) Gloss. *mendacem vel latratorem*.

TITULUS XXXIII.

*Via lacina.*) Sic veteres quatuor. *Alicui viam suam obstare*. Lib. 1. hic & tit. 82. leg. Ripuar. *Viam contradicere*. Tit. 66. leg. Alam. Langobard. *Vecorint*.

*Baroni.*) Gloss. *Baro*, ἀνήρ. Tit. 76. leg. Alaman. *Si quis mortaudit baronem*. Cæsarius in vita Engelberti Archiepiscopi Coloniensis: *Ex Teutonico enim Latinoque compositus, Engelberto vocabatur, angelicam sonat libertatem*. Kero, *liberorum barono*. Inde Barones homines Regis, sive qui hominium Regi debent.

TITULUS XXXIV.

*Hominem ingenuum sine causa ligaverit.*) Tacitus de moribus Germanorum: *Aleam sobrii inter seria exercent, & novissimo jactu de libertate & de corpore contendunt. Victus voluntariam servitutem adit. Quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac vinciri patitur*.

*Hominem noxium ligatum.*) Gregorius Turon de miraculis S. Martini lib. 1. cap. 17. & lib. 4. cap. 16. & 35.

TITULUS XXXVI.

*Retortas.*) *Unde sepes continetur*. Ribuar. tit. 45. *Superiores virgæ, quæ sepis continent firmitatem*. Et tit. 74. *Si quis hominem intertiaverit, & infra placitum mortuus fuerit in quadrivio cum retorta in pede*. Sic quinque. Vid. tit. 17. leg. Bajuvar. Chron. Casin. lib. 2. cap. 62. *Duo nigerrimi spiritus retortas ex agrestibus vitibus facientes, eumque per guttur ligantes in ipsa lacus profunda miserunt*. In Chartlario Majoris-Monasterii: *Et de silvæ bosco dedit monachis quantum eis in omnibus sufficiat, similiter quoque retortas, & rollones, stimulos quoque & cavillas & buctas, & si quid aliud in rurali opere eis necesse fuerit*.

*Cambortas.*) Gloss. *quæ sepem desuper firmant*. Eadem origine forsitan qua *Camboritum* Britannis. *Baculus incurvatus* in vita B. Notkeri. Walafrid. Strabus in vita B. Galli cap. 23. *Accepit a fratribus epistolam ad B. Gallum continentem venerandi transitum Columbani. Qui & baculum ipsius, quem vulgo Cambotam vocant, per manum Diaconi transmiserit*. Eckerhardus in vita B. Notkeri: *Festinato autem aram sancti Galli adientes, Cambotam quam sanctus magister Columbanus per Mancaldum Diaconum miserat &c. Cum autem illum baculo sancto*.

*Herpicem.*) Servius in Virgil. 1. Georg. *Vimineasque trahit crates. Ad agrorum sc. exæquationem, quam rustici hyrpicem vocant. Herce*.

*Per malum ingenium.*) *Par malengin*.

TITULUS XXXVII.

*Trienti uno, quod est tertia pars solidi.*) Sic veteres omnes. Gregor. Turon. de vita S. Mart.

Mart. *Unum trientem mercedis intuitu detulit*. Et cap. 19. lib. 1. de gloria martyrum : *Quidam alteri trientem præſtiterat*, Et de gloria confeſſ. *Invenies unum trientem, ipſum donans vinum dignum epulis pauperum comparabis*. Et cap. 109. *Igitur de hoc triente vinum comparat*. Idem hiſt. lib. 3. cap. 13.

*Legem intellexerit*. ) Intellexerit ſecundum legem ſe defendere. Tit. 38. *S'il ſe trait & recourt a loy*, ſicut moribus Leodienſibus habetur.

*Obmallare*. ) Marculfi formula, ut cauſas auctorum adſumendas ſuorum aliquis licentiam habeat. *Ne aliquis per quodlibet ingenium de ipſis rebus eum inquietare voluerit licentiam habeat in vice auctorum ſuorum ipſe vel advocatus ſuus ejus cauſas adſumere &c. Præcipientes ergo jubemus ut memoratus Pontifex, aut Abbas, vel Abbatiſſa, ſeu advocatus ejus, in vicem auctorum cauſas ipſius licentiam habeat adſumendi vel obmallandi*; quod alibi *reſpondendi vel obmallandi*. Et alibi : *Fidelis Deo propitio noſter ille ad noſtram veniens præſentiam ſuggeſſit nobis eo quod propter ſimplicitatem ſuam cauſas ſuas minime perſequi vel homallare poſſit. Ideo clementiam noſtram petiit ut illuſter vir ille omnes cauſas ſuas in vice ipſius tam in pago quam in palatio noſtro admallandum vel proſequendum recipere deberet. quod in preſens per fiſtucam eas eidem viſus eſt commendaſſe*.

## TITULUS XXXVIII.

*Medietatem compoſitionis*. ) Baſileenſis editio : *Medietatem de ipſa leudi componat, & pro alia medietate ipſum quadrupedem homini donet*. Tit. 48. Ribuar. *in medietatem vueregeldi ſuſcipiatur*.

## TITULUS XXXIX.

*De veſtigio minando*. ) Greg. Tur. c. 81. de glor. confeſſ. *Alterius hominis, malitia furis boves abſtulerat, qui adprehenſo veſtigio, & inter infuſos aqua viarum tramites ad profundas luti voragines perdito*.

*Infra tres noctes*. ) Ribuar. 49. *Et tertio die in domo cujuslibet vel in quolibet loco eum invenerit*.

*Concambiaſſe*. ) Priſcianus, Al. *Camiaſſe*. Marculf. *Concamio de villa : Aliqua loca inter ſe concamiare deberent*. Et : *Concamio de terra aut vinea*.

*Sequitur*. ) *Suit ſes beſtes*, Moribus Bituricenſ.

*Proclamaverit*. ) In lege familiæ datæ a Burchardo Epiſcopo Wormatienſi : *Si quis ex familia S. Petri ad ſociam ſuam legitime venerit, quicquid in dotem dederit, & hoc ipſa annum & diem non proclamatum poſſidet, ſi vir prior moritur, uxor ejus totam habeat dotem uſque ad finem vitæ ſuæ*. Libro 2. de feud. tit. 27. §. 4.

*Adrhamire*. ) *Jurare*. Noſtris *Arramir*. In inſtrumento de concordia cum Tetbaldo filio Leterii Vindoc. *Pro his rebus acquirendis arramivimus bellum in curia Vindocinenſi*. Al. *arravimus*. Vide Gloſſarium ad Capitularia.

*Secundum legem culcaverit*. ) Sic ſeptem exemplaria. Al. *collocaverit*; ut tit. 42. inf. & alibi ſæpe. Noſtris, *Adjourner, ou donner jour*. Nam ſol occaſus ſuprema tempeſtas erat. Greg. Turon. 7. hiſt. cap. 23. *Injurioſus tamen ad placitum in conſpectu Regis Childeberti advenit, & per triduum uſque ad occaſum ſolis obſervavit. Sed cum hic veniſſet, neque de cauſa hac ab ullo interpellatus fuiſſet, ad propria rediit*.

*Res ſuas quæſierit & invenerit*. ) Rib. titul. 49. *Quod ſi in domo fuerit, & ei ſcrutinium cujus eſt domus contradixerit, fur habeatur*.

*Illo alio reclamante*. ) Inde *Reclain*.

## TITULUS XL.

*Carrugam*, ) Sic quatuor. Al. *carruam, charrue*. Greg. Turon. 2. miracul. cap. 14. *præparatis carrucis compoſitoque plauſtro*.

*Vvaranionem*. ) Sic veteres quatuor. An inde *haras*? Tit. 12. Leg. Baiuvariorum angargnaco dicitur equus, qui in hoſte utilis non eſt.

*Spadatum*, ) Caſtratum. Equorum plurimi ex uſu caſtrantur, ne aut feminarum uſu exagitati cunctentur, aut in ſubſidiis ferocientes prodant hinnitu denſiore vectores. Ammianus Marcellinus.

*Amiſſarium*, ) Sic veteres octo. Gloſſar. *qui omni tempore cum equabus eſt*. Ivo Carnotenſ. epiſt. 8. In conventione pacis inter Elſatiæ proceres & civitates. *Equi autem admiſſarii, quod vulgariter Stuot vocatur, & vineæ & ſegetes ſub hac pacis conditione perpetuo permaneant*, Ribuar. tit. 5. *Si ingenuus ſoneſti, id eſt, duodecim equas cum amiſſario, ſex ſcruvas cum verre, vel duodecim vaccas cum tauro furatus fuerit*. Marculfus : *Armentorum cum ipſo amiſſario caballos tantos*. Equus ad ſtallum dicitur lib. 8. Wiſig. tit. 4. §. 4. Sic enim veteres libri. *Eſtalon*.

*Si quis puledrum*. ) Sic quatuor. Al. *poletrum*, ut in legib. Wiſigot. lib. 8. *poudre ou poutre*. Gloſſ. *Pullus*, πῶλος.

*Tribatterit*. ) Sic quatuor veteres. Al. *trebatterit, debilitaverit, aut percuſſerit*. In editione Germanica tit. 28. *Si quis feminam ingenuam gravidam trabatit, & ipſa femina fuerit mortua*.

*Triaen componat*. ) Sic exemplaria quatuor, Alia duo : *Triante uno*.

*Excurtaverit*. ) Sic quinque. Alia, *ſcurtaverit*. Tit. 4. lib. 8. leg. Wiſigot. §. 3. *Si quis alieni caballi comam turpaverit, aut caudam curtaverit*.

*Excorticaverit* ) Sic quinque. Alia duo; *excoriaverit*. Plenius unum exemplar : *Si quis caballum mortuum ſine permiſſu domini ſui excorticaverit*.

## TITULUS XLII.

*Super ſcamnum tenſus*. ) Ad malam manſionem extenſus. L. 7. D. depoſit. Euſeb. τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν. Gregor Turon. hiſtor. 5. cap. 49. Geſta Francorum : *Chramnus ſuper ſcamnum tenſus orario ſuggillatus eſt*. Aimoin. lib. 2. cap. 30.

## TITULUS XLIII.

*De hallis*. ) Tit. 69. Ripuar. Gloſſ. *Siccis ramis*. Inde, *Halle de Mars*. Et quæ a Philippo Auguſto Lutetiæ ædificatæ ſunt, *Les Halles*. Rigord.

*In truſte*. ) Antruſtionem Regis, cui dabatur duploma, cujus formula hæc eſt. *Rectum eſt ut qui nobis fidem pollicentur inlæſam, noſtro tueamur auxilio. Et quia ille noſter fidelis Domino propitio veniens in palatio noſtro una cum arimannia ſua, in manu noſtra truſtem & fidelitatem nobis viſus eſt conjuraſſe, propterea per præſens præceptum decernimus ac jubemus ut deinceps memoratus ille in numero antruſtionum computetur, & ſi quis fortaſſe eum interficere præſumpſerit, noverit ſe virgeldo ſuo ſolidos ſexcentos eſſe culpabilem*. Germanis *trevv*.

*Convivam Regis*. ) Venantius Honorius Clementianus Fortunatus Presbyter Italicus de Conda Domeſtico :

*Nunc etiam placidi Sigeberti Regis amore*
*Sunt data ſervitiis libera dona tuis.*
*Juſſit & egregios inter reſidere potentes,*
*Convivam reddens proficiente gradu.*
*Rex potior reliquis merito meliora paravit;*
*Et quod majus habet, hoc tua cauſa docet.*

Gregor. Turon. lib. 7. cap. 16. de Prætextato : *Poſt reditum vero ſuum ad urbem Pariſiacam advenit*,

*venit, ac se Guntheramo Regi repræsentavit, exorans ut causam suam diligenter exquireret. Asserebat enim Regina eum non debere recipi qui fuisset per judicium quadraginta quinque Episcoporum a sacerdotali officio segregatus.* Sequitur deinde: *Et sic a Rege susceptus, atque convivio ejus adscitus, ad urbem suam regressus est.* Ut jure se tueatur Ivo epist. 123. Capitularibus regalibus, quod Gervasium ad communionem in Paschali Curia suscepisset.

*Possessor.*) *Ingenuus*. Greg. Turon. de mirac. S. Martini cap. 23. *Erant enim ingenui & possessionem propriam possidentes.*

*Romanum tributarium.*) Gloss. *Et Stopharius nominatur qui censum Regi solvit.* Nec enim Franci ingenui pendebant tributum. Turon. lib. 7. cap. 16. In exemplari de donationibus factis Ecclesiæ Salisburgensi: *Traditique tributales Romanos ad eundem locum in diversis locis colonos centumsedecim.* Tom. 6. Canisii pag. 1151. Ibidem: *Dedit qui dicuntur Romanos tributales LXXX.* pag. 1152. *Alii erant exercitales*, Ibid.

*In quadrivio.*) Ausonius:

*Abjecta in triviis inhumati glabra jacebat*
*Testa hominis.*

*Sine manibus & pedibus*, ) Gregor. Turon. hist. lib. 8. cap. 29. *Truncatis manibus auribusque & naribus, variis sunt mortibus interempti.* Lib. 10. cap. 15. *Aliis manibus, nonnullis auribus naribusque decisis, seditio depressa quievit.* Et lib. 10. cap. 17. *Alios manibus incisis relinquunt, nonnullos auribus naribusque amputatis ad ridiculum laxaverunt.* Et cap. 11. 18.

*In puteum.*) Tur. 7. 23. 373. *Judæi cum duobus Christianis ab Injuriosi hominibus interfecti, in puteum qui propinquus erat domui ejus projecti sunt.* Ado: *Comprehensus a Chlodomero cum uxore & filiis suis necatur, & in puteum projectus occultatur.*

*Tota leude sua componatur.*) Tit. 55. & tit. 7. leg. Angl. & tit. 2. leg. Frision. In Capitulis Caroli Magni in Sylvaco editis: *Si latro ibi occisus fuerit, qui eum occiderit leudem inde non solvit, & nullus illi inde faidam portare præsumat.* Vetus formula: *Sic ab ipsis fuit judicatum, ut illam leudem, ut lex erat, solvere deberet.*

TITULUS XLIV.

*In domo sua adsallierit.*) Marculfus: *Qualiter vos nulla movente causa in via adsalissetis & graviter livorassetis.*

TITULUS XLV.

*Si in convivio*, ) Pœnitentiale Romanum cap. 15. ex Concilio apud Wermerias.

TITULUS XLVI.

*De reippus.*) Gloss. *de sponsalitiis viduarum.* Pretium emptionis viduæ matrimonii causa, Tit. 41. leg. Saxon.

*Tunginus*, ) Gloss. *Judex qui post Comitem est. Degan* Sollensib. & in priscis Anglorum legibus, *Theg.*

*Scutum habere debet*, ) Tit. 48. *Scutum in ipso mallo habeat.* Inde apud Ottonem de gestis Friderici lib. 1. cap. 12. *Est autem consuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonum, ut quotiescumque adsumendam imperii coronam militem ad transalpizandum coegerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur.* Guntherus:

*Ligno suspenditur alte*
*Erecto clypeus. Tum præco regius omnes*
*Convocat a dominis feudalia jura tenentes*,

An quod armati in Concilium venirent? Liv. lib. XXI. de Gallis. Tacitus de moribus Germanorum.

*Tres homines.*) Tit. 48. & tit. 56. *Sagibarones plus quam tres esse non debent.*

*Tres solidos æque pensantes.*) Majores nostri, sicut & nos hodie, uxores sibi emebant solido denario. Fredegarius Scholasticus: *Legatos ad Gundebaldum dirigit petens ut Chrotildem neptem suam ei in conjugium sociandam traderet. Quod ille denegare metuens, & sperans amicitiam cum Chlodoveo inire, eam daturum spopondit. Legati offerentes, solido & denario, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovei sponsant, placitum ad præsens petentes ut ipsam ad conjugium traderet Chlodoveo.* Marculfus in formulis: *N. filius N. puellam ingenuam nomine N. illius filiam per solidum & denarium secundum legem Salicam & antiquam consuetudinem desponsavit.* Propterea uxor in potestatem viri cedit, nec liberam habet rerum administrationem. Quod & Gallis in usu fuisse testatur Cæsar.

*Habere debet.*) Additur in duobus: *Et tres erunt qui solidos pensare vel probare debent.* Quasi libripendes intervenerint.

*Cui reippus debeatur.*) Nec enim debetur ei qui in hereditatem defuncti mariti succedit.

*Post sextum genuculum.*) Synod. Agripp. can. 6. Meldens. can. 7. *usque ad septimum gradum.*

*Causa.*) Gloss. *Pœna propter solemnia non servata.*

TITULUS XLVII.

*De eo qui villam.*) *De complainte en cas de saisine & nouvelletè dedans l'an.* Ut fallantur qui D. Ludovicum Regem aut Simonem de Bucy jus istud ante nescitum intra Franciam proquiritasse tradunt.

*Si vero XXX. noctes impletæ fuerint.*) Jure Romano cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, poscebant judicem, qui dabatur post tricesimum diem. Ascon. 3. in Verrem.

*Præstos habeat.*) Sic veteres tres. Gloss. *præsentes.* Alii duo: *præstus.* Jure Romano superstitibus, id est, testibus præsentibus, ii inter quos controversia erat, vindicias sumere jubebantur.

*Supra fortuna sua*, ) *A ses perils & fortunes.*

*Ut accedat ad locum.*) *Execution & fournissement de complainte sur le lieu.* Cap. 12. Consuetud. Insulan. Gellius lib. 20. cap. 9.

*Elaboravit.*) Turon. cap. 82. de gloria confess. *Cumque alterum vas apium vellet auferre, ait sacerdos: Sufficiat nunc fili istud, alterum vero ei qui ipsum laboravit reserva.* Marculfus in formulis: *Tam de alode aut de comparato vel de qualibet adtractu, ubicumque habere videor, & quod pariter in conjugium positi laboravimus.* Et canone 14. synodi Triburiensis: *Si vero in qualibet silva vel deserto loco aliquod desertum collaboraverit*,

TITULUS XLVIII.

*De affatomie.*) Sic veteres quinque. Gloss. *De donationibus quæ fiunt festuca in sinum ei cui donabatur projecta.* Marculfus in formula affatimiæ. *Dulcissimis nepotibus meis illis, ego avus. Dum cognitum est qualiter genitor vester filius meus compellente fine naturæ de hac luce decessit, & vos in alode minime accedere poteratis, ideo pensantes causam consanguinitatis dono vobis per hanc affatimiam pro omni portione in pago illo, centena illa, quidquid in jam dicto loco &c.* Idem: *Quicquid jam dicto loco genitor vester filius meus dividere & exæquare deberet, vos quoque nepotes mei per hanc affatimiam post obitum meum dividere & exæquare faciatis.*

*Festucam*, ) Aliquot codices, *fistucam*. Symbolum traditionis. Marculfus: *Consignavit & tradidit & vestivit, & per durpilum & festucam sibi foras exitum alienum vel spoliatum in omnibus esse dixit.* Et alibi: *Quod in præsente & per fistucam eas eidem visus est commendasse.* Idem: *Inter se visi sunt divisisse vel exæquasse & invicem pars partem tradidisse & per fistucam omnia partitum partisse.* Inde *exfestucare* Henrico IV. Imperatori, Sigeberto, & Ottoni Frisingensi. Et formulariis nostris, *bailler un festu en signe de deguerpissement.*

In

*In laiſum.*) Gloſſ. *in ſinum*. Marculfus de læſoverpo per manum Regis: *Villas nuncupatas N. ſitas in pago illo ſua ſpontanea voluntate nobis per fiſtucam viſus eſt laiſoverpiſſe vel condonaſſe*. Inde *tendre le giron*.

*In caſa ipſius manere.*) Greg. Turon. 4. de mirac. S. Martini c. 12.

*In poteſtate ſua.*) *Car donner & retenir ne vaut.*

*Ante* XII. *menſes.*) *Temps d'inſinuation.*

*Beudo,*) Al. *Beodo*; *à ſa table*. Vet. Gloſſar. *Menſa, beod*; *Refectorium, Beodden*. Inde opinor, *Unir & mettre à ſa table*.

*Theada.*) Veteres, *Theoda*. Al. *Theuda*. Gloſſ. Lipſii: *Theado, gentes, nationes, Thiadon.*

*Ante Regem aut in mallo publico.*) Donationis per manum Regis formula exſtat apud Marculfum. Moribus Bolonienſ. & Pontivenſ. *Avant que le donataire puiſſe jouir du don à luy fait, & en faire ſon acqueſt, faut qu'il l'apprehende par miſe de fait & juſtice competente.*

TITULUS XLIX.

*De filtortis.*) Gloſſ. *de intertiatis rebus*.

*In tertiam manum.*) *En main tierce.*

*Carbonariam.*) Quæ eſt inter Cameracum & Tornacum. Tritenheim, ex Hunnibaldo. Sulpit. Alexand. apud Gregor. Turonenſ. lib. 2. c. 8. 9. Sigebert. ann. 880. *Camaracum obſedit & cepit. Inde movens per Carbonariam ſilvam, ad Tornacum feſtinans, iter direxit in Thoringiam.*

*Noctes* XL.) Sic tit. 52. & in Conſtitutionibus Caroli Magni: *Poſtquam Comes & pagenſes de qualibet expeditione hoſtili reverſi fuerint, ex eo die ſupra quadraginta noctes ſit bannus reſciſſus, quod lingua Theutiſca ſcatlegi, id eſt, armorum depoſitio, vocatur.*

*Rem intertiatam.*) *Choſe entiercée*. Aurelian. In legibus Eduardi Regis Angl. *Si quiſpiam aliquid intertiet ſuper aliquem, & intertiatus non potuerit vuarantum ſuum habere, erit forisfactura ſua.*

*Vendiderit aut cambiaverit.*) Unde & Conſtitutio Caroli Magni: *Nullus comparet caballum niſi illum hominem agnoſcat qui ei vendidit, aut de quo pago eſt, vel ubi manet, aut quis ejus ſenior.*

*Quod ei nunciaſſet.*) Editio Germanica: *quomodo ei mancaverit.*

*Exivit ſe.*) Sic veteres tres. Al. *Exuit ſe.*

*Iſta omnia ubi ſuus hamallus eſt.*) Exemplar unum: *Iſta omnia facere debet in mallo ubi ipſe amallus eſſe dignoſcitur ſuper quem &c.* Aliud: *Iſta omnia in mallo debent fieri ubi ille eſt hamallus*, id eſt, *qui ſuſcipit cauſam ad mallandum in vicem alterius*. Tit. 35. leg. Ripuariorum.

TITULUS L.

*Adfirmare.*) Sic veteres ſex.

*De ipſis conjuratoribus.*) Veteres duo, *de ipſis juratoribus*. Marculfus in formulis: *Sed nuncupatus ille nec ad placitum ſuum venit, nec ipſum ſacramentum juravit, neque juratores ſui, nec ullus fuit teſtatus qui ſunia nunciaſſet*. Plaut. Pœnul. *Vos juratores eſtis, quæſo operam date*. Seneca: *Quis unquam ab hiſtorico juratores exegit*. Nortmannis, *Jureurs*.

*Perjuraſſet.*) Maxime in cauſis quæ ſub jurejurando finiendæ ſunt. Can. 8. ſyn. Aurel.

TITULUS LI.

*Forbanniti.*) Sic veteres tres. Alia quinque exemplaria, *Ferbanniti*. In Conſtitutionibus Caroli Magni: *De theloneis qui jam antea forbanniti fuerant, nemo tollat*. Et alibi: *Quicunque abhinc inante latronem receperit, maxime autem illum qui forbannitus fuerit.*

TITULUS LII.

*De eo qui fidem factam.*) Gloſſar. *Qui vvadium alteri dat, & poſtea perſolvere ſpreverit*. Al. *De fide facta*; ſicut Baſilienſis editio, quam cum hac confer. Tit. 59. *nec de ulla lege fidem facere noluerit.*

*Admallare.*) Editio Germanica, *mannire ad mallum*. Marculfus in formula de cauſis alterius recipiendis: *Eo quod propter ſimplicitatem ſuam cauſas ſuas minime poſſit proſequi vel admallare, clementiæ regni noſtri petiit ut inluſtris vir ille omnes cauſas ſuas in vice ipſius tam in pago quam in palatio noſtro admallandum proſequendumque recipere deberet.*

*Judex.*) *Tunginus*. Editio Germanica.

*Gaſacchionem.*) Al. *Gaſacchium*. Adverſarium cauſ[a]torem. *Gegenſac. Vuithefſack.*

*Inde eum adſtringas.*) In form. Rom. *Inde ego te ex jure manu conſertum voco.*

*Judex.*) Duo exemplaria, *Tunzinus*.

*Debitum aſcendat.*) *La debte monte a neuf ſols.*

*Adiactivum.*) Videnda Notitia de iactivis. Marculfus in formulis: *Dum & illuſtris vir ill. Comes palatii noſtri teſtimoniavit quod antedictus ille placitum ſuum legibus cuſtodivit, & eum adjectivit, vel ſolſativit, & ipſe placitum ſuum cuſtodire neglexit*. *Jectivus ſive negligens*. In formula quam adſcripſi tit. de Racinburg. infra, & alibi apud Marculfum: *Ut dum ipſe tale ſacramentum habuit adfirmatum, & ipſum nullatenus juravit, nec ipſe nec juratores ſui, ſed exinde ſe jectivum dimiſit*. Et in adnunciatione Caroli apud Piſtas: *Et ſi ſacramenta legalia in primo die Lunæ poſt Paſcha juranda devenerint, aut in aliis feriis, quando mallum tenere debuerit, mittet quiſque Comes miſſum ſuum, qui ipſa ſacramenta auſcultet, ne ipſi homines jectivi inveniantur, & ipſe ſic mallum ſuum teneat ut Barrigildi*. Et *jectare* in Conſtitutionibus Caroli Magni: *Ut nullus præſumat hominem ad judicium ſine cauſa jectare, niſi judicatum fuerit.*

*Per tres mannitas.*) Trinundino, Rom.

*Per ſingulas admonitiones.*) *Pour chacun defaut.*

*Racinburgios.*) Sic veteres tres. Gloſſ. *Judices*. Kero, *Cauſa, rahcha*. Tit. 57. leg. Ripuar. & in formulis Salic. *Ideo venientes pariter illo mallo ante illum Comitem vel reliquos racinburgios*. An *Rechtburgen?*

*De fortuna ipſius tollant.*) Alioquin licuit res adverſarii poſſidere, donec ſatisfeciſſet. Greg. Turon. 4. 46.

*Aut de vita componat.*) Vide præfationem Burgund. leg. Marculfus in formula: Qui ſe in ſervitio alterius obnoxiat: *Dum inſtigante adverſario, & fragilitate mea prævalente, in caſus graves cecidi, unde mortis periculum incurrere potueram; ſed dum veſtra pietas me jam morti adjudicatum de pecunia veſtra redemiſtis, vel pro mea culpa res veſtras quamplures dediſtis, & ego de rebus meis, unde veſtra beneficia rependere debuiſſem, non habeo, ideo pro hoc ſtatum meum vobis viſus ſum obnoxiviſſe, ita ut ab hoc de veſtro ſervitio penitus non diſcedam.*

TITULUS LIII.

*De eo qui grafionem.*) Vetus unum, *de andoctemito*. Editio Baſilienſis: *de andocmito*. Sugger. de poſſeſſion. monaſt. B. Dionyſii: *Ab oppreſſione exactorum regiorum, quos dicunt Graſſiones.*

*Admallatum.*) Additur in duobus exemplaribus, *vel adjectivum*. Aliud exemplar habet, *antequam legitime admallatus aut fides ei facta fuerit*. Editio Baſilienſis; *Antequam eum per legem habeat admallatum aut conſecutum quod ei in mallo fidem feciſſet.*

*Aut ſe redimat.*) Editio Baſilienſis: *Aut vueregildum ſuum redimat.*

TITULUS LIV.

*De re præſtata.* Al. *de præſtata. Du præſt.*

*Solem collocet.*) Gregorius Turonenſis lib. 7. cap. 23. *Injurioſus ad placitum in conſpectu Regis Childeberti advenit, & per triduum uſque*

que

*que occasum solis observavit.*

*Super illos* &c. ) Unde & moribus Ambianensium multam fisco inferunt qui ad diem non solverunt.

TITULUS LV.

*De æneo.* ) Gloss. *de caldario*. Gloss. χαλκεῖον, Olla, æneum, milliarium. Gregor. Turon. 8. hist. c. 6. *Conspicio eminus æneum super ignem positum fervere vehementer.* In formula consecrationis ejusmodi aquæ: *Ut si hic homo pro hac reputationis causa, furto videlicet, vel homicidio, aut adulterio, vel luxuria, aut pro qualibet causa culpa modo ad præsens manum suam in hanc aquam igne ferventem miserit.* Unde in consuet. Nort. *se purger par eau & par ignise.* Et leg. Wisigott. *Examen caldariæ.* Et communis apud nos loquutio: *J' en mettrois la main au feu.*

*Ad æneum.* ) Gloss. interlinearis, *id est, ad judicium.* Aimoinus lib. 5. cap. 34. Art. 39. Jur. Sax. *Vel in aquam bullientem brachium usque ad cubitum imponant.*

TITULUS LVI.

*Sagibaronem.* ) Gloss. *dicuntur quasi senatores*, Al. *Sachbarones. Hommes de loy ou de causes.* Artic. 85. Consuet. Hanno. Senatorum urbis Arvernæ meminit Gregor. Turonen. de glor. confess. cap. 5. 42. 65. & 206. Senatorum Bituricensium lib. 1. c. 31. Turonensium lib. 2. c. 26. historiar. In synodo Aquisgranensi: *Senatores universi regni Francorum perficere se acclamaverunt.*

*Id est plebs quæ ad unum mallum convenire solet.* ) Tacitus de moribus Germanorum: *Eliguntur in iisdem conciliis & principes qui jura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe Comites, consilium simul & auctoritas, adsunt.*

TITULUS LVII.

*Tumulum.* ) Gloss. *Tumbam.* Jornandes in histor. Gothor. *Noctuque secreto cadaver est terræ reconditum, cujus coopercula primum auro, secundo argento, tertio ferri rigore communiunt.*

*Aristatonem.* ) Tit. 17. supra. Pallio cadavera tegebantur. Apulejus 1. Floridor.

*Mandualem.* ) Gloss. *Cancellum qui desuper tumulum stat.* Einhardus lib. 1. de translatione Beatorum martyrum Marcellini & Petri: *Sacra beatorum martyrum corpora notto recondita in absida basilicæ locavimus, & sicut in Francia mos est, superposito ligneo culmine linteis ac sericis palliis ornandi gratia conteximus, apponentes altare, ac duo vexilla dominicæ passionis, quæ in via feretrum præcedere solebant, hinc atque hinc erigentes, locum illum divinis officiis celebrandis aptum facere curavimus.*

*Selave.* ) Alemannis columella *seule* dicitur, & tit. 7. leg. Bajoar. *sul.* Inde *Hermsul*, Mercurii columna.

*Ponticulus.* ) In vita Beati Evermari: *Post exequias accuratiori sepultura cohonestantes dimidio clypeo corpori ejus superposito, & altera clypei parte ei supposita.* In epistola Theodulphi Aurelianensis, & can. 9. synodi Meldensis: *Tumuli qui apparent profundius in terram mittantur, & pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente &c.* Einhardus supra tit. 17. In Gloss. Lipsii: *Slapigravi, sepulchro.*

*Corpus jam sepultum.* ) Nam vestitum sepeliebant cum ornamentis. Gregor. Turonens. lib. 6. c. ult. *Ablutumque vestimentis melioribus induit.* Amalarius lib. 4. c. 41. Idem Gregor. lib. 8. c. 21. *Sepulta est cum grandibus ornamentis & multo auro.* Paulo post: *Detexerunt sepulchrum, tollentes, & auferentes omnia ornamenta corporis defuncti quæ reperire potuerunt.* Idem alibi: *Exinde vestitus atque ablutus in Ecclesiam defertur.* Et; *Adfuit quædam matrona, quæ ablutam dignis vestiit vestimentis.*

*Wargus.* ) Hoc est, *dejectus & expulsus.* Sic vet. Gloss. & tit. 87. leg. Ripuar. *Vagus & profugus super terram*, ut habetur cap. 4. Genesis. Inde apud Sidonium lib. 6. ep. 3. *Vargus, Bandouiller.*

*In modum Basilicæ.* ) Gregor. Turonen. de glor. martyr. *Basilicam super tumulum sancti magnam ædificavit.* Et 2. histor. c. 14. Idem de glor. confess. cap. 51. & 105.

*Factum.* ) Sic veteres quinque.

*Quicunque hospitalitatem dederit.* ) παρέχει στέγην apud Plutarch. in Cicerone. Alioquin quemcumque mortalium arcere tecto nefas habebant majores nostri. Cæsar lib. 6. Tacitus de moribus Germanorum.

TITULUS LVIII.

*De incendio vel expoliatione Ecclesiæ.* ) *Hæc capitula Domnus Ludovicus Imp. anno imperii sui quinto cum universo cœtu populi in Aquisgrani palatio promulgavit, atque legi Salicæ addere præcepit. Ipsaque postea cum in Theodonis villa generalem conventum habuisset, ulterius capitula appellanda esse prohibuit, sed ut lex tantum diceretur voluit.*

*Vel ubi reliquiæ.* ) Greg. Turon. de mirac. c. 40.

*De altari.* ) 1. q. 3. c. *Quæsitum* & c. *Gravem.* de excess. Prælat.

*Si quis Diaconem.* ) Ita in omnibus.

TITULUS LIX.

*In* XL. *noctes.* ) In formula relationis cum judicio: *Sed postea taliter in jam dicto loco ipsi illi judicatum fuit ut in noctes quadraginta apud homines* XXXVI. *manu sua trigesima septima in Ecclesia illa, in loco nuncupante illo, conjurare debeat.*

*Rex extra sermonem suum eum esse dijudicet.* ) Extra mundeburdem. Marculfus in formula de mundeburde Regis, *Sub sermone*, inquit, *nostro & mundeburde quietus resideat.* Et alibi: *sub sermone tuitionis nostræ visi fuimus recepisse.*

*Per legem se educere.* ) Veteres quinque, *per legem se edicere noluerit.*

*Et quicunque ei panem dederit.* ) Cæsar 6. de bell. Gall. *Sacrificiis interdicunt. Hæc pœna est apud eos gravissima. Quibus ita interdictum est, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonem defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.*

TITULUS LX.

*De Racinburgiis.* ) Gloss. Keronis: *Causa, Rahcha.* In formula cautionis de infracturis: *Contigit quod cellarium vel spicarium vestrum infregi, & exinde annonam vel aliam raupam in solidos tantum furavi, dum & vos & advocatus vester exinde ante illum Comitem interpellare fecisti, & ego hanc causam nullatenus potui denegare, sic ab ipsis Racinburgiis judicatum, ut per wadium meum eam contra vos, hoc est, componere vel satisfacere debeam &c. Sed dum ipsos solidos minime habui unde transsolvere debeam, sic mihi aptificavit, ut brachium in collum posui, & per comam capitis mei coram præsentibus hominibus tradere feci, in ea ratione ut interim quod ipsos solidos vestros reddere potuero, & servitium vestrum & opera qualecumque vos vel juniores vestri injunxeritis, facere & adimplere debeam; & si exinde negligens vel jactivus apparuero, spondeo me contra vos, ut talem disciplinam supra dorsum meum facere jubeatis quam super reliquos servos vestros.*

*Ego vos tangano.* ) *Adjuro, interpello.* Ribuar. tit. 30. *Et sine tangano loquatur & dicat: Ego ignoro utrum servus meus culp. an innocens de hoc extiterit.* Et tit. 60. *Tabularium interpellatum in judicio non tanganet, & nec alsaccia requirat, & sacramenta absque tangano conjurent.* In fœdere Ludovici, & Caroli apud Nitardum, *plaid. Thing.* Gloss. vetus: *placitum, plait, vel gedinge; placitare, Dengen.* Germ. *dingen*, accusare dicitur.

*Legem judicetis.* ) Inde *Jugement de loy.* Hannoniens. mor. cap. 17. & Mont. cap. 2. & 15.

*Contra unumquemque.* ) *Amende de fol appel.* ut Ribuar. tit. 57.

TITULUS LXI.

*In durpilo.* ) *In liminari sive vestibulo.* Marculfus: *Et per durpilum & festucam sibi foras exitum alienum vel spoliatum in omnibus esse dixit.* In vita S. Eugendi: *Clausuram fortissimam superstitiosissimi templi, quod Gallica lingua Isandor, id est, ferrei hostii.*

*De illa terra.* ) Unde moribus nostris, *Mettre en sa main le gazon de l' heritage.* In notitia traditio-

tionis: *Qualiter veniens il. die illo in villa illa ante bonos homines per hostium & axatoria seu terram vel herbam homini illi nomine ill, & conjugi suæ ill. rem illam visus fuit tradidisse, non in fraude, sed in publico, & per meam fistucam de jam dicta re illa exitum fecisse*. Et alibi: *Per terram & per herbam seu per hostium visus fuit tradidisse*. In formula traditoriæ de terra: *Missus ipsius feminæ ille ipsi misso monasterii nomine illi per ipsum hostium de ipsa casa per terram vel herbam, sicut lex est, ad partem sancti illius visus est tradidisse, & per suam fistucam ipsum missum vel ipsam feminam de ipsis rebus se exutos ex omnibus esse dixisse*.

*Ultra scapulas jactare*.) Inde, *Riche par dessus l'espaule*.

*Çamisa*.) Al. *Çamisia*. Guitbert. de bello sacro lib. 3. *Adoptionis autem talis pro gentis consuetudine dicitur fuisse modus, Intra lineam interulam, quam nos camisiam vocamus, nudum intrare eum faciens, sibi adstrinxit. Ad hæc omnia osculo libato firmavit*.

*Discinctus & discalceatus*.) *Desceint & sans houzeaux*, Artic. 72. Consuet. Borbon. & cap. 20. Alverniæ artic. 4. Marchiæ 64. Inde *tendre & donner la ceinture, Et laisser les houzeaux*. Videatur quæst. 46, Drusii.

TITULUS LXII.

*Alode*.) In epist. Joan. PP. VIII. *Proprietates Bosonis & Engeltrudis, quas vos alodium dicitis, filiabus eorum heredibus restituatis*. Marculfus: *Terra paterna*. *Aviatica*. Tit. 58. leg. Ripuariorum. *Biens papoaux & avitins* Wasconibus. Dicitur tamen & de conquisito, ut notavi in Glossario ad Capitularia.

*Et filios non dimiserit*.) Filiæ enim patri in alode non succedebant, nisi aliter cavisset. Marculfus in formula quæ extat apud Doctorem meum Observat. 8. Innominatus Auctor de formulis Salicis: *Dulcissima filia mea, dum cognitum est qualiter secundum legem Salicam in portione paterna cum fratribus tuis filiis meis minime potes accedere*. Sed nec in lege familiæ quam Burchardus Wormatiensis Episcopus scripsit: *Si ex familia*, inquit, *vir aliquis & uxor ejus obierint, & filium cum filia reliquerint, filius hereditatem servilis terræ recipiat, filia autem vestimenta matris & pecuniam operatam recipiat*.

*Quicunque proximiores*.) Vetus formula, Ut in locum filiorum nepotes instituantur ab avo: *Dulcissimis nepotibus meis S. Dum peccatis meis facientibus genitrix vestra filia mea, quod non optaveram, tempore naturæ suæ completo ab hac luce decessit, ego vero pensans consanguinitatis causam, dum & pro lege cum ceteris filiis meis avunculis vestris in alode mea minime accedere potueratis, ideo per hanc epistulam vos dulcissimi nepotes mei volo ut in alode mea post meum discessum, si mihi superstites fueritis, &c.*

*De terra vero Salica*.) In donatione Caroli Magni Ecclesiæ Tigurinæ: *Atque insuper in Honica duos mansos & dimidium præter Salicam terram de nostra propria manu in suam manum ut justum est percepit*. Id est, terra quæ hostibus devictis Regi militibusve Saliis sorte obtigit. Gregor. Turonens. histor. 2. 27. Aimoin. 1. 12. Thoromach. 678. Hincmarus in vita beati Remigii. Unde & *decima Salica* in descriptione hubarum ad curiam Furde pertinentium, apud Marq. Freherum vir doct. Et Salica domus in Polyptico Sancti Galli: *tam marchis quam ædificiis ( excepta domo Salica ) curtilibus terris &c. anno* XXXV. *Hludouvici piissimi Regis*. Nam agri ex hoste capti partim in publico, vel Principi, partim veteri possessori relinquebantur, partim militibus & veteranis in præmia assignabantur. Procop. 1. de bello Wandalico: *Gizerichus deinde si quid inter Afros boni fuerat, aut agri, aut rerum aliarum, omne inter filios divisit Honorichum & Genzonem. Nam Theodatus omnibus junior jam decesserat sine liberis. Ceteros item agros optimos Africæ a dominis ereptos Wandalis distribuit, qui adhuc hodie* κλῆροι Βανδίλων καλοῦνται. Male interpres Latinus. Unde in edicto Hunnerici apud Victorem Episcopum Uticens. lib. III. *Sortes Vendilorum*. Et lib. 10. leg. Wisigoth. tit. 2. *Sortes Gothicæ & Romanæ*. Sidonius lib. 7. ep. 6. *Limes Gotthicæ sortis*. Videantur leg. Burgund. & Cassiodorus.

*Nulla portio hæreditatis mulieri veniat*.) Carol. IV. de vita sua: *Eodem anno obiit Carolus Francorum Rex, relicta uxore prægnante, quæ filiam peperit, Et cum de consuetudine regni filiæ non succedant, provectus est Philippus filius soceri mei in Regem Franciæ, quia propinquior erat heres in linea masculina*. Albertus Argentin. in Chronico: *Cum Francia a nullo haberi dicatur in feudum, quamvis e contra nullus per femininam lineam successisse dicatur*. Vetus Chronicon: *Obeunte inhumatoque Carolo Pulchro, orta est quæstio non modica quis in regno de ipsius progenie proximior existeret ad succedendum &c. Tandem opinionibus & altercationibus sopitis, per Principes & regni sapientes conclusum fuit & unanimiter determinatum, quod regnum, eo quod de consuetudine & statutis ejusdem in genus femineum descendere non valebat, Comiti de Valesio Philippo pertinere debebat*. Bald. ad l. 1. D. de senator. & ad tit. de feudo Marchiæ. Petr Jacobus tit. de causis ex quibus Vasall. Froissard. volum. 1. c. 4. Garibay lib. 26. hist. Hisp. cap. 16. Et sane jure antiquo feudorum filiæ a successione feudi removentur, quia feminæ neque faidam levare neque pugnam facere possunt. *Lib. 1. de feud. tit. 1.*

TITULUS LXIII.

*De eo qui se de parentila*.) Id est, *de ejuratione cognationis*.

*Fustes alninos super caput suum frangat*.) An inde fustis fractio in funere Regum nostrorum? Et, *Rompre le fust ou festu avec quelq'un*. Sicut contra moribus nostris, *Livrement de fust*. In vet. instrument. *Unde ejusmodi auctoramentum prius ibidem in capitulo quodam fuste, ut moris est, fecit, & postea eundem fustem super altare posuit*. Et alibi: *Ex quo molendino dum super altare donationem quodam fuste, ut moris est, faceret*. Item: *Postea hoc majus monasterium in capitulo nostro, quodam fuste, qui apud nos nomine ejus inscripto in testimonium servatur, præsente Domino Abbate Alberto fecit guerpitionem*.

*De tota eorum se ratione*.) *De toute leur race*.

TITULUS LXV.

*Medietatem parentes*.) Nam universa domus recipiebat satisfactionem. Tacit. de moribus Germanorum: *Suos enim opprimi quisque & circumveniri non patitur*. Cæsar.

TITULUS LXVII.

*Hereburgium*.) Equestribus *Herege*, Helvetiis *Herberger*. An inde *Hurebez*?

*Stria hominem comederit*.) Λαιστρυγών. *Striga*; *malefica*. Plaut. Pseudolo. *Strigibus vivis, convivis intestina quæ exedant*. Vid. tit. de homicidiis servor. lib. 1. Leg. Langobard. *Genichiales* Hincmaro dicuntur, *Genoches* Biturigensibus.

TITULUS LXIX.

*De bargo*.) *Ramo*. Tacit. de morib. Germ. *Proditores & transfugas arboribus suspendunt*. Invenio in Gloss. Saxonic. antiquiss. *Baar, feretrum*. Inde fortassis *Bargina*, [illegible].

*Ubi increcatur*.) Inde *Pendre au croc*.

*Quod inimicus*.) *Duellio*. Mos Francis solitus. Aimon. 5. 13.

*Vivum hominem*.) In quæstionibus adhibendis more Francico, reus revinctis post tergum manibus, suspensus ad arborem dependebat. Greg. Turon. lib. 5. histor. cap. 49.

TITULUS LXXI.

*De terra condemnata*.) Totus hic titulus abest in omnibus exemplaribus. Ædificiorum condemnatorum fit mentio Speculo Saxon. lib. 3. tit. 1.

*FINIS.*

LE-

# LEGES

## POPULORUM REGNI AUSTRASIÆ,

### SEU FRANCIÆ ORIENTALIS,

Quæ in Italia quoque obtinuerunt,

*VIDELICET*

RIPUARIORUM, ALAMANNORUM, BAJUVARIORUM,

NEC NON

Capitularia, Acta Synodalia, atque alia Additamenta ad Leges ipsas spectantia.

*ITEM*

### FORMULÆ ALSATICÆ, AC GOLDASTINÆ,

*Et Formulæ rituales in purgationibus per aquam frigidam, vel ferventem, per ferrum candens, & per ignitos vomeres adhibitæ.*

ACCESSERE

DOCUMENTA VETERA,

Quibus illustrari potest antiquissimum Germanorum institutum, ritusque judiciorum popularium in civilibus & criminalibus causis.

# IN LEGES
## RIPUARIORUM, ALAMANNORUM ET BAJUVARIORUM
### *MONITUM COLLECTORIS.*

LEges Ripuariorum, Alamannorum, & Bajuvariorum in Italia quoque nostra obtinuisse vetera evincunt documenta, & antiqui nostri legales Codices, in quibus una cum Salica & Langobardica, tres præfatæ Leges conscribebantur (1).

Antiquissimæ, quibus gentes ipsæ regebantur, Leges, scriptis traditæ fuere Theodorico I. Clodovæi Magni filio in Austrasia regnante, qui in Francos Ripuarios, in Alamannos, atque in Bajuvarios obtinebat imperium. Et hæ quidem eo tunc scripto exaratæ leges genuina veterum Barbarorum instituta ex integro non retulerant, cum antiquiores leges, quæ memoria servabantur & usu, additiones, detractiones, & mutationes ab hoc usque tempore perpessæ fuerint. Hæc edifcimus ex Prologo, quem in quibusdam Codicibus Legi Salicæ (2), in aliis Legi Bajuvariorum præfixum, mihi hic aptiore loco repetitum tradere visum est.

Sed & ex eodem Prologo novimus, alias subinde in Legibus illis mutationes evenisse sub Childeberto II., sub Chlotario II., sub Dagoberto I. Quare Cl. Baluzius Dagoberto potius quam Theodorico leges ipsas attribuens, eas in annum circiter DCXXX. rejecit (3). Censet namque, a Dagoberto *tales promulgatas, & constitutas fuisse, quales etiamnum leguntur in veteribus libris.*

Ego vero de hoc valde dubito, cum suspicione non caream, Leges, de quibus agimus, longe post Dagobertum iterum instauratas fuisse. Quod exemplo edoceor Legis Alamannorum. Testatur siquidem Cl. Eccardus (4), in Bibliotheca Monasterii S. Crucis Augustæ Vindelicorum exstare membranaceum codicem (quem ipse Carolo Magno coævum dicit) ex quo colligimus, Alamannorum Legem renovatam fuisse Duce Lantfrido. Etenim Codex hunc præfert titulum: *Incipit Lex Alamannorum, quæ temporibus Lantfrido filio renovata est.* A lege vero prima sic orditur: *Convenit enim majoribus natu populo Alamannorum una cum Duce eorum Lantfrido, vel cætero populo adunato, ut siquis liber res suas, vel semetipsum ad Ecclesiam tradere voluerit &c.* Et in calce Legis scriptum est: *Explicit Lex Alamannorum temporibus Lantfridi renovata.* Porro Lantfridus I. (5) anno DCCXXX. decesserat, & Lantfridus II. (sub quo indicatur Alamannorum legem renovatam fuisse) mortem obiit anno DCCLI. regiam domum moderante Pippino.

Reor quoque a vero non aberrare qui dixerit, leges nostras nova adhuc subiisse fata, Carolo Magno regnante, qui sicuti Salicæ Legis reformator (6), ita & Legum gentium Regni Austrasiæ moderator haud immerito censeri potest; & harum quidem emendationi operam contulisse, postquam Imperialem coronam susceperat, hoc est, inchoato jam sæculo IX.

Eginhartus equidem innuere videtur Carolum Imperiali dignitate fulgentem Legibus suarum Gentium quædam tantummodo superaddidisse Capitula: *Post susce-*



(1) Vide Murator. Antiq. Ital. Differt. XXII.
(2) Vide Prolog. Pactus Leg. Salicæ Antiq.
(3) Baluzii Capitularia Tom. I. pag. 18.
(4) Eccard. Franc. Orient. Tom. I. pag. 493.
(5) Consule Eccard. l. c.
(6) Vide supra Monit. ad Pact. Leg. Sal.

*susceptum*, inquit (1), *Imperiale nomen, nihil aliud* (in legibus populi sui) *ab eo* (Carolo) *factum est, quam quod pauca Capitula, & ea imperfecta legibus addidit.*

At vero vetus Chronicon Moissiacensis Cœnobii, rem dilucidius referens, legum quoque emendationem diserte commemorat: *Ipse Imperator* (2) (Carolus) *interim quod ipsa Synodus facta est, congregavit Duces, & Comites, & reliquum populum Christianum cum Legislatoribus: & fecit omnes Leges in suo Regno legere, & tradere unicuique homini Legem suam, & emendare ubicumque necesse fuit, & emendatam legem scribere: ut judices per scriptum judicarent, & munera non acciperent; sed omnes homines pauperes & divites in Regno suo justitiam haberent.*

Expressius adhuc Poeta Saxo scribit (3), Augustum Carolum & antiquas correxisse leges, & nova quædam illis addidisse Capitula:

*Ipse decem post hac & ternos circiter annos*
*Augusto lætus vixit in Imperio,*
*In quibus antiquas leges correxit, in ipsis*
*Uniri mandans dissona quæ fuerant.*
*Addidit his etiam noviter quæ congrua duxit,*
*Pauca quidem numero, valde sed utilia.*

Ex his ergo facile colligere possumus, Austrasiorum Leges, quas tradimus, adhuc expleto sæculo VIII. variationibus obnoxias fuisse; quo certe tempore populi a veteribus patrum institutis longe recesserant. Sed ad alia transeamus.

Gens Alamannorum, & Bajuvariorum parebat equidem Regibus, qui Francorum Ripuariorum, & Regni Austrasiæ sceptrum tenebant; sed ita parebat, ut quæque gens separatæ Reipublicæ jura servaret; quare videtur & in ferendis legibus aliquid saltem juris penes unumquemque separatim populum perstitisse.

Quod profecto perspicimus ex Lege Alamannorum, qui tamen utpote devicti & refractarii, duriore jugo præ Ripuariis, atque Bajuvariis, a Francorum Regibus premi consueverant. In codice namque Legis Alamannorum hæc occurrunt verba: *Si* (4) *autem fecerit, & inde convictus fuerit, post conventum nostrum, quod complacuit cunctis Alamannis, & aliquis hoc præceptum transgredere voluerit* &c. Et alibi infra, latæ cujusdam legis ratio diserte refertur: *Quia* (5) *sic convenit Duci & omni populo in publico concilio.*

Quæ sane innuunt id in jure vel in more positum fuisse, ut unaquæque gens in Nationali Concilio vel *per acceptationem* consensum præberet iis quæ in Generalibus Regni Comitiis sancita fuerant; vel placita constitueret, quæ subinde ad Comitia Generalia Regni relata, supremi cœtus, summique Imperantis placito ac sanctione munirentur, ut in corpus juris transirent. Uno verbo videtur, leges quidem in Comitiis Generalibus latas esse, sed ita ut vel ante, vel ex post facto Nationalis cœtus consensio interesset, ut quisque populus ea quæ edicta fuerant, veluti sibi latas leges excoleret.

Sed inter leges merito recenseri quoque possunt constituta a Bajuvariis, dum Dux Tassilo excusso Francorum jugo gentem suam, ut summi Imperantis jure regebat. Quo referenda sunt Acta Synodalia in Bajuvaria habita, quæ ab aliis sub nomine *Concilii Dingolfingensis*, ab aliis vero sub titulo *Decreti Tassilonis* circumferuntur. Quibus & præponenda videntur ea, quæ ex Aschaimensi Concilio supersunt, seu acta a Præsulum Bajuvariorum amplissimo cœtu Principi Tassiloni servari proposita, quæ quamquam leges proprie dictæ non sint, in rem tamen Ecclesiasticam, atque Civilem Senatus Populique Bajuvarici referebantur.

Hisce subjeci Capitula pauca, quæ Tassilone e Principatu dejecto, & in monasterium detruso edidit Carolus Magnus, ad Bajuvarios proprie spectantia;

(1) Eginhardus in Vita Karoli M. (2) Chronicon Moissiacense ad an. DCCCII.
(3) Poeta Saxo Annal. de Gestis Caroli M. lib. V.
(4) Lex Alamann. Tit. XXXVII. lege 4. (5) Ibidem Tit. XLI. leg. 3.

tia; quædam etiam, quæ quamvis non ad unam gentem missa, ad Bajuvarios tamen pressius pertinuisse creduntur. Et ultimo loco addidi Leges quasdam Portorias, quæ pro Bajuvariis conditæ fuere.

Formulas, seu Chartas Alsaticas, uti & Chartarum Alamannicarum Centuriam a Goldasto editam (1), quæ ut formularum fasciculus itidem ab eruditis habetur (2), ad Gentes Regni Australiæ pertinere, & potissimum ad Alamannos, ipsa earum lectio nos edocet. Illas idcirco in calce legum rejeci, ut & formulas quasdam rituales in purgatione vulgari quondam usitatas, quæ ex Codice in Bajuvaria reperto depromptæ sunt (3).

Alamannorum legi subjeci Chartas nonnullas Patriæ Fori Julii, quæ formam, ritumque exhibent veterum judiciorum popularium in civilibus ac criminalibus caussis. Hæ forte illustrationi esse poterunt legi tum Alamannorum (4), tum Bajuvariorum (5), qua liberi omnes ad placitum accedere compelluntur. Et certe ex ipsis aliqua ratione lumen accipiet antiquissimus ritus, quo Germani veteres in judiciis utebantur, & qui in regione nostra invectus diutissime servatus est, adeo ut ejus reliquiæ non defecerint usque in hodiernam diem. Optimam Chartarum partem debeo Nobilissimo & Reverendissimo Viro D. Francisco Florio Patritio Utinensi, illius Metropolitanæ Ecclesiæ Præposito, & in tota Archidiœcesi Vicario Generali, qui nobilitati generis, & exquisitæ eruditioni & doctrinæ comitatem & beneficentiam parem semper habere voluit.

Legi Ripuariorum, Formulisque Alsaticis adjeci notas, quibus illas ditavit Eccardus. Cæteras quoque leges notis suis expositas edere promiserat Vir doctissimus (6), sed in meam notitiam nunquam devenit, illum fidem, quam spoponderat, liberasse. Ergo quoad leges Alamannorum, atque Bajuvariorum ego cimbula mea processi, parva, neque multum onusta, cum in legalibus studiis, atque in Barbaricis antiquitatibus infra mediocritatem versatus sim.

Cum rituales formulas tradam, quibus purgationes, probationesve fieri consueverant per ignitos vomeres, per ferrum candens, per aquam frigidam, vel ferventem, præstat de hisce modis probandæ culpæ, vel innocentiæ, veritatisque eliciendæ differere.

Ejus generis experimenta veteribus populis non ignota neque inusitata fuere. „ Fons in Sicilia (7) aquis fluebat, quæ perjuris lethales erant, quos statim „ interimebant, jussos prius recitare formulam quandam verborum dictatam ab „ eo, qui sacramentum exigebat. Celebris est etiam fons alter (8), in quem „ projiciebantur pugillares formulis sacramentorum inscripti: si pugillares in„ natarent, jurisjurandi veritas constabat; si mergerentur, statim de perjurio „ judicium. Plinius scribit (9), amnem Olacham in Bithynia perjuris proinde „ nocere ac ignem. Sardinia fontem habebat (10), cujus aquis loti perjuri sta„ tim oculis orbabantur. Apud Achillem Tatium (11) habes alios quosdam „ fontes ejusdem virtutis ac aquæ zelotypiæ. Eadem pariter de aquis Stygiis (12), „ per quas Dii jurabant, opinio sedebat apud veteres. „ Consule Grotium, & Calmetum in librum Numerorum cap. v. ver. 31. E Calmeto hæc ad verbum ego descripsi.

Apertius adhuc rem colligimus ex Sophocle (13), qui manifeste verba facit de purgatione per ferrum candens, & ex transitu per ignem. Inducit namque quosdam custodes regios de custodia ab uno eorum incuriose peracta inquisitos, Creontem Regem sic alloquentes:

*Nemo deprehensus est, nosque latuit;*
*Sumus vero parati & candens ferrum manibus tollere,*



(1) Goldast. Rer. Alaman. Script. lib. II.
(2) Vide Heineccium Hist. Jur. Civ. Rom. & Germ. lib. II. n. 32. in notis.
(3) Editæ fuere a R. P. Pezio Tom. II. Thes. Anecd.
(4) Lex Alaman. Tit. XXXVI. leg. 4. & 5.
(5) Lex Bajuvar. Tit. II. cap. XV. leg. 1. (6) V. Eccard. Præf. in Leg. Sal.
(7) Polemon in lib. de miris Siciliæ. (8) Auctor de mirabilib. sub nomine Aristotelis.
(9) Plinius lib. XXXI. cap. 2. (10) Solinus cap. XI.
(11) Achilles Tatius lib. VII. cap. 20.
(12) Vide Porphyr. & Joann. Clerici not. in Hesiodi Theogoniam v. 783.
(13) Sophocles in Antigone.

*Et per ignem serpere, Deosque jurare, nec fecisse nos, nec fuisse conscios,*
*Ejus, qui hac de re consilium habuerit, nec ejus qui eam fecerit.*

Hæc vero liquido ostendunt, ejusmodi purgationes eo tunc notas, & usu habitas fuisse.

Neque contemnendum est, quod sequiori ævo perhibetur de effigie Numinis Prove Slavorum Deastri, Præsidis justitiæ ac foro, ad cujus lucum Helmoldo teste (1), *secunda feria populus terræ cum Flamine & Regulo convenire solebant propter judicia*. Ejus siquidem idolum describunt Elias Schedius (2), & Henricus Bangertus (3), qui in ea descriptione hæc inter cætera habet: *Dextra ferrum rubrum & q. candens tenebat: altera vexilli contum quatiebat. Ferrum qua forma fuerit, non usque adeo certum. Vomeris speciem retulisse quidam non sine causa prodidere. Nostra figura ex Chronico Saxoniæ expressa est, in quo vocatur*, ein provensen, *quasi dicas, ferrum probationis &c.*

Quanta huic descriptioni habenda sit fides, ignoro, cum Helmoldus ipse, præsens testis, asserere videatur, Numen illud *Prove* nulla humana imagine expressum fuisse, prout antiquissimus Barbarorum mos fuit: *Alii*, inquit (4), *sylvas & lucos inhabitant, ut est Prove Deus Aldemburg, quibus nullæ* (5) *sunt effigies expressæ.*

Utcumque autem hæc se habeant, præfatorum Scriptorum effata sat innuunt, jam aliquo modo constitisse apud veteres, Slavos adhuc Ethnicos sive ferro candente, sive ignitis vomeribus, in re judiciaria usos fuisse.

Quod si ad Austrasiorum leges animum convertamus, exstat in Codice Ripuariorum lex (6) agens de servo de furto suspecto, atque a domino repræsentando, ut probandæ innocentiæ, vel culpæ manum in ignem immitteret. Hæc autem ibi leguntur: *Quod si postquam eum* (dominus) *ad ignem adplicuerit, fuga lapsus fuerit, ad placitum veniens cum tribus testibus in HARAHO conjuret, quod servus ille, quem ad ignem repræsentare debuerat, extra ejus voluntatem fuga lapsus sit.*

Hic porro legis articulus, judice Wachtero (7), *legem ante cultum Christi latam esse declarat. Nam* Harahum *est vox idololatrica, quæ in omnibus veterum dialectis, præcipue Francica, Anglosaxonica, & Scandica, lucum & fanum significat*, id est, locum Diis consecratum. Quare ex præfati Auctoris fide concludam, quod valde probabile sit, legem ipsam irrepsisse in scriptum Codicem, prout lata fuerat in Ethnicismo, & consequenter purgationem *per ignem* apud Ripuarios adhuc Ethnicos in more positam fuisse.

Hæc satis sint, ut colligamus, ritus ejusmodi demum post susceptum Christianismum inductos non fuisse. Superest ut videamus, qua ratione in Christianorum cœtus transierint.

Id vero haud difficile est divinare perpendenti præfata examina habita præcipue fuisse in criminalibus causis, & in controversiis spectantibus ad civilia jura, quibus immutandis Christiana religio a Divino Legislatore instituta non fuit. Præsertim cum examina ab omni Ethnicismi labe expurgata censeri potuissent, cum non falso Numini, sed soli Deo vivo & vero exitus causæ commendaretur.

Et hæc sane judicia mordicus retinere pronum erat, dum penes populum esset legislativa potestas, & populum quidem libertatis zelantissimum assertorem, atque una religiosis rebus quam maxime addictum, qui ex antiqui, radicatique præjudicii reliquiis, in gravibus causis, ubi præsertim de dubio facti ageretur, vitam & res suas supremi rerum omnium Domini Dei justitiæ atque innocentiæ infallibilis vindicis, potius quam fallibili hominum judicio, committere sibi persuadebat.

Et proprie quidem a *populo* id judiciorum genus inter Christianos derivasse indi-

(1) Helmold. lib. I. cap. 83. alias 84.
(2) Schedius de Diis Germanis Syngrammate IV. cap. XI.
(3) Bangertus in notis ad Helmoldum cap. 52. alias 53.
(4) Helmold. loc. cit. (5) Alias legitur: *mille*.
(6) Lex Ripuar. Tit. XXX. lege 1. 2. (7) Vide Wachter V. *Horg*, & V. *Ordaliam*.

indicat vel nomen ipsum, quo illa compellabantur; *purgatio vulgaris:* idemque diserte testatur Alexander II. Pont. Max. his verbis (1): *Vulgarem denique, ac nulla Canonica sanctione fultam legem, ferventis scilicet, sive frigidæ aquæ ignitique ferri contactum, aut cujuslibet POPULARIS INVENTIONIS (quia fabricante hæc sunt omnino ficta invidia) nec ipsum exhibere, nec aliquo modo te volumus postulare, imo Apostolica auctoritate prohibemus firmissime.*

Hoc autem populare præjudicium abduxit & Principes, & Episcopos, & viros doctrina ac pietate claros, eos præcipue, qui ex eisdem populis ortum ducebant. Quare mirum non est, si tentamina hæc non modo civili, sed & Ecclesiastica aliquando sanctione occurrant admissa, atque a sanctis, doctisque viris legantur ex facto probata.

Bene Aventinus (2): *Atque hæc*, inquit, *tantum abfuit ut impia judicarentur, ut Sanctissimos Pontifices, Principes Christianissimos, viros atque fœminas sacratas, usurpasse istas purgandi cæremonias inveniam. Istud tum erat sapere, fidem Deo habere, omnem spem in ipso collocare. Quippe nihil aliud est, quam delirare, Deumque immortalem irritando ad iracundiam provocare. Solet idem factum, ut video, diversis ætatibus, hic pietatis, alibi erroris nomen accipere.*

Equidem ejus generis probationibus veteres dignoscebant visibile monumentum, atque ostensionem *judicii Dei*, non perspiciebant *tentari Deum*. Quod vi inolsti moris tribuendum censeo, quæ adeo mentes hominum solet inficere, ut vitia rei inhærentia perspicue non cernant; quæ tandem more in desuetudinem acto clara luce visuntur. Hac profecto de causa nos plura reprobamus in patribus nostris, sicuti & posteri nostri plura reprobabunt in nobis.

Verum enimvero Deum ipsum simplicitatem, fidemque majorum nostrorum non reprobasse colligimus ex effectibus, cum per tam longa temporum spatia tentamina illa comprobata fuisse dignoscantur prosperis eventibus, quorum haud pauca exempla suppeditant hi, qui res gestas scripto mandarunt (3).

Scio non deesse, qui hac in re vafrities, aut antidota somnient. Sed arduum sane est determinare, quanam callida arte tentamina peragentes spectatoribus illudere potuerint, aut quonam *recipe* muniti valuerint ferrum candens manu gerere ad novem passus, super novem ignitos vomeres ambulare nudipedes, in cacabum aquæ ferventis nudum brachium immittere, inter medias pyras transire, illæso corpore, illæsis & vestibus. Arduum quoque est, & periculi plenum credere, quin vel suspicari quidem, Imperantes, Legislatores, Præsides, Judices per integram ferme Europam constitutos vel adeo cæcutientes fuisse ut hæc artificia non cernerent, vel adeo perditos, ut miserum popellum semper decipere vellent. Ergone putandum erit, Principes, Episcopos, Viros pietate ac doctrina præclaros civilibus, ecclesiasticisque sanctionibus, quibus hæc experimenta admittebantur, & jejuniis, & precibus, & sacra synaxi, & eo quod in religione nostra sacratissimum est, eorundem tentaminum occasione peractis, per tam longa sæculorum spatia, turpiter adeo & sacrilege abusos fuisse? Nugæ!

Ego reor, Deo Opt. Max. plus placuisse majorum nostrorum simplicitatem & fidem, quam recentiorum sapientum acutissimam philosophiam; & quantumvis purgationes, de quibus sermo est, ejus, quæ secundum scientiam est, pietatis regulis suffultæ non sint, arbitror tamen Deum propitium respexisse ad fidem illorum, qui in veritatis atque innocentiæ testimonium sincero corde illius invocabant auxilium, atque eos tentamina peragentes a noxiis effectibus liberasse eadem virtute, qua liberavit tres pueros de camino ignis ardentis. Neque est cur asserere verear, hæc esse prodigiorum a Deo ad innocentiæ ac veritatis ostensionem patratorum præclarissima monumenta.

Non defuere tamen ex veteribus ipsis cordatiores quidam, qui adversus hos ritus calamum strinxerint, ut Agobardus & Ivo. Sed solidiore effectu id egere Romani Pontifices, qui repetitis sanctionibus eos pedetentim antiquarunt.



(1) Ap. Gratianum cap. *Mennam* c. 2. q. 5.
(2) Aventinus Annal. Bojor. lib. IV. cap. 14. n. 31.
(3) Vide inter cæteros Murator. Antiq. Ital. Dissert. XXXVIII.

Alexandrum II. (1) memoro, Stephanum V. (2) atque Honorium III. (3) qui eas veluti pro penitus interdictis liquido habuit: *Cum igitur*, inquit, *hujusmodi judicium sit penitus interdictum, utpote in quo Deus tentari videtur &c.*

Sed mos, qui altas semel radices fixit, ægre potest ex integro evelli, nisi longo temporis tractu. Nam in Italia nostra, & sub oculos, ut ita dicam, Romanorum Pontificum, adhuc repetito interdictus minime destitit.

Cl. Muratorius equidem censuisse videtur, illum apud nos non ultra sæculum XII. perdurasse. Scribit enim (4): *Ex his intelligis, anno MCXXXII. nondum sublatam fuisse prorsus ejusmodi judiciorum consuetudinem, quandoquidem Barensis populus se ab iis immunem cupit. Verum par est credere, non diutius illa stetisse: illorum enim exempla sæculo subsequenti nequaquam occurrunt.*

Verum debito erga eximium virum honore ego censeo, tentamina hæc *subsequenti*, hoc est, XIII. sæculo, adhuc ab usu non destitisse. Constitutio Sicula (5), *Leges, quæ a quibusdam*, Imperatori Friderico II. attributa hujusmodi quidem experimenta inhibet; at una innuit, ea usque modo in desuetudinem non abiisse. Apertius quoque id evincit Charta Patriæ Fori Julii, quæ epocham refert: *Anno Domini MCCXXXIIII. Indictione VII. ultimo die Marcii.* Leonardus Abbas Rosacensis obtulerat Bertoldo Patriarchæ testes ad tutanda quædam suæ Ecclesiæ jura. Inter testes ipsos unus fuit *Daniel de Rozolo*, qui hæc deposuit:

*Daniel de Rozolo (6) juratus & interrogatus per sacramentum dixit, quod bene recolit quando primo Dnus Patriarcha Wodolricus filius comitis . . . terram istam, & ab eo tempore recolit, quod capella sancti Hellari de Rozolo pertinuit ecclesiæ rosacensi, & . . . it per ecclesiam rosacensem, & bene recordatur, quod Dnus Gunterus tenuit eandem capellam per L annos, & .... & post illum Dnus Iuan sacerdos eodem modo, & nunc etiam tenet Dnus Gunterus, qui nunc est; & dixit, quod sacerdos di . . . . hactenus, & benedicit ramos ulivarum in dicta ecclesia omni anno, ET HABUIT HACTENUS JUDICIUM . . . . QUE FRIGIDE, & baptismum, quando vult, nec pro his vadunt ad plebem alio, nisi sponte sua velint.*

Ex quo documento quantumvis exæso ediscimus, adhuc sæculo XIII. purgationum vulgarium usum non prorsus destitisse, atque hujus executionem judicii, quæ precibus ritibusque Ecclesiasticis peragi consueverat, spectasse ad jura parochialia, vel quasi. Ediscimus quoque, Legem Langobardicam LV. Lotharii I. examen *aquæ frigidæ* inhibentem apud nos & in Regno Italico plenum effectum sortitam non fuisse; quod a Cl. Muratorio quoque observatum est (7).

Quod si de reliquiis moris sermo fit, hæ certe in Italia multo serius perdurarunt. Anno MCCCCXXIX. Mutinæ evenit, quod Theutonici milites *aggrediebantur cives, & Comitatinos* (verba sunt Bonifacii de Morano) (8), *asserendo se eisdem pecuniam mutuasse, petendo sibi satisfieri de eadem. Et ipsis Mutinensibus denegantibus, ut rei veritas se habebat, & regulam* (nunc *Riga*) *ferream igne calefactam manu sumere offerebant. Quam accipiebant nulla habita læsione ipsi Mutinenses. Theotonici sic videntes asserebant, se nolle credere fallaci probationi hujusmodi, & hoc arte magica procedere asserebant.*

Sed & Julius Ferretus sæculi XVI. Scriptor, & Auditor Regius in partibus Regni Siculi Carolo V. Augusto regnante, hæc habet (9): *Et hodie in aliquibus Regni Siciliæ oppidis, ubi Epirotæ inhabitant, solent aliquando uxores suas de adulterio suspectas experiri ferro candente, & projecto in cacabo, seu aheno bullientis aquæ, manu dictum ferrum extrahere, asserendo, si sunt innocentes de tali crimine, manus eximent illæsas.*

Præ-

(1) Ap. Grat. l. c. (2) Ap. Grat. c. *Consuluisti* c. 2. q. 5.
(3) C. *Dilecti* X. de purgatione vulgari.
(4) Murat. Antiq. Italic. Differt. XXXVIII. in fine.
(5) Constit. Sicul. Lib. II. Tit. XXXI. ed. Lind.
(6) Ex Autographo penes D. Fabritium Patrit. Utinens.
(7) Murat. l. c. (8) Bonifacius de Morano in Chronico Mutinensi Tomo XI. Rer. Italicar. Script. Consule Murator. loc. cit.
(9) Ferretus Tract. de Variet. Jur. Civ. & Langobard. pag. 115.

Prætereunda non sunt, quæ sub finem sæculi XV. gesta fuere Florentiæ prænobili urbe in causa ecclesiastica, in qua implicabatur Fr. Hieronymus Savonarola, & cui dirimendæ inter Fratres Prædicatores & Minores proposita, & vicissim acceptata fuit probatio ex transitu per ignem. Quod & firmatum fuit Decreto Supremi Collegii Procerum Reipublicæ Florentinæ ( *la Signoria* ), a quo decem Cives delegati sunt in hoc opus cum facultatibus opportunis. Miro enthusiasmo id evenit, ut experimento pro parte Savonarolæ ineundo se se obtulerint omnes ferme sui Confratres Provinciæ Florentinæ, atque alii insuper Clerici, laici, mulieres, & parvuli, tum acclamationibus in Ecclesia peractis, tum chirographis missis ad Cœnobium D. Marci. At vero unus ex una, unus ex altera parte subeundo tentamini selectus est.

Parata a delectis Decemviris horribili visu pyra in platea vulgo dicta *dei Signori*, statuta die XVII. Aprilis MIID. populus innumerus ad plateam confluxerat, contendentes convenerant, Fr. Dominicus de Piscia, qui probationi ex parte Savonarolæ peragendæ delectus erat, vestibus sacris exspoliatus, aliisque indutus jam erat, & undequaque inquisitus, *ne aliquam forte secum incantationem ferret*, *aut magicam superstitionem*. Sed subortis de modo ineundi tentaminis longis inter contendentes altercationibus, & exinde decidente ex improviso inexspectata vehementissima pluvia ( cum dies plane serena foret ) probatio peracta non fuit. Quod Savonarolæ cessit in existimationis jacturam, & novissimum ipsi acceleravit excidium.

Hæc deprompsi ex Jacobo Nardio (1), præsenti & oculato teste, qui ea, quæ tunc acta fuere, diserte, minutatimque describit.

Quæ profecto indicant, persuasionem *judicii Dei* ex purgationibus vulgaribus declarandi diutius quam quod vulgo creditur, in Italia perdurasse. Quod vero attinet ad alias Europæ plagas, viderint eruditiores.

(4) Nardi, *delle Istorie Fiorentine libro secondo*.



LE-

# LEGES

## RIPUARIORUM, ALAMANNORUM ET BAJUVARIORUM.

PROLOGUS, SEU PRÆFATIO.

THeodoricus Rex Francorum, cum esset Cathalaunis, elegit viros sapientes, qui in regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante, jussit conscribere legem Francorum & Alamannorum & Bajuvariorum, unicuique genti, quæ in ejus potestate erat, secundum consuetudinem suam. Addidit quæ addenda erant, & improvisa, & incomposita resecavit; & quæ erant secundum consuetudinem Paganorum, mutavit secundum legem Christianorum. Et quidquid Theodoricus Rex propter vetustissimam Paganorum consuetudinem emendare non potuit, post hæc Childebertus Rex inchoavit, sed Chlotarius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex gloriosissimus per viros illustres Claudium, Chaudum, Indomagnum, & Agilulfum renovavit, & omnia vetera legum in melius transtulit, & unicuique genti scripta tradidit, quæ usque hodie perseverant.

*Hoc decretum est apud Regem & Principes ejus & apud cunctum populum Christianum qui infra regnum Merwungorum consistunt.*

# LEX RIPUARIORUM

## *CUM NOTIS JO. GEORGII ECCARDI.*

INCIPIUNT CAPITULA LEGIS RIPUARIORUM.



*XLIII.*

α Herold. *De homicidio.* β Herold. & Lindenbr. *in servo.* γ Herold. *servorum a servo.* δ Lindenbr. *De interpellatione & incendio &c.* ε Herold. *Ingenuarum vel mulierum.*

EXPLICIUNT CAPITULA.

# INCIPIT LEX RIPUARIORUM.[κ] (1)

## TITULUS I.

### *De ictu ingenuorum* (2).

SI quis ingenuus ingenuum ictu percusserit, solido uno (3) culpabilis judicetur. Si bis, duobus solidis. Si ter, tribus solidis culpabilis judicetur.

TI-

α Herold. *De his qui ..., transierint.* β Herold. *De his qui &c.* γ Herold. *Prastita.*
δ Herold. *Rathinburgiis.* ε Herold. *ad* ζ Lindenbr. *De testamentis Regum vel de traditionibus.*
η Lindenbr. *&.* θ Herold. *Commutationem.* ι Herold. *Seu commissi fiscales.*
κ Herold. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, incipit ordo legis Ripuariæ.*

(1) *Ripuariorum.*) *Ripuarios*, qui alias & *Ribuarii* dicti, a *ripa Rheni* sic vocatos, & primum Romanos, ad defensionem Limitis adversus Germanos ibi constitutos, fuisse, nullus dubito. Solitum enim Romanis, limitaneos a fluminum, qui limites constituebant, ripis *Riparios*, & Legiones quæ apud Riparios prætendebant, *Riparienses* nominare. Veteres Glossæ: *Riparius*, ὀχθοφύλαξ. *Riparii* illi ad Rhenum per omnem itaque Germaniam primam & secundam sedes primum habuerunt: deinde vero cum superiora Burgundiones, Alamanni, aliique Germanici populi Romanis eripuissent, & inferiora Franci occupassent, Riparii a seculo fere quinto a Colonia circiter Agrippina Moguntiam usque extensi fuerunt, versus occidentem Mosella, Mosa, Scaldi & Silva Carbonaria terminati. Circa Coloniam metropolim ipsorum, quædam & in dextra Rheni ripa habebant, Rura fluvio inclusa, ut scilicet eo melius transitus Rheni & Deusoniæ castellum adversus subitas barbarorum incursiones defendi posset. *Pagus Ripuarius* hinc diu post ibi superfuit, & mentio ejus frequens fit in monumentis Cœnobii Werthinensis a S. Ludgero fundati. Traditio Werthinensis IV.

No-

TITULUS II.

*De ſanguinis effuſione* (4).

SI quis ingenuus ingenuum percuſſerit, ut ſanguis exeat, terramque tangat, bis novem ſolidis (5) culpabilis judicetur. Aut ſi negaverit *, cum ſex juret (6).

* Lindenbr. *Negare voluerit*.

T I-

*Notum fieri cupio . . . . qualiter ego Imma tradidi partem hæreditatis meæ ad eccleſiam S. Salvatoris, quæ conſtructa eſt in pago Ripoariorum in loco, qui dicitur Werthina, ſuper fluvio Rura &c.* Eadem locutio occurrit ibidem Traditione XVI. XVIII. XL. Traditione vero XV. XIX. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXXII. XXXV. XLIV. XLIX. LI. LVIII. *pagus Riporum* vocatur. Speciatim tamen idem *Ruricgoa* etiam audiit. Unde notari merentur verba Trad. XXIV. *in loco, qui dicitur Werthina, in pago Ruricgoa, in ducatu Ripoariorum, ubi Hildigrimus & Gerfridus Epiſcopi Rectores præeſſe videntur*. Frodoardus in Chronico ad an. 923. *Robertus in regnum Lotharienſe proficiſcitur, locuturus cum Heinrico, qui ei obviam venit in pagum Ribuarium ſuper fluvium Ruram*. De eadem Ripuaria Cis-Rhenana loquitur Annaliſta Laureshamenſis ad an. 782. ubi dicit, Theodoricum Comitem Caroli M. propinquum rebellibus Saxonibus *in ipſa Saxonia* obviaſſe *cum iis copiis, quas raptim in Ripuaria congregare potuerit*. Geſta Francorum epitomata cap. 38. *pagum Ribuarinſe* ſive Ripuarienſem in Coloniæ circuitu jacuiſſe indicant. Appendix Fredegarii in geſtis anni DCCLXI. *Duram*, quæ Marcodurum veterum eſt, *in pago Ripuarinſe* ſitam fuiſſe prodit. Pagus autem hic cum plures alios minores pagos ſive Comitatus contineret, deinde numero plurali *Ripuariæ* dictus eſt. Diviſio Ludoviciani Regni: *Ad Bajuvariam, totam Toringiam, Riboarias, Atoarias, Saxoniæ, Friſiæ, Ardenna, Bragbento* &c. Diviſio alia anni 837. apud Nithardum lib. I. *Portionem Regni his terminis notatam Karolo dedit: id eſt a mari per fines Saxoniæ uſque ad fines Ribuariorum, totam Friſiam & per fines Ribuariorum Comitatus Moilla, Halt, Trahammolant, Maſagobbi. Deinde vero quicquid inter Moſam & Saonam uſque Burgundiam una cum Viridunenſi conſiſtit*. Annales Bertiniani eadem ita proferunt: *Dedit filio ſuo Carolo maximam Belgarum partem, id eſt a mari per fines Saxoniæ uſque ad fines Ribuariorum, Comitatus Moilla, Ettrabam, Melant, Moſagao* &c. Ubi cum Valeſio utrobique reſtituo, *Moilla, Hattuarias, Hamelant* & *Moſagau*. *Moilla* pagus in Teſtamento Everhardi Comitis & Giſlæ quoque nominatur, & ſitus fuit ad Haſbam fluvium Brabantiæ. *Hattuariæ* circa fluvium Neers, qui inter Rhenum & Moſam medius defluit, ubi nunc Geldria eſt, fuere. *Hameland* vel *Hammolant*, forte a Chamavis eo translatis dictus, fuit in regione Ducatus Clivenſis. *Moſagaviæ* a fluvio Moſa nomen, cui adſita fuit. Vide Valeſii Notitiam Galliæ & Paullinum de pagis. Annales Bertiniani ad an. 839. *Comitatum Condoruſto, inde per curſum Moſæ uſque in mare, Ducatum Ribuariorum, Wormazfelda, Sperchgaui, Ducatum Heliſatiæ* &c. Ubi *Ribuarii* Wormatienſibus & Spirenſibus Alſatiæque vicini videntur. Et Jodocus Coccius in Dagoberto *Riparios* memorat finitimos Alſatiæ, a ripis, ut ille putat, trium fluminum Bleſæ, Saravi & Moſellæ dictos. In Tabula Theodoſiana ad Moſam, & ſub Veteribus, majoribus litteris exſtat PARISI, quod ſine dubio RIPARII reſtituendum. Marianus Scotus ad an. 875. ſcribit: *Qui quoque Carolum ſeniorem 8. Id. Octobr. bello in pago Meginenſe, nomine Ripuaria, non longe ab Andernach caſtello juxta Rhenum pugnantem ultra 50000. ſuperavit*. Wippo, ubi narravit electionem Conradi Salici Moguntiæ factam, pergit: *Collecto regali comitatu Rex Chonradus primum per regionem Ribuariorum, uſque ad locum qui dicitur Aquiſgrani palatium pervenit*. Ripuarii ergo eo uſque a Moguntia extenſi fuerunt. Idem Wippo *Godefridum* ſive *Gozelonem Ribuariorum Ducem* vocat, qui *Dux Lotharingiæ inferioris* erat. Plura his ex Valeſio & Cangio addi poſſunt. Ripuarios autem hos nunc *Ribarolles* aut *Riberols* vulgo vocari, Valeſius atteſtatur. Merovei tempore, cum Ripa Rheni Romana valde imminuta eſſet, *Riparii* etiam diminutive *Riparioli* appellati ſunt, quod nomen apud Jornandem ed. Lindenbr. pag. 118. exſtat. Sub tempora tandem Childerici Regis, ubi is cum Saliis ſuis Aurelianos cepiſſet, alii Franci, ſub alius Principis ductu, Egidio præfecto Romanorum pulſo, *Coloniam Agrippinam* & *Auguſtam Trevirorum* occuparunt. Geſta Regum Francorum ea de re hæc habent: *In illis* (Childerici R.) *diebus ceperunt Franci Agrippinam civitatem ſuper Rhenum, vocaveruntque eam Coloniam; multumque populum Romanorum a parte Egidii occiderunt ibi. Egidius vero exinde per fugam lapſus evaſit. Venerunt autem Treveris civitatem ſuper fluvium Moſellam, vaſtantes terras illas, ipſamque urbem ſuccendentes ceperunt*. Eadem fere proferunt Codex Geſtorum horum Cameracenſis, Hincmarus in libro de Vita S. Remigii & Sigebertus Gemblacenſis. Cum vero ſub Chlodoveo *Colonia* cum circumſitis pertinuerit ad *Sigebertum Regem*, propinquum Chlodovei, ejus pater eam ſibi & Francis ſuis acquiſiviſſe debuit. Si enim Childericus eam, ut Rorico Monachus falſo tradit, cepiſſet, urbs non Sigeberti, ſed Chlodovei ex ſucceſſione paterna fuiſſet. Sigeberti igitur hujus pater *in Ripuariis regnum Francorum*, nomine Romano retento, condidit, quod Chlodoveus deinde, Sigeberti & filii ipſius cæde callide procurata, in ſe tranſtulit. Ne populus regionis interfectorem Regum ſuorum repudiaret, oratione blanda, quam Gregorius Turonenſis lib. II. cap. 40. refert, eum delinivit, atque inter cætera dixit: *Sed quia hæc evenerunt, conſilium vobis præbeo, ſi videtur acceptum, convertimini ad me, ut ſub mea ſitis defenſione. At illi iſta audientes, plaudentes tam palmis quam vocibus, eum clypeo evectum ſuper ſe Regem conſtituunt. Regnumque Sigiberti acceptum cum theſauris, ipſos quoque ſuæ ditioni adſcivit*. Legitime igitur & tanquam in peculiari atque a Francorum Saliorum regno diverſa ditione Rex electus Chlodoveus, novis his ſubditis ſine dubio veteres conſuetudines conſervavit, Legeſque confirmavit, quas deinde filius ejus Theodericus, cum Ripuarii ipſi poſt mortem patris tribuerentur, in eam formam redegit & emendavit, uti eas hodie habemus. Sed de his jam ſupra in Notis ad Legem Salicam egimus. Leges hæ in plerique cum Salicis conveniunt, quod etiam ad ſingulos earum Titulos annotavimus; hoc vero indicio eſt, Ripuarios & Salios arcte cognatos, conſuetudines pares fere habuiſſe. Specialis tamen in iiſdem ratio Romanorum habita videtur; unde concludo multo plures Romanos in Ripuariis, quam alibi, ſuperfuiſſe & ſuis legibus vixiſſe. Ex iis autem, quæ dixi, ſatis apparet error Danielis nuperi Galliæ hiſtorici, qui Ripuarios ex Arborichis Procopii prodiiſſe,

&

### TITULUS III.

*De osse fracto.*

SI quis ingenuus ingenuo in quolibet membro os fregerit, XXXVI. solidis culpabilis judicetur, aut [α] cum sex juret.

### TITULUS IV.

*De puncto* (7).

SI quis ingenuus alterum transpunxerit, aut infra costas plagaverit, XXXVI. solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret.

### TITULUS V.

*De debilitatibus* (8).

I. SI quis ingenuus ingenuo auriculam excusserit, ut audire non possit, centum solidis culpabilis judicetur. Si autem auditum non perdiderit, quinquaginta solidos componat.

II. Si nasum excusserit, ut muccare non possit (9), centum solidis culpabilis judicetur. Si muccare prævalet, quinquaginta solidos componat.

III. Si quis ingenuus ingenuo oculum excusserit, centum solidis culpabilis judicetur. Si visus in oculo restiterit, ita ut videre possit [β], quinquaginta solidis culpabilis judicetur.

IV. Si manum excusserit (10), centum solidis culpabilis judicetur. Si manus ibidem manca pependerit [γ], quinquaginta solidos componat.

V. Si quis ingenuus ingenuo pollicem excusserit, quinquaginta solidis culpabilis judicetur. Quod si pollex ibidem mancus [δ] pendiderit, viginti quinque solidis culpabilis judicetur.

VI. Sic in omni mancatione, si membrum mancum (11) pendiderit [ε], med etatem componat quam componere debuerat, si ipsum membrum abscissum fuisset.

VII. Si secundus digitus, unde sagittatur, excussus fuerit, triginta sex (12) solidis componatur.

VIII. Si quis ingenuus ingenuo pedem excusserit, centum solidos componat. Si pes mancus ibidem pendiderit [ζ], quinquaginta solidis culpabilis judicetur.

IX. Si articulum qualemcunque (13) amputaverit, triginta sex solidis culpabilis judicetur.

X. Ista omnia si negaverit, cum sex juret quod hoc non fecisset.

### TITULUS VI.

*De castratione* (14).

SI quis ingenuus ingenuum castraverit, ducentis solidis culpabilis judicetur. Aut si negaverit, cum duodecim (15) juret.

### TITULUS VII.

*De homicidio ingenuorum* (16).

SI quis ingenuus hominem [η] ingenuum Ripuarium interfecerit, ducentis solidis (17) culpabilis judicetur. Aut si negaverit, cum duodecim (18) juret.

### TITULUS VIII.

*De homicidiis servorum* (19).

SI quis servum interfecerit, triginta sex solidis culpabilis judicetur, aut [θ] cum sex juret quod hoc non fecisset.

[α] Herold. *Aut si negaverit.* [β] Herold. *Videre non possit.* [γ] Al. *Pendiderit.* [δ] Al. *Mancus.* [ε] Lindenbr. *Pependerit.* [ζ] Lindenbr. *Pependerit.* [η] Herold. *Homo.* [θ] Addit Lindenbr. *Si negaverit.*

& Gallos vel Romanos, non vero Germanos fuisse statuit, miseris argumentis in eam opinionem inductus. *Arborichi* enim illi omni sine dubio sunt iidem, quos veteres *Aremoricos* appellant, circa Ligerim fluvium ad litus maris constituti. Si Procopium solicitius inspexisset, & cum Gregorio Turonensi contulisset, hæc virum eruditum latere non potuissent. Neque quicquam ex veteri Gallico idiomate in Lege Ripuaria reperitur; omnes vero termini obscuriores e Germanica sive Francica lingua desumti sunt, ut in notis solide satis ostendimus.

(2 pag. 297.) *De ictu ingenuorum.*) Codex Gothanus addit: *absque sanguine facto.* V. Pact. Leg. Sal. Tit. XX. leg. 7.

(3 ibid.) *Solido uno.*) Heroldi editio: *XV. solidos culpabilis judicetur.* Reliqua vero omittit. Notari meretur, quod ictus *uno solido* hic componatur. qui secundum Legem Salicam *tribus solidis* redimendus est, quemadmodum & in cæteris mulctis Lex Ripuaria mitior est Salica, forte quod apud Ripuarios non esset tanta pecuniæ copia, quam apud Salicos.

(4 pag. 298.) *De sanguinis effusione.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XX. leg. 2.

(5 ibid.) *Bis novem solidis.*) Ms. Guelferbyt. & Heroldus: *XVIII. solidis.*

(6 ibid.) *Cum sex juret.*) Ms. Guelf. *cum VII. juret.* Et sic quoque in sequentibus *septem* juratores pro *sex* ponit.

(7) *De puncto.*) Lex Sal. Tit. XX. leg. 5. *Punctum* hic videtur *vulnus cuspide factum.*

(8) *De debilitatibus.*) Lex Sal. Tit. XXXII. evolvenda est.

(9) *Ut muccare non possit.*) Cod. Gothanus: *ut muccum retinere non possit, L. solidis culpabilis judicetur.*

(10) *Excusserit.*) Sichardi editio: *præciderit.*

(11) *Membrum mancum.*) Cod. Goth. *membrus mancus*; & sic in masculino ibidem semper occurrit.

(12) *Triginta sex.*) Cod. Guelf. *XXXV.*

(13) *Articulum qualemcunque ... triginta sex.*) Cod. Guelf. hic solum *XXX.* habet.

(14) *De castratione.*) Lex Salica Tit. XXXII. leg. 17.

(15) *Cum duodecim.*) Cod. Guelf. *cum VII.*

(16) *De homic. ingen.*) Lex Sal. Tit. XLIV.

(17) *Ducentis.*) Herold. *CCC.*

(18) *Cum duodecim.*) Sichardus: *cum XIII.* Cod. Guelf. *cum VII.*

(19) *De homic. servorum.*) Vide Leg. Sal. Tit. XXXVIII.

### TITULUS IX.

*De homicidiis hominum Regis.*

SI quis hominem regium interfecerit, centum solidis culpabilis judicetur, aut cum duodecim juret.

### TITULUS X.

*De homicidiis hominum ecclesiasticorum* (1).

I. SI quis hominem ecclesiasticum interfecerit, centum solidis culpabilis judicetur, aut [α] cum duodecim juret.

II. Sic in reliqua compositione, unde Ripuarius quindecim solidis culpabilis judicetur, regius & ecclesiasticus homo medietatem componat, vel deinceps quantumcunque culpa ascenderit.

### TITULUS XI.

*De homicidiis eorum, qui in truste Regis sunt.*

I. SI quis eum interfecerit qui in truste regia est, sexcentis solidis culpabilis judicetur. Et quicquid ei fiet, similiter sicut de reliquo Ripuario in triplum componatur.

II. De occisione ejus, si negaverit, cum septuaginta duobus juret.

III. Si quis regio aut ecclesiastico homini de quacunque libet re forciam fecerit, & per vim tulerit, in triplum sicut reliquo Ripuario (2) componat.

### TITULUS XII.

*De homicidiis mulierum.*

I. SI quis feminam Ripuariam interfecerit, postquam parturire cœperit, usque ad quadragesimum annum, sexcentis solidis culpabilis judicetur. Aut si negaverit, cum septuaginta duobus juret. Et ubicunque sexcenti solidi accedunt, simili modo cum septuaginta duobus juret.

II. Si ille homo pauper fuerit, ut insimul solvere non possit, per tres decessiones filiorum (3) solvat.

### TITULUS XIII.

*De homicidiis puellarum* (4).

SI quis puellam Ripuariam interfecerit, ducentis solidis culpabilis judicetur. Aut si negaverit, cum duodecim juret.

### TITULUS XIV.

*De muliere ecclesiastica.*

I. SI quis feminam regiam aut ecclesiasticam parientem interfecerit, trecentis solidis culpabilis judicetur, aut cum triginta sex juret.

II. Quod si puellam post quadragesimum annum interfecerit, ducentis solidis culpabilis judicetur, aut cum duodecim juret.

### TITULUS XV.

*De homine mordrido* (5).

SI quis ingenuus ingenuum Ripuarium interfecerit, & eum cum ramo coopeuerit, vel in puteo seu in quocunque libet loco celare voluerit, quod dicitur mordridus [β], sexcentis solidis culpabilis judicetur, aut cum septuaginta duobus juret.

### TITULUS XVI.

*De captivo* [γ] *homine* (6) *vel femina ingenua.*

SI quis ingenuus ingenuum Ripuarium extra solum vendiderit, & iterum eum ad solum non potuerit reducere, sexcentis solidis culpabilis judicetur, aut cum septuaginta duobus (7) juret. Et si eum in solum reduxerit, ducentis solidis culpabilis judicetur. Quod & de femina ingenua similiter convenit observare.

### TITULUS XVII.

*De incendio* (8).

I. SI quis hominem per noctem latenter incenderit, sexcentis solidis (9) culpabilis judicetur, & insuper damnum & delaturam restituat. Aut si negaverit, cum septuaginta duobus juret.

II. Si servus hoc fecerit, xxxvi. sol. culp. jud. & insuper damnum & delaturam restituat. Aut si negaverit, dominus ejus cum sex juret.

### TITULUS XVIII.

*De sonesti* (10).

I. QUod si ingenuus sonesti [δ], id est, duo-

[α] Lindenbr. addit, *Si negaverit.* [β] Lindenbr. *Mordrido.* [γ] Herold. *Captivato.* [δ] Herold. *De sonesti.*

(1) *De homicid. hom. ecclesiastic.*) V. Leg. Sal. edit. Lindenbrog. Tit. LVIII. leg. 2. 3.

(2) *Reliquo Ripuario.*) Cod. Guelf. *reliqui Ribuarii*

(3) *Decessiones filiorum.*) Sichardus: *per tres successiones liberorum.*

(4) *De hom. puellarum.*) Lex Sal. Tit. XLIV. leg. 14.

(5) *De hom. mordrido.*) Lex Sal. Tit. XLIV. leg. 2. & 5. Nota vero hic accurate describi, quid sit *Mordridus* sive *eine mordtbat*, de quo & nos ad Pacti Leg. Sal. Tit. XVI. leg. 1. egimus.

(6) *De captivo homine.*) Lex Sal. Tit. XLII.

(7) *Cum septuaginta duobus.*) Cod. Goth. *cum LXX.*

(8) *De incendio.*) Lex Sal. Tit. XIX.

(9) *Sexcentis solidis.*) Cod. Goth. *CC. solidi.*

(10) *De sonesti.*) Hoc est, *de integro grege vel armento.* Vocem exposuimus supra ad Pact. Leg. Sal. Tit. II. leg. 11. De cætero in Lege Salica *de equorum grege* agitur Tit. XLI. leg. 5. *de suibus* Tit. II. leg. 10. 11. 12. 13. *de vaccis* Tit. III. leg. 12. 13. 14.

duodecim equas (1) cum amissario (2), aut sex scrovas cum verre, vel duodecim vaccas cum tauro furatus fuerit, sexcentis solidis culpabilis judicetur, & insuper capitale & delaturam restituat. Quod si multi ingenui fuerint, sicut in omni furto (3) constituimus, unusquisque sexcentis solidis culpabilis judicetur, & insuper capitale & delaturam restituant. Aut si negaverint, singuli cum septuaginta duobus jurent.

II. Quod si servus hoc fecerit, triginta sex solidis culpabilis judicetur, & insuper capitale & delaturam restituat. Et si multorum servi fuerint, unusquisque per semetipsum similiter faciat. Aut si negaverint, domini eorum cum sex jurent.

III. Si homo ecclesiasticus aut regius hoc fecerit, medietate compositionis Francorum culpabilis judicetur. Aut si negaverit, cum triginta sex juret.

### TITULUS XIX.

*De ictu (4) servorum.*

I. SI [α] ingenuus servum ictu percusserit, ut sanguis non exeat, usque ternos colpos (5), quod nos dicimus bunislegi [β] (6) singulos solidos componat. Aut si negaverit, cum sex juret.

II. Si homo ecclesiasticus aut regius hoc fecerit, tribus solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret.

III. Quod si servus homini regio aut ecclesiastico vel franco hoc fecerit, per ternos ictus tres solidos componat. Aut si negaverit, dominus ejus cum sex juret.

### TITULUS XX.

*De effusione sanguinis.*

I. SI servus ingenuo aut regio vel ecclesiastico homini sanguinis effusionem fecerit, quinto dimidio solido (7) culpabilis judicetur. Aut si negaverit, dominus ejus cum sex juret.

II. Similiter si ingenuus aut regius vel ecclesiasticus homo hoc servo fecerit, quinto dimidio solido culpabilis judicetur, aut dominus ejus cum sex juret.

### TITULUS XXI.

*De osse fracto servorum.*

QUod si ingenuus aut regius vel ecclesiasticus homo servo os fregerit, novem solidis culpabilis judicetur, aut dominus ejus [γ] cum sex juret.

### TITULUS XXII.

*De osse fracto ingenuorum a servo.*

QUod si servus homini Franco aut Ripuario os fregerit, dominus ejus triginta sex solidis culpabilis judicetur. Si autem regio aut ecclesiastico homini hoc fecerit, bis novem [δ] solidis culpabilis judicetur.

### TITULUS XXIII.

*De ictu servorum in servo.*

QUod si servus servum ictu uno vel duobus seu tribus percusserit, nihil est. Sed tamen, propter pacis studium, tremissem, id est, quatuor denarios, componat.

### TITULUS XXIV.

*De sanguinis effusione servorum a servo.*

SI autem servus servo sanguinis effusionem fecerit, tertio dimidio solido (8) culpabilis judicetur.

### TITULUS XXV.

*De osse fracto servorum a servo.*

SI os ei fregerit, quinque solidis culpabilis judicetur.



Ti-

[α] Lindenbr. *Si quis.* [β] *Quod nos dicimus punislegi.* Ista non habentur in edit. Lindenbrog. & Herold. [γ] Deest in edit. Herold. *Dominus ejus.* [δ] Herold. & Lindenbr. *XVIII.* & ita quoque in reliquis.

---

(1) *Sonesti, id est, duodecim equas.*) Cod. Goth. *senosti, id est, XV. equas.*

(2) *Amissario.*) Cod. Guelf. *amessario*, Herold. *amassario*, Sichardus & Tilius, *admissario*, quod purius est.

(3) *Sicut in omni furto.*) Cod. Goth. *Sicut in omni texaga.*

(4) *De ictu.*) Cod. Guelf. *de ictis.*

(5) *Colpos.*) Sichard. *colaphos.*

(6) *Bunislegi.*) *Schlag*, ictus, in plurali habet *schlæge*. Pro *buni* restituendum *buli*, quod alibi *puli* scribitur, & idem est ac nostrum *beule*, Sax. *bule*, tumor ex percussione. Hoc modo *bulislag* est *percussio sive ictus, qui tumorem efficit*, vel, *qui facit, ut cutis intumescat.* Lex Langobard. editionis Heroldinæ Tit. IV. leg. 30. *Si quis servum alienum rusticanum percusserit, pro una ferita, id est, pulslabi, si vulnus apparuerit aut livor, componat solidum medium.* Lex Bajoar. Tit. III. cap. 1. leg. 1. *Si quis liberum per iram percusserit, quod pulislac vocant.* Ibidem Tit. IV. leg. 1. *Si quis eum percusserit, quod pulislac vocant, cum dimidio solido componat.* Lex Alemann. Tit. LIX. *Si quis alium per iram percusserit, quod Alamanni puleschlach dicunt.* Alibi *pulebrust* est *fractio membri, ubi tamen præter tumorem exterius nihil cernitur.* Lex Aleman. Tit. LXV. leg. 7. *Si brachium fregerit, ita ut pellem non rumpat, quod Alamanni puleprust dicunt, ante cubitum, cum tribus solidis componat.* Lex Baioar. Tit. III. cap. I. leg. 4. *Si os fregerit & pellem non fregit, quod pulepruft dicunt* &c. Vide his de vocibus etiam Dietericum Stadenium in Expositione difficiliorum vocabulorum Versionis Bibliorum Lutheranæ pag. 52.

(7) *Quinto dimidio sol.*) Sichard. *quinque dimidiis solidis.* Ita etiam Heroldus. Tilius vero: *quinque & dimidio.*

(8) *Tertio dimidio sol.*) Sichardus: *tribus dimidiis solidis.*

TITULUS XXVI.

*De debilitatibus servorum.*

QUod si oculum, auriculam, nasum, manum, pedem excusserit, bis novem (1) solidis dominus ejus culpabilis judicetur.

TITULUS XXVII.

*De castratione servorum.*

SI autem eum castraverit, triginta sex solidis culpabilis judicetur, aut [α] cum sex juret.

TITULUS XXVIII.

*De interfectione servorum a servo.*

SI autem servus servum interfecerit, dominus ejus triginta sex [β] solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret, quod servus ejus hoc non fecisset.

TITULUS XXIX.

*De furtis servorum.*

QUod si servus furtum fecerit, dominus ejus triginta sex solidis culpabilis judicetur; excepto (2) capitale, & delaturam restituat.

TITULUS XXX.

*De interpellatione [γ] (3) servorum.*

I. QUod si quis in judicio pro servo interpellatus fuerit, si servus talis non fuerit, unde dominus ejus de fiducia securus esse possit, dominus ejus in judicio pro eo interrogatus respondeat [δ], & sine tangano (4) loquatur, & dicat: *Ego ignoro utrum servus meus culpabilis, an innocens de hoc extiterit. Propterea eum secundum legem Ripuariam super quatuordecim noctes ad ignem repræsento* [ε]. Et sic de ejus præsentia cum festuca (5) fidem faciat. Quod si servus in ignem manum miserit, & læsam tulerit, dominus ejus, sicut lex continet, de furto servi culpabilis judicetur.

II. Quod si servus, quando dominus interpellatus fuerit, infra ducatum fuga lapsus fuerit, supra quatuordecim noctes aut ipsum repræsentet, aut pro eo faciat rationem. Quod si, postquam eum ad ignem adplicuerit, fuga lapsus fuerit, ad placitum veniens cum tribus testibus in harahe (6) conjuret, quod servus ille, quem ad ignem re-

α Lindenbr. *Aut si negaverit, cum sex juret.* β Herold. *XXX.* γ Addit Lindenbr. *Et incendio &c.* δ Herold. *In judicio rogatus; interrogatus respondeat.* ε Herold *Repræsentet.*

(1) *Bis novem.*) Sichardus, Heroldus, Tilius & Cod. Guelferb. *XVIII.*

(2) *Excepto &c.*) Sichardus: *excepto eo, quod capitale & dilaturam restituat.* Tilius: *excepto capitali & dilatura, quæ restituat.*

(3) *De interpellatione.*) H. e. *De appellatione in judicium*, sive *de citatione judiciali*. Sic infra Tit. XXXII. leg. 3. *interpellare* etiam adhibetur pro *in jus vocare, judicialiter citare.*

(4) *Tangano.*) Vid. quæ diximus ad Pact. Leg. Sal. Tit. LX. leg. 1.

(5) *Cum festuca.*) Hoc est, tradita alteri parti festuca.

(6) *In harabo.*) Heroldus *in arabo*, atque ita & Cod. Gothanus. Mire exorbitant Commentatores hujus loci. Lindenbrogius nihil definit. Spelmannus, quoniam in aliquibus exemplaribus *arabo* scriptum est, *harabum* de *loco honorato* exponit, atque ab Anglosaxonico *are*, honor, deducit. Guillimannus Rer. Helvetic. lib. I. cap. 9. quasi *am rechten*, h. e. *coram judicum concilio* dictum fingit. Cangius solum has opiniones &, more Gallorum, erronee refert, ob ignorantiam linguæ nostræ. Ut nostram sententiam dicamus, notum est ex Capitular. lib. VI. cap. 214. *omne sacramentum* apud Francos Christianos, quales Ripuarios fuisse satis apparet, *in ecclesia & super reliquias juratum fuisse*, & quædam hanc in rem annotavit Bignonius in Notis ad Form. Marculfi pag. 304. Amplius vero hoc patet ex Formulis Andegavensibus, ubi *Notitia sacramenti* hæc annotata est: *Notitia sacramenti, qualiter vel quibus præsentibus ingressus est illi in basileca domne illius pro judicio, illo agente juratus dixit: Per hunc loco sancto & divina omnia quod hic aguntur, quæ hic Deo plenius offeruntur, unde me illi repotabat, quasi jumento suo ad furtis conditionis post me habuissit, & per meum ingenium ipso jumento digere habuisset; nec ipso jumento numquam habui, nec per meum nullum ingenium ipso jumento numquam perdedit, nec aliud tibi de hac causa non redebio nisi isto edonio juramento.* Ibidem Charta *Sacramentalis* ita incipit: *Breve Sacramenti, qualiter & quos præsentibus ingressus est homo, nomen illi, Andecavis civetate, die illo, quod fecit minsis illi dies tantus, in basileca domne illius. Juratus dixit* &c. Et sic fere ubique juramenta in basilicis præstita fuisse hisce ex formulis apparet. *Basilica* vero *ecclesia, fanum*, imo *omnis locus publicus*, ubi jus sub autoritate principis exercebatur, *baruc* olim vocabatur, quod Latinizantes, omni dubio procul, in *harabum* mutavere; *h* nempe pro *c* vel *ch* posito. Glossarium Rabani Mauri Ms. *Fanum, baruc*. Idem alibi: *Delubra, baruga*. Idem: *Capitolium, baruc*. Unde conjicio, in Glossis Mss. ad Bedæ artem metricam, quæ olim Goldasti fuere, eo loco, ubi exstat: *Dilubra l. templum demoniorum vel dia raga*; legendum esse *charaga*. Bensonius in Vocabulario Anglosaxonico: *Hærg, lupercal, sacellum*. Idem: *Hearge, fanum, lucus. Hearch, lupercal, sacellum*. Vox descendit ab *bar, bear, berr*, dominus, atque ita *dominicum* & *basilicam* proprie denotat; ut ita *in harabo* idem sit, ac *in basilica*. Repetitur ea locutio Tit. XXXIII. leg. 2. Tit. XLI. leg. 1. & Tit. LXXVII. Omnia vocabula nostra si de cætero e Germanica lingua, sine distinctione, exponi ac derivari deberent, ab *baruc* hocce vel *charaga* facillime Saxonicum *Carc, Karcke, Kercke*, & Germanicum *Kirche* deduci possset, qua voce Christiani *templum* aut *ecclesiam* indigitamus. Sed obstat, quod non credam, nomen, *fanis idolorum* proprium, in Christi ædibus denominandis retentum; & deinde Walafridi Strabonis autoritas, qui non adeo longe abfuit a temporibus, quibus Christianismus in Germania no-

stra

repræſentare debuerat, extra ejus voluntatem fuga lapſus ſit, & ſic denuo placitus ei con-

 ce-

ſtra ſtabilitus fuit. Hoc ſolummodo diſquirendum ergo reſtat, quomodo vox *Kirche* a Græcis ad nos pervenerit. Conſcripſimus ante aliquot tempus ea de re diſſertatiunculam, eamque inſeruimus Bibliothecæ Bremenſis Claſſis ſecundæ Faſciculo ſecundo. Hæc vero cum forte non in omnium manibus verſetur, illam hic aliquanto auctiorem repetere placet, quo ab omnibus dijudicari poſſit. *Kirche*, *eccleſia*, *templum Chriſto ſacrum*. Lipſius hanc vocem a *Circo* Romanorum deduxit, & Calvoerius nuper Ritualis Eccleſiaſtici Parte II. Sect. I. Cap. I. p. 10. ab Hebræo קרחה *Kircha*, calvitium, aut Syriaco ܩܪܩܦܬܐ *karkafto*, cranium, quaſi loca craniorum ſive calvariæ dictæ fuerint Eccleſiæ. Confer Partis I. l. 3. Cap. 43. p. 993. l. c. Sed refutari non merentur hæ nullis fundamentis ſolidis innixæ opiniones, cum major & melior eruditorum pars conveniat, vocem a κυριακὸν vel κυριακὴ derivandam. Ita enim Græci templa a κυρίῳ ſive *domino* noſtro, Jeſu Chriſto, poſt Conſtantini M. tempora vocarunt. Gloſſæ veteres: *Dominicum*, κυριακόν. Athanaſius in Vita S. Antonii M. c. 92. *Ipſi Idolorum ſacerdotes εἰς κυριακὸν convolabant*. Ubi Antwerpienſes Jeſuitæ addunt; *quod templum Chriſti cultui dicatum ſignificat. Sic dies primus hebdomadæ eandem ob cauſam DOMINICA, ſive κυριακὴ, dici cœpit. A voce hac Teutonicam* Kirche *vel* Kercke, *quæ Eccleſiam ſonat, deflexam quidam arbitrantur*. In vita S. Nili κυριακὸς οἶκος dicitur. In Concilio vero Ancyrano c. 14. Neocæſarienſi c. 5. 13. Laodiceno c. 28. & alibi paſſim κυριακὸν obvium eſt. Cangius hac de re in Gloſſario Græco-barbaro exemplorum copiam ſuppeditat. Latini templa, ut dixi, ſimili modo *Dominica* vocabant, ut indicaretur, ea ſoli *Domino*, Jeſu Chriſto ſacra & dedicata eſſe, licet nomina ſubinde *a memoriis Sanctorum* hominum vel Martyrum receperint ſpecialia. Elegans eſt locus Georgii Caſſandri in Epiſtola *Hymnis Eccleſiaſticis* præmiſſa, ubi de templis Chriſtianorum agit: *Huic non abſimile eſt*, inquit, *quod vulgato jam loquendi modo Sanctis templa, aræ, ſacerdotia, ſacrificia & feſti dies tribui videantur. Cui locutioni, niſi commoda interpretatione ſuccurratur, blaſphemia ſane committi videri poteſt. Cum hæc tria potiſſimum, templum, ara, ſacrificium conjuncta ſint, & non niſi uni veroque Deo conveniant, immo ex eo Spiritus ſancti divinitas imprimis monſtratur, quod templum habere dicatur, quod Dei eſt proprium. Itaque veteres, dum caſtius loquuntur, non templa aut aras Apoſtolorum vel Martyrum, ſed MEMORIAS appellant. In promptu ſunt verba B. Auguſtini, quæ ab Expoſitore Romani ordinis adducuntur: Nos, inquit, Martyribus noſtris non templa ſed MEMORIAS, quorum Spiritus apud Deum vivunt, fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo & Martyrum & noſtro, ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen a ſacerdote, qui ſacrificat, invocantur, Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamvis in memorias ſacrificet eorum; quia Dei ſacerdos eſt, non illorum. Ipſum vero ſacrificium corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi. Ecce, inquit, Romani ordinis Expoſitor, quomodo inſtitutum eſt Miſſas celebrari ſuper memorias Martyrum; quomodo non templa, ſed memoriæ faciendæ ſunt in honore ſanctorum Martyrum: quomodo altaria tua, Domine virtutum, non ſunt dicenda altaria aliquorum Sanctorum: quomodo nominandi ſunt ſancti Martyres, non tamen a ſacerdote invocandi ad divinum ſacrificium. Hinc diſcimus quo interpretationis remedio occurrendum ſit, ſi quando templum vel aram, verbi cauſa, Petri, Pauli vel Stephani, appellari legimus, ut hæc ſit orationis ſententia: Templum Deo ſacrum in memoria vel ad memoriam S. Petri. Ea autem conſuetudo, ut ſanctorum nominibus orationum loca & templa inſcriberentur, ex eo cœpit, quod antiquitus in iis potiſſimum locis, in quibus vel mortem pro Chriſto obierunt Martyres, vel inſigne aliquid geſſerunt, vel ex quo ortum duxerunt, vel ubi eorum corpora, vel pars aliqua corporis condita eſſet, conventus & ſacri cœtus inſtitui & ædes iis conventibus aptæ exædificari conſueverunt, quas ædes rarius templa, ſæpius Eccleſias, nonnunquam BASILICAS, Græco autem vocabulo κυριακὰς, id eſt, DOMINICAS nominabant, quam poſteriorem vocem Græcam Germani in appellandis ſacris ædibus uſurparunt. Id enim Hamalarius teſtatur libro III. Cap. de ſitu Eccleſiæ: Ipſa vocatur KYRICA. quia eſt DOMINICALIS. Latina autem vox celebrioribus, quibus Epiſcopi & potiſſimum Archiepiſcopi præſident, eſt attributa. Ea enim ædes etiam nunc Germanis potiſſimum, a prima videlicet ſyllaba (nam monoſyllabis gens illa gaudet) DOM vocatur, quod hodie a Mediolanenſibus quoque fit*. Hæc Caſſander. Quod ſi mente recolimus initia converſionis noſtræ, eam non Græcis, ſed Romanis, aut Romæ minimum informatis hominibus debemus omnino. Et primos vetuſtiorum Epiſcopatuum noſtrorum e. g. Trevirenſis, Moguntini, Colonienſis, Argentinenſis aliorumque Præſules Latini generis fuiſſe vel ex primo nominum ipſorum intuitu apparet. Unde concludo hos templis a *Domino* nomen, apud nos tandem in *Dom* & *Thum* corruptum, indidiſſe. Sed unde fit, quod cæteræ Eccleſiæ minores κυριακαὶ vel *Kirchen* nobis dicantur, & quando, & per quos hoc nomen in uſum deductum ſit, hoc diſquiſitione indiget. Si a Romanis Germaniæ illatum fuiſſet, ejus nominis veſtigia etiam in Romanorum ſcriptis & monumentis apparere, atque in regionibus Italorum, Gallorum & Hiſpanorum præcipue occurrere deberent. Ibi vero nihil tale reperitur; & poſteri Romanorum Itali templum *Chieſa*, Franco-Galli *egliſe* nominant, voce ab *eccleſia* corrupta. Hiſpani *templo* uſurpant; Germanis autem vicini populi propriæ linguæ vocabula eccleſiis impoſuerunt; ſic Ungaris templum eſt *Egyhaz*, hoc eſt, unitatis vel congregationis in unum domus; Bohemis *koſtel* & Polonis *koſchiol*, quaſi oſſuarium a Boh. *koſtel*, Pol. *koſe*, os; unde Polonis *koſci*, reliquiæ mortuorum, cinereſque. Quod ſi monumenta patria conſulimus, invenimus apud veteres Francos ſub Regibus Merovingis vocem *kirche* nondum uſitatam fuiſſe. In Lege enim Salica titulo LXXI. Baſilica dicitur *alutrude*, hoc eſt, *ædes Domini*. Neque apud nos Cis-Rhenanos vel in veteribus libris vel in nominibus locorum ante ſeculum octavum adhibitam fuiſſe reperio. Certe nec dum in Gloſſariis Francicis Carolinis, quorum copiam habeo, expreſſa eſt. Unde hoc nomen, quando illa conciperentur, nondum in ſcripta receptum fuiſſe conjicio, licet plebs eadem tunc uti inciperet fortaſſis. Seculo itaque octavo vox *kirche* ad nos deveniſſe debuit. Crebræ circa id tempus *Scotorum* ſive *Hibernorum religioſorum* coloniæ in Germaniam venere; ex quibus S. Gallus Helvetiis, S. Wili-

cedatur, ut super quatuordecim seu super quadraginta noctes eum repræsentare studeat; aut ipse in rem [α] respondeat.

TITULUS XXXI.

*De homine ingenuo repræsentando.*

I. QUod si homo ingenuus in obsequio alterius inculpatus fuerit, ipse qui eum post se eodem tempore retinuit [β], in præsentia judicis similiter, sicut superius comprehensum est, repræsentare studeat, aut in rem respondere.

II. Quod si eum non repræsentaverit, tale damnum incurrat, quale ille sustinere debuerat, qui in ejus obsequio est inculpatus.

III.

α Lindenbr, *Inde*. Herold. *in re*. β Lindenbr. *Tenuit*.

librodus Frisiis, S. Bonifacius cum sociis reliquæ Germaniæ evangelium prædicarunt. Idem tunc S. Bonifacius *Archiepiscopus Moguntinus* factus est, & *Salisburgo, Herbipoli, Eichstadio, & Ratisbonæ Episcopos ex gente sua præfecit*, prætereaque *Monasterium Fuldense* fundavit. Et cum hactenus, præter *Metropoles*, paucæ admodum Ecclesiæ minores extarent, ab hoc tempore tales magno numero auctoribus Apostolis Scotis & Monachis etiam Fuldensibus extrui ac nomine Scotis usitato vocari cœpisse videntur, *Dominicarum* vel *Dom* appellatione majoribus Ecclesiis a Romanis olim extructis relicta; quæ etiam adhuc iisdem a nobis tribuitur. Non immerito autem suspicor Scotos sive Hibernos, Germaniæ ferme universæ Apostolos, vocabulum hoc secum illo ævo, & quidem, ut jam monitum, seculo octavo apportasse. Nam habebant illi ante Augustini tempora, a Gregorio Papa in Britanniam missi, cultum sacrorum a Latina sive Romana Ecclesia in multis differentem; Pascha etiam alio, quam Romani, tempore celebrabant. Hos vero ritus ex Oriente dubio procul hauserant; peregrinationibus enim semper diditi fuerunt Scoti, Orientemque ab antiquo frequentarunt. Pelagius certe, *Scotus* natione, illum sua hæresi non modicum perturbavit; nec solum eum, aut primum suorum, ibi egisse credibile est. Ipsius Bonifacii tempore Zacharias Papa apud Othlon. Vit. Bonif. lib. II. cap. 9. scribit: *Novissime vero tuis temporibus Theodorus ex Græco Latinus arte Philosophus & Athenis eruditus, Romæ ordinatus, Pallio sublimatus ad Britanniam præfatam transmissus judicabat & gubernabat*. Unde evidens & homines e Græcia in Britannia fuisse. Ibi vero & in cætero Oriente Græcus sermo in sacris ubique adhibebatur; unde vocem κυριακὴ inde cum religione & cum Scotis Græcisque in Britannicas insulas, præcipue vero in Scotiam veterem, hoc est, Hiberniam, transiisse, verosimile esse, quis non videt? Communicata hinc est etiam Anglo-Saxonibus, licet hi deinde, spreta veterum Britannorum doctrina, Augustinum Romanarum partium hominem, in fidei sententiis sint secuti. Vox certe hæc frequenter in Regis Alfredi versione Bedæ, aliisque veterum Anglorum monumentis, occurrit, *cyricea*, *cyric*, *ciric*, *circ*, scripta; unde Angli suum *Church* corruperunt. Apud nos ego primum illam inveni in seculi octavi & noni Codicibus. Amalarii locum supra notavi quem non Trevirensem, sed Metensem Episcopum fuisse scio. In vulgatis quidem editionibus paulo aliter legitur; sed Cassandri Codicem, forte Ms. hæc ita expressisse non est dubium. Interim lætor, postquam edideram meum schediasma, suggesta mihi, quæ exciderant tunc, Walafridi de eadem re verba: *Ab ipsis autem Græcis Kirch a κύριο & Pabst a Papa, & herr ab eo quod est heros, & mon & monath a μήνη & alia multa accepimus. Sic etiam κυριακὴ, id est Dominica a Domino nuncupatur, quia Domino dominantium & Regi Regum in illa servitur*. Licet autem quædam erronea huic loco insint, ostendit tamen seculo nono creditum jam fuisse *Kirche* ex κυριακὴ formatum esse. Multo antiquior versio fragmenti Isidori seculo VII. conscripta, in qua *chiriihha* pro ecclesia jam exstat. Sed versio illa hominem Gothum authorem habet, & Gothi diu ante nos & litteras & religionem a vicinis ipsis ad Istrum Græcis receperant. Unde hoc testimonium ad nos trahi nequit, Ex Treverici Templi primarii Bibliotheca Browerus Legem Ludovici & Lotharii Impp. quæ Capitul. Lib. IV. cap. 19. continetur, Theotisce versam exhibet. Ibi vero verba, *cum illa ecclesia*, vertuntur *bit theru Kirichun*. Formula Confessionis ejusdem seculi noni, quam ex Flacio, Goldasto & Browero in Monumentis Catechericis num. VII. edidimus, quæque etiam in Codice membranaceo Bibliothecæ Juliæ, seculo undecimo exarato, exstat, habet: *ib ci chirichunni quam*; h. e. *ego ad Ecclesiam non veni*. In alia Confessionis formula, quæ ex Lambecio ibidem a nobis num. VIII. exhibita est: *daz ib mina chirichun ne suahda*; i. e. *quod meam ecclesiam non visitaverim*. Ibidem: *daz ib in chirichun unrechtes dahda*; i. e. *quod in Ecclesia injusta cogitaverim*. In vita Ezonis Palatini, seculo undecimo confecta, nominatur locus *Didinckirica*, unde scripturam vocis, eo tempore usitatam discimus. Nos tandem inde *kirche* fecimus, & Helvetii *kilche*. Saxones *kerke* & rustice *karke*, Dani *kircke*, Sueci *kyrkia*, & Finni *kircko*. Ex Slavicis populis Lusati illud nomen in *zirkwa*, Slavoni in *zerkou*, Dalmatæ in *Czrikva* transformarunt. Carniolani diminutiva forma *zirkuiza* idem efferunt; unde Valvasoris judicio, *Cirkniccensi* oppidulo & lacui adsito nomen. Hiberni de cætero nostræ ætatis vocabulum corrupte *kill* enunciant, ecclesiamque etiam *Eaglais*, item *koivthiònol* & *kovchrwimne aghadh*, Lhuydio teste, vocant. Hæc sunt, quæ de origine vocis *kirche* scripsi, quæ si non alium usum habuere, produxerunt tamen eadem de re dissertationes elegantissimas duorum Theologorum insignium, *Johannis Diecmanni* Ecclesiarum Ducat. Brem. & Verd. Superintendentis Generalis, & *Henrici Muhlii* Procancellarii ac Theologi in Ecclesia & Academia Holsatica primarii. Prior a voce veteri Germ. *Chi riiba*, regnum; alter ab Hebraico קרא, convocare, *kirche* deflexit. Sed, cum neutrum horum vocabulorum *templo* sive *ædificio*, in quo ecclesia, sive cœtus fidelium a Deo invisibiliter convocatus, & in regnum sibi collectus, visibiliter coadunatur, conveniat; & *kirche* tamen de *ædificio* omnium primo apud nos accipiatur; nec *chi riiba*, sed saltem *riibe* pro *regno* in veteribus monumentis occurrat; ego quidem calculum iis meum adjicere nequeo; summam tamen amborum eruditionem, quam in sententia propria stabilienda adhibuerunt, & tacita veneratione suspicio, & publico elogio dignissimam habeo. Interim, si aliunde quam a κυριακὴ *kirche* ortum est, a supra recensito *baruc* vel *charaga* certissime descendit, licet id vetustissimus Bedæ glossator ignorarit, & *templum dæmoniorum* solum interpretatus sit,

III. Hoc autem constituimus, ut infra pagum Ripuarium tam Franci, Burgundiones, Alamanni, seu de quacunque natione commoratus fuerit, in judicio interpellatus, sicut lex loci continet, ubi natus fuerit, sic respondeat.

IV. Quod si damnatus fuerit, secundum legem propriam, non secundum Ripuariam, damnum sustineat.

V. Quod si in provincia Ripuaria juratores invenire non potuerit, ad ignem seu ad sortem se excusare studeat.

### TITULUS XXXII.

*De mannire* (1).

I. SI quis legibus ad mallum mannitus fuerit, & non venerit, si eum sunnis non detenuerit, quindecim solidis culpabilis judicetur. Ille vero qui alium mannit, & ipse non venit, similiter quindecim solidis culpabilis judicetur.

II. Si autem mannitus fuerit ad secundum mallum, aut ad tertium, seu ad quartum, vel quintum, usque ad sextum venire distulerit, pro unoquoque mallo, si ille qui eum mannit, cum tribus Rachinburgiis in haraho conjuraverit quod legitime mannitus fuerit, quindecim solidis culpabilis judicetur.

III. Quod si ad septimum mallum non venerit, tunc ille, qui eum mannit, ante comitem cum septem Rachinburgiis in haraho jurare α debet, quod eum ad strudem (2) legitimam admallatum habet; & sic judex fiscalis ad domum illius accedere debet, & legitimam strudem exinde auferre, & ei tribuere, qui eum interpellavit, hoc est, septem Rachinburgiis, unicuique quindecim solidos, & ei qui caussam prosequitur β, quadraginta quinque.

IV. Quod si ipsam strudem γ contradicere voluerit, & ad januam suam cum spata tracta accesserit, & eam in porta sive in poste δ posuerit, tunc judex fidejussores ei exigat, ut se ante Regem repræsentet, & ibidem cum armis suis contra contrarium suum se studeat defensare.

### TITULUS XXXIII.

*De intertiare* (3).

I. SI quis rem suam cognoverit, mittat manum super eam ε. Et si ille ζ, super quem intertiatur, tertiam manum quærat, tunc in præsente η ambo conjurare debent cum dextra armata, & cum sinistra ipsam rem teneant. Unus juret, quod in propriam rem manum mittat, & alius juret, quod ad eam manum trahat, qui ei ipsam rem dedit. Et si infra ducatum est, super quatuordecim noctes auctorem suum repræsentet. Si foris ducatum, super quadraginta. Si autem extra regnum, super octuaginta ad regis stapplum (4), vel ad eum locum, ubi mallus est, auctorem suum in præsente habeat.

II. Quod si eum ibidem habere non po-



α Lindenbr. *Conjurare*. β Herold. *Sequitur*. γ Lindenbr. *Ipse strudem*. δ Lindenbr. *In coste*. ε Al. *Manum suam per eam*. ζ Herold. *Et sic ille*. η Al. *In præsentia*.

(1) *De mannire.*) Lex Sal. Tit. I. Capitular. lib. III. cap. 45. & Lib. VI. cap. 211.

(2) *Ad strudem.*) Vox hæc hactenus a nemine exposita est. Repetitur ea hoc ipso titulo adhuc duabus vicibus, & titulo quoque LI. leg. 1. Loca hæc si conferas invicem, apparet, Legis sensum esse: Si aliquis per septem vices legitime citatus, non comparuisset, tunc aliquid ex domo ipsius ablatum & actori & Rachimburgiis sive Scabinis adsistentibus distributum fuisse. Id quod auferebatur, *strudis legitima* vocatur, sive legibus concessa. Quid igitur *strudis* sit, ex monumentis Anglosaxonicis repetendum est. Anglosaxonum enim lingua exacte cum vetustissima lingua Francica congruit, & sæpe voces suppeditat in Theotisco idiomate deperditas. Bensonius in Vocabulario: *Strudan, spoliare. Strudend, direptor. Strudere, grassator, lucrio, raptor. Strudunge, rapina.* Unde patet, *strudem* hinc exponi debere *direptionem, rapinam*, quæ judicialiter in bonis post septem citationes non comparentis rei fiebat.

(3) *De intertiare.*) Til. *de intertiata re*. Sichardus: *de intertiatione*. *Intertiare* Lex Salica *in tertiam manum mittere* exponit. Est enim idem ac *sequestrare*. Vide quæ dicta sunt ad Pact. Leg. Sal. Tit. L. qui cum nostro hoc loco congruit.

(4) *Ad regis stapplum.*) Repetitur eadem locutio infra Tit. LXVII. & Tit. LXXV. Sichardus hic corrupte habet, *ad regis stans polum*; Heroldus scribit *stapspolum*, Tilius *staffolum*, Codex Goth. *stabulum*. Cangius *staplum* exponit *palatium, domum, ædes*. Sed errat. *Staplus* enim Germanice *staffel* denotat *gradum*. Unde locutio *auf die hœchste staffel des glücks kommen*, h. e. *ad summum honoris gradum pervenire*. Glossarium Rabani Mauri Ms. *Passus, stapheo*. Idem alibi: *Gradatim, stapsmalum*. Jam notum est a gradibus, quibus ascenditur, *tribunal episcopale* sive *umbonem, cathedram sacram* & *suggestum gradus* nominari in Scriptoribus Medii ævi ecclesiasticis. Et Prudentii locus huc pertinet, ubi Hymn. D. Hippolyti versu 225. canit:

*Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal*
*Scanditur, antistes prædicat unde Deum.*

Sulpitius Severus Dialogo III. de S. Martino refert, quod in secretario sedens nunquam cathedra usus sit, & mox fastum nescio cujus redarguens addit: *Nam in ecclesia nemo unquam illum sedere conspexit, sicuti quendam nuper (testor Dominum) non sine meo pudore vidi sublimi solio, quasi Regio tribunali, celsa sede residentem.* Cum igitur tribunalia gradibus adscenderentur, quod pluribus Val. Chimentellius in erudito *de honore Bisellii* libello cap. 15. demonstrat, inde ab iis sedi regiæ vel solio nomen etiam apud Francos tributum verosimile est. *Staplus* ergo hic *gradum, tribunal, solium*, proprie designat. Alio sensu Legis Sal. Tit. LVII. leg. 3. adhibita est eadem vox pro *statua honoraria sepulchro imposita*, de quo ibi notata nostra vide.

tuerit, sibi septimus in haraho conjuret, quod eum ibidem legibus mannitum habuisset, & sibi ab alio homine ipsa res tradita non fuisset. Sic ei placitum super quatuordecim seu super quadraginta vel octuaginta noctes detur, ut cinewerduniam [α] (1) suam in præsentia testium recipiat, & ei qui rem suam intertiavit, probabiliter ostendat. Et tunc ipse de furto [β] (2) securus sit, & ille qui intertiavit, furtum & delaturam [γ] ab eo requirat, qui solvere cœpit.

III. Quod si auctor suus venerit, & rem intertiatam recipere renuerit [δ], tunc ille, super quem intertiata est, capitale & delaturam atque furtum solvere studeat.

IV. Quod si in ipsa hora, quando res intertiatur, responderit, quod fordronem (3) suum nesciat, tunc in præsente de sacramento sibi septima manu fidem faciat, & super quatuordecim noctes adjurare [ε] studeat quod auctorem vel casam seu postem januæ auctoris sui nesciat, & ipsam rem sine damno reddat.

## TITULUS XXXIV.

*De raptu ingenuarum* [ζ] *mulierum* (4).

I. SI quis ingenuus homo ingenuam feminam rapuerit, bis centenis solidis noxius judicetur. Quod si tres ingenui cum ipso fuerint, unusquisque eorum sexaginta solidis noxius judicetur. Et quanti super illos quatuor fuerint, unusquisque quindecim solidis noxius judicetur.

II. Quod si regius aut ecclesiasticus homo hoc fecerit, centum solidis culpabilis judicetur.

III. Similiter illi tres [η] qui ei auxilium præbuerint, unusquisque triginta solidis culpabilis judicetur. Et quanti super hos fuerint, unusquisque octavo semisolido multetur.

IV. Quod si servus hoc fecerit, de vita componat.

## TITULUS XXXV.

*De eo qui uxorem alienam* (5) *tulerit.*

I. SI quis uxorem alienam tulerit vivo marito, ducentis solidis multetur.

II. Si quis cum ingenua puella mœchatus fuerit, quinquaginta solidis culpabilis judicetur.

III. Si quis ingenuam puellam vel mulierem, quæ in verbo Regis vel ecclesiastica est, accipere vel seducere præsumpserit [θ], seu parentum (6) voluntate de mundeburde abstulerit, sexaginta solidis culpabilis judicetur.

## TITULUS XXXVI.

*De diversis interfectionibus* (7).

I. SI quis Ripuarius advenam Francum interfecerit, ducentis solidis culpabilis judicetur.

II. Si quis Ripuarius advenam Burgundionem interfecerit, centum sexaginta solidis culpabilis judicetur.

III. Si quis Ripuarius advenam Romanum interfecerit, centum solidis multetur.

IV. Si quis Ripuarius advenam Alamannum, seu Fresionem, vel Bajuvarium, aut Saxonem interfecerit, centum sexaginta solidis culpabilis judicetur.

V. Si quis clericum (8) interfecerit, juxta quod nativitas ejus fuit, ita componatur. Si servus, sicut servum. Si regius aut

[α] Al *Sinewverduniam; civeverduniam.* [β] Herold. *De futuro.* [γ] Herold. *Dilationem.* [δ] Lindenbr. *Accipere renuerit.* [ε] Herold. *Id jurare.* [ζ] Herold. *Ingenuorum vel.* [η] Al. *Alii tres.* [θ] Lindenbr. *Acceperit vel seduxerit.*

(1) *Cinewerduniam.*) Vox hæc repetitur etiam Tit. LXXII. leg. 3. 6. 7. Ex ejusdem Tituli lege 5. si cum antecedentibus & consequentibus comparetur, elucet, id quod alibi *cinewerdunia* vocatur, hic *pretium rei* dici. *Pretium* vero Germanice est *die werdung*, usitatius *der werth*; & in Pacto Salicæ Legis Tit. XXXII. leg. 17. *uuiradardi*, alibi *wirito*, *viridio*, *wirdira* & *uuerdarda* scribitur. Ex illo vero *werdung*, Latina terminatione data, sponte fit *werdunia*. Quod antecedit *cine*, Lindenbrogius in Glossario Anglosaxonico *quaternio* expositum invenit. In Bensonii Vocabulario idem reperio, sed corruptionem utrobique latere suspicor: & forte scriba *cinewerdunia* invenit (ubi ultimum *vverdunia* per *quaternionem*, quanquam hic non apposite, redditum fuit), atque ex eo priorem vocis partem, posteriore oscitanter omissa, *quaternionem* interpretatus est. *Quaternio* certe in glossario Boxhorniano primo *fioring* exponitur. Saxones nostri *veerdung* dicerent. Ego *cine* idem esse puto ac Belgicum *zijn*, Sax. *sin*, suus; ut ita *cinewerdunia* sit *rei pretium*, vox in jure Ripuario usitata. Codex de cætero Gothanus corrupte hanc vocem *decine vel dunia*, Heroldus *cina vuerduniam*, Tilius *cive uerduniam* scribunt. Omnes, quod notandum, vocem divident; unus Codex Corbionensis *de cinuverduinia* conjunctim, teste Baluzio, habet.

(2) *De furto.*) Codex Gothanus: *de texaga.*

(3) *Fordronem.*) *Fordro* hic dicitur is, qui rem intertiatam tanquam suam postulat & repetit, Junius in Notis ad Willeramum pag. 88. annotat, Belgarum verbum *vorderen* poni pro *voce ciere aliquem ac jugi clamore, ut se sistat, urgere*, Apud Willeramum *fortheren* est *petere, postulare, urgere*, Vid. pag. 42. 92. 128. Nobis *fordern* & *fodern* eodem sensu restat. Unde *fordrer*, & Lat. *fordro* est, qui postulat, urget vel quærit aliquid.

(4) *De raptu ingen. mul.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XIV. & XV.

(5) *Uxorem alienam.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XIV. & XV.

(6) *Seu parentum.*) Heroldus: *sine parentum.*

(7) *De div. interfect.*) V. Pact. Leg. Sal. Tit. XLIV. Lex Sal. ed. Lindenbr. Tit. XLIII.

(8) *Si quis clericum.*) Baluzius annotat, Caput hoc in Cod. Corboniensi legi: *Si quis clericum ingenuum interfecerit, bis quinquagenos solid. culp. jud. si quis subdiaconum &c.*

aut ecclesiasticus, sicut alium regium aut ecclesiasticum. Si litus, sicut litum. Si liber, sicut alium ingenuum cum ducentis solidis componat.

VI. Si quis Subdiaconum interfecerit, quadringentos solidos componat.

VII. Si quis Diaconum interfecerit, quingentos solidos componat.

VIII. Si quis Presbyterum ingenuum interfecerit, sexcentos solidos componat.

IX. Si quis Episcopum interfecerit, nongentos solidos componat.

X. Si quis partum in femina interfecerit, seu natum priusquam nomen habeat, centum solidis culpabilis judicetur. Quod si matrem cum partu interfecerit, septingentis solidis [α] multetur.

XI. Si quis weregeldum (1) solvere debet, bovem cornutum videntem & sanum pro duobus solidis tribuat, vaccam cornutam videntem & sanam pro uno solido tribuat, equum videntem & sanum pro sex solidis tribuat, equam videntem & sanam pro tribus solidis tribuat, spatam (2) cum scogilo (3) pro septem solidis tribuat, spatam absque scogilo pro tribus solidis tribuat, bruniam (4) bonam pro duodecim solidis tribuat, helmum (5) cum directo (6) pro sex solidis tribuat, bainbergas (7) bonas pro sex solidis tribuat, scutum cum lancea pro duobus solidis tribuat, acceptorem non domitum pro tribus solidis tribuat, commorsum gruarium (8) pro sex solidis tribuat, acceptorem mutatum (9) pro duodecim solidis tribuat.

XII. [β] Quod si cum argento solvere contigerit, pro solido duodecim denarios, sicut antiquitus est constitutum.

## TITULUS XXXVII.

### *De dotibus mulierum* (10).

I. SI quis mulierem desponsaverit, quicquid ei per tabularum seu chartarum in-

α Herold. *DCCC. solid.* β Caput istud deest in edit. Lindenbrogii; habetur tamen in Herold. & Eccard.

(1) *Weregeldum.*) Compositio hominis hic *weregeldum* dicitur. Vide ad Salicam Legem notata. Cod. Goth. male hic *wedregeldum* habet, quod est *compensatio* aliarum rerum.

(2 *Spatam.*) Spatam esse Francorum *gladium majorem*, notum est, Italis *spada* & Gallis *epèe*, inde gladium adhuc designare. Glossographi hic magnum exemplorum cumulum congessere, nosque ea opera levarunt.

(3) *Scogilo.* Sichardus *scogilo*, Cod. Goth. *scogila*. Annotatum jam est ab aliis, quosdam codices etiam *scoilo* & *soilo* habere. In Legibus Henrici I. Angl. Regis cap. 83. legitur; *Si inter aliquos ... dissensio consurgat, ex quo aliquis eorum gladium scogilatum evaginat, non est etiam exspectandum, ut percutiat.* Heccardi Comitis Testamentum in Perardi Burgundicis pag. 26. *Theodorico aut Richardo filio meo donate spada spansigil.* Ubi sine dubio legendum: *spada cum scogilo.* Ex quibus locis manifestum est, *scogilo* vaginam spatæ denotari, quæ Francis artificiose contectæ in usu erant, ut ex descriptione vaginæ gladii Caroli M. apud Monachum Sangallensem lib. I. cap. 36. videre est. Ut autem AS. *scob*, Theot. *scuoh* & recentius *schu*, *calceum*, qui quasi est *vagina* vel *tegumentum pedis*, ita diminutivum inde factum *scogil*, *tegumentum gladii* sive *vaginam* significat, quæ nobis jam *scheide*. Scogili voci cognata sunt *schale* & Sax. *schelle*, cortex.

(4) *Bruniam.*) H. e. loricam, thoracem. Vide, quæ supra monuimus.

(5) *Helmum.*) Glossæ Mss. Florentinæ: *Cassis, helm.* Glossariolum Boxhornianum primum: *Galea, helm*, Glossæ Mss. ad Bedæ Gutbertum: *Cono, id est, helme.* Vox derivata ab *helen*, celare; quia caput galea celat. Eodem modo Itali cassidem *celata* vocant. Olim pro omni re, quæ aliquid contegit, usurpata fuit. Unde in Glossario Ms. Rabani Mauri: *Latibulum, helm.* Anglosaxonibus *hælme* est *culmen*, *tectum*. Verelius in Notis ad Herrauds-Saga pag. 83. observat, suis *hialm* esse tectum quatuor perticis affixum fœno vel segetibus tegendis aptum, quod pro usu funibus trochleæ insertis attolli vel demitti possit. Pictorius in diction. Helvetico: *Helmhauss, ein schopf oder kedekt ort, da man zusammen kumpt sich zeersprachen und die leut auszerichten*, *præstega*.

(6) *Helmum cum directo.*) Cod. Guelferb. *conderictum*, Cod Goth. *helmo condricto*, Cod. Corbionensis apud Baluz. *conderecto*, Tilius *pro conderecto*. Per *directum* apicem galeæ cum Cangio indicari puto.

(7) *Bainbergas,*) Arma crurum, munimenta tibialia. Cod. Goth. *baimbargas*. Glossæ Florentinæ: *Ocreæ, arma crurum, benbergd.* Testamentum Everhardi Comitis in Dacherii Spicileg. Tom. XII. pag. 493. *Bruniam unam & helmum cum halsberga & manicam unam, brimbergas duas.* Ubi legendum *beinbergas*. Quando autem indumentum ferreum, quod collum munit, dicitur *halsberga*, ita crurum munimentum vocatur *beinberga* a *bein*, tibia, crus, & *bergen*, condere, munire.

(8 *Commorsum gruarium.*) Hæc verba neque in Lindenbrogii editione, neque in Codice Guelferbytano extant; habentur tamen apud Sichardum, Heroldum, Tilium & Baluzium. *Gruem* nominatum vidimus in Leg. Sal. Tit. VII. leg. 8. Non improbo autem Wendelini conjecturam, qui in Legibus hisce per *grues* intelligi putat *ardeas*, quæ nobis *reiher* vocantur. *Gruarius* itaque est *accipiter in gruum venatione, & pugna cum iis, exercitatus.* In Lege Aleman. Tit. IC. is, *accipiter qui gruem mordet*, nominatur. Lex Bajoar. Tit. XX. cap. 1. leg. 1. *cranohari* appellat.

(9) *Mutatum.*) Accipitres quotannis pennas mutant; sed primum non ante quam annum exegerint; *mutatus* ergo *acceptor* hic est idem ac *anniculus*, sive *qui jam annum egit & plumas exuit.* Galli talem *muè* vocant, & mutationem pennarum, quæ fit in accipitre singulis annis, *la mue*, Lat. *mutum*. V. Friderici II. lib. I. de Venatione cap. 46. Græcos recentiores idem μῦτα enuntiare ex Demetrii CPtani Hieracosoph. lib. II. cap. 59. & 53. patet. Vox vero hæc non Latina, sed Germanica est, & radix apud nos latet. Saxonum enim rustici vulgo *muten* adhuc pro *faciem detergere, faciem nitidam reddere*, usurpant. Ab hominibus deinde ad oves hoc translatum est, veteres pennas abjicientes & nitidiores recipientes.

(10) *De dotibus mulierum.*) De dote apud Fran-

instrumenta conscripserit, perpetualiter inconvulsum permaneat.

II. Si autem per seriem scripturarum ei nihil contulerit, si virum supervixerit, quinquaginta solidos in dotem recipiat, & tertiam partem de omni re, quam simul conlaboraverint, sibi studeat evindicare; vel quicquid ei in morgangeba (1) traditum fuerat, similiter faciat.

III. Quod si ex his, quæ conscripta vel tradita sunt simul consumpserint [α], nihil requirat.

TITULUS XXXVIII.

*De eo qui hominem innocentem (2) ad Regem (3) accusaverit.*

SI quis hominem innocentem ad Regem accusaverit, sexaginta solidis culpabilis judicetur.

TITULUS XXXIX.

*De eo qui ingenuæ mulieri manum vel brachium strinxerit (4).*

SI quis ingenuæ mulieri manum strinxerit, quindecim solidis culpabilis judicetur. Certe si super cubitum manum miserit, triginta solidis multetur.

TITULUS XL.

*De caballo extra consilium (5) domini sui ascenso.*

SI quis caballum extra consilium [β] domini sui ascenderit, triginta solidis culpabilis judicetur.

TITULUS XLI.

*De ligaminibus (6) ingenuorum.*

I. SI quis ingenuus ingenuum ligaverit, & ejus culpam cum sex testibus in haraho [γ] non adprobaverit, triginta solidis culpabilis judicetur.

II. Si quis a contubernio probabiliter ligatus super res alienas fuerit, eum ad excusationem non permittimus.

III. Sed si unus homo cum satellitibus suis hominem ligaverit, aut ipsum excusare permittimus, aut proximus ejus, quod innocens ligatus sit, cum sex juret.

TITULUS XLII.

*De venationibus (7).*

I. SI quis de diversis venationibus furaverit [δ] aliquid, & celaverit, seu & de piscationibus, quindecim solidis culpabilis judicetur. Quia non est hæc res possessa, sed de venationibus agitur.

II. Si quis cervum domitum vel cum triutis (8) occiderit, aut furatus fuerit, non sicut de reliquis animalibus furtum exigatur, sed tantum quadraginta quinque solidis culpabilis judicetur.

III. Si autem in venatione non fuit, triginta solidis culpabilis judicetur.

TITULUS XLIII.

*De sepibus (9).*

SI quis vero tres virgas unde sepis ligatur, vel retortas unde sepis continetur, ca-

[α] Addit Lindenbr. *Aliquid*. [β] Herold. *Consensum*. [γ] Al. *Arabo*, *aracho*. [δ] Herold & Lindenbr. *Furatus fuerit*.

Francos erudite commentatus est Hier. Bignonius in Not. ad Formularum Marculfi lib. II. cap. 15. quo continetur *libellus dotis*, qualis in lege nostra describitur. Similes alii hujus argumenti libelli in Formulis Andegavensibus cap. 34. & 39. nec non in Appendice ad Form. Marculf. cap. 37. & in Formulis secundum Legem Romanam cap. 14. reperiuntur; ex quibus apparet, dotem non a sponsa ad maritum, sed a sponso ad sponsam venisse, quod & Tacitus jam in Germanis sui ævi observavit.

(1) *Morgangeba.*) Verbotenus est *donum matutinale*. Præter dotem enim novus maritus uxori post primam noctem exactam aliquid donabat, quod a dote in Formula Marculfi citata solicite distinguitur. Idem factum est in Pactione Andelaensi apud Gregorium Turonens. lib. IX. cap. 20. ubi legitur: *De civitatibus vero, hoc est, Burdegala, Lemovica, Cadurco, Benarno & Begoira, quas Gailesvindam germanam domnæ Brunichildis, tam in dote, quam in morganegiba, hoc est, matutinali dono, in Franciam venientem certum est adquisivisse*. Speculum Saxonicum Artic. 20. *Nuhn vernembt, was ein jeglich mann von Ritters art seinem weib zu morgengaab gebe, des morgens, als er mit ihr zu tische gehet, vor essen*. Cætera Glossographi suppeditabunt, & Baluzius in nota erudita ad nostrum Ripuariæ Legis locum.

(2) *De eo, qui hominem innocentem &c.*) Lex Sal. Tit. XXI.

(3) *Ad Regem.*) Sichardus, Tilius & Lindenbrogius rectius: *apud Regem*.

(4) *Manum vel brachium strinxerit.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XXIII.

(5) *De caballo extra consilium &c.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XXVI.

(6) *De ligaminibus &c.*) Pact Leg. Sal. Tit. XXXV.

(7) *De venationibus.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XXXVI.

(8) *Cum triutis.*) Sich. *cum truncis*, Tilius, *cum troutis*, Cod. Goth. *vel triudes ad venationem*. Vulgaris lectio melior est. Qui hic *triuti* sunt, in Lege Alemannorum Tit. XCIX leg. 2. 3. & 8. *treudes* vocantur. Utrique nomine *pulli cervini* indicantur. *True* veteribus Germanis & Saxonibus, & *treue* Germanis præsentibus est *fidelis*, *obsequens*; quod nomen etiam *iis qui nos sequuntur, sive nobis obediunt*, datum, & olim *trut* & *treut* scriptum fuit. Ita, ubi Psalmo CIV. 42. legitur: *Quo memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum*; hoc Notkerus transtulit: *Daz teta er allez, uuanda er irbugeta fines gebeizes, den er Abrahe teta sinemo trute*. Ibidem Psalmo CXVIII. 161. Paulus Apostolus *gotis trut* vocatur. Quam diu igitur pulli cervini cervum vel cervam sequuntur, eique fideles quasi existunt, idem nomen olim meruere.

(9) *De sepibus.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XXXVII. leg. 1.

capulaverit, aut tres cambortas [α] involaverit, seu in clausura aliena traugum [β] (1) ad transeundum fecerit, quindecim solidis multetur.

## Titulus XLIV.

*De eo qui [γ] in messe aliena cum carro (2) transierit.*

SI quis per messem alienam cum carro, vel carruca transierit, quindecim solidis multetur.

## Titulus XLV.

*De eo qui nesciente homine aliquam furtivam rem in domum (3) illius introduxerit.*

SI quis nesciente homine (4) furtivam rem [δ] in ejus possessionem introduxerit, & ibidem inventa fuerit, quadraginta quinque solidis culpabilis judicetur; vel quicquid ei damnum accesserit, aliud tantum restituat.

## Titulus XLVI.

*De quadrupedibus, si hominem occiderint (5).*

I. SI quis quadrupes hominem occiderit, ipse quadrupes, qui eum interfecit, in medietatem weregildi suscipiatur, & aliam medietatem dominus quadrupedis solvere studeat absque fredo: quia quod quadrupedes faciunt, fredus exinde non exigitur.

II. Quod si quadrupes quadrupedem interfecerit, dominus quadrupedis quadrupedem mortuum vel debilem recipiat; & eum [ε], qui alium interfecerit, domino ejus, cujus quadrupes est interfectus, ipsum quadrupedem tribuat, & quantum interfectus vel debilis prius valuerat solvat.

## Titulus XLVII.

*De vestigio minando (6).*

I. SI quis animal suum per vestigium sequitur, & tertio die in domo cujuslibet vel in quolibet loco eum invenerit, liceat ei absque intertiato revocare.

II. Quod si in domo fuerit, & ei scrutinium, cujus est domus, contradixerit, ut fur habeatur.

III. Quod si ibidem violenter ingressus fuerit, quindecim solidis multetur, aut cum sex juret.

## Titulus XLVIII.

*De homine qui sine heredibus moritur (7).*

SI quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit, omnem facultatem suam in præsentia Regis, sive vir mulieri, vel mulier viro, seu cuicunque libet de proximis vel extraneis, adoptare in hereditatem vel adfatimi per scripturarum (8) seriem, seu per traditionem, & testibus adhibitis, secundum legem Ripuariam licentiam habeat.

## Titulus XLIX.

*De adfatimire (9).*

QUod si adfatimus (10) fuerit inter virum & mulierem, post discessum amborum ad legitimos heredes revertatur; nisi tantum, qui parem suum supervixerit, in eleemosyna vel in sua necessitate (11) expenderit.

T I-

[α] Herold. *In cambortes.* [β] Al. *Jugum; tresjugum.* [γ] Herold. *De his qui . . . . transierint.*
[δ] Addit Lindenbr. *In domum vel &c.* [ε] Lindenbr. *Et ipsum quadrupedem.*

---

(1) *Traugum,*) H. e. foramen, aperturam. Unde Gall. *trou*, quod Picardi *treu*, Occitani & Vascones *trau* enunciant.

(2) *In messe aliena cum carro &c.*) Pact. Leg. Sal. ibidem leg. 2.

(3) *Furtivam rem in domum.*) Pact. Leg. Sal. ibidem leg. 4.

(4) *Homine.*) Melius in Lege Salica est *domino*.

(5) *De quadrupedibus, si hom. occid.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XXXIX.

(6) *De vestigio minando.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XL.

(7) *De homine qui sine hered. mor.*) Vid. Pact. Leg. Sal. Tit. XLIX.

(8) *Adfatimi per script.*) Cod. Goth. *adfatim*, Herold. *ad fatinnire*, Til. *in adfatimi*, Legendum omnino *adfatimire*, vel, ut Heroldus habet, *adfatinnire*. *Adfatomiæ* mentio est in Capitulari anni DCCCXIX. Legi Salicæ addito; unde patet, vocem tunc non amplius intellectam. *Adfatimus* illa scribitur in Legis nostræ paragrapho sequenti. Lex Salica ed. Lindenbrog. Tit. XLVIII. habet *de Affatomie*, ubi in Pacto est *de adframire* (quod est *adramire*). Hinc *adfatomia* vel *adfatimus* per *traditionem* expositum est, & eadem vox in Glossis apud Pithœum interpretatur *donatio, quæ fit, festuca in sinum ejus, cui donabatur, projecta*. Sed in Lege nostra *adfatimire* distinguitur a traditione, & generalius quid notat, cum fieri dicatur per scripturarum seriem vel per traditionem. Saxones habent verbum *anfaten*, Germ. *anfassen*, accipere. Hinc certe, *an* Germanico in Latinum *ad* mutato, & terminatione Latina addita, factum est *adfatimire* vel *adfatinire*, quod generaliter *accipere* & speciatim *accipere in hæredem*, sive id fiat per chartam sive ramo tradito. *Adfatomia* & *adfatimus* est *acceptio in hæredem*. In Formulis Lindenbrogianis cap. L. mentio fit *epistolarum adfatimarum*, quibus donatio facta inter virum & uxorem mutuo *accipiebatur*.

(9) *De adfatimire.*) Cod. Guelf. *de affatimire*; Sichard. *de adfatimatione*.

(10) *Adfatimus.*) Sichard. *fatimus*.

(11) *In sua necess.*) Heroldus: *in suam necessitatem*.

TITULUS L.

*De testibus adhibendis* (1).

I. SI quis testes ad mallum ante Centenarium vel Comitem, seu ante Ducem, Patricium, vel Regem necesse habuerit, ut donent testimonium, & fortasse testes noluerint ad placitum venire, ille, qui eos necessarios habet, mannire illos debet, ut testimonium quod sciunt jurati dicant.

II. Quod si noluerint, & falsum [α] testimonium (2) præbuerint, & hoc adprobatum fuerit, unusquisque de illis tribus testibus quindecim solidis multetur.

TITULUS LI.

*De eo qui Grafionem* (3) *ad res alienas invitat.*

I. SI quis judicem fiscalem ad res alienas injuste tollendas, antequam ei fidem fecerit, aut ad strudem admallatum habuerit, invitare præsumpserit, quinquaginta solidis multetur.

II. Quod si quis judex fiscalis amplius, quam lex Ripuaria continet, tulerit, quinquaginta solidis multetur.

TITULUS LII.

*De re præstata* [β] (4).

SI quis rem suam alii præstiterit, & placitum indixerit, quod si super placitum rem præstitam retinere præsumpserit, quindecim solidis multetur.

TITULUS LIII.

*De eo qui Grafionem* (5) *interfecerit.*

I. SI quis judicem fiscalem, quem Comitem vocant, interfecerit, sexcentis solidis multetur.

II. Quod si regius puer, vel ex tabulario (6), ad eum gradum ascenderit, trecentis solidis (7) multetur.

TITULUS LIV.

*De corporibus expoliatis* (8).

I. SI quis autem hominem mortuum, antequam sepeliatur, expoliaverit, si interrogatus confessus fuerit, sexaginta solidis multetur. Si autem negaverit, & postea convictus fuerit, centum solidis cum delatura multetur, aut cum sex juret.

II. Si quis mortuum effodere præsumpserit, ducentis solidis multetur, aut cum duodecim [γ] juret.

TITULUS LV.

*De Rachinburgiis* [δ] (9) *legem dicentibus.*

SI quis caussam suam prosequitur, & Rachinburgii inter eos secundum legem Ripuariam dicere noluerint, tunc ille in quem sententiam contrariam dixerint, dicat: *Ego vos tangano* (10), *ut mihi legem dicatis.* Quod si dicere noluerint, & postea convicti fuerint, unusquisque eorum quindecim solidis multetur. Similiter & ille, qui Rachinburgiis recte dicentibus non adquieverit.

TITULUS LVI.

*De alodibus* (11).

I. SI quis absque liberis defunctus fuerit, si pater materque superstites fuerint, in hereditatem succedant.

II. Si pater materque non fuerint, frater & soror succedant.

III. Si autem nec eos habuerit, tunc soror matris [ε], patrisque succedant. Et deinceps usque ad quintum genuculum, qui proximus fuerit, in hæreditatem succedat.

IV. SED DUM VIRILIS SEXUS EXTITERIT, FEMINA IN HEREDITATEM AVIATICAM NON SUCCEDAT.

TITULUS LVII.

*De libertis* (12) *a domino ante Regem dimissis.*

I. SI quis libertum suum per manum propriam seu per alienam in præsentia Regis secundum legem Ripuariam ingenuum dimiserit per denarium, & ejusdem rei chartam acceperit, nullatenus eum permittimus in servitium inclinare; sed sicut reliqui Ripuarii liber permaneat.

II. Sed si quis ei postmodum contrarius extiterit, quod eum quis inlicito ordine ingenuum dimisisset, & ipse cum gladio suo hoc

[α] Lindenbr. *Aut falsum.* [β] Herold. *Præstita.* [γ] Herold. *Cum VI.* [δ] Herold *Rathinburgiis.*
[ε] Ita Herold. & Eccard. sed Lindenbr. *Tunc frater & soror matris.*

(1) *De testibus adhibendis.*) Pact. Leg. Sal. Tit. LII.

(2) *Falsum testimonium.*) Pact. Leg. Sal. Tit. LI.

(3) *De eo qui Grafionem.*) Pact. Leg. Sal. Tit. LIV.

(4) *De re præstata.*) Pact. Leg. Sal. Tit. LV.

(5) *De eo qui Grafionem.*) Pact. Leg. Sal. Tit. LVII.

(6) *Ex tabulario.*) *Tabularius* est *manumissus per tabulas* seu *per instrumenta Chartarum.* Vid. Cangius & Bignonius ad Marculfi lib. II. Form. 32. Hinc *lex tabularia* est *conditio, quæ adhibetur in manumissione per Tabulas.* Traditiones Fuldenses Tradit. 143. *Decernens, ut lege tabularia unaquæque de vobis per singulos annos duos denarios argenti solvat.* Tabularios vero in Ecclesia manumissos ex nostræ Legis Tit. LVIII. apparet.

(7) *Trecentis solidis.*) Cod. Gothan. *decies L. Solidis.*

(8) *De corpor. expoliatis.*) Pact. Leg. Sal. Tit. LVIII.

(9) *De Rachinburgiis.*) Pact. Leg. Sal Tit. LX. De cætero Cod. Guelf. hic habet: *de Racineburgiis*, Cod. Goth. *de Raginburgiis.*

(10) *Tangano.*) Vide, quæ ad Pactum Legis Sal. hic diximus.

(11) *De alodibus.*) Pact. Leg. Sal. Tit. LXII.

(12) *De libertis.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XXX.

hoc ſtudeat defenſare. Aut ſi auctorem habuerit, auctor cum legibus ex hoc eum adducat. Aut ſi legibus [α] eum non potuerit defenſare, ad partem Regis ducentis ſolidis culpabilis judicetur, & ad partem ejus, cujus ſervum inlicito ordine a jugo ſervitutis abſolvere nititur, quadraginta quinque ſolidis multetur, & de omnibus rebus, quas ei condonavit, alienus exiſtat.

III. Si autem ſe defenſaverit, liber permaneat, & ille, qui eum voluit inſervire [β], ducentis ſolidis Regi, quadraginta quinque illi qui defenſatur, culpabilis judicetur.

IV. Si autem homo denariatus (1) abſque liberis diſceſſerit, non alium niſi fiſcum (2) noſtrum hæredem relinquat.

## TITULUS LVIII.

### *De tabulariis.*

I. HOc etiam jubemus, ut qualiſcunque Francus Ripuarius, ſeu tabularius, ſervum ſuum pro animæ ſuæ remedio ſeu pro pretio ſecundum legem Romanam libertare [γ] (3) voluerit, ut in eccleſia coram Presbyteris, Diaconibus, ſeu cuncto clero & plebe, in manu Epiſcopi ſervum cum tabulis tradat, & Epiſcopus Archidiaconum jubeat, ut ei tabulas ſecundum legem Romanam, qua Eccleſia vivit (4), ſcribere faciat: & tam ipſe quam & omnis procreatio ejus liberi permaneant, & ſub tuitione Eccleſiæ conſiſtant, vel omnem reditum ſtatus [δ] aut ſervitium tabularii eorum Eccleſiæ reddant. Et nullus tabularius denarium ante Regem præſumat jactare. Quod ſi fecerit, ducentis ſolidis culpabilis judicetur, & nihilominus ipſe tabularius & procreatio ejus tabularii perſiſtant, & omnes reditus ſtatus eorum ad Eccleſiam reddant; & non aliubi niſi ad Eccleſiam, ubi relaxati ſunt, mallum teneant.

II. Quod ſi quis tabularium ſeu eccleſiaſticum hominem contra Epiſcopum defenſare voluerit, ſexaginta ſolidis culpabilis judicetur, & inſuper hominem cum omnibus rebus ſuis [ε] Eccleſiæ reſtituat. Quia inlicitum ducimus, quod Eccleſiis conceſſimus, iterum ab Eccleſiis revocare.

III. Nemo ſervum eccleſiaſticum abſque Vicario (5) libertum [ζ] facere præſumat.

IV. Tabularius autem, qui abſque liberis diſceſſerit, nullum alium niſi Eccleſiam relinquat heredem.

V. Quod ſi quis tabulas Epiſcoporum manibus ſeu Clericorum roboratas inrumpere voluerit, tunc Archidiaconus cum teſtibus qui tabulas roboraverunt [η], ante Epiſcopum vel Regem accedat, ut teſtes, quod ſciunt, dicant. Quod ſi ille, qui cauſam proſequitur, adquieſcere noluerit, tunc tabulæ in præſentia judicis perforentur (6), & Archidiaconus in præſente ſacramento fidem faciat, & ſibi ſeptimus ſuper noctes ſeptem conjuret cum ipſis teſtibus, qui tabulas conſcripſerunt, quod ipſe tabularius ſecundum legem Romanam legitime fuiſſet ingenuus relaxatus. Et tunc ille qui cauſſam proſequitur in præſente conſtringatur, ut ſe ante judicem repræſentet, & ad partem Eccleſiæ centum ſolidis culpabilis judicetur, & unicuique de teſtibus quindecim ſolidis culpabilis judicetur, & Archidiacono quadraginta quinque ſolidis culpabilis judicetur, & nihilominus tabulæ ſtabiles permaneant.

VI. Quod ſi Archidiaconus iſta adimple-

re

[α] Non extant in editione Heroldina: *eum adducat. Aut ſi legibus.* [β] Herold. *Noluit inſervire.*
[γ] Herold. *Liberare.* [δ] Deſunt in editione Heroldina: *vel omnem reditum ſtatus.*
[ε] Lindenbr. *Suæ.* [ζ] Herold. *Liberum.* [η] Al. *Laboraverunt.*

---

(1) *Homo denariatus.*) H. e. denario excuſſo ante Regem manumiſſus. Hujus generis autem liberti ſub ſpeciali Regis patrocinio erant. V. Bignonius ad Marculfi lib. II. Form. 32.

(2) *Alium niſi fiſcum.*) Regino de Diſciplina Eccleſ. hoc caput retulit ex *Pacto Francorum*, & poſt eum Burchardus, Ivo, Bernardus Papienſis & Raimundus idem fecere. Antonius Auguſtinus in notis ad Decretal. & Antonius Dominicus in Aſſertore Gallico inde conjecere, deſumtum fuiſſe ex Libris Capitularium. Sed eos erraſſe recte Baluzius obſervavit, & Janus a Coſta ad Tit. XVIII. lib. 1. decretal. pag. 116. merito annotavit, ſe iſtius Pacti veſtigia in Lege Ripuaria deprehendiſſe. Quamlibet enim Legem olim *Pactum* dictam fuiſſe certum eſt. Vide ſupra notata a nobis ad Præfationem Pacti Legis Salicæ.

(3) *Libertare.*) Regino hoc *liberum facere* reddit. Lex Wiſigothorum Lib. XII. Tit. II. c. 14. *Libertare vero ſervum Chriſtianum Hebræus ſi maluerit* &c.

(4) *Legem Romanam, qua Eccl. viv.*) Ita Codices Mss. Baluziani & noſter Guelferbytanus. Regino; *qua eccleſiæ vivunt*; atque ita & Moguntinus & Viennenſis Codd. habent. Reginonis ed. Helmſtad. *quæ in Eccleſia viget*. Baluzius hic annotat, Legem Romanam ſive Codicem Theodoſianum fuiſſe valde favorabilem Eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis; adeoque propter hanc cauſam & Principes Eccleſiis conceſſiſſe uſum hujus Legis. Et qui in clerum aſſumebantur, relictis Legibus, ſecundum quas hactenus vixerant, ad iſtam ſe conferebant. Ludovicus Pius in Capit. Excerpt. ex Lege Langobardorum cap. 5. *Ut omnis ordo Eccleſiarum ſecundum Legem Romanam vivat. Et ſic inquirantur vel defendantur res eccleſiaſticæ; ut emphiteuſeos contractus, unde eccleſiæ damnum patiatur, non obſervetur, ſed ſecundum Legem Romanam deſtruatur & pœna non ſolvatur.* Eadem habentur in Lege Langobard. Lib. III. Tit. I. c. 37. Charta edita a Durante Doria in Hiſtoria familiæ Trinciæ pag. 90. *Anno ab incarnatione Domini noſtri 1095. Indictione tertia, menſe Februarii. Nos Presbyter Acto q. Berardi, & Presbyter Joannes q. Joannis, qui profeſſi ſumus ex natione noſtra legem vivere Longobardorum, ſed nunc pro honore ſacerdotii noſtri videmur vivere legem Romanorum* &c. Adde cætera apud Baluzium ad h. l.

(5) *Vicario.*) H. e. judice minori, qui vice Comitis vel alterius judicis partes exequitur. Vide Gloſſographos.

(6) *Perforentur.*) Vide infra Tit. LIX. c. 3.

re contempſerit, & auctorem ſuum, qui eum ingenuum dimiſit, non invenerit, tunc tabularium ipſe Archidiaconus cum quadraginta quinque ſolidis & cum omnibus rebus ſuis proprio domino ſtudeat reſtituere, & unuſquiſque de teſtibus quindecim ſolidis culpabilis judicetur.

VII. Quod ſi auctor dimiſſionis eum ingenuum fecerit, cauſam qui proſequitur ſimilem multam ſuſtineat, ſicut ſuperius ſcribere juſſimus, & inſuper ab eccleſiæ liminibus repellatur, uſque dum proprio domino ipſe ſatisfaciat.

VIII. Quod ſi quis tabularium ex ſervo alieno facere præſumpſerit, tunc ille, cujus ſervus eſt, ſuper eum manum mittere debet. Et ſi tabularius eſt, vel regius ſeu Romanus homo, qui hoc facit, ſuper ſeptem noctes; ſi Francus, ſuper quatuordecim de manu in manum ambulare debet, quamvis multæ [α] venditiones ex illo factæ fuiſſent, uſque dum ad eam manum veniat, quæ eum ingenuum dimiſit. Et tunc ex eo judicium ſuperius comprehenſum adimpleatur.

IX. Si autem tabularius ancillam regiam (1) aut eccleſiaſticam ſeu ancillam tabularii in matrimonium ſibi ſociaverit (2), ipſe cum ea ſervus permaneat. Si autem tantum mœchatus fuerit, octavo dimidio ſolido culpabilis judicetur, aut cum ſex juret. Quod ſi tabularia hoc fecerit, ipſa & generatio ejus in ſervitium inclinentur.

X. Si autem tabularius ancillam Ripuariam acceperit, non ipſe, ſed generatio ejus ſerviat.

XI. Si autem eccleſiaſticus, Romanus, vel regius homo ingenuam Ripuariam acceperit; aut ſi Romana, vel regia, ſeu tabularia ingenuum Ripuarium in matrimonium acceperit, generatio eorum ſemper ad inferiora declinetur.

XII. Quod ſi quis hominem regium tabularium tam baronem (3), quam feminam de mundeburde (4) Regis abſtulerit, ſexaginta ſolidis culpabilis judicetur.

XIII. Similiter & ille, qui tabulariam vel eccleſiaſticam feminam ſeu baronem de mundeburde Eccleſiæ abſtulerit, ſexaginta ſolidis culpabilis judicetur, & nihilominus generatio eorum ad mundeburdem Regis ſeu Eccleſiæ revertatur.

XIV. Si autem Ripuarius ancillam Regis ſeu eccleſiaſticam, vel ancillam tabulariam ſibi ſociaverit, non ipſe, ſed procreatio ejus ſerviat.

XV. Si autem Ripuarius ancillam Ripuarii (5) in matrimonium acceperit, ipſe cum ea in ſervitio perſeveret.

XVI. Similiter & ſi Ripuaria hoc fecerit, ipſa & generatio ejus in ſervitio perſeverent.

XVII. Si autem ingenuus cum ancilla mœchatus fuerit, quindecim ſolidis culpabilis judicetur. Si autem ſervus hoc fecerit, tribus ſolidis culpabilis judicetur, aut caſtretur [β].

XVIII. Quod ſi ingenua Ripuaria ſervum Ripuarium ſecuta fuerit, & parentes ejus hoc contradicere voluerint, offeratur ei a Rege ſeu a Comite ſpata (6) & conucula [γ] (7). Quod ſi ſpatam acceperit, ſervum interficiat. Si autem conuculam, in ſervitio perſeveret.

XIX. Hoc etiam conſtituimus, ut nullum [δ] hominem (8) regium, Romanum, vel

[α] Lindenbr. *Mulcta*. [β] Deſunt in edit. Herold. *Aut caſtretur*. [γ] Al. *Cunicula*; *comicula*; *conugla*. [δ] Deeſt in edit. Herold. & Lindenbrog. *Nullum*.

(1) *Si autem tabularius ancillam reg. &c.*) Sichardus: *Si autem tabularius ancillæ regiæ aut eccleſiaſticæ, ſeu ancillæ tabulariæ in matrimonium ſociatus fuerit.*

(2) *Sociaverit.*) Cod. Guelf. & Til. *ſibi ſociatus fuerit.*

(3) *Baronem.*) H. e. *virum*. Vide Notam noſtram ad Pact. Leg. Sal. Tit. XXXIV. leg. 1.

(4) *De mundeburde.*) Sichard. *de mundoburde*, Cod. Gothan. *de mundburt.*

(5) *Ancillam Ripuarii.*) Sichardus: *ancillam Riboariam.*

(6) *Spata.*) Gladius.

(7) *Conucula.*) Sic Herold. & Lindenbrogius; Codex vero Guelf. *cunicula*, Til. *comicula*, Cod. Gothan. *conugla*. Germanis hæc vox *kunckel*, Gallis *quenouille*, Ital. *conocchia* enunciatur, & *colum* denotat. Vocabularius Seculo XV. impreſſus: *Colus*, *guncke*, *rock*. Gloſſæ Florentinæ: *Colus*, *chunchla*. Mire variant in origine hujus vocis tradenda Critici. Celſus Cittadinius in differt. de Origine linguæ Toſcanæ a Dante eam inventam, & ex nulla lingua derivatam eſſe ſomniat. Voſſius, Lindenbrogius & Menagius a *colo* corruptam putant; quia in veteris Gloſſarii Capite *de Supellectili* invenere: *Colucula*, ἠλακάτη; nec procul abit Angelus Caninius, qui in Helleniſmo a *colicula* derivat. Albertus Acariſius a *conjuncta*, Caſanovanus & Ferrarius a *canna*, Carolus Datius a figura *conica* deflectunt. Datius notat, primario ſenſu non de colo, ſed de lino in colo colligato, unde fila trahuntur, Italicum *conocchia* uſurpari: idem de Gallico *quenouille* obſervant Academici. Hoc ſi verum eſſet, uti id verum eſſe puto, *conca* (hoc enim primitivum fuit) formari poteſt commode a *knocke*, quomodo *lini portionem colligatam, quanta ſatis ad colum una vice veſtiendam*, vulgariſſime vocamus. A lino ad colum, in qua linum ſuſpenſum eſt, vox deinde tranſiit, atque ex *conca* (unde Italicum *conocchia*) abſorpta media vocali, paulatim *koncke*, *guncke*; & addito *l*, diminutivæ vocis indice, *conucula* ac *kunckel* prodiit. Sic vero convenit cum *knoche*, os, quod proprie *connexionem* vel *colligationem* deſignat, & unde *knæchel*, AS. *cnucl*, articulus, etiam prodit. *Kunckel* itaque ut hoc repetam, & *conucula* proprie *faſciculum lini in colo ſuſpenſum* ſignificavit, & deinde colo, *inſtrumento fœmineo*, attributa eſt.

(8) *Ut nullum hominem.*) Sine dubio reſtituendum: *ut nullus hominem*. Sed ita inferius *non* omittendum eſſet. Vel loco *nullum* ponendum, *quis* vel *aliquis*, ut ſenſus ſibi conſtet: aut duæ negationes hic, ut mos eſt Latinorum, affirmare non debent.

vel tabularium interpellatum in judicio non tanganet (1), & nec alsaccia (2) requirat. Et si in præsente legitime mallatus fuerit, ea verba commemoret; & non ei sic ut Ripuario ante altare verba commemoret.

XX. Servi autem Regis vel [α] Ecclesiarum non per actores [β], sed ipsi pro semetipsis in judicio respondeant, & sacramenta absque tangano conjurent.

XXI. Si autem homo regius homini regio vel ecclesiastico sacramento fidem fecerit, super septem noctes conjuret: si Ripuario, super quatuordecim noctes. Similiter & Ripuarius ei faciat.

## Titulus LIX.

### *De venditionibus.*

I. Si quis alteri aliquid vendiderit, & emtor testamentum venditionis accipere voluerit [γ], in mallo hoc facere debet, & pretium in præsente tradat, & rem accipiat, & testamentum publice conscribatur. Quod si parva res fuerit, septem testibus firmetur: si autem magna, duodecim roboretur.

II. Et si quis in posterum hoc refragari vel falsare voluerit, a testibus convincatur, aut Cancellarius cum sacramenti interpositione cum simili numero, quorum [δ] roboratum est, idoneum [ε] confirmet.

III. Quod si charta in judicio perforata (3) idonea fuerit, tunc ille, qui causam prosequitur, dupla repetitione culpabilis judicetur, & insuper ad partem Cancellarii quadraginta quinque solidis culpabilis judicetur, & unicuique de testibus quindecim solidis culpabilis judicetur, & ipsum testamentum inviolatum perseveret. Si autem testamentum falsatum fuerit, tunc ille, qui causam prosequitur, rem quam repetit cum sexaginta solidis recipiat, & insuper Cancellario pollex dexter auferatur, aut eum cum quinquaginta solidis redimat, & unusquisque de testibus quindecim solidis [ζ] multetur.

IV. Quod si ille, qui causam sequitur, manum Cancellarii de altari traxerit, aut ante ostium [η] basilicæ manum posuerit, tunc ambo constringantur, ut se super quatuordecim noctes seu super quadraginta ante Regem repræsentare studeant pugnaturi.

V. Si autem Cancellarius mortuus fuerit, tunc ei liceat, qui rem comparavit, cum tribus chartis, quas ipse Cancellarius scripsit, absque pugna chartam suam super altario positam idoneare.

VI. Quod si venditor vel heredes [θ] sui supervixerint, ipsi testamentum defendere debent, aut multam incurrere.

VII. Quod de venditione conscripsimus [ι], hæc & de donatione constituimus. Hoc autem constituimus, ut quicunque in causa victor extiterit, semper judicium conscriptum accipiat, aut testes.

VIII. Si quis in judicio interpellatus chartam præ manibus habuerit, nulla ei malo ordine invasio [κ] requiratur: quia dum interpellatur, respondeat ad interrogationes, & sine tangano loquatur & dicat: *Non malo ordine, sed per testamentum, hoc teneo.*

IX. Filiis autem aut filiabus super duodecim solidos uni plus quam alteri nihil condonare vel conscribere permittimus. Quod si quis fecerit, irritum habeatur.

## Titulus LX.

### *De [λ] traditionibus & testibus adhibendis.*

I. Si quis villam aut vineam vel quamlibet possessiunculam ab alio comparaverit, & testamentum [μ] accipere non potuerit



[α] Desunt apud Lindenbr. *Regis vel.* [β] Herold. *Non actores.* [γ] Herold. *Noluerit.* [δ] Lindenbr. *Quo.* [ε] Herold *Idoneam.* [ζ] Desunt ista in edit. Herold. *Quindecim solidis.* [η] Lindenbr. *Hostium.* [θ] Al. *Venditor vel creditores.* [ι] Ista præcedenti cap. VI. annectit edit. Herold. incipitque cap. VII. *Hæc & de donat.* [κ] Herold. *Vel invasio.* [λ] Lindenbr. *De testamentis regum vel de tradit.* [μ] Al. *Testimonium.*

(1) *Tanganet.*) Vide, quæ dicta sunt ad Pact. Leg. Sal. Tit. LX. Sichard. scribit *tangenat*, Herold. *tangeret*, Til. *tangonet*, Cod. Guelf. *tangenet*, Cod. Gothan. *tangat*.

(2) *Alsaccia.*) Tilius & Lindenbrog. *alsacia*. Sichard. & Cod. Corboniensis *alsatia*, Cod. Guelferbyt. *adsicia*. Obmutescunt hic Glossographi, nec tamen difficilis adeo fuisset vocis expositio, si linguæ Germanicæ veteris notitiam habuissent. A posteriori incipiamus. Notum est, nobis *sache*, Saxon. *sake* denotare *causam, litem, controversiam, rem*. Unde *Sagibarones* dicti. Inde *sachwald*, causæ procurator; quam vocem tamen & alio paulisper sensu usitatam fuisse ex Teutonista videmus. Scribit is: *Sake, causa, occasio. Wedersake, wederparthye. Sakewalt, actor principalis. Versaken, mysaken, leunen. Ansaken, claghen.* Eadem vox olim *sachia*, *sachea* & *secchia* exarata fuit, ut patet ex exemplis, quæ ad Pact. Leg. Sal. Tit. LIII. leg. 2. attulimus. Prius *als* ex nostro *hals*, collum, corruptum est. Solet enim *h* a veteribus in dictionum initio non raro omitti. Sic *halsberga*, munimentum colli, in Charta Heccardi apud Perardum *alsbergum*; *harinscara* variis in locis Capitularium *armiscara*; & nostrum *handschlag* in Chartis diversis *andelagus* scribitur. Prodit ergo ex *alsaccia* sponte *halssake*, *halssache*, quo communi JCtorum nostrorum termino *causa capitalis*, ubi de collo sive capite accusati agitur, indicatur. Et Lex nostra prohibet, ne quis hominem regium, Romanum & tabularium vel in judicio detineat, vel in judicium criminale vocet; quia causa hominis regii & Romani ad Regem, tabularii vero ad ecclesiam pertinet.

(3) *Quod si charta in judicio perforata.*) H. e. quando charta in judicio annullata vel annihilata. Annihilationis enim actus, ut supra Tit. LVIII. leg. 5. vidimus, perforatione chartæ peragebatur. Ab hoc ritu proverbialis restat locutio: *die sache hat ein loch bekommen*, res non processit vel successit. Item: *der krieg hat ein loch bekommen*, bellum non processit, vel *præter spem debellatum est*.

tuerit, ſi mediocris res eſt, cum ſex teſtibus, & ſi parva, cum tribus, quod ſi magna cum duodecim ad locum traditionis cum totidem numero pueris accedat (1); & ſic eis præſentibus pretium tradat, & poſſeſſionem accipiat, & unicuique de parvulis alapas donet (2), & torqueat auriculas (3), ut ei in poſtmodum teſtimonium præbeant. Si autem teſtes non potuerit congregare, ut ei teſtimonium præbeant, tunc rem ſuam cum ſex ſive cum ſeptem cum ſacramenti interpoſitione ſibi ſtudeat evindicare.

II. Si quis conſortem ſuum quantulumcunque ſuperpriſerit (4), cum quindecim ſolidis reſtituat.

III. Si autem infra teſtamentum Regis aliquid invaſerit, aut cum ſex juret, quod infra terminationem teſtamenti nihil invaſiſſet, aut cum ſexaginta ſolidis omnem redditionem reſtituat.

IV. Si autem ibidem infra terminationem aliqua indicia ſua arte, vel butinæ (5), aut mutuli (6) factæ [α] exſtiterint, ad ſacramentum non admittatur, ſed in præſente cum legis beneficio cogatur reſtituere.

V. Quod ſi extra marcham in ſortem alterius fuerit ingreſſus, judicium comprehenſum compellatur adimplere.

VI. Quod ſi teſtamentum Regis abſque contrario teſtamento falſum clamaverit, non aliunde niſi de vita componat.

VII. Quod ſi duo teſtamenta Regum de una re extiterint, ſemper prior [β] duplicem ſortiatur portionem [γ].

VIII. Quod ſi quis de Eccleſia aliquid vi abſtulerit, cum ſupraſcripta [δ] lege in triplum reſtituat.

## Titulus LXI.

*De libertis ſecundum legem Romanam.*

I. SI quis ſervum ſuum libertum fecerit & civem Romanum, portaſque apertas conſcripſerit, ſi ſine liberis diſceſſerit, non alium niſi fiſcum noſtrum habeat heredem.

II. Quod ſi aliquid criminis admiſerit, ſecundum legem Romanam judicetur. Et qui eum interfecerit, centum ſolidis multetur.

III. Quod ſi dominus ejus eum ante Regem denariatum [ε] facere voluerit, licentiam habeat.

## Titulus LXII.

*De homine qui ſervum tributarium facit.*

I. SI quis ſervum ſuum tributarium aut litum fecerit, ſi quis eum interfecerit, triginta ſex ſolidis culpabilis judicetur.

II. Quod ſi denarialem [ζ] eum facere voluerit, licentiam habeat. Et tunc ducentos ſolidos valeat [η].

## Titulus LXIII.

*De homine in hoſte occiſo (7).*

I. SI quis hominem in hoſte interfecerit, triplici weregildo [θ] culpabilis judicetur.

II. De furto [ι] ſimiliter.

## Titulus LXIV.

*De homine in domo propria occiſo.*

SI quis hominem in domo propria cum hariraida (8) interfecerit, auctor facti

α Lindenbr. *Facta.* β Herold. *Prius.* γ Herold. *Proportionem.* δ Herold. *Superſcripta.* ε Herold. *Dinarariumq;* al. *degenaralem.* ζ Herold. *Denariaem.* η Lindenbr. *Solvat.* θ Al. *Vuedregildo.* ι Lindenbr. *Texaga.*

(1) *Pueris accedat.*) Elegans hoc loco eſt Baluzii obſervatio, quam integram adſcribere lubet. *Quia tunc*, ait, *omnes cauſæ teſtimoniis confirmabantur aut cadebant, eaque lis incidere poterat, quæ grandævos teſtes requireret, pueros adhibebant teſtes, eorumque aures vellebant, ut ex his, quæ pertulerant, meminiſſe diſcerent rei geſtæ. Sic ætate noſtra parentes in nonnullis provinciis liberos ſuos adducunt ad locum ſupplicii, cum aliquis homo facinoroſus illuc trahitur morte ſua luiturus peccati ſui pœnam; & interim dum ille necatur, parentes virgis cædunt liberos ſuos, ut, alieni periculi memoria excitati, noverint ſe cautos & ſapientes eſſe debere.*

(2) *Alapas donet.*) Ut ſcilicet rem, hoc ſigno inflicto, memoria retineant. Hinc locutio vulgaris: *einem einen denckzettel geben* pro *alapam alicui impingere*. Ex eadem conſuetudine obtinet mos, alapam dandi iis, quibus jus gladium geſtandi conceditur, ut nempe meminerint, ſe jam viros eſſe.

(3) *Torqueat auriculas.*) Ad attentionem excitandam, & auribus ſolicite haurienda, de quibus poſtea teſtimonium ferre deberent. Sed de hoc ritu plura ad Legem Bajoariorum dicemus, quibus is proprius fuit.

(4) *Superpriſerit.*) H. e. Ceperit plura quam fas eſt aut licet.

(5) *Butinæ.*) *Butinam* hic ego idem eſſe reor ac Gall. *butin* a Germanico *beute*, Sax. *büte*, Ital. *bottino* & *buttino*, præda, derivatum. Sichardus de cætero legit *buccinæ*, Cod. Regis Galliæ *bucinæ*, Til. *bucine*; omnes erronee.

(6) *Mutuli.*) Habuimus olim verbum *meuten* pro *clandeſtine agere*, inde *meutmacher*, flabellum ſeditionis, Gall. *mutin.* In Angloſaxonum monumentis reſtat *mithan* pro *latere*. Ab hoc verbo eſt, *t* in *g* converſo, *meuchelmœrder*, clandeſtinus latro, & *meuchler*, qui aliquid clam penetrat, Sax. *müchler*. Vid. Stadenii Expoſ. difficiliorum Vocabulor. in Verſione Bibl. Lutheri Germanica pag. 108. 109. Hinc ergo *mutuli* ſunt *machinationes clandeſtinæ* vel *ſeditiones clam excitatæ*. Et valde errat Cangius qui *mutulos* hic *aggeres terreos* exponit, de quibus nulla in Lege mentio.

(7) *De homine in hoſte occiſo.*) Pact. leg. Sal. Tit. LXVI.

(8) *Hariraida.*) *Hari* eſt *heer*, exercitus, & *raida* idem ac *ræthe*, vel, quod uſitatius, ge-

ſti triplici weregildo multetur, & tres priores nonaginta ſolidis culpabiles judicentur; Et quanti ei ſanguinem fuderint, unuſquiſque weregildo eum componat. Et quanticunque poſt auctorem ſanguinis effuſores vel poſt tres priores fuerint, unuſquiſque quindecim ſolidis multetur; & quicquid ibi talaverint (1), reſtituant.

### TITULUS LXV.

*De eo qui bannum non adimplet.*

I. SI quis legibus in utilitatem Regis, ſive in hoſte, ſeu in reliquam utilitatem bannitus fuerit, & minime adimpleverit, ſi ægritudo eum non detenuerit, ſexaginta ſolidis multetur.

II. Si autem Romanus aut eccleſiaſticus vel regius homo hoc fecerit, unuſquiſque contra auctorem ſuum triginta ſolidis culpabilis judicetur.

III. Si quis autem legatarium Regis vel ad Regem ſeu in utilitatem Regis pergentem hoſpitio ſuſcipere contempſerit, niſi emunitas Regis hoc contradixerit, ſexaginta ſolidis culpabilis judicetur. Aut ſi regius, Romanus, aut eccleſiaſticus homo hoc fecerit, unuſquiſque contra auctorem [α] ſuum triginta ſolidis multetur.

### TITULUS LXVI.

*De ſacramento.*

I. SI quis Ripuarius ſacramento fidem fecerit, ſuper quatuordecim noctes ſibi ſeptimus ſeu duodecimus vel ſeptuageſimus ſecundus cum legitimo termino noctium ſtudeat conjurare. Si autem contentio orta fuerit, quod ſacramentum in die placito non conjuraſſet, tunc cum tertia parte juratorum ſuorum adfirmare ſtudeat, aliquibus a dextris ſeu a [β] ſiniſtris ſtantibus. Sin autem nec ſic ſatisfecerit, tunc ſecundum præſentiam judicis vel ſecundum terminationem ſextam juratorum ſuorum cum dextera armata tam prius quam poſterius ſacramentum in præſentia judicis confirmare ſtudeat. Quod ſi verbis non dixerit [γ], omnem repetitionem cum legis beneficio ſtudeat [δ] reformare; & unuſquiſque de juratoribus quindecim ſolidis culpabilis judicetur. Si autem contradixerint, judicium accipiant.

II. Si autem regius, Romanus, aut eccleſiaſticus taliter egerit, cum legitimo numero ſimiliter ſtudeat implere, aut legitimam ſolutionem reſtituat.

### TITULUS LXVII.

*De eo qui filium non relinquit.*

I. SI quis moriens debitoſus [ε], aut teſtamenta venditionis ſeu traditionis aliqua fecerit, ſi filios aut filias non relinquerit, quicunque de parentibus ſuis, quantum unus ſolidus valet, in hereditatem acceperit, vel cui weregildus ejus, ſi interfectus fuiſſet, legitime obveniebat, omne debitum per ipſum ſolvi judicatur; & omne factum ejus idoneare ſtudeat, aut culpam incurrat.

II. Si quis autem poſt fidem factam ſacramenti in hoſtem bannitus fuerit, ſi non perrexerit [ζ], poſt quadraginta noctes; ſi autem perrexerit, poſt armorum poſitionem ſuper quatuordecim noctes conjurare ſtudeat.

III. Quod ſi ſacramentum ille, qui proſequitur, non pronuntiaverit, ipſe qui placitavit [η] ante annum revolutum vel ſeptem noctes ſacramentum ſuum coram teſtibus offerat, & conjurare ſtudeat, & deinceps innocens habeatur.

IV. Si autem non adimpleverit, omnem repetitionem cum legis beneficio reſtituat.



[α] Herold. *Actorem*. [β] Lindenbr. *Aliquibus a*. [γ] Lindenbr. *Dixerint*. [δ] Lindenbr. *Studeant*. [ε] Herold. & Lindenbr. *Debitor*. [ζ] Deſunt apud Herold. *Si non perrexerit*. [η] Herold & Lindenbr. *Placuit*.

---

*geræthe*, *utenſile*, *ſupellex*, de quo fuſius ad Legem Anglorum & Werinorum agemus, ubi *rhedo* ſcribitur. Eſt ergo *hariraida ſupellex militaris*. Tilius *haroida* ſcribit, corrupte vero Codex Metenſis *ariragida*, Gothanus *aragadia*, & Regis Galliæ *harinxida*. Legem autem hanc in oculis habuit Henricus I. Rex Angl. ubi cap. 80. in ſuis Legibus edicit: *Siquis alium in ſua vel alterius domo cum haraido aſſaliaverit vel perſequatur ad portam vel domum ſagittet*. Nos ſupellectilem militarem, quæ in hereditate paterna filii primogeniti eſt, eodem fere nomine adhuc *beergeræthe* appellamus. In Speculo Saxonico vocatur *hergewethe*, h. e. *veſtitus militaris*, & quænam ad illum pertineant, ibidem diſtincte deſcribuntur. Leges Brunſvicenſes Artic. I. eundem enumerant hoc modo: *Tho deme herwede hort dat beſte ors: is des darmicht, ſo ſchal me gheven dat beſte pert, offt id dar is. Hedde ein man del an eneme orſe, eder an enem perde, denne ſchal me geven dat beſte ſtucke van diſſen dren; me ſchal gheven dat beſte harneſch, koverture, platenmetzet, ſpoldener, ſamſtener, teſter, helm, is de helm dar nicht, me ghift enen yſernen hot, hurteleder, dukene knilinge, ſadel, ſwert, ſporen, glevien, bil. Is des biles dar nicht, me ghifft eyne exe, offt ſe dar is, ſekelen, eyn par taſchen, ſchilt, eyne malen, twene yſerne hantſchen, ſcrapen, eyne ſchalen offt ſe eyn vader hefft, anderes ſchal me neyne ſilverne ute gheven, de beſten cledere ſchal me gheven, boyken, rock, koghelen, hot, ſin beſte gordel, ſchedemetzet, eyne kolten, de eyn plegbet mit ſek tovorende, heſt me dere nicht, ſo ſchal me gheven eyne kolte, de me deghelikes uppe ſin bedde heſt ghelecht, hefft eyn vrowe eyne kolten unde twey lynene laken to ören eren, de ſchal me nicht gheven, eyn Küſſen, twey ſlaplakene, twey linenene cleder, diſchlaken, tu hoſen, tweyne ſcho, brokremen, beckene oft ſe ghekede ſint, ketel dar man eyne ſchulderen inne ſeden mach, eine kupperne blaſen, ketelhaken mit twen haken &c.*

(1) *Talaverint*.) *Talare* eſt ſcindendo vel putando devaſtare, Gall. *tailler*, Ital. *tagliare*, ſcindere. Verbum occurrit quoque hoc ſenſu Leg. Aleman. Tit. XXXIV. Adde Cangium.

V. Si quis pro hereditate vel pro ingenuitate certare cœperit post malo ordine [α], cum sex in Ecclesia conjuret, & cum duodecim ad stappulum [β] Regis in circulo & in hasla (1), hoc est in ramo, cum verborum contemplatione conjurare studeat. Si non adimpleverit, cum legis beneficio restituat. Aut si quis eum contra prendere voluerit, aut cum armis suis se defensare studeat ante Regem, aut omnem repetitionem cum legis beneficio restituat.

## Titulus LXVIII.

### *De osse super viam sonante, vel absque effusione sanguinis.*

I. Si quis in capite vel in quocunque libet membro plagatus fuerit, & os exinde exierit, quod super viam duodecim pedum in scuto jactum sonaverit, triginta sex solidis factus ei [γ] culpabilis judicetur.

II. Si autem plura ossa exierint, pro unoquoque osse sonante solidus addatur.

III. Quod si factum negaverit, quod talis plaga non fuerit, in quantum confessus fuerit solvat, & de reliquo cum sex juret. Aut si non dixerit [δ] verbum, tam ipse quam conjuratores sui, qui jurare cœperunt, cum quindecim solidis restituant.

IV. Quod si quis absque effusione sanguinis in quocunque libet membro os fregerit, octodecim solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret, quod os fractum non fuisset, & tunc unum solidum componat.

V. Quod si quis absque effusione sanguinis alium brachio, pede, oculo, auditu, muccatu, digito, vel quocunque libet membro mancaverit, sic eum componat, ac si cum gladio ipsum debilitasset.

## Titulus LXIX.

### *De eo qui Regi infidelis extiterit.*

I. Si quis homo Regi infidelis extiterit, de vita componat, & omnes res ejus fisco censeantur (2).

II. Si autem quis proximum sanguinis interfecerit, vel incestum commiserit, exilium sustineat, & omnes res ejus fisco censeantur.

## Titulus LXX.

### *De homine a ligno interfecto.*

I. Si quis homo a ligno seu aliquolibet manufactile fuerit interfectus, non solvatur; nisi forte quis auctorem interfectionis in usus [ε] proprios adsumpserit, tunc absque fredo culpabilis judicetur.

II. Si quis autem fossam vel puteum fecerit, seu pedicam vel balistam incaute posuerit, & ibidem hominem vel pecus debilitaverit vel interfecerit, omne compositione, sicut lex continet Ripuaria, culpabilis judicetur. Aut si negaverit, cum legitimo numero juret.

III. Quod si in sepem animal impalaverit, & ipsa sepis mentonalis (3) non fuerit, dominus sepis interfectionis seu debilitatis [ζ] reus culpabilis judicetur [η].

IV. Si autem virga de foris sepe incaute missa fuerit, & aliquid interfecerit, solvatur. Si autem de intus sepe se in virga impalaverit, non est solvendum.

V. Quod si quis in sepem vel in quocunque liber periculo res alienas invitas minaverit, & ibidem interfectæ vel debilitatæ fuerint, similes restituat, aut cum sex juret, quod hoc non fecisset.

## Titulus LXXI.

### *De festuca intercurrente.*

De quacunque causa festuca (4) intercesserit [θ], lacina (5) interdicatur se cum sacramento idoneare [ι].

## Titulus LXXII.

### *De homine intertiato vel pecore mortuo.*

I. Si quis hominem intertiaverit, & infra placitum mortuus fuerit, in quadruvio cum retorta in pede sepeliatur, & ibidem ad diem placitus cum testibus accedat

[α] Herold. *Certare caperit pro malo ordine*. Lindenbr. *Chartam receperit pro malo ordine*. [β] Al. *Stapfolum*. [γ] Lindenbr. *Factum ejus*. [δ] Herold. *Direxerit*. [ε] Herold. *Usqs*. [ζ] Lindenbr. *Debilitationis*. [η] Addit editio Lindenbr. *Aut si negaverit, cum legitimo numero juret*. [θ] Herold. *Interfecerit*. [ι] Herold. *Sed cum sacramento se idoneare*.

(1) *In hasla.*) Suspicatus sum ad Pact. Leg. Sal. Tit. XLIV. leg. 5. *basla* hic pro *balma* poni, quod festucam denotat. Sed quoniam omnes Codices *hasla* habent, Sichardus & Codex Guelf. *haslo*, Til. *asla*, solusque Gothanus corrupte *collere*; sententiam muto, & *basla* hic speciatim pro *ramo ex corylo deprompto* sumi existimo. *Corylus* enim in Glossis Ratisbonensibus a R. P. Pezio, Monasterii Mellicensis & Ordinis Benedictini lumine, mihi communicatis *hasal*, atque in Bensonii Vocabulario ASax. *hæsl* vocatur. Forte ramus corylacius, qui tanquam signum rei vere gestæ in judiciis adhibebatur, inde apud plebem veritatis index habitus est, & pro virgula divinatoria in usum venit.

(2) *Censeantur.*) Sichardus & hic, & in Lege sequenti: *consecrentur*.

(3) *Mentonalis.*) Cod. Goth. *mentionalis*; & sic etiam Henricus I. Angl. Rex, qui suarum Legum Cap. 90. integrum hunc paragraphum inseruit. *Mentonalis* autem *sepes* Cangio est, *qui ad mentum usque pertingit*.

(4) *Festuca.*) H. e. actio legitima, quæ fit tradita festuca, & de qua supra ad Salicas Leges egimus.

(5) *Lacina.*) Est *impeditio viæ* vel *alius rei*. Vide Notata ad Pact. Leg. Sal. Tit. XVI. leg. 4.

dat, & cum ipsis sex, qui eum sepelire viderunt, in haraho conjuret, quod ibidem ipse intertiatus absque interfectione hominum, pecudum, vel alterius rei, nisi communi morte consumptus sepultus jaceat, & ipsam retortam in pede habeat, & per ipsam retortam super ipso sepulchro semper de manu in manum ambulare debet, usque dum ad eam manum veniat, quæ eum inlicito ordine vendidit vel furavit. Quod si ita non fecerit, capitale & delatura cum legis beneficio seu cum furto culpabilis judicetur.

II. Si autem ei [α] fuga lapsus fuerit, si infra ducatum, super quatuordecim noctes; si extra ducatum, super quadraginta noctes; quod si extra regnum, super octuaginta placitus ei concedatur. Quod si infra placitum eum repræsentare non potuerit, capitale & delatura seu furto vel legis beneficio culpabilis judicetur.

III. Si autem eum interfecerit, nisi in quadruvio cum retorta sepultus, ipse capitale & delatura cum furto seu cine werdunia vel legis beneficio culpabilis judicetur.

IV. Si autem aliquid culpæ commiserit dum intertiatus est, ipse de hoc culpabilis judicetur, qui eum eo tempore post se retinuit.

V. Si homo commendatus vel fugitivus defunctus fuerit, similiter in quadruvio cum retorta sepeliatur. Quod si ita non fecerit, ipse, qui eum post se retinuit, pretium rei cum legis beneficio culpabilis judicetur.

VI. Si autem animal intertiatum infra placitum mortuum fuerit, tunc ille, qui causam prosequitur, cum testibus memorare debet, qualiter adpretiatum fuerit, & ille, super quem intertiatur, corio cum capite decorticato in præsentia judicis auctorem suum ostendere debet. Quod si auctor receperit, tantum solidum unum de cine werdunia pro corio restituat.

VII. Quod si animal vivum fuerit, sed debilitatum vel macilentum, quantum eo tempore adpretiatum fuerit, sic de cine werdunia restituat. Si autem sanum vel immaculatum restituerit, tunc omne pretium suum recipiat.

VIII. Quod si furto ablatum fuerit, tunc ille super quem intertiatum fuerit, capitale & delatura cum furto culpabilis judicetur.

IX. Vestimenta [β] autem seu his similia absque probabili signo intertiare prohibemus.

TITULUS LXXIII.

*De homine ligato absque judicio dimisso.*

I. SI quis ingenuus Ripuarius furem ligaverit, & eum absque judicio Principis solvere præsumpserit, sexaginta solidis culpabilis judicetur.

II. Si quis eum per vim tulerit, sexaginta solidis culpabilis judicetur.

III. Si autem ligatus fuga lapsus fuerit, & hoc cum sex juraverit, quod absque ejus voluntate fuga lapsus fuisset, innocens habeatur.

IV. Si autem cui commendatus fuerit fuga evaserit, sexaginta [γ] solidis culpabilis judicetur.

TITULUS LXXIV.

*Ut nullus cum servo traditionem vel commutationem faciat.*

HOc autem constituimus, ut nullus cum servo alieno negotium faciat vel commutationem facere non præsumat, nec ei ullam commendationem vel traditionem faciat, nec a servo quisquam commendatam vel traditam rem recipiat. Si quis autem post hanc diffinitionem servo aliquid commendare præsumpserit, nihil recipiat, & dominus ejus de hoc innocens habeatur. Similiter de puero, vel de muliere alterius constituimus.

TITULUS LXXV.

*De re proprisa vel secuta.*

SI quis caballum, hominem, vel quamlibet rem in via propriserit, aut eum secutus [δ] fuerit, per tres marcas ipsum ostendat, & sic postea ad Regis stapplum ducat. Sin autem aliter egerit, fur judicandus est. Quod si quis latroni aliquid tulerit, similiter faciat.

TITULUS LXXVI.

*De materiamine vel lignis furatis.*

SI quis Ripuarius in silva communi seu Regis vel alicujus locata materiamen vel ligna fissa abstulerit, quindecim solidis culpabilis judicetur. Sic de venationibus vel de piscationibus; quia non res possessa est, sed de ligno agitur. Aut si negaverit, cum sex juret.

TITULUS LXXVII.

*De homine furbattudo* [ε] (1).

SI quis hominem super rebus suis comprehenderit, & eum ligare voluerit, aut super uxorem, seu super filiam, vel his similibus, & non prævaluerit ligare, sed colpus [ζ] ei excesserit, & eum interfecerit, coram testibus in quadruvio in clida (2) eum levare debet, & sic quadraginta seu quatuor- de-



[α] Herold. *Is.* [β] Herold. *Vestimentum.* [γ] Lindenbr. *XL.* [δ] Al. *Consecutus.* [ε] Al. *Furbannito.* [ζ] Herold. *Colaphus.* Lindenbr. *Trecolpus.*

(1) *De homine furbattudo.*) Vide, quæ dixi ad Decretionem Childeberti R. cap. 4.

(2) *In clida.*) Cangius hanc vocem egregie illustravit, & ostendit, *clidam* denotare cratem

decim noctes custodire, & tunc ante judicem in haraho [α] conjuret, quod eum de vita forfactum [β] (1) interfecisset. Sin autem ista non adimpleverit, homicidii culpabilis judicetur. Aut si negaverit, cum legitimo numero juret, quod hoc non fecisset.

## TITULUS LXXVIII.

*De eo qui furem in domo receperit.*

SI quis furem in domo receperit, vel ei hospitium seu victum præstiterit, dum res alienas furatus fuerit, ipse similis furi culpabilis judicetur, aut cum sex juret, quod eum nec celasset nec in domo pavisset.

## TITULUS LXXIX.

*De homine penduto & ejus hereditate.*

SI quis homo propter furtum comprehensus fuerit, & legitime superjuratus [γ], & judicio principis pendutus, vel in quocunque libet patibulo vitam finierit, omnes res ejus heredes possideant, excepto capitale & delatura in locum restituant (2).

## TITULUS LXXX.

*De via lacinia (3).*

SI quis Ripuarius ingenuum Ripuarium de via sua obstaverit, quindecim solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret, quod ei viam suam cum armis nunquam contradixisset.

## TITULUS LXXXI.

*Ut parvulus non respondeat ante quindecim annos.*

SI quis homo Ripuarius defunctus fuerit, vel interfectus, & filium reliquerit, usque ad quintum decimum annum plenum nec causam prosequatur, nec in judicio interpellatus responsum reddat. Quindecimo autem anno aut ipse respondeat, aut defensorem eligat. Similiter & filia.

## TITULUS LXXXII.

*De damno in messe (4) vel in clausura.*

I. SI quis Ripuarius in messe aliena vel in quacunque libet clausura damnum fecerit, æstimatione damni culpabilis judicetur (5). Si autem negaverit, & convictus fuerit, capitale cum furto [δ] & delatura culpabilis judicetur.

II. Si quis peculium alienum in messe adprehensum ad parricum (6) minare non permiserit, quindecim solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret, quod hoc non fecisset.

T I-

α Al. *Arabo*; al. *atrio*. β Al. *Forfacto*. γ Al. *Si perjuratus*; al. *superatus*. δ Herold. *Furca*.

tem & *cratitium* etiam *parietem*. Scripta fuit & *cleda*, *cleta*, *clades*, *cleia*, *claia clitella*. Gallice est *claye*, Occitanis *clede*. Glossæ Ælfrici: *cleta*, *cratis*, *hyrdel*. Glossæ aliæ Anglosaxonicæ, *de Partibus domus* agentes: *cleta*, *hyrdel*. Vetus Glossarium Lat. Gall. *crates*; *creil ou clöie*. Capitula addita ad Leg. Alaman. cap. 22. *Si quis alterius ingenuam de crimine, seu stria aut herbaria si sit, & eam priserit & ipsam in clida miserit &c. ... Si in clida misa non fuerit, & prisa & temptata fuerit, quadraginta solidos componat. Et si in clida non fuerit, sex solidos solvat*. Annales Loisseliani ad an. 776. *Petrarias, quas præparaverunt, etiam clidos ad debellandum per virtutem ipsum castellum*. Ado Viennensis de eadem re: *cum præpararent machinas petrarias & cleta*. Romani hos clidos *crates* appellabant. Vetus charta apud Somnerum in Tractatu de Gavelkind fol. 190. *Item pro 18. cladibus faciendis ad qvile 6. den.* Henrici I. Regis Angl. Leges cap. 92. *Si murdrum invenìatur alicubi ... custodiatur septem diebus super cletam unam elevatus*. Gregorius Turonensis *clitellæ* vocem eodem sensu usurpat, quo Ann. Loissel. & Ado *clidos* & *cleta*. Scribit lib. VII. cap. 37. *Leudegisilus novas ad destruendam urbem machinas præparabat: plaustra enim cum arietibus, clitellis & axibus erant texta, sub quibus exercitus properaret ad destruendos muros.*

(1) *Forfactum.*) H.e. privatum. Til. *forfaictum*.

(2) *Except. cap. & del. in locum restituant.*) Heroldus: *excepto, quod capitale & delatura in locum restituant*. Lindenbrog. *exceptis capitali & dilatura, quæ in locum restituant.*

(3) *De via lacinia.*) Vide, quæ diximus ad Pact. Leg. Sal. Tit. XVI. leg. 4. Notandum tamen hic apud Sichardum Legem nostram inscribi: *de turbato e via*. Titulus de cætero *de via lacina* in Pacto Leg. Salicæ est *XXXIV*.

(4) *De damno in messe.*) Pact. Leg. Sal. Tit. X.

(5) *Culpabilis judicetur.*) Melius Cod. Metensis apud Baluzium: *restituat*.

(6) *Ad parricum.*) Til. & Lindenbr. *parcum*, Codex Regius apud Baluzium *parricium*, Corbion. *paricum*. Lex. Angl. & Werin. Tit. VII. leg. 1. *qui gregem equarum in parco furatus fuerit*. Quid in Anglia sit *parcas publicus* Cowellus ita definit: *Parcus*, inquit, *publicus est area in quolibet feudo seu manerio circumseptus, in quo animalia damnum frugibus aut fructibus terræ quibuscunque facientia includuntur, donec de damno per dominum satis fiat, aut saltem cautio apud Vicecomitem per dominum interponatur de stando juri*. Et talis quoque parcus in nostra Lege intelligi videtur. Vox alias generalioris significationis est, ut erudite ostendit Thomas Reinesius in Defensione Var. Lect. pag. 131. seq. *Vocabulum*, ait, *parcus pro silva muro, palicio vel palanchato, ut loquitur Petrus Crescentinas, verubus cincta servandis feris, pro curte & clausura animalium usurpant Latino-barbari, Itali, Galli, Hispani, Angli, Belgæ: alias Waranda, Warenna, Warennis a custodiendo. Gall. parcs & garenes. V. Mornac. ad L. 62. D. de Usufruct. & Car. Molin. ad Consuetud. Paris. Tit. I. fol. 13. n. 4. Saltus ma-*

gnos

### TITULUS LXXXIII.

*De maleficio* (1).

I. SI quis vir seu qua mulier Ripuaria per venenum, seu per aliquod maleficium aliquem perdiderit, weregildum componat.

II. Si autem mortuus non fuerit, & varietatem (2) seu debilitatem probabilem ex hoc in corpore habuerit, centum solidis culpabilis judicetur, aut cum sex juret.

### TITULUS LXXXIV.

*De Grafione injuste invitato* (3).

SI quis Grafionem ad res alienas injuste tollendas invitaverit, quadraginta quinque solidos componat, & similem restituat.

### TITULUS LXXXV.

*De corpore expoliato* (4).

I. SI quis corpus mortuum, priusquam sepeliatur, expoliaverit, centum solidis cum capitale & delatura multetur.

II. Si autem eum ex humo traxerit, & expoliaverit, ducentis solidis cum capitale & delatura culpabilis judicetur, vel wargus (5) sit, hoc est, expulsus [a], usque dum parentibus satisfaciat.

### TITULUS LXXXVI.

*De caballo excorticato* (6).

I. SI quis caballum alterius mortuum seu quodcunque liber animal extra consilium domini sui excorticaverit, triginta solidis culpabilis judicetur.

II. Si autem negaverit, & convictus fuerit, centum solidis cum capitale & delatura multetur.

### TITULUS LXXXVII.

*De homine forbannito* (7).

SI quis hominem, qui forbannitus (8) est, in domum recipere præsumpserit, si Ripuarius est, sexaginta solidis, si regius, Romanus, vel ecclesiasticus, triginta solidis culpabilis judicetur.

### TITULUS LXXXVIII.

*Ut nemo* (9) *munera in judicio accipiat.*

HOc autem consensu & consilio seu paterna traditione & legis consuetudine super omnia jubemus, ut nullus optimatum, major domus, domesticus, Comes, Grafio, Cancellarius, vel quibuslibet gradibus sublimatus, in provincia Ripuaria in judicio residens, munera ad judicium pervertendum

non

[a] Herold. *Wargussit ob hoc expulsus exulet.*

---

*gnos Gallici vocant parcos, leporaria magna guarennas. Jac. Marchantius lib. I. Descript. Flandriæ: Parcus, hoc est, venationum septum ingens. Significat etiam munitionem, intra quam exercitus habetur. Pro equili vel septo, intra quod equi pascunt, auctor Vitæ B. Alcuini editæ e vetusto Codice S. Mariæ Remensis ab A. Quercetano, In tribunalibus Galliæ parqueti sunt loca judicii, ubi solent summaria per procuratores expediri ea, quæ ad litium instructionem pertinent. Ant. Faber. Cod. for. LIX. t. XXII. art. XXV. Auditorii species inde sic dicti, quia intra clathros conclusum, quia septo cinctum.* Parco di Bagnalia *hortus amœnissimus Cardinalis Gambaræ, haud ita procul Viterbio in Italia. Hinc cujus linguæ proprium sit, nescire nos dixi Var. lib. 3. c. 1. . . Fortassis verum est, a Germanis accepisse reliquos, uti boscum & hajam seu hagam, quo lucum & sylvulam circumseptam nominamus: & jardenum Galli, Hispanique a nostratium garte formaverunt. . . . Ex eo vero, quod in Legibus Bajuvariorum Tit. IX. qui est de scuria, hoc est, horreo vel stabulo, memoratur granarium quod barch appellant, & significatio vocabuli nonnihil abludit a parco, qua locum septum & clausum notat (distinguitur enim ibi tam a conclusa parietibus & pessulis cum clave munita, quam a non septa scuria) ipse jam plane certus sum . . . a Germanis ad alias gentes manasse. Est autem, ut planissime edisseram, nostrum, quod hodie efferimus cum secunda vocali Pferch, quo ipso locum palis vel parietibus cratitiis cinctum detinendis sub dio & custodiendis comminatis ovibus,* σηκὸς, φραγμὸν, μάνδραν, *mandrile significamus. Est ubi laxiore significatu quodvis ædificium, mansionem seu stabulum coërciumve, quo pecora armentaque clauduntur, denotat* &c. Quia vero oves, quando in agros deducuntur, ut stercorent illum, parco includuntur; inde *agrum lætificare* nobis est *pferchen* & fimus *pferch*. Quod autem Reinesius putat *parcum* venire a Germ. *pferch* in hoc dissentio ab eo. *Parcus* enim est simplicius & nostrum paulo corruptius. Una certe vox est & Germanica, quæ descendit a *bergen*, custodire. De *parci* significatu adde his congruentia apud Wolfgang. Hungerum in Vindicatione linguæ Germanicæ fol. O. 4. quibus Glossographi jungantur.

(1) *De maleficio.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XXII.

(2) *Varietatem.*) *Ægritudo & invaletudo*, ἀνωμαλία, Gall. *indisposition*, ab Inferiore Latinitate etiam *inæqualitas* vocatur; unde Cangius *varietatem* hic idem esse putat ac *ægritudinem*. Sed ego ex Germanico *var*, metus, periculum, hanc vocem factam puto, ut sensus sit; *Si quis in periculo vel metu perdendæ valetudinis fuisset, vel infirmum se sensisset*. Psalterium vetus Saxonicum, quod ex primis libris typis impressis esse suspicor, cujusque possessor post Eggelingium jam est amplissimus atque eruditissimus vir Jo. Andersonus, Syndicus Reipubl. Hamburgensis, Psalmo XX. *in gotliker var*; in timore divino, Belgis *vaer*, Angl. *faer*; metus, timor, periculum; Anglosax. *færan*, terrere.

(3) *De Grafione injuste invitato.*) Pact. Leg. Sal. Tit. LIV.

(4) *De corpore expoliato.*) Pact. Leg. Sal. Tit. LVIII.

(5) *Wargus.*) Vid. quæ ad hanc vocem in Legis Salicæ expositione protulimus.

(6) *De caballo excorticato.*) Pact. Leg. Sal. Tit. XLI. leg. 17. & Tit. LXVIII.

(7) *De hom. forbannito.*) Vid. Pact. Leg. Sal. Tit. LIX.

(8) *Forbannitus.*) Qui in bannum missus, *der verbannet ist*, sive qui banno vel edicto promulgato in exilium actus est.

(9) *Ut nemo &c.*) Pact. Leg. Sal. Tit. LIV. leg. 2.

non recipiat [α]. Quod ſi quis in hoc deprehenſus fuerit, de vita componat.

TITULUS LXXXIX.

*Ut judices ſive miſſi [β] fiſcales freda non exigant priuſquam facinus componatur.*

NEc nullus [γ] judex fiſcalis de quacunque libet cauſa freda non exigat priuſquam facinus componatur. Si quis autem per cupiditatem iſta tranſgreſſus fuerit, legibus componatur. Fredum autem non illi judici tribuat, cui culpam commiſit; ſed illi, qui ſolutionem recipit, tertiam partem coram teſtibus fiſco [δ] tribuat, ut pax perpetua ſtabilis permaneat. Amen.

EXPLICIT LEX RIPUARIORUM. DEO GRATIAS. AMEN.

---

# CAPITULARE
## CAROLI MAGNI
### *ANNI DCCCIII.*
## DE LEGE RIPUARENSE.

CAP. I.

I. SI ingenuus ingenuum ictu percuſſerit, quindecim ſolidis culpabilis judicetur.

II.

X. Homo regius, id eſt, fiſcalinus & eccleſiaſticus vel lidus interfectus centum ſolidis componatur.

III.

XXII. Homo ingenuus, qui multam quamlibet ſolvere non potuerit, & fidejuſſores non habuerit, liceat ei ſemetipſum in wadium ei, cui debitor eſt, mittere, uſque dum multam, quam debuit, perſolvat. *Item in eodem capitulo, de ſoniſte*. aut ſexcentos ſolidos componat, aut cum duodecim juret. Aut ſi ille, qui cauſam quærit, duodecim hominum ſacramenta recipere noluerit, aut cruce [ε] aut ſcuto & fuſte contra eum decertet.

IV.

XX. Nemini liceat ſervum ſuum propter damnum ab illo cuilibet inlatum dimittere; ſed juxta qualitatem damni dominus pro illo reſpondeat, vel eum in compoſitionem aut ad pœnam petitori offerat. Si autem ſervus perpetrato ſcelere fugerit, ita ut a domino penitus inveniri non poſſit, ſacramento ſe dominus ejus excuſare ſtudeat, quod hoc ſuæ voluntatis nec conſcientiæ fuiſſet, quod ſervus ejus tale facinus commiſit.

V.

XXXIII. Si quis ad mallum legibus bannitus fuerit, & non venerit, ſi eum ſunnis non detinuerit, quindecim ſolidis culpabilis judicetur. Sic ad ſecundam & tertiam. Si autem ad quartam venire contempſerit, poſſeſſio ejus in bannum mittatur, donec veniat & de re, qua interpellatus fuerit, juſtitiam faciat. Si infra annum non venerit, de rebus ejus, quæ in banno miſſæ ſunt, Rex interrogetur, & quicquid inde judicaverit fiat. Prima bannitio ſuper noctes ſeptem, ſecunda ſuper noctes quatuordecim, tertia ſuper noctes viginti & unam, quarta ſuper noctes quadraginta duas. Similiter & de beneficio hominis, ſi forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum uſque Rex interrogetur.

VI.

XXXV. Si auctor venerit, & rem intertiatam recipere noluerit, campo vel cruce [ζ] contendant.

VII.

XLVIII. Qui filios non habuerit, & alium quemlibet heredem facere ſibi voluerit, coram Rege vel Comite & Scabiniis vel Miſſis dominicis, qui tunc ad juſtitias faciendas in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat.

VIII.

LVII. Homo denarialis non antea hereditare in ſuam agnationem poterit, uſque quo ad tertiam generationem perveniat.

IX.

LXIV. Homo chartularius ſimiliter.

X.

LXVII. Omne ſacramentum in Eccleſia aut ſupra reliquias juretur. Et quod in Eccleſia jurandum eſt, vel cum ſeptem electis, vel ſi duodecim eſſe debent, quales potuerit invenire. Si illum Deus adjuvet & ſancti, quorum iſtæ reliquiæ ſunt, ut veritatem dicant.

XI.

[α] Lindenbr. *Et optimates majores domus, domeſtici . . . ſublimati . . . reſidentes . . . non recipiant*. Ita quoque Herold. [β] Herold. *Seu commiſſi*. [γ] Ita Baluz. & Eccard. Sed Herold. & Lindenbr. editiones: *Hoc quoque jubemus, ut judices ſupra nominati, ſive fiſcales de quacunque . . . exigant*. [δ] Deeſt in edit. Herold. *Fiſco*. [ε] Al. Ms. deeſt. *aut cruce*. [ζ] Al. Ms. deeſt. *vel cruce*.

XI.

LXXII. Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, super quem res intertiata fuerit, sacramento se excusare de furto, quod nec suæ voluntatis aut conscientiæ fuisset, quod ablatum est, aut tantum sine damno restituat.

XII.

De homine [α], qui comprehendit servum. Jussit eum occidere dominos suos duos infantes, unum qui habuit novem annos, alium qui habuit undecim. Ad extremum illum servum, postquam dominos suos illos pueros occidit, in foveam quandam projecit. Et judicatum est, ut illum, qui novem annos habuit, weregildo componat; alium vero, qui undecim annos habuit, dupliciter; servum, quem mordricum, tripliciter; & bannum nostrum ad omnia.

---

# LEX ALAMANNORUM [β]

## *CUM NOTIS COLLECTORIS.*

### INCIPIUNT CAPITULA LEGIS ALAMANNORUM.



XL.

α Caput istud, teste Baluzio, non extat in antiquis Exemplaribus; habetur tamen in editione Bavarica.
β Lindenbr. *Capitula Legis Alamann.* γ Lindenbr. *Qui semetipsos vel res.* δ Herold. *Quales esse debeant.* ε Lindenbr. *In curtem.* ζ Herold. *De servis.*

EXPLICIUNT CAPITULA.

α Herold. *Mortuum.* β Lindenbr. addit, *Contra legem.* γ Desunt in Herold. *Vel abscisa.* δ Lindenbr. *Seusiis.* ε Lindenbr. *Anegaverit.* ζ Lindenbr. *Si sub se.* η Herold. *Incisis.* θ Lindenbr. *Abortium.* ι Lindenbr. *Medellam.* κ Herold. *De grege pignorato & pastoribus flagellatis.* λ Herold. *De bisonte & cæteris animalibus furatis.*

I N-

# INCIPIT LEX ALAMANNORUM. (1)

TITULUS I.

*De liberis qui res [α] ſuas ad Eccleſiam Dei tradunt.*

I. SI quis liber res ſuas vel ſemetipſum ad Eccleſiam tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicere ei [β], non Dux, non Comes, nec ulla perſona; ſed ſpontanea voluntate liceat Chriſtiano homini Deo ſervire & de propriis rebus ſuis ſemetipſum redimere. Et qui hoc voluerit facere, per chartam de rebus ſuis ad Eccleſiam, ubi dare voluerit, firmitatem faciat, & teſtes ſex vel ſeptem adhibeat, & nomina eorum ipſa charta contineat, & coram ſacerdote qui ad eandem Eccleſiam [γ] deſervit, ſuper altare ponat: & proprietas de ipſis rebus ad ipſam Eccleſiam in perpetuum permaneat.

II. Et ſi aliqua perſona, aut ipſe qui dedit, vel aliquis de heredibus ejus, poſtea ipſas res de ipſa Eccleſia abſtrahere voluerit, vel aliquis homo qualiſcunque perſona hoc præſumpſerit facere, & effectum quem inchoavit, non obtineat, & Dei judicium incurrat, & excommunicationem ſanctæ Eccleſiæ, & multam illam quam charta continet (2), perſolvat, & res illas ex integro reddat, & fredum in publico ſolvat, ſicut lex habet.

TITULUS II.

*De liberis qui res ſuas ad Eccleſiam Dei tradunt, & in beneficium (3) ſub uſufructuario accipiunt.*

I. SI quis liber res ſuas ad Eccleſiam dederit, & per chartam firmitatem fecerit, ſicut ſuperius dictum eſt, & poſt hæc a paſtore Eccleſiæ per beneficium ſuſceperit ad victualem neceſſitatem conquirendam diebus

α Lindenbr. *Semet ipſos vel res.* β Lindenbr. *Contradicendi.* γ Herold. *Ad eccleſiam; al. ad illam.*

(1) *Alamannorum.*) De Alamannorum origine in diverſas Scriptores abiere ſententias. Ego hic exſcribo, quæ Wachterus tradidit in Gloſſario ad hanc vocem, qui cæteros conciliare conatus eſt. *Alamanni, nomen commune omnium populorum, qui Marcomannis, & ſociis a Danubio, Rheno, Mœn que digreſſis, in ſolo vacuo ſucceſſerunt. Horum duo genera deprehenduntur apud Hiſtoricos, ſi recte inſtituatur computatio,* Galli, & Germani. *Nam poſt exceſſum Marcomannorum mox in ſedibus eorum trans Rhenum, Danubiumque conſederunt Galli, de quibus Tacitus cap. XXIX.* Leviſſimus quiſque Gallorum, & inopia audax, dubiæ poſſeſſionis ſolum occupavere. *Et deinde ſub Antoninis* Germani, *quos ex omnibus Germaniæ oris eo confluxiſſe, Lingua Alamannica, quæ certe Germanica eſt quamvis vocabulis Gallicis mixta, ſatis prodit. Utriſque nomen commune fuit* Alamannorum. *Hinc gens Alamannica, ſi parva initia ſpectes, originem refert ad* Gallos, *ſi magnitudinem, & incrementa, ad* Germanos. *Eſtque omnino convena quædam multitudo ex acerrima Gallorum, Germanorumque juventute congregata, prorſus ut olim plebs Romana, quæ ex diverſis Italiæ colonis coaluit. Unde mirum non eſt,* Alamannos, *cum fuerint mixti homines, & Reſpublica quædam* Gallo-Germanica, *jam haberi pro Gallis, jam ab illis diſtingui. Fuiſſe autem mixtos homines auctor eſt Agathias lib. I., qui ſuum viciſſim auctorem habet.* Alamanni autem, *inquit*, ſi Aſinio Quadrato, viro Italico, fides præſtanda, qui res Germanicas diligenter perſcripſit, convenæ ſunt, & mixti homines, quod & eorum nomine præfertur. *Nec Aſinium fefellit opinio. Nam prior compoſiti pars tam Gallis quam Germanis ſignificat* alium, alienum, peregrinum, *ut demonſtravi in* El; *altera vero* hominem, *vel* virum. *Hinc Alamannus vi nominis eſt* homo peregrinus, alienigena, extraneus, & aliunde adventitius, *non Germanis tantum, ſed etiam Gallis & Britannis, teſte Boxbornio in Lex. Ant. Brit., ubi ſequentia leguntur: Ellmyn,* Alemanni, & uſurpatur pro peregrino. Ab *All,* alius. *Tales autem fuiſſe Alamannos,* h. e. *peregrinos in ſolo Marcomannico, ex antedictis manifeſtum eſt. Aſinius* convenas *vocat, quod idem. Nam* convenæ *ſunt peregrini, qui ex diverſis gentibus in unam ſive gentem ſive civitatem conveniunt. Sed &* mixtos homines *denotare poſſunt, quia* all *in compoſitis ſæpe* varium *ſignificat, quod etiam videtur noviſſe Aſinius, utramque ſignificationem eodem nomine complexus. Dixi autem Gallos Germanis mixtos fuiſſe in illa Republica. Et hujus mixturæ manifeſta extant documenta in ipſa lingua Alamannica. Nam in exiguo Keronis Gloſſario, quod ne milleſimam quidem Linguæ Alamannicæ partem complectitur, plures occurrunt voces Gallicæ, quæ in cæteris Dialectis non facile reperiuntur, & haud dubie ex contagio linguæ Gallicæ Alamannis adhæſerunt.* Huc uſque Wachterus.

Goldaſti editio ex Sangallenſi Codice habet: *Lex Alamannorum, quæ temporibus Hlotarii Regis cum Principibus ſuis, id ſunt XXX. tribus Epiſcopis; & XXXIIII. Ducibus, & LXX. duobus Comitibus, vel cætero populo conſtituta eſt.* Eadem ferme habentur in Heroldina & Lindenbrogiana editionibus.

(2) *Multam illam, quam charta continet, perſolvat.*) In hujuſmodi Chartis taxari conſueverat, quid multæ nomine ſolvendum eſſet ab iis, qui adverſus ipſas agere tentarent, ut ex quampluribus formulis, atque inſtrumentis apparet. Lege inter cætera formulas Goldaſti Tit. *de rerum traditione*, & *de traditione precaria*. In quo valde notandum eſt, quod huic perſolvendæ multæ non obſtringerentur tantum tradentes, vel contrahentes ipſi, vel ipſorum hæredes, ſed etiam *quæcumque extranea, aut oppoſita perſona*, quæ contra illam chartam venire tentaverit.

(3) *Et in beneficium.*) Eruditi docent olim dicta fuiſſe *Beneficia*, quæ ſequioribus ævis appellata ſunt *Feuda*. Attamen hic vides agi non de Feudo, ſed de precaria, vel de cenſitico contractu, quod item *Beneficii* nomine venit. Ego inter *Beneficium*, & *Feudum* id puto intereſſe diſcriminis, quod inter genus & ſpeciem, ut omnia quidem Feuda dicta fuerint *Beneficia*, ſed non omnia Beneficia fuerint *Feuda*. Vide Form. Marculphi lib. II. cap. V. ibique Bignonium.

bus vitæ suæ, & quod spondit persolvat ad Ecclesiam censum de illa terra, & hoc per epistolam firmitatis fiat, ut post ejus discessum ullus de heredibus non contradicat. Et si contigerit ut post mortem ejus qui dedit illas res filium relinquat, & forsitan ipse filius vult dicere quod hereditas paterna sibi sit legitima ad possidendum, & pater ejus non dedisset, nec firmitatem fecisset, non liceat ei jurare; sed ipsa charta quam pater ejus fecit præsens veniat, & illi testes qui manus suas in charta miserunt, una cum Presbytero Ecclesiæ, sicut lex habet, ita testificentur, quod ipsi ad præsens fuissent, & oculis suis vidissent, & auribus audissent quod pater ejus illas res ad Ecclesiam dedisset, & chartam fecisset, & illos ad testes advocasset: hoc per sacramentum dicant, quod nos veri testes sumus. Post hæc pastor Ecclesiæ res suas possideat, & ille præsumptor qui contradixerit, illam multam quam charta continet ad Ecclesiam persolvat.

II. Si autem illa charta aut arserit aut perdita fuerit quam ille homo fecit, tunc liceat illi heredi cum testibus nominatis quinque, ipse sit sextus, in ipsa Ecclesia jurare quod pater ejus nec chartam fecisset nec ad illa loca sancta dedisset. Et si hoc præsumpserit facere, illas res possideat.

## TITULUS III.

### *De liberis vel servis qui ad Ecclesiam* α *confugiunt.*

I. SI quis homo aliquem persequens fugitivum aut liberum aut servum, & ipse intra januas Ecclesiæ confugerit, nullus habeat potestatem per vim abstrahendi de Ecclesia, nec eum infra januas Ecclesiæ occidendi; sed ex timore Dei honorem Ecclesiæ impendat, & sacerdotem Ecclesiæ β interpellet pro servo suo. Roget sibi eum reddere, & donet legitimum wadium ut illam culpam illi servo concessam habeat. Tunc ille Presbyter reddat in pace servum domino suo.

II. Si autem Presbyter neglexerit reddere aut contradixerit illum servum, apud se illum contineat, & curam de illo habeat, ut exinde fugitivus non evadat. Et si evaserit, ille Presbyter sine ulla dilatione perquirat γ, & domino restituat. Et si ipsum invenire non potuerit, similem ipsius, aut pretium pro eo solvat.

III. Si autem vi abstraxerit, & injuriam Ecclesiæ fecerit, componat octodecim solidos ad ecclesiam, & fredum solvat in fiscum sexaginta solidos, quia contra legem fecit, & Ecclesiis δ honorem non impendit, & Dei reverentiam non habuit, & ut alii cognoscant (1) quod sit timor Dei in Christianis, & honorem Ecclesiis impendant.

## TITULUS IV.

### *De liberis qui infra januas Ecclesiæ interfecti fuerint.*

SI quis liber liberum infra januas Ecclesiæ occiderit, cognoscat se contra Deum injuste fecisse & Ecclesiam Dei polluisse: ad ipsam Ecclesiam ε quam polluit sexaginta solidos componat (2), ad fiscum vero similiter alios sexaginta solidos pro fredo solvat ζ, parentibus autem legitimum widrigildum η solvat (3).

## TITULUS V. (4)

### *De raptoribus qui de Ecclesiis aliquid vi abstraxerint.*

I. SI quis res suas ad Ecclesiam commendatas habuerit, & aliquis eas exinde ra-

α Lindenbr. *Ecclesiam Dei.* β Deest in Lindenbr. *Ecclesiæ.* γ Herold. *Persequatur.*
δ Herold. *Ecclesiæ.* ε Herold. *Ipsæ Ecclesiæ.* ζ Herold. *Et fiscus fredum adquirat.*
η Herold. & Lindenbr. *Veregildum.*

(1) *Et ut alii cognoscant.*) *Hinc collegit Joachimus Vadianus in libro primo de Collegiis, Monasteriisque Germaniæ veteribus, hanc legem illo haud dubie scriptam tempore, quo plurimi Alamannorum fidem Christianam nondum susceperant.* Baluzius in notis ad Capitularia.

(2) *Sexaginta solidos componat.*) Quid *fredum* sit, quid *widrigildum*, seu potius, ut Heroldus, & Lindenbrogius habent, *weregildum*, docet Eccardus in notis ad legem Salicam. Hic tantum observa, quod multa Ecclesiæ solvenda pro delicto in ipsa patrato *Fredi* nomine identidem appellatur in Lege Langobardica VII. Ludovici Pii; quia sicuti *fredum* solvebatur fisco, ut delinquens civili securitati, unde maleficio exciderat, restitueretur; ita & pollutæ Ecclesiæ pendebatur, ut reus pacem illius recuperaret. Vides, hos fuisse gentium mores, & instituta, non Ecclesiasticorum adinventiones.

(3) *Widrigildum solvat.*) Ad avertendam scilicet privatam vindictam. Tacitus Germaniæ cap. XXI. *Suscipere tam inimicitias seu patris, seu propinqui, quam amicitias necesse est. Nec implacabiles durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum, ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiæ juxta libertatem.* Viguit, atque hodie adhuc (ut a fide dignissimis Dalmatis audivi) viget in quibusdam Dalmatiæ locis mos, ut dum pax restituenda est inter interfectorem, & proximum interfecti, una conveniant utriusque propinqui cum aliis quoque ex primoribus, qui simul collecti definiunt quantitatem multæ, quam reus proximo interfecti pendere debet; quæ tamen multa a quamplurimis reo condonari solet. Tum coram illo confessu pax inter eos restituitur quibusdam consuetis ceremoniis; quibus expletis opiparum celebratur convivium interfectoris expensis paratum.

(4) *Titulus V.*) Baluzius ait, ea quæ in hoc, atque in sequenti Titulo existunt, deesse in libris regiis, & in Corbionensi; atque pro illis hæc tantum illuc haberi:

D*e*

rapuerit, si per furtum hoc fecerit, ipsas res in capitale restituat, & sicut ipsæ res [α] valuerint, hoc novempliciter componat. Iterum atque iterum similiter faciat, hoc sunt per ter novempliciter [β]. Ista omnia ei cujus res sunt componi debent [γ]. Ecclesiæ vero, quam inhonoravit [δ], triginta sex solidos componat.

II. Si vero per virtutem [ε] hoc raptor de Ecclesia [ζ] abstulerit, dupliciter domino componat, & duodecim solidos [η]. Ecclesiæ vero, sicut superius commemoratum est, triginta sex solidos componat.

III. Si servus hoc fecerit, & jussio domini ejus fuit, sicut dictum est, ita omnia observari debent [θ].

IV. Si servus per se hoc fecerit, ex furto similiter quomodo dictum est adimplere debet.

V. Nam si per virtutem servus hoc [ι] fecerit, non sicut de libero compositio exigatur, sed virtus [κ] servilis componi debet, ut ipsum quod abstulit reddatur simpliciter; ita tamen si statim quomodo inventum fuerit, contradictio domini sui non fuerit. Nam si aliquam moram fecerit, propter contradictionem domini sui duodecim solidi addantur.

VI. Si dominus ex hac re immunis fuerit, ut jussio ejus non esset, ei quatuor sol. in fredo [λ] exigantur. Nam si jussio ejus fuit, sicut supra dictum est ita componatur.

## TITULUS VI.

*De juratoribus, quales vel quantos secundum euua homo habere debet* [μ].

I. DE minoribus causis usque ad solidum valentem [ν] licet unicuique qualem sacramentalem unum secum habere vult, in suo sacramento continere.

II. Nam si duas Saigas valentem supra solidum res valuerint de qua caussa orta fuerit [ξ], tunc debet homo qui caussam requirit, tres electos denominare, & ex denominatis tribus licentiam habet excusator rejicere duos; tertium vero non licet rejicere, sed ipsum secum in sacramento habere debet.

III. [ο] Saiga (1) autem est quarta pars tremissis, hoc est, denarius unus. Duæ Saigæ, duo denarii dicuntur. Tremissus est tertia pars solidi (2), & sunt denarii quatuor.

IV. Ita observandum est usque ad tres solidos & supra tres solidos [π].

V. Iterum duas Saigas [ρ] valentes, si aliquis interpellatus fuerit, tunc qui caussam prosecutus fuerit, electionem faciat de conjuratoribus, unde excusator quales duos rejicere voluerit potestatem habeat, & cum duobus juratoribus iste ordo [σ] servandus est usque ad sex solidos.

VI. Nam si duæ Saigæ supra sunt, tunc cum quinque sua manu sexta jurare debet, similiter cum electis, sicut supra dictum est; & duos in omnibus istis ordinibus rejicere licet.



[α] Herold. *Et quanti hæ res.* [β] In edit. Heroldi & Lindenbr. deest totus paragr. *Iterum* &c. [γ] In Heroldina deest quoque paragr. *Ista omnia* &c. [δ] Lindenbr. *Inhonorificavit* Herold. *violavit.* [ε] Herold. *Per vim.* [ζ] Desunt in Herold. *De Ecclesia.* [η] Herold. *Domino suo componat XII. sol.* [θ] Herold. *Etiam observari debet.* [ι] Herold. *Per vim hoc.* [κ] Herold *Vis.* [λ] Herold *IIII. solidi in fredum.* [μ] Herold. *De juratoribus quales esse debeant.* [ν] Herold. *Valentibus.* [ξ] Herold. *Aut supra solidum res valuerit.* [ο] Totus §. deest in edit. Herold. [π] [ρ] Ita Baluz. sed Lindenbrog. V. *Iterum, & supra tres solid. duas saigas &c.* Eodem fere modo habentur quoque in Heroldina. [σ] Herold. *Conjuratoribus juret. Iste ordo.*

---

*De raptoribus, qui de Ecclesiis aliquid vi abstraxerint.*

*Si quis autem raptor res Ecclesiæ commendatas alicujus, infra januas Ecclesiæ vi abstraxerit, & tulerit, homini cujus fuerant, sicut lex habet, ita solvat. Injuriam autem Ecclesiæ, quam per raptum fecit, XVIII. sol. componat.*

Eadem habentur & in Heroldina editione, sed una cum reliquis, quæ hic a lata sunt, excepta lege tertia Tituli sexti. Codex Sangallensis a Goldasto editus Rer. Alaman. Script. Tomo II. parte I. cum Corbionensi concordat. Adest quidem integer Titulus VI. sed in calce totius legis positus, & Goldasto ipso teste, alia manu, penna, & atramento exaratus.

(1) *Saiga.*) *Saiga*, Latine *serra*, Italice *sega*. Ita appellatum numisma arbitror antiqua nomenclatione. Tacitus Germ. cap. V. de Germanis loquens ait: *Pecuniam probant veterem, & diu notam, serratos, bigatosque.* Visuntur adhuc *serrati* nummi consulares ex probo argento, quorum scilicet orbis denticulatus est ferme ad modum serræ. Ejusmodi serratos nummos vidi in selectissima pinacotheca præclari juvenis Co. Hieronymi Asquinii Patritii Utinensis, inter quos & *bigatum* animadverti. An & sub Merovingicis Regibus ejusmodi serrati nummi aliquo in usu fuerint, ignoro. At vero monetæ cuidam, puta denario, *saigæ*, vel *serræ* nomen perdurare potuit, licet mutata re; ut in re monetaria usuvenire solet. Sic & nos a primævo nomine *Carolenos*, *Paulos*, *Philippos* appellamus & illos, qui nec Caroli, nec Pauli, nec Philippi imaginem referunt.

(2) *Solidi.*) Ex hoc & aliis quampluribus locis colligitur, in antiquiori Regno Austrasiæ multas regulariter solutas fuisse solidis valentibus XII. denariis. Id porro ex antiquo more obtinuisse docet Lex Ripuariorum Tit. XXXVI. lege 12. *Quod si cum argento solvere contigerit* (weregeldum), *pro solido XII. denarios, sicut antiquitus est constitutum.* Nos autem solidos *argenteos* fuisse docent antiquitatum studiosi, & confirmat Charta anni DCCCVII. apud Muratorium Antiquit. Italic. Dissert. XXVIII. *Tu mihi reddere debeas decem solidos argento, de bonos denarios, mundos, grossos, expendiviles, una duodecim denarios pro solido tantum.* Quod notatum velim ad discrimen Regni Neustriæ, ubi ex Lege Salica compositiones seu multæ pendebantur solidis aureis, id est valentibus denariis XL. ut perpetuo in ipsa Lege scriptum est. Quamquam & hic sub Pipino tandem multæ ipsæ ad solidos argenteos redactæ fuerint; de quo tamen vide Cangium, ibique Maurinorum additamenta.

VII. Ista sacramenta debent esse jurata [α], ut illi conjuratores manus suas super capsam ponant, & ille solus cui caussa requiritur verba tantum dicat, & super omnium manus manum suam ponat (1), ut sic illi Deus adjuvet (2) vel illæ reliquiæ ad illas [β] manus quas comprehensas habet, ut de illa caussa unde interpellatus est culpabilis non sit.

### TITULUS VII.

*De liberis qui de Ecclesia aliquid furaverint.*

I. SI quis res Ecclesiæ furaverit, & convictus fuerit, ut solvatur [γ] unicuique rei [δ] quam furaverit, tres novigeldos solvat, aut servum, aut ancillam, aut bovem, aut caballum, aut qualecunque animal, vel ceteras res quæ ad Ecclesiam Dei pertinent. Si post furtum inventus fuerit, ita solvat ut superius scriptum est.

II. Si autem negare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ ita juret cum suis sacramentalibus in ipso altare, cui res furtivas abstulit, coram sacerdote vel ministro ejus, quem pastor Ecclesiæ jusserit audire sacramentum.

### TITULUS VIII

*De liberis qui servum Ecclesiæ occiderint.*

SI quis servum Ecclesiæ occiderit, in triplum componat; sicut solet servus Regis, ita solvatur, id est, quadraginta quinque solidis. Et si eum rapuerit contra legem, & vendiderit extra provinciam, tripliciter eum componat. Et si eum furaverit aliquis in capite, semper consimilem restituat, si ipsum invenire potuerit [ε]; alius autem medietatem in auro valentem, medietatem cum [ζ] qualem pecuniam [η] habet solvat. (3)

### TITULUS IX.

*De colonis Ecclesiæ occisis.*

QUicunque liberum Ecclesiæ, quem colonum (4) vocant, occiderit, sicut alii Alamanni ita componatur.

### TITULUS X.

*De eo qui in curte [θ] Episcopi armatus ingreditur.*

SI quis in curte Episcopi armatus contra legem intraverit, quod Alamanni haisterahandi [ι] dicunt, octodecim solidos componat [κ]. Si infra domum intraverit, triginta sex solidos componat.

### TITULUS XI.

*De eo qui in Presbyteri curte armatus ingreditur.*

SI quis autem in Presbyteri curte, qui in parrochia positus est ab Episcopo, contra legem armatus intraverit, sicut superius diximus, sicut solet aliis liberis Alamannis componere, ita Presbytero tripliciter componat, hoc est, octodecim solidos; & si infra casam [λ], triginta sex.

### TITULUS XII.

*De his qui Episcopo aliquam injuriam fecerint.*

I. SI quis Episcopo aliquam injuriam fecerit, vel plagaverit, vel fustaverit, vel mancaverit, omnia tripliciter componantur sicut ceteri parentes ejus compositionem habebunt, ac si melius dicamus, sicut & Ducem, ita [μ] in omnibus eum componat.

II.

[α] Herold. *Ista vero sacramenta sic debent fieri.* [β] Herold. *Et illas.* [γ] Lindenbr. *Solvat.* [δ] Herold. *Unamquamque rem.* [ε] Herold. *Non potuerit.* [ζ] Deest in Lindenbr. *Cum.* [η] Herold. *Quale pecunia.* [θ] Lindenbr. *Curtem.* [ι] Herold *Haisterabanni.* Al. *haisthenti hausteranni.* [κ] Deest in edit. Lindenbr. *Componat.* [λ] Herold. & Lindenbr. *In casam.* [μ] Deest in Herold. *Ita.*

---

(1) *Et super omnium manus manum suam ponat.*) Ex ritu hic descripto nullo negotio intelligis, quid sibi velit apud veteres, *jurare tertia, sexta, decima, duodecima manu* &c.

(2) *Sic illi Deus adjuvet.*) Formulam juramenti, *Sic me Deus adjuvet*, hodie adhuc inter nos solemnem antiquissimam esse constat ex hac lege. Ea ab Ethnicismo in Christianismum feliciter transisse videtur. Certe & Ethnicis in usu fuit. Johannes Ihre in Glossario Sviogothico *V. As* ait formulam jurandi Ethnicam in partibus Septemtrionis fuisse: *So hielpi mier hin helge As, Freyr, oc Niordur*: hoc est: *Ita adjuvet me Sanctus As, Freyer, & Niord.* Et revera in fragmento Legis Islandicæ in Ethnicismo latæ apud Bartholinum Antiquit. Dan. lib. II. cap. 7. habetur, quod unusquisque, cui peragendum est aliquod forense negotium, jurare teneatur eadem concepta formula: *Hialp mier sva Freyr, oc Niordr, oc hinn Almatki As, sem &c.* hoc est: *Adjuvet me sic Freyer, & Niord, & ille omnipotens As, sicut &c.*

(3) In Codice Sangallensi a Goldasto edito adest titulus, cui locus adsignandus est intra Titulum editionis nostræ VIII. & IX. Ille tamen in calce totius legis legitur, &, Goldasto teste, alia manu, penna, & atramento conscriptus a reliqua lege. Sic autem effertur.

*Qualiter servi componendi sunt.*

*Si quis servum alienum occiderit, solidos XII. in capitale restituat, aut cum alio servo, qui habeat XIIII. palmas cum pollice replicato, & duos digitos in longitudinem; & tres solidos in ejus pretio superponat, quod fiunt simul solidi XV. Si quis Ecclesiasticum servum, vel Regium occiderit, tripliciter componat, hoc est XLV. solidis.*

(4) *Colonum.*) Diploma Othonis II. an. DCCCCLXXXV. apud Hundt Metr. Salisb. Tomo I. *Ingenui, qui ex inopia servorum in loco Ecclesiastici patrimonii constituuntur coloni.* Hi autem vel servi manumissi fuisse videntur, aut ex manumissis oriundi.

II. Et si occisus fuerit, sicut & illum Ducem (1) ita eum solvat (2), aut Regi, aut Duci, aut ad Ecclesiam ubi pastor fuit.

### Titulus XIII.

*De his qui Presbytero parrochiano injuriam intulerint.*

I. SI quis Presbyterum parrochianum injuriaverit, aut fustaverit, aut mancaverit, vel qualemcunque ei injuriam intulerit, in triplum componatur.

II. Et si eum occiderit α, sexcentis solidis eum solvat, aut ad Ecclesiam ubi servivit, aut ad Episcopum de cujus parrochia fuit.

### Titulus XIV.

*De his qui Diacono aliquam injuriam fecerint.*

SI quis Diacono, qui Evangelium coram Episcopo legit, & revestitus ante altare officio fungitur, si quis ei β aliquam injuriam fecerit, vel eum fustaverit, vel plagaverit, vel mancaverit, dupliciter componatur γ. Et si eum occiderit, quadringentis solidis componatur δ.

### Titulus XV.

*De his qui monacho aliquam injuriam intulerint.*

MOnachus autem qui sub regula in monasterio conversatus fuerit, & ab aliquo aliquas injurias, sicut superius diximus, passus fuerit, ita ut Diaconus similiter componatur.

### Titulus XVI.

*De his qui clerico aliquam injuriam intulerint* ε.

I. CLerici autem, sicut ceteri parentes eorum, ita componantur.

II. Si autem Clericus, qui in gradu in Ecclesia publice lectionem ζ recitat (3), vel gradale, vel alleluja coram Episcopo in publico cantaverit, aliquam injuriam passus fuerit, sicut superius diximus, componatur quomodo parentes ejus componuntur, & tertia pars super hæc addatur in compositione.

### Titulus XVII.

*De liberis qui ad Ecclesiam dimissi sunt, si occidantur.*

LIberi qui ad Ecclesiam dimissi sunt liberi, vel per chartam (4) libertatem acceperunt, si occidantur, octuaginta solidis solvantur Ecclesiæ (5) vel filiis ejus.

### Titulus XVIII.

*De ancilla libera dimissa, si postea servo se conjunxerit, & de Alamanna, quæ servo nupserit.*

I. SI ancilla libera dimissa fuerit per chartam, aut in Ecclesia, & post hæc servo nupserit, Ecclesiæ ancilla permaneat.

II. Si autem libera Alamanna servo Ecclesiæ nupserit, & servile opus ancillæ η contradixerit, abscedat.

III. Si autem ibi filios vel filias generaverit, ipsi servi & ancillæ permaneant, potestatem exeundi non habeant.

IV. Illa autem mater eorum, quando exire voluerit, ante tres annos liberam potestatem habeat.

V. Si autem tres annos induraverit opus ancillæ, & parentes ejus non exadoniaverint θ eam (6), ut libera fuisset, nec ante



α Lindenbr. *Ceciderit*. β Desunt in edit. Lindenbr. & Herold. *Si quis ei*. γ Lindenbr. *Eum componas*. δ Lindenbr. *Solvat*. Herold. *Componat*. ε Herold. *Fecerint*. ζ Herold. *Publicam lectionem*. η Lindenbr. *Ancillæ*. θ Herold. *Exidoniaverint*.

(1) *Illum Ducem.*) Italice, *il Duca*. Articulum præpositivum in Barbaricis linguis usitatum Barbari in Latium invexere, adhibito præsertim pronomine demonstrativo, *ille, illa, illud*; unde ortus est articulus præpositivus Italicus, *il, la, lo*. Hujusce Barbarismi exempla haud semel occurrunt in lege Alamannorum.

(2) *Ita eum solvat.*) Vides hic Episcopum in æstimatione capitis æquiparatum Duci. Alicubi etiam reperire est pretium Archiepiscopi excedere pretium Regis. Sic enim in libro Constitutionum tempore Athelredi Regis Anglosaxonum apud Wilkins pag. 110. *In Cantuariensi lege Rex & Archiepiscopus habent æqualem, & æque charam pacis fractionem. Et in illis legibus pretium Archiepiscopi est undecim solutionum & Regis novem solutionum*. Quod ullo procul dubio ab antiquissimo Barbarorum jure publico derivatum est. Vide quæ dixi in Præfatione generali.

(3) *Recitat.*) Nota hic, non omnes Clericos privilegio civili in æstimatione capitis gavisos fuisse, sed eum *qui in Ecclesia publice lectionem recitat* &c. seu ut habetur in lege Baivariorum Tit. I. cap. VIII. *Illi qui sunt ministri altaris Dei*.

(4) *Vel per chartam.*) Hinc perspicuum videtur, manumissionem, quæ appellabatur *per chartam*, diversam fuisse ab ea quæ in Ecclesia peragebatur, ut adversus Thomasium evincit Potgieser, de servis lib. IV. cap. 6.

(5) *Ecclesiæ.*) Qui scilicet in Ecclesia manumissi erant, & liberti Ecclesiæ, non vero priorum dominorum, fiebant, ideoque ut liberti Ecclesiastici censebantur, atque sub Ecclesiæ mundeburde consistebant, ut ostendit idem Cl. Potgieser lib. IV. cap. 4.

(6) *Non exadoniaverint eam.*) Id est, non reddiderint idoneam, *ut libera fuisset*. Vides, durante triennio actionem vindiciarum secundum libertatem parentibus mulieris competiisse, idque profecto tum ex jure mundii, tum ut dedecus, quod ex mulieris facto in ipsos recidere poterat, a se amoverent. Triennio elapso actio illa exspirabat.

te Ducem, nec ante Comitem, nec in publico mallo, transactis tribus Kal. Mart. (1) post hæc ancilla permaneat in perpetuum (2); & qui ex ea nati fuerint, servi & ancillæ sint.

### TITULUS XIX.

*Ut nullus laicus rem Ecclesiæ absque charta præsumat possidere.*

RES Ecclesiæ de laicis absque charta (3) nullus præsumat possidere. Et si chartam non ostenderit, quod comparasset a pastore Ecclesiæ, possessio semper ad Ecclesiam pertineat.

### TITULUS XX.

*Ut Presbyter res vel mancipia Ecclesiæ potestatem vendendi non habeat.*

NUllus Presbyter nec aliquis pastor Ecclesiæ potestatem habeat vendendi ecclesiasticam terram nisi contra aliam terram, nec mancipium, nisi aliud mancipium receperit. Et si concambium [α] fecerit aut de mancipio aut de terra, semper epistolam firmitatis faciat, ut contentio non fiat, nec Ecclesia perdat, quod legitime possidere debeat.

### TITULUS XXI.

*De his qui Ecclesiæ servum vel ancillam susceperint fugitivos.*

SI quis mancipium Ecclesiæ, aut servum, aut ancillam, fugitivum susceperit, & post requisitionem aut ipse Presbyter requirat, aut missus ejus legitimus, & ille neglexerit reddere, & contra legem antesteterit, sicut solet aliis Alamannis componere, ita & tripliciter componat. Et quicquid Ecclesiæ contra legem fecerit, omnia tripliciter componat sicut lex habet.

### TITULUS XXII.

*Qualiter servi Ecclesiæ tributa solvere debeant.*

SErvi enim Ecclesiæ (4) tributa sua legitime reddant, quindecim siclas de cervisa, porcum valentem tremisse uno, panem modia duo, pullos quinque, ova viginti. Ancillæ autem opera imposita sine neglecto faciant. Servi dimidium sibi & dimidium in dominico arativum reddant. Et si super hæc est, sicut servi ecclesiastici ita faciant, tres dies sibi, & tres in dominico.

### TITULUS XXIII.

*De servis [β] ecclesiasticis (5), si ad Episcopum aut ad judicem suum venire dispexerint.*

I. LIberi autem ecclesiastici, quos colonos vocant, omnes, sicut & coloni Regis, ita reddant ad Ecclesiam.

II. Si quis legitime tributum antesteterit per jussionem judicis sui, sex solidis sit culpabilis.

III. Et opera quæque imposita ei fuerint secundum mandatum, aut quomodo lex habet, si non adimpleverit, sex solidis sit culpabilis.

IV. Et si sigillum aut signum qualecunque judex per jussionem domini sui transmiserit, & eum venire jusserit, aut ambulare in

α Al. *Concamium*. β Lindenbr. *Colonis*.

(1) *Transactis tribus Kal. Mart.*) Nota, finem actioni impositam non præcise post triennium a die peracti conjugii, sed *a tribus Kal. Martiis*, quo tempore celebrata antiquitus fuisse Generalia Regni Comitia notissimum est. Ab eo quoque tempore sumpsisse videntur Franci anni civilis initium. Concilium Vernense an. DCCLV. cap. IV. *Ut bis in anno Synodus fiat. Prima Synodus mense primo, quod est Martias Kalendas*. Hæc notanda duxi ad intelligentiam antiquæ jurisprudentiæ.

(2) *Ancilla permaneat in perpetuum.*) Ex jurisprudentia quæ sequiori ævo vigebat, mulier post mortem mariti in jura libertatis ex postliminio redibat. Id quippe animadverti non semel in quibusdam consuetudinibus, atque constitutionibus medii ævi. Unam saltem afferam. Liber Consuetudinum Imperii Romaniæ in Venetorum & Fancorum ditionem redacti Ms. hæc habet cap. CLXXX. *Se libera non feudataria contrazerà con villano, vivando lo marito deventa villana del Signor del so marido. Et se la vive dapuò lo marido, la torna alla prima libertà. Et li fioli de quello romagne villani. Ma che serave, se la sera feudataria? El serà quella medexima cosa*. Hæc ex tardiori ævo. An vero & ex jurisprudentia antiqua idem jus obtineret inter Barbaros, alii disquirant.

(3) *Absque charta*. Hoc in favorem Ecclesiæ. Cæterum contractus etiam de immobilibus absque charta initos, & lege probatos fuisse constat ex Lege Baivariorum Tit. XV. cap. XII.

(4) *Servi enim Ecclesiæ*.) De servis agrariis Ecclesiæ agitur, quibus census & servitium lege definitur, ne forte a dominis plus æquo graventur. Verumtamen vel hinc innuitur, servos ipsos suos lares habuisse, propriam familiam rexisse, & quod soluto censu ex agrorum redditibus reliquum erat, vel quod industria lucrabantur, in proprium & familiæ usum cessisse. Id porro antiqui juris apud Germanos fuisse testis est Tacitus Germ. cap. XXV. *Cæteris servis non in nostrum morem descriptis per familiam ministeriis utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit, & servus hactenus paret. Cætera domus officia uxor, ac liberi exequuntur*.

(5) *De servis ecclesiasticis*.) Inter *colonos ecclesiasticos*, de quibus hoc Titulo, & *servos Ecclesiæ*, de quibus Titulo superiori agitur, distinctio intercedit. Confer legem Baivariorum Tit. I. cap. XIV. lege 1. & 6. Porro ex hoc titulo colliges, *colonos ecclesiasticos* in debito servitiorum & tributorum æquiparari *colonis Regis*, & quodam jure fiscali lege probato in prædia & servos Ecclesiam ævis illis gavisam esse.

in aliquam utilitatem, & ille neglexerit, sex solidis sit culpabilis.

V. Si autem sigillum Episcopi neglexerit, aut ad veniendum, aut ad ambulandum, ubi jusserit, duodecim solidis sit culpabilis.

### TITULUS XXIV.

*De eo qui in mortem Ducis consiliatus fuerit.*

SI aliquis homo in mortem Ducis consiliatus fuerit, & inde convictus fuerit, aut vitam perdat, aut se redimat (1), sicut Dux aut principes populi judicaverint. Et si jurare voluerit, cum duodecim nominatis juret in Ecclesia coram Duce, aut quem ille miserit.

### TITULUS XXV.

*De homine qui gentem extraneam infra provinciam invitaverit.*

SI homo aliquis gentem extraneam infra provinciam invitaverit, ut ibi [α] prædam vastet hostiliter, vel domos incendat, & de hoc convictus fuerit, aut vitam perdat, aut in exilium eat, ubi Dux miserit, & res ejus infiscentur in publico.

### TITULUS XXVI.

*De his qui in exercitu litem commiserint.*

SI quis in exercitu litem commiserit, ita ut cum clamore populus concurrat cum armis, & ibi pugna orta fuerit inter proprium exercitum, & aliqui ibi occisi fuerint, ipse homo qui hoc commisit, aut vitam perdat, aut in exilium eat, & res ejus infiscentur in publico; & illi alii qui ibi aliquid commiserunt aut fecerunt, omnia sicut lex habet tripliciter solvant.

### TITULUS XXVII.

*De his qui in exercitu aliquod furtum fecerint.*

SI quis in exercitu, ubi Rex ordinaverit exercitum [β], aliquod furtum fecerit, novem vicibus novigeldos solvat quicquid involatum fuerit. Sin autem Dux exercitum ordinaverit, & in illo fisco aliquid furaverit, tres novigeldos solvat. Et si jurare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ juret.

### TITULUS XXVIII.

*De eo qui sigillum aut mandatum Ducis neglexerit.*

I. SI quis sigillum Ducis neglexerit, aut mandatum, vel signum qualecunque quod mandaverit, duodecim solidis sit culpabilis. Et si negare voluerit, quod ad illum nuntius non pervenisset, cum quinque nominatis juret, si eum [γ] sacramentum dominus præbere voluerit.

II. Si autem sigillum Comitis neglexerit vel mandatum, cum sex solidis [δ] componat.

III. Si autem Centurionis sigillum aut mandatum neglexerit, tribus solidis sit culpabilis.

IV. Aut si negare voluerit quod ad illum nuntius non pervenisset, secundum quod debuit solvere, ita juret.

### TITULUS XXIX.

*De eo qui in curte Ducis hominem occiderit.*

I. SI quis in curte Ducis hominem occiderit, aut illic ambulantem, aut inde revertentem, triplici weregildo eum solvat, propter hoc quod præceptum Ducis transgressus est, ut unusquisque homo pacem habeat ad dominum suum veniendo & de illo revertendo. Et nullus præsumat hominem de Duce venientem aut ad illum ambulantem in itinere inquietare, quamvis culpabilis sit (2). Et si præsumpserit, quicquid ei fecerit, aut occiderit, aut ille vivens evaserit, aut plagatus fuerit, semper tripliciter componat.

II. Et si ad Comitem perrexerit, & ibi vel occisus vel plagatus fuerit, ille qui hoc fecit, omnia tripliciter componat.



α Lindenbr. *Ubi*. β Deest in Herold. *Exercitum*. γ Herold. *Ei*. δ Al. *XII. sol.*

(1) *Aut se redimat.*) Ergo etiam qui in vitam Ducis consiliatus esset, soluta multa se se redimere poterat. Parallelam, imo leniorem legem inter Anglosaxonicas legere est. Liber Constitutionum tempore Æthelredi Regis: *Si aliquis Regis vitæ insidietur, vitæ suæ reus sit, & si illud excusare velit, faciat hoc per compensationem æstimationis capitis Regis, vel per triplex Ordalium juxta leges Anglorum.* Idem ferme habetur in Legibus Ælfredi cap. 4. Hoc quoque notandum, caput ipsum Regis apud Anglosaxones æstimationem habuisse non arbitrariam, sed lege taxatam, ut non semel ex iisdem legibus apparet. Ex quo inferendum videtur, antiquissimi juris Barbarici fuisse, ut crimina ipsa in vitam Principis patrata, determinata facultatum solutione lui possent.

(2) *Quamvis culpabilis sit.*) Habes hic exemplum perstrictionis juris privatæ vindictæ. Simile quid habes in ipsa Frisionum lege, quæ tamen cæteris ampliores juri privatæ vindictæ laxat habenas. Ita enim in Additione Sapientum Tit. I. lege 1. & 2. *Homo faidosus pacem habeat in Ecclesia, in domo sua, ad Ecclesiam eundo, de Ecclesia redeundo, ad placitum eundo, de placito redeundo. Qui hanc pacem effregerit, & hominem occiderit, novies XXX. solid. componat. Si vulneraverit, novies XII. solidos componat ad partem Regis.*

### TITULUS XXX.

*De eo qui missum Ducis infra provinciam occiderit.*

SI quis missum Ducis infra provinciam occiderit, tripliciter eum solvat sicut lex habet. Si negare voluerit quod non fecisset, sicut lex habet, ita juret cum duodecim nominatis & aliis duodecim electis.

### TITULUS XXXI.

*De eo qui in curte Regis furtum commiserit.*

I. SI quis in curte Regis furtum alicui fecerit, dupliciter componat, cui furtum fecerit, & sexaginta solidos pro fredo (1) in publico solvat.

II. Si servus alienus hoc in curte Ducis fecerit, dominus ejus aut redimat eum quantum valet, aut ipsum reddat.

### TITULUS XXXII.

*De eo qui res Ducis furaverit.*

SI quis de rebus quæ ad Ducem pertinent aliquid furatus fuerit, ter novigeldos componat; & ibi fredum non reddat, quia res dominicæ sunt, & tripliciter componuntur.

### TITULUS XXXIII.

*De feminis quæ in ministerio Ducis sunt.*

SI feminis quæ in ministerio Ducis sunt aliquid contra legem factum fuerit, qui hoc fecerit, omnia tripliciter eis componat, quod aliis Alamannorum feminis simpliciter componere debeat. (2)

### TITULUS XXXIV.

*De eo qui præsumpserit infra provinciam res Ducis hostiliter invadere.*

SI quis præsumpserit infra provinciam hostiliter res Ducis invadere & ipsas tallare, & post hæc convictus fuerit, quicquid ibi tultum [α] fuerit, mancipia, pecuniam, omnia tripliciter restituat, & insuper weregildum suum Duci componat, quia contra legem fecit. Et quanti liberi illum sunt secuti, & ibi raptores fuerint, & inde convicti fuerint, unusquisque sexaginta sol. dos Duci componat, & quicquid ibidem tulit, semper tripliciter restituat.

### TITULUS XXXV.

*De filio Ducis qui contra patrem suum surrexerit.*

I. SI quis Dux habet filium contumacem & malum, qui rebellare conetur contra ipsum patrem suum [β] per stultitiam suam, vel per consilium malorum hominum, qui volunt dissipare provinciam, & hostiliter surrexerit contra ipsum patrem suum, dum adhuc pater ejus potens est, & utilitatem Regis potest facere, id est, exercitum gubernare, equum ascendere, utilitatem Regis implere (3), & filius ejus eum vult dishonorare aut per raptum regnum ejus possidere (4), non obtineat quod inchoavit. Et si pater ejus eum vicerit, & adprehendere potuerit, in sua sit potestate, aut exiliet eum de provincia, aut ubicunque transmittat eum, aut Regi domino suo, & de hereditate paterna amplius ad eum nihil pertineat, quia inlicitam rem contra patrem suum fecit.

II. Et si fratres habuerit, ipsi fratres inter se per voluntatem Regis dividant hereditatem patris eorum. Illi autem qui rebellavit contra patrem suum non dent portionem inter ipsos.

III. Et si amplius non fuerit nisi ille unus qui rebellavit, tunc illa hereditas, quam ille Dux habuit, post mortem ejus in potestate Regis sit, cui vult donet, aut illi filio Ducis qui rebellavit, si potuerit per servitium hoc ad pedes Regis conquirere; aut si alii vult dare, in sua sit potestate.

Ti-

α Herold. *Tallatum*. β Desunt in Herold. *Patrem suum*.

---

(1) *Pro fredo.*) Non modo ex patrato homicidio, de quo supra Tit. IV. actum est, sed & ex aliis delictis solvendum erat *fredum* publico, & compositio læso juxta taxatam æstimationem, quæ *Widrigildum* appellabatur. Idque pariter ex antiquo Barbarorum jure. Tacitus Germ. cap. XII. *Sed & levioribus delictis*, leviora delicta appellat ad distinctionem proditorum, transfugarum, ignavorum, ac corpore infamium) *pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti multantur. Pars multæ regi, vel civitati, pars ipsi qui vindicatur, vel propinquis ejus exsolvitur.*

(2) Hoc loco Heroldus Titulum interserit his verbis expressum:

*De eo, qui in curte Ducis seditionem movet.*

*Si quis in curte Ducis pugnam commiserit, & ibi clamor ortus fuerit per ejus commissum, quicquid ibi factum fuerit per concursum, ei imputetur. Qualiscunque autem homo egerit, aut aliquid neglexerit, aut contra legem fecerit, illud omne tripliciter componat. Ill autem, cujus opera vel voce hæc contentio acta fuerit, IX. solid. in publico componat.*

Hæc Heroldus; sed Baluzius notat, se hæc consulto omisisse, quia in nullo eorum exemplarium reperta sunt, quibus ille usus est f. æ concinnandæ editioni. Deest profecto hic Titulus etiam in editionibus Lindenbrogii, & Goldasti.

(3) *Utilitatem Regis implere.*) Confer legem Baivariorum Tit. II. cap. X. ibique annotata.

(4) *Per raptum regnum ejus possidere.*) *Lex Baivar. ibidem:* & regnum ejus auferre ab eo; *id est, provinciam, quam ipse suscepit regendam, ut manifestum est etiam ex Tit. II. Legis Baivariorum cap. I. IV. VIII. Hispani hodie regna vocant, quas nos dicimus Provincias.* Baluzius.

## TITULUS XXXVI.

*De conventu, ut secundum antiquam consuetudinem fiat.*

I. CONventus autem secundum consuetudinem antiquam fiat in omni centena (1) coram Comite (2) aut suo Misso, & coram Centenario (3).

II. Ipsum placitum fiat de sabbato in sabbatum, aut quali die Comes aut Centenarius voluerit, a septem in septem noctes (4), quando pax parva est in provincia; quando autem melior est, post quatuordecim noctes fiat conventus in omni centena, sicut superius diximus.

III. Et si quis alium mallare vult de qualicunque causa, in ipso mallo publico debet mallare ante judicem suum, ut ille judex eum distringat secundum legem, & cum justitia respondeat vicino suo, aut qualiscunque persona eum mallare voluerit. In uno enim placito mallet causam suam: in secundo, si vult jurare, juret secundum constitutam legem. Et in primo mallo (5) spondeat sacramentales, & fidejussores præbeat, sicut lex habet, & wadium suum donet Misso Comitis vel illi Centenario qui præest, ut in constituto die aut legitime juret, aut si culpabilis est, componat, ut per neglectum non evadat: & si evaserit, sexaginta solidis de fredo sit semper culpabilis. Ille autem distringat ut neglectum non fiat, nec pauperes patiantur injuriam, nec sint sine lege, nec maledicant Ducem nec populum terræ; sed in omnibus sit disciplina; ut qui rebelles sunt, de malis se abstineant; & qui boni sunt, pacem possideant.

IV. Si quis autem liber (6) ad ipsum pla-

---

(1) *In omni centena.*) Non Anglosaxonibus, neque Francis, ut quidam rati sunt, adscribenda est origo divisionis Provinciæ in *centenas*, cum apud Wisigothos, & Svecos, & Danos usitata reperiatur; ut verius repetenda sit a communi fonte veterum Germanorum, & Septemtrionalium. Porro *centena* ab origine fuit districtus centum ingenuorum familiis, aut villis, seu villicis domibus cum suo agri modo constans; aucto vero subinde, aut imminuto familiarum numero, primævæ regionis divisioni antiqua *centenæ* appellatio remansit. Id non obscure innuit Tacitus Germ. cap. VI. *Centeni ex singulis pagis sunt, idque ipsum inter suos vocantur; & quod primo numerus fuit, jam nomen & honor est.* Reliquiæ divisionis Provinciæ in centenas non uno in loco supersunt adhuc. Ut ego de patriis loquar exemplis, Territorium nostrum Cadubriense in quatuor districtus dispescitur, qui hodiedum *Centenaria* appellantur. Imo ego jampridem suspicatus eram, a voce Germanica *Hundreda*, quæ *Centenam* significat, originem duxisse Italicam vocem *Contrada*. Et plurimum gaudeo, quod sententiam meam confirmet doctissimus Svecus Johannes Ihre, vir in antiquarum linguarum peritia nulli secundus, qui in suo Glossario V. *Hundrade* vocem *Contrada* ab eodem fonte derivat.

(2) *Coram Comite.*) Barbari Latine loquendo *Comitis* nomine donare consueverunt illum, qui voce Latino-Barbara *Grafio* dicitur, quam vocem ab *arguendo*, *multando*, *vindicando* deducit citatus Ihre V. *Grefvve*; idque proprie convenit illi, qui rei præcipue judiciariæ Præfectus est. Et certe *Comes* hoc loco is est, quem apto nomine Magnum Justitiarium, vel jusdicentem appellare esset. In Italia Langobardis regnantibus eadem significatione Comitis nomen venisse ostendit Muratorius Antiquit. Ital. Dissert. VIII. Officium Comitis graphice descriptum legitur in Præcepto Caroli Magni pro Trutmanno Comite anno DCC. LXXXIX. apud Baluzium in Capitularibus. *Quapropter in illa parte Saxoniæ Trutmannum virum illustrem ibidem Comitem ordinamus, ut resideat in curte ad campos in mallo publico ad universorum causas audiendas, vel recta judicia terminanda, isque Advocatum omnium Presbyterorum in tota Saxonia fideliter agat, superque Vicarios, & Scabinos, quos sub se habet, diligenter inquirat, & animadvertat ut officia sua sedulo peragant, tandem idem Comes omnia sua sibi singulariter a nobis præscripta toto conatu, & viribus perficiat, atque ita memoratus noster Comes Trutmannus bene ingenuus, atque securus exstat.* Non unum autem in Ducatu Comitem fuisse, alibi deprehendemus.

(3) *Centenario.*) Id est Centenæ Præfecto.

(4) *A septem in septem noctes.*) Mos computandi per *noctes* in Germanicis legibus frequens occurrit. Adhuc in Anglia loquendi formula non obsolevit: *To day sen' night: To day fort' night*. Ita antiqui Germani *nec dierum numerum, ut nos* (ait Tacitus Germ. cap. XI.), *sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt. Nox ducere diem videtur.* Ita quippe diurnum temporis spatium computabant, *ut noctem dies subsequeretur*, sicuti de Gallis quoque loquitur Cæsar de Bello Gallico lib. VI. cap. V. ita ut ab incipiente nocte computum auspicarentur, & vespera esset ultima pars diei. In Italia verbotenus quidem numeramus per *dies*, de facto autem computamus per *noctes*, Barbarorum morem antiquum retinentes, dum horarum diei initium auspicamur ab incipiente nocte, videlicet, media circiter hora post solis occasum, quando sereno cælo stellæ incipiunt reddi conspicuæ, atque XXIV. horarum cursum usque ad subsequentis noctis initium successivo ordine numeramus. Adeout in calculo nostro *nox diem ducat, noctem dies subsequatur*, & vespera sit ultima pars diei. Quæ temporis mensurandi ratio a Barbarorum institutis accepta civilibus usibus satis commoda non est.

(5) *Et in primo mallo.*) Ex hujusmet legis verbis innui videtur vocem *mallum* neque *signum*, neque *convivium* significare, ut quidam censuerunt. Rectius enim derivatur a voce Gothica *mæla*, quod est loqui. Ita ut *mallus* proprie vi vocis indigitet, quod puriori Latina lingua dicimus *Colloquium*, & Romantice *Parliamentum*. Quod & judiciariis conventibus optime aptatum. Inde *mallare* est ad mallum citare, in jus vocare.

(6) *Si quis autem liber.*) Confer legem Baivariorum Tit. II. cap. XV. Quare vero omnes liberi Centenæ ad placitum venire cogebantur? Ut verum fatear, mihi hæret aqua hasce leges pervolventi, & præsertim ea, quæ habentur Tit. XLI. ex quibus colligitur, ad judicem, non ad populum, spectasse causarum judicium. Sed verba, quæ in præsenti Ti-

placitum neglexerit venire, vel ſemetipſum non præſentaverit aut Comiti, aut Centenario, aut Miſſo Comitis in placito, duodecim ſolidis ſit culpabilis.

V. Qualiſcunque perſona ſit, aut vaſſus Ducis aut Comitis, aut qualiſcunque perſona, nemo negligat ad ipſum placitum venire, ut in ipſo placito pauperes conclament cauſas ſuas. Et quod in uno placito finiri non potuerit, in alio finiatur, ut ſine ira Dei ſit defenſa patria, & illi rebelles qui uſque modo raptum fecerunt, amplius poteſtatem faciendi non habeant.

VI. Et ſi eſt talis perſona quam Comes in placito, vel Centenarius, vel Miſſus Comitis diſtringere non poteſt, tunc eum Dux legitime diſtringat, pluſque quærat Deo placere quam homini, ut nullum neglectum in anima Ducis a Deo requiratur α.

### Titulus XXXVII.

*De mancipiis, ne foris provinciam vendantur.*

I. MAncipia foris provincia nemo vendat, nec in paganos, nec in Chriſtianos, niſi juſſio Ducis fuerit.

II. Infra provinciam, ubi neceſſitas eſt, unuſquiſque de mancipio ſuo poteſtatem habeat ſecundum legem judicandi.

III. Foris terminum autem captivum faciendi poteſtatem non habeat.

IV. Si autem fecerit, & inde convictus fuerit, poſt conventum noſtrum quod complacuit cunctis Alamannis, & aliquis hoc præceptum tranſgredere β voluerit, illud pretium quod tulit de proprio ſuo mancipio perdat, & inſuper fredum quem lex habet componat.

### Titulus XXXVIII.

*De eo qui die dominico opera ſervilia fecerit.*

I. DIe dominico nemo opera ſervilia præſumat facere; quia hoc lex prohibuit, & ſacra ſcriptura in omnibus contradicit.

II. Si quis ſervus in hoc vitio inventus fuerit, vapuletur fuſtibus; liber autem corripiatur uſque ad tertiam vicem.

III. Si autem poſt tertiam correptionem in hoc vitio inventus fuerit, & Deo vacare die dominico neglexerit, & opera ſervilia fecerit, tunc tertiam partem de hereditate ſua perdat.

IV. Si autem ſuper hæc inventus fuerit ut diei dominico honorem non impendat, & opera ſervilia fecerit, tunc coactus & convictus coram Comite, ubi tunc Dux ordinaverit, in ſervitium tradatur; & quia noluit Deo vacare, in ſempiternum ſervus permaneat.

### Titulus XXXIX.

*De inlicitis nuptiis.*

I. NUptias prohibemus inceſtas. Itaque uxorem habere non liceat ſocrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris, filiam ſororis, fratris uxorem, uxoris ſororem (1). Filii fratrum, filii ſororum inter ſe nulla præſumptione jungantur. Si quis contra hoc fecerit γ, a loci judicibus ſepa-

α Lindenbr. *Ut nullum neglectum in animam ducis Deus requirat.*
β Lindenbr. *Transgredi.*
γ Lindenbr. *Contra hæc fecerit.*

---

Titulo habentur infra lege 5. innuere certe videntur, non modo placito cuſtodiendo, ſed etiam juri dicundo populum congregatum fuiſſe; adeo ut aliquota pars in ferendis ſententiis populo quoque eſſet. Quod certe ex veteri Germanorum more obtinuiſſe teſtis eſt Tacitus Germ. cap. XII. *Eliguntur*, inquit, *in Conciliis & Principes, qui jura per pagos, vicoſque reddunt. Centeni ſingulis ex plebe comites conſilium ſimul & authoritas adſunt.* Atque moris ipſius ſequioribus ævis veſtigia ſuperfuiſſe contendunt eruditi; & merito quidem; nam certe in Patria mea diutiſſime perdurarunt. Etenim judicium in civilibus, ac criminalibus cauſis ad circumſtantium multitudinem proprie ſpectabat; atque a circumſtantium judicio ad Generale Patriæ Parliamentum, hoc eſt a multitudine ad multitudinem appellatio interjiciebatur. Ejus moris monumenta in calce legis exhibeo, ex quibus quoque uſus quoſdam in judiciis obſervatos colliges, qui remotæ antiquitatis originem ſapiunt. Sed labente tempore ſubinde evenit, ut forte ex incommodis, quæ ex uſu illo oriebantur, *Aſtantes* cum facultate judicandi determinati ſunt, atque ad certum, modicumque numerum redacti. Supereſt adhuc Utini, & alibi in Patria Tribunal, quod dicitur *Aſtantium*; in quo Aſtantes quidam a Communitate delecti *conſilium & auctoritas* Judici vel Capitaneo ſunt in deciſione cauſarum criminalium, atque civilium.

(1) *Sororem.*) In Pacto legis Salicæ Tit. XIV. lege 12. ejuſmodi nuptiæ *ſceleratæ* appellantur, ſeparatio jubetur, filii ex hoc concubitu nati non hæredes legitimi, imo infamia notati declarantur. Inceſtas nuptias Canonibus quoque Eccleſiaſticis interdictas legimus, quos videre eſt apud Burchardum, Ivonem, & Gratianum. Imo ego arbitror leges has inter Barbaros ex Canonibus ipſis deſumptas fuiſſe, ut eccleſiaſticis ſanctionibus robur quoque accederet ex authoritate civili. Certe Karlomanni Principis Capitulare II. an. DCCXLII. apud Liptinas, hæc habet cap. 3. *Similiter præcipimus, ut juxta decreta Canonum adulteria, & inceſta matrimonia, quæ non ſunt legitima, prohibeantur & emendentur Epiſcoporum judicio.* Liutprandus quoque Langobardorum Rex Lib. V. lege 3. & 4. inceſta quædam prohibens conjugia, hanc affert rationem: *Quia Canones ſic habent de duabus ſororibus ſicut de duobus fratribus.* Et poſt alia ſubdit: *Hoc autem ideo affiximus, quia Deo teſte & Papa Urbis Romæ, qui in omni mundo caput Eccleſiarum Dei & Sacerdotum eſt, per ſuam Epiſtolam nos adhortatus eſt, ut tale conjugium fieri nullatenus permitteremus.*

ſeparetur, & omnes facultates amittat, quas fiſcus adquirat.

II. Si minores perſonæ ſunt quæ ſe inlicita conjunctione polluerunt, careant libertate, ſervis fiſcalibus adgregandi ſunt [α].

### TITULUS XL.

*De patricidiis & fratricidiis.*

SI quis homo volens occiderit patrem ſuum, aut patruum ſuum, aut fratrem ſuum, aut avunculum ſuum, aut filium fratris ſui, aut filium avunculi ſui, aut filium patrui ſui [β], aut matrem ſuam, aut ſororem ſuam, cognoſcat ſe contra Deum egiſſe, & ſecundum juſſionem Dei fraternitatem non cuſtodiſſe, & in Deum graviter deliquiſſe, & coram omnibus parentibus ejus res ejus infiſcentur, & nihil ad heredes ejus pertineat amplius; pœnitentiam autem ſecundum canones agat.

### TITULUS XLI.

*Ut nullus cauſſam audire præſumat niſi qui a Duce conſtitutus eſt.*

I. NUllus cauſas audire præſumat niſi qui a Duce per conventionem populi judex conſtitutus eſt ut cauſſas judicet, qui nec mentioſus, nec perjurator, nec munerum acceptor ſit, ſed cauſſas ſecundum legem veraciter judicet ſine acceptione perſonarum, & timens Deum ſit. Et ſi juſte [γ] judicaverit, credat ſe apud Deum mercedem recipere & laudem apud homines [δ] bonam poſſidere.

II. Si autem per cupiditatem aut per invidiam alicujus aut per timorem contra legem judicaverit, cognoſcat ſe deliquiſſe, & duodecim ſolidis ſit culpabilis, cui injuſte judicavit; & quod per illum damnum paſſus eſt injuſte, ille judex reſtituat ei.

III. Si autem ille qui judicium audire debet, illius qui ad judicandum conſtitutus eſt judicium contemnit, dum ille juſte judicaverit, & dedignatur [ε] eum audire, & ſpernit eum, & arguit coram aliis, & dicit: *Non recte judicas*, dum ille recte judicat, & ſi hoc ab aliis judicibus inquiſitum fuerit, quod ille juſte judicavit, ille contemptor qui judici injuriam fecit, ſolvat duodecim ſolidos judici illo [ζ], & poſt hæc non contemnat audire juſtum judicium, quia ſic convenit Duci [η] & omni populo (1) in publico concilio.

### TITULUS XLII.

*De eo qui ſæpe interpellatus eſt ante Ducem [θ] de qualicunque evidenti cauſſa, & convictus fuerit, ne ad juramentum permittatur.*

I. SI quis interpellatus ante Ducem [ι] de qualicunque cauſſa, quod jam manifeſtum eſt tribus vel quatuor teſtibus, aut de homicidio, aut de furto, aut de aliquo neglectu, quod illi teſtantur qui boni teſtimonii ſunt in plebe, non perjuratores, nec fallaces, nec pecuniarum acceptores, ſed veritatem volunt dicere, cognoſcat hoc judex, quod tunc licentiam ille homo qui mallatur ante eum, de cauſſa illa poteſtatem jurandi non habeat, ſed ſicut lex habet, in hoc judicio perſolvat, ut propter ſuam nequitiam alii qui volunt Dei eſſe, non ſe perjurent, nec propter culpam alienam ſemetipſos perdant.

II. Teſtis enim qui jam convictus fuit quod mendacium ſemel [κ] teſtificatus ſit, amplius ad teſtimonium non recipiatur.

### TITULUS XLIII.

*Ut ſcriptura non valeat in qua annus & dies non oſtenditur.*

SCriptura non valeat niſi in qua annus & dies evidenter oſtenditur.

### TITULUS XLIV.

*De libero qui alteri libero crimen mortale impoſuerit.*

I. SI quis liber libero crimen aliquod mortale impoſuerit, & ad Regem aut ad Ducem eum accuſaverit, & inde probata res non eſt [λ], niſi quod ipſe dicit, liceat illi alio cui crimen impoſuit, cum tracta ſpata ſe idoneare contra illum alium.

II. De minoribus autem culpis, ſicut Duci placet, ita fiat inter eos.

### TITULUS XLV.

*De rixis quæ ſæpe fieri ſolent in populo.*

I. SI qua rixa orta fuerit inter duos homines aut in platea [μ], aut in campo, & unus alium occiderit, & poſtea fugit ille, qui occidit, & illi pares ſequuntur eum [ν] uſque in domum ſuam cum armis, & infra domum percuſſorem occiderint, cum uno weregildo ſolvant eum.

II. Si autem in campo ubi prius pugna orta fuerit, ibi reſtant [ξ] ſuper mortuum ſuum, & non ſunt ſecuti in domum, & poſtea

[α] Al. *Adgregantur*. [β] Deſunt in Herold. *Aut filium patrui ſui*. [γ] Herold. *Juſtum*. [δ] Herold. *Apud hominibus*. [ε] Herold. *Dedignet*. [ζ] Lindenbr. *Illi*. [η] Al. *Judici*. [θ] Lindenbr. *Judicem*. [ι] Lindenbr. *Judicem*. [κ] Herold. & Lindenbr. *Semel, aut bis, aut ter*. [λ] Al. *Probatus non eſt*. [μ] Herold. *In placito*. [ν] Herold. *Et illum parentes occiſi ſequuntur*. [ξ] Herold. *Reſtituat*.

(1) *Et omni populo*, ) Qui *populi* nomine hic veniant, dictum eſt jam in Præfatione generali Tomo I. hujus collectionis præfixa.

ſtea mittunt [α] in vicinio, & congregant pares (1), & pauſant arma ſua ioſum [β], & poſtea hoſtiliter ſequuntur eum in domum, & ſi eum tunc [γ] occiderint, novem weregildos componant.

### Titulus XLVI.

*De libero qui liberum extra terminos vendiderit.*

I. SI quis liber liberum extra terminos vendiderit, revocet eum infra provinciam, & reſtituat eum libertati, & ſexaginta ſolidos [δ] componat.

II. Si autem revocare eum non potuerit, cum weregildo eum parentibus ſolvat, id eſt, bis octuaginta ſolidos, ſi hæredem reliquit [ε]. Si autem hæredem non reliquit, cum ducentis ſolidis componat.

### Titulus XLVII.

*De eo qui feminam ingenuam extra marcham vendiderit.*

I. SI quis feminam liberam extra marcham vendiderit, revocet eam ad priſtinam libertatem, & cum octuaginta ſolidis componat.

II. Si autem revocare non poteſt, cum quadringentis ſolidis componat.

### Titulus XLVIII.

*De eo qui [ζ] liberum hominem vel feminam liberam infra provinciam vendiderit.*

I. SI quis liber liberum infra provinciam vendiderit, revocet eum in priſtinam libertatem, & cum duodecim ſolidis componat.

II. Si autem feminam liberam infra provinciam vendiderit, revocet eam ad priſtinam libertatem, & cum viginti quatuor ſolidis componat.

### Titulus XLIX.

*De eo qui hominem occiderit, & eum mortaudum [η] fecerit.*

I. SI quis hominem occiderit, quod Alamanni mortaudo [θ] dicunt, novem weregildos ſolvat, & quicquid ſuper eum rauba vel arma tulit, omnia ſicut furtiva componat.

II. De feminis autem ſi ita contigerit, dupliciter componat, id eſt, octodecim weregildos. Veſtimenta autem quod [ι] ſuper eam tulit, velut furtiva componat.

T I-

α Al. *Miſit*. β Al. *Poſuit arma ſua juſſu*. γ Deeſt in Herold. *Tunc*. δ Herold. *XL. ſol.*
ε Herold & Lindenbr. *Dereliquit*. ζ Herold. *De libero qui*. η Herold. *Mortuum*.
θ Herold. *Mortudo*; al. *mortut*; *mortado*; *mortudum*. ι Herold. & Lindenbr. *Quæ*.

(1) *Et congregant pares.*) *Paris* vox, quæ tam late patet, ac Latina *Sodalis*, hic intelligenda facile ſe prodit de Sodalibus quarundam Confraternitatum; quæ *Gildæ* appellabantur, in quibus Confratres mutuum ſibi ſpondebant auxilium, & quarum mentio fit in Capitulari Karlomanni Francorum Regis Tit. III. cap. 14. apud Baluzium in Capitular. Tomo II. Thomas Bartholinus de cauſis contemptæ a Danis mortis lib. I. cap. VIII. de hujuſmodi Confraternitatibus in partibus Daniæ ſequiori adhuc ævo vigentibus verba faciens, ſic loquitur: *Horum Conviviorum* (hoc eſt Sodalitiorum) *ſtatuta manuſcripta apud nos extant, quæ id potiſſimum intendunt, ut cædem cujuſcumque ex* congildis *ſuis, ſi poſſibile fuerit, vindicarent cæteri; ita enim incipit, atque inſcribitur Lex Convivii S. Canuti Ducis*: Hæc Lex Convivii S. Kanuti Rincſtadienſis, quam homines ſenes & diſcreti olim invenerunt, & ad utilitatem Congildarum ejuſdem Convivii ubique in proſperitate & neceſſitate obſervandam ſtatuerunt. Si non gilda interfecerit congildem, & affuerint congildæ, tunc vindicent eum, ſi poterint. *Iſta autem Lex centum viginti ſex annos poſt cædem ipſius S. Canuti primum in ſcriptum redacta eſt, cum ita finiat*. Ita Statuta fuerunt conſcripta vel compilata in Scahor a XVIII. Senioribus, qui dicuntur Aldermanni de Convivio Sancti Kanuti, Anno Domini MCCLVI. ſeptimo Idus Septembris. *Ipſe autem S. Canutus, dum adhuc viveret, & Sleſvici dominatum haberet, antiquioris alterius gildæ ſenior, atque defenſor extiterat, ut opinor, S. Canuti Regis; unde poſt cædem ipſius a Magno Nicolai Regis filio patratam, cum deinde Nicolaus Rex ab cruentiſſimo Foteſvicenſi prælio fuga elapſus Sleſvicum intraſſet, a civibus lege Convivii, cujus membrum Canutus Dux præcipuum fuerat, ad ultionem obſtrictis perimitur, deſcribente exitum ejus Chronica Sialandiæ, quæ in vetuſta membrana exarata in Bibliotheca Academiæ Hafnienſis publica aſſervatur*: Nicolaus cum veniſſet prope Hethæby (*ſcilicet Sleſvic*), diſſuaſerunt ei comites & pueri ſui, ne intus iret illuc: Dicebant enim quod Burgenſes diſtrictiſſimam legem tenent in convivio ſuo quod appellatur Hezlagh, nec ſinunt inultum eſſe quicunque alicui convivarum illorum damnum ſive mortem intulerit, & Dux Kanutus dum adviveret, ſenior erat convivii illius & defenſor. Sprevit hujuſmodi admonitionem Rex & dixit: Nunquid timendum eſt nobis a pellipariis & ſutoribus iſtis? Mox itaque cum villam eſſet ingreſſus, clauſerunt portas civitatis, & repente campana convivii clarius inſonuit. Concurrentes autem Burgenſes rapuerunt Regem, & cum omnibus, qui eum defendere nitebantur, morti tradiderunt, *Fuerunt itaque in mutuum adjutorium inſtituta ejuſmodi convivia &c.* Hæc Bartholinus de ſodalitiis illis, quæ juris privatæ vindictæ principiis innixa fuiſſe nemo non videt. Cæterum fuerunt & Sodalitia in Conciliis interdicta, in quibus Sodales ſpondebant ſeſe adverſus alios *ad invicem adjuvare, & in omni caſu auxilium, conſilium, & favorem invicem præbere .... ex quibus juſtitia offenditur, mortes & deprædationes ſequuntur, pax & ſecuritas exulat, innocentes & inopes opprimuntur &c.* quæ verba ſunt Concilii Avenionenſis anni MCCCXXVI. can. 37. Videant alii num ex ejuſmodi Sodalitiis originem duxerint fœdera illa, quibus Civitates noſtræ libertatem ſibi vindicarunt, & Reipublicæ formam induerunt.

### Titulus L.

*De eo qui liberum de terra effodierit.*

I. SI quis liberum de terra effodierit, quicquid ibi tulerit, novem weregildos restituat, & cum quadraginta solidis componat.

II. Feminam autem cum octuaginta solidis componat, si eam effodierit.

III. Res autem quas tulit, sicut furtiva componat.

IV. Si servum effodierit de terra, cum duodecim solidis componat, & ancillam similiter.

### Titulus LI.

*De libero qui alterius uxorem contra legem* [α] *tulerit.*

I. SI quis liber uxorem alterius contra legem tulerit, reddat eam, & cum octuaginta solidis componat. Si autem reddere noluerit, cum quadringentis solidis componat eam (1). Et hoc, si maritus prior voluerit. Et si antea mortua fuerit quam maritus eam quæsierit, cum quadringentis solidis componat.

II. Si autem ille raptor, qui eam accepit sibi uxorem, ex ea filios aut filias, antequam solvat, habuerit, & ille filius mortuus fuerit [β], ad illum pristinum maritum illum filium cum weregildo [γ] solvat. Si autem vivi sunt, non sint illius qui eos genuit, sed ad illum priorem maritum (2) mundio pertineat.

### Titulus LII.

*De eo qui sponsam alterius acceperit.*

I. SI quis sponsam alterius contra legem acceperit, reddat eam, & cum ducentis solidis componat.

II. Si autem reddere noluerit, solvat eam cum quadringentis solidis, etiam si mortua fuerit sub eo.

### Titulus LIII.

*De eo qui sponsam suam dimiserit, & aliam duxerit.*

SI quis filiam alienam desponsatam dimiserit, & aliam duxerit, componat eam quam [δ] desponsavit & dimisit cum quadraginta solidis, & cum duodecim sacramentalibus juret, cum quinque nominatis & septem advocatis (3), ut pro nullo vitio nec tentatam eam habuisset, nec vitium in illa invenisset, sed amor de alia eum adduxit ut illam dimisisset, & aliam habuisset uxorem.

### Titulus LIV.

*De eo qui filiam alienam non desponsatam acceperit.*

I. SI quis filiam alterius [ε] non desponsatam acceperit sibi uxorem, si pater ejus eam requirit, reddat eam, & cum quadraginta solidis eam componat.

II. Si autem ipsa femina sub illo viro mortua fuerit, antequam illi mundium [ζ] apud

α Desunt in Herold. *Contra legem.* β Addit Herold. & Lindenbr. *Aut illa filia.* γ Addit Lindenbr. *Et illam filiam cum duplici Vveregeldo.* δ Herold. *Quod.* ε Lindenbr. *Alienam.* ζ Al. *Ille mundio.*

---

(1) *Componat eam.*) Si hanc legem recte intelligo, ea certe adversatur Evangelicis institutis. At profecto jus interdicti divortii adhuc in civili non invaluerat; & in historiis occurrunt divortiorum exempla, quæ Christiana lege probari non possunt; atque eo quidem effectu ut conjux uterque sese alteri in conjugio copulandi facultatem consequeretur. Vide inter cætera Form. Marculfi lib. II. n. 30, & Form. Andecav. LVI. Miror tamen, dum ea lego quæ habet Stephanus Baluzius in notis ad Marculfum. *In veteri codice*, inquit, *archivii Regii Barcinonensis extat vetus charta de divortio inter Guillelmum Raymundi de Moncada Seneschallum Comitis Barcinonensis, & uxorem ejus Beatricem facto anno MCXXXV.*, *cujus mentionem facit Franciscus Diago lib. II. cap. 139. historiæ Comitum Barcinonensium. Sunt qui putant divortium intercessisse propter affinitatem, quæ inter conjuges erat. Sed in veteri charta nihil legitur istiusmodi.* Hæc Baluzius. Ego tamen in hoc hæreo. Cæterum cum res antiquitus ita se habuerit, quidni ergo *adulterio*, *compositione*, & *mariti assensu* intercedentibus matrimonium ita dissolvi posse censeretur, ut uterque conjux novas nuptias contrahere valeret?

(2) *Ad illum priorem maritum.*) Lex nostris quidem inspectis moribus ridicula, sed si penitius introspiciatur, solidissimo innixa principio. In casu, de quo agitur, uxor soluta adhuc non erat a mundio, seu potestate tutelari prioris mariti; ergo illegitimo partu sequente ventrem id consequens erat, ut marito ipsi competeret quoque jus potestatis tutelaris in uxoris filium, quod ex antiquis moribus haud leves in tutoris utilitatem pariebat effectus, & pretio æstimabile erat. Unde & vides, quod si filius mortem obiisset, raptor marito solvere cogeretur *filium cum Weregildo*. Confer infra Titulum LIV.

(3) *Cum quinque nominatis, & septem advocatis.*) Sacramentales *nominati*, & *advocati* non semel hac in lege memorantur. Qui a reo eligebantur, *advocati*; qui ab accusatore, *nominati* dicebantur. *Sacramentales* autem non de veritate facti jurabant, sed solum, *quod veritatem credebant eum dicere qui jurabat*, ut pluribus ostenditur apud Cangium V. *Juramentum*. Cæterum non absque causa sponsarum honori non modo, sed & decori tanta solertia a Barbaris prospiciebatur; *Tanti enim pudicitiam faciunt illi Barbari, ut eam prostituisse videatur fœmina, cui solum nomen pacti conjugii, non res ipsa, contigerit*: ut de quibusdam loquitur Procopius de Bello Gothico lib. IV. cap. 21.

apud patrem adquirat (1), solvat eam patri ejus quadringentis solidis.

III. Et si filios aut filias genuit ante mundium, & omnes mortui fuerint, unumquemque cum weregildo suo componat patri feminæ.

### TITULUS LV.

*De uxore mortuo marito sine filiis relicta.*

I. SI quis liber mortuus fuerit, & reliquit uxorem sine filiis aut filiabus, & de illa hereditate exire voluerit nubere sibi alio [α] coæquali, sequatur eam dotis legitima [β] (2) & quicquid parentes ejus legitime placitaverint [γ], & quicquid de sede paterna secum adtulit, omnia in potestate habeat auferendi, quod non manducavit, aut non vendidit.

II. Dotis enim legitima quadraginta solidis [δ] constat, aut in auro, aut in argento, aut in mancipiis, aut in qualicunque re quam habet [ε] ad dandum.

### TITULUS LVI.

*De eo qui proximi sui defuncti uxori sine filiis relictæ dotem contradixerit.*

I. SI autem proximus mariti defuncti contradicere ipsam dotem illi mulieri voluerit quod lex non est, illa sequatur cum sacramento cum nominatis quinque aut cum spata tracta pugna duorum (3), si potest adquirere aut per sacramentum aut per pugnam, illa pecunia post mortem mulieris retro nunquam revertatur, sed ille sequens maritus aut filii ejus usque in sempiternum possideant.

II. Si autem ipsa femina dixerit; *Maritus meus dedit mihi morgangeba* (4); compuret [ζ] quantum valet aut in auro aut in argento aut in mancipiis aut in equo pecuniam duodecim solidos valentem. Tunc liceat illi mulieri jurare per pectus suum (5), & dicat: *Quod maritus meus mihi dedit in po-*

[α] Lindenbr. *Alii sibi*. [β] Herold. *Dos legitima*. [γ] Herold. *Placuerit*. [δ] Herold in marg. *CCCC*. [ε] Al. *Quam libet*. [ζ] Al. *Componat*.


(1) *Adquirat.*) Krantzius Wandaliæ lib. I. cap. 13. hæc scribit: *Valet hodie ea (ut ferunt) consuetudo in Thietmarsis, gente palustri, ad exitum Albis fluminis, ut nuptui tradant filias indotatas, sponso, quantum inter eos convenit, annumerante aut pendente iis, qui puellam in potestate habuerunt.* Et nuperus Scriptor Morlaccus amicus quondam meus, Johannes Lovrich Observat. cap. 19. refert, idem inter Morlaccos hodiedum observari; ait enim: *La fanciulla consegna il pomo al padre, od al fratello, che per la cessione della figlia, o sorella, cominciano ad apprezzarla co' Prosczi* (hi sunt delegati a sponso, ejusque consanguinei, & amici). *Il prezzo d' una fanciulla suol consistere in Zecchini dieci, o dodici, e più, o meno a tenore della ricchezza dello Sposo. Questo soldo viene impiegato per formare i regali da distribuirsi, come vedremo, l'ultimo giorno delle nozze agli Svatti.* Hinc dictum antiquis quoque usitatum, matrimonia inter Barbaros fuisse venalia. At vero ex lege, in qua nunc versamur, probe dignoscimus, illo statuto pretio stricte loquendo acquisitum fuisse jus mundii, seu potestatis tutelaris in sponsam, quod e patre transibat in maritum, & quod ob consequentes effectus res inter Barbaros haud parvi momenti, & pretio æstimabilis erat.

(2) *Dotis legitima.*) Tacitus Germ. cap. XVIII. *Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offert.* De dote e mariti bonis constituenda pluries mentio fit in legibus, & in formulis. Quæ uxor e paterna domo afferebat, erant extradotalia, in Langobardorum legibus Rotharis CLXXXII. appellata *Phadersium*, quod optime vertere possis *peculium paternum*: *Fader-fio*.

(3) *Cum spata tracta pugna duorum.*) Haud semel in hac lege mentio fit judicialis duelli *cum spata tracta*. Inter nos eo idem a temporibus Caroli Magni inolevit usus duelli, *cum clypeo & baculo*. Vide Murator. Dissert. XXXIX. Sed inter Alamannos non defecisse morem pugnandi *cum clypeo & ense* colligimus ex Jure Provinciali Alamannico e Schilterianis schedis edito cap. CCCLXXXVI.

(4) *Morgangeba.*) Donum matutinale. Alia assignationis species novæ nuptæ facta post primam nuptiarum noctem, in pretium puritatis. Donum hoc erat gratuitum, majus minusve, prout quisque amore erga conjugem ferebatur. At in profusam adeo liberalitatem transibat, ut a Liutprando Langobardorum Rege libro II. lege I. cautum fuerit, ut quartam partem bonorum sponsi non excederet.

(5) *Jurare per pectus suum.*) Ritum per pectus jurandi exponit Jus Provinciale Alamannicum Cap. XXI. art. 2. *Tacta mamma dextra, & tacta spira capillorum dextra, si eam adhuc habet.* Et art. 8. *Debet jurare tactis mammis suis.* Ejusmodi ritum & hodie in Germania observari docet Heineccius Elem. Jur. Germ. p. III. art. 223. *Dextra enim pectori sinistro imposita jurant & fœminæ & clerici.* Idem celebris Jurisconsultus cum Gundlingio censet juramentum hoc vere factum fuisse *tacto Evangelio*, quod mulieres & pueri ubique circumferebant; quod probat authoritate Chrysostomi, & Authoris Operis imperfecti in Matthæum; quem usum viguisse quoque in Germania colligit ex Epitaphiis. Sed etsi daremus, morem gestandi ad pectus Evangelium fœminis omnibus in Germania fuisse solemne; allata sane legis verba, & consequens inde ritus observantia, nonnisi violenter detorqueri possunt in hanc sententiam. Ut quid enim memorare *pectus*, & *mammas*, non *Evangelium*? Quod profecto Legislatores memorare debuissent, si vere ad illud respexissent. Alias enim fœmina etiam non gerens Evangelium legi parebat simpliciter super pectus jurando; uti & hodie paret. Ego simpliciter censeo id in more positum fuisse, ut ubi armatus super arma sua veritatem testabatur (Vide infra Tit. LXXXIX.), inermis ut fœminæ & religionis ministri, super pectus suum testarentur. Adde, si placet, Germanorum antiquissimam persuasionem, quod *sanctum aliquid fœminis inesse putarent*, ut ait Tacitus Germ. cap. VIII. Certe ritus supra pectus jurandi inducti Christianismi tempore antiquior est, cujus quoque meminit Ovidius. Vide Cangium V. *Juramentum*.


IVMBEATIIOHANNISORNABITPENDOLA+ECVROPVLCHROALT


AREDITABITMARMORISCOLORERAECHLSHIDEBOHOH


XIMADONANPIADCLARITSVBEIMICONCESSAPEMMONIVBIQVEDIR O

N 2


RMARENTVRVENPLANAMEIINTERRELIQVAS

*potestate, & ego possidere debeo*. Hoc dicunt Alamanni nastahit [α].

### Titulus LVII.

*De hereditate duarum sororum quæ absque fratribus post mortem patris relictæ sunt.*

Si autem duæ sorores absque fratre relictæ post mortem patris fuerint, & ad ipsas hereditas paterna pertingat, & una nupserit sibi coæquali libero, alia autem nupserit aut colono Regis aut colono Ecclesiæ, illa quæ illi libero nupsit sibi coæquali teneat terram patris earum. Res autem alias æqualiter dividant. Illa enim quæ illi colono nupsit, non intret in portionem terræ, quia sibi coæquali non nupsit (1).

### Titulus LVIII.

*De eo qui mulierem in itinere vadentem denudaverit, aut cum ea mœchaverit.*

I. Si qua libera femina virgo vadit in itinere suo inter duas villas, & obviavit eam aliquis, & per raptum denudat caput ejus (2), cum sex solidis componat. Et si ejus vestimenta levaverit ut usque ad genicula denudet, cum sex solidis componat [β]. Et si eam denudaverit ut genitalia ejus appareant vel posteriora, cum duodecim solidis componat.

II. Si autem cum ea fornicaverit contra ejus voluntatem, componat solidos quadraginta.

III. Si autem mulieri hæc fecerit, omnia dupliciter componat sicut antea diximus de virgine.

### Titulus LIX.

*De eo qui alium percusserit aut vulneraverit.*

I. Si quis alium per iram percusserit, quod Alamanni pulislac [γ] dicunt, cum uno solido componat.

II. Si autem sanguinem fuderit, sic ut terram tangat, componat solidum unum & semis.

III. Si enim percusserit eum ut testa appareat & radatur, cum tribus solidis componat.

IV. Si autem de capite os fractum tulerit de plaga, ita ut super publica via lata viginti quatuor pedes in scuto sonaverit illud os, cum sex solidis componat.

V. Si autem ipsum os medicus perdit, & non potest eum præsentare, tunc duos testes adhibeat, qui hoc vidissent quod de illa plaga os tulisset, aut ille medicus hoc comprobet quod verum fuisset quod de ipsa plaga os tulisset.

VI. Si autem testa transcapulata fuerit, ita ut cervella appareat, ut medicus cum pinna aut cum fanone cervellam tangat [δ], cum duodecim solidis componat.

VII. Si autem ex ipsa plaga cervella exierit, sicut solet contingere, ut medicus cum medicamento aut Sirico [ε] stupavit, & postea sanavit, & hoc probatum fuerit quod verum est, cum quadraginta solidis componat.

### Titulus LX.

*De eo qui alterius aurem absciderit.*

I. Si quis alterius aurem absciderit, & non exsurdaverit, duodecim solidos componat.

II. Si autem sic absciderit profundo, & eum exsurdaverit, quadraginta solidos componat.

III. Si enim medietatem auris absciderit, quod Alamanni orscardi dicunt, cum sex solidis componat.

### Titulus LXI.

*De eo qui palpebras alterius maculaverit.*

I. Si enim superior palpebra maculata fuerit, ut claudi non possit, cum sex solidis componatur.



α Herold. *Nastbait*, & in marg. *nachschait*. β In Herold. deest totus paragr. *Et si ejus &c.* γ Herold. *Palislach*. δ Herold. & Lindenbr. *Cervella tetigit*. ε Herold. *Serico*.

(1) *Quia sibi coæquali non nupsit.*) Lex pene ejusdem tenoris transiit in Jus Provinciale Alamannicum Schilter. Edit. cap. CCCXX. Ultima porro verba legis innuunt, hanc legem esse pœnalem, mulieremque terra multari in pœnam imparis conjugii; aliunde autem notum est inter Germanos & lege & moribus cautum fuisse, ne quis extra suum ordinem conjugio sociaretur. V. Hachemberg. Germ. Med. Dissert. V. art. 4.

(2) *Per raptum denudat caput ejus.*) Vide fœminas tecto capite incedere consuevisse. Tacitus Germ. cap. XVII. *Fœminæ sæpius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant.* Sunt & qui huiusmodi amictuum formam nituntur investigare. Sed res vestiaria veterum melius non dignoscitur, quam ex superstitibus pictis sculptisque tabulis. Idcirco inter alia ab aliis exhibita monumenta unum ego proferam, quod elegantissimum profecto esset, si elegantius fuisset elaboratum. Est quippe mensa altaris e quatuor lateribus insculpta, quæ adhuc extat in Ecclesia S. Martini Civitatis Austriæ. Altare construi cœptum a Pemmone Duce paulo post initium sæculi VIII. absolutum fuit a filio ejus S. Rachisio, inde Langobardorum Rege. Observa præsertim Tabulam secundam, in qua expressi sunt Rachis, & fratres ejus Ratchait & Aistulphus, dona ferentes ante imaginem Beatissimæ Virginis; & pone imaginem Matrona, forte Ratberga præfatorum Principum mater, velata caput, & cincta sub lumbos, quod expresse ab artifice factum puto, more adhuc in quibusdam pagis apud nos superstite, pudicitiæ sepimento. Hæ autem tabulæ non modo quoad capitis velamen, sed etiam quoad alia pleraque, præcipue ad rem vestiariam spectantia, lumen aliquod effundent eruditis.

II. Si enim subterior maculata fuerit; ut lacrymas continere non possit, cum duodecim solidis componatur.

III. Si enim visus tactus fuerit in oculo, ita ut quasi vitrum remaneat, viginti solidos componat.

IV. Si autem ipse visus foras exit & milus, quadraginta solidos componat.

### Titulus LXII.

*De nare transpuncta vel abscisa* [α].

I. Si enim nasus transpunctus fuerit, cum sex solidis componat.

II. Si enim summitas nasi, ut muccus contineri non possit, abscisus [β] fuerit, cum duodecim solidis componat.

III. Si autem totus a presso abscisus fuerit, cum quadraginta solidis componat.

### Titulus LXIII.

*De labiis maculatis.*

I. Si enim labium superius alicujus quis maculaverit, ita ut dentes appareant, cum sex solidis componat.

II. Si subterius, ut salivam continere non possit, cum duodecim solidis componat.

III. Si enim aliquis alio uno ictu duos dentes superiores excusserit primos, cum sex solidis componat.

IV. Et si quemvis unum [γ] de ipsis duobus excusserit, cum sex solidis componat.

V. Si autem dentem absciderit, quem marczan Alamanni dicunt, cum tribus solidis componat.

VI. De aliis vero qualemcumque excusserit, unumquemque cum uno solido componat.

VII. De subterioribus vero duobus primis dentibus si alicui quis excusserit [δ], duodecim solidos componat, si uno ictu [ε] fecerit.

VIII. Si autem unum ex ipsis excusserit [ζ], cum duodecim solidis componat.

### Titulus LXIV.

*De lingua abscisa, & de vulneribus in facie factis.*

I. Si autem lingua tota abscisa fuerit, quadraginta solidos componat.

II. Si autem media, ut aliquid intelligatur quod loquitur, cum viginti solidis componat.

III. Si autem aliqua plaga in facie alicujus facta fuerit, quam capilli vel barba non cooperiant, sex solidos componat.

IV. Si autem collus transpunctus fuerit, cum sex solidis componat.

### Titulus LXV.

*De eo qui alium contra legem tunderit, & de diversis vulneribus.*

I. Si quis alicui contra legem tunderit caput (1) liberum non volentis, cum duodecim solidis componat.

II. Si barbam alicujus tunderit (2) non volentis [η], cum sex solidis componat.

III. Si quis alio brachium super cubitum transpuncxerit, cum sex solidis componat.

IV. Si autem cubitum transpuncxerit, cum tribus solidis componat.

V. Si manum transpuncxerit, ita ut focus non intret ad coquendum venas vel sanguinem stagnandum, solidum unum & semis componat.

VI. Si autem ferrum calidum intraverit ad stagnandum sanguinem, cum tribus solidis componat.

VII. Si enim brachium fregerit, ita ut pellem non rumpat, quod Alamanni palepruft [θ] dicunt, ante cubitum, cum tribus solidis componat.

VIII. Si autem supra cubitum hoc contigerit, cum sex solidis componat.

IX. Si enim in cubito percussus fuerit, ita ut portare non possit nec ad os manum mittere, cum duodecim solidis componat.

X. Si enim totum brachium mancum fuerit, ut nihil cum eo facere possit, cum viginti solidis componat.

XI.

α Desunt in Herold. *Vel abscisa.* β Lindenbr. *Abscisa.* γ Lindenbr. *Et quamvis unum.* δ Inserit Lindenbr. *Duobus ictibus.* ε Lindenbr. *Sicut si uno ictu.* ζ Addit Lindenbr. *Duobus ictibus.* Ita quoque Herold. η Lindenbr. *Tunderit nolentis.* θ Lindenbr. *Palepruft.* Herold. *Palbepruft.*

(1) *Tunderit caput.*) Gravis XII. solidorum compositio hic infligitur, quod præcipue cæsariei tonsio ignominiæ esset, imo & infamiæ nota. In Barbaricis legibus occurrit *decalvatio*, imo & *detonsio*, veluti gravis delicti pœna, quæ cum fustigatione conjungi consueverat. Libro III. Capitularium cap. 9. de Conspiratoribus: *Ubi nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi invicem detondeant.* Et, ut antiquiora promamus, Tacitus Germ. cap. XIX. de adultera loquens ait: *Accisis rinibus coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit.*

(2) *Si barbam alicujus tunderit.*) Vides hic Alamannis, Merovingis regnantibus, moris non fuisse tonsam barbam gerere. Idem & in Langobardorum Regno obtinebat; imo & videtur, non modo liberos, ut Muratorius docet Differt. XXIII., sed neque servos barbam totondisse. Id innuitur Lege Rotharis CCCLXXXVI. *Si servum ministerialem, aut aldium, aut servum alienum rusticanum per barbam, aut capillos traxerit, componat ei sicut pro una ferita unum solidum.* Sub secunda stirpe in Francorum regno invaluisse videtur barbæ tonsio, ut Romanorum moris erat; præsertim vero Carolo Magno regnante, qui pacem reddens Grimoaldo Beneventi Principi, ab ipso quoque inter cætera expetiit, *ut Langobardorum mentum tonderi faceret.* Vide Murat. loc. cit. Tantæ molis erat Romanam condere barbam. Sed, ut verum fatear, si icones, scriptoresque consulamus antiquos, expedit dicere, quod hac in re *la moda andava variando.*

XI. Si autem a cubito abſciderit, quadraginta ſolidos componat.

XII. Si autem ab ſcapula abſciſus fuerit, cum octuaginta ſolidis componat.

XIII. Si enim ſummitatem pollicis abſciderit, cum ſex ſolidis [α] componat.

XIV. Si autem totum, cum duodecim ſolidis componat.

XV. Si autem proximum pollici a primo nodo abſciderit, duos ſolidos & ſemis.

XVI. Si enim in ſecundo nodo abſciderit, quinque ſolidos.

XVII. Si totum abſciderit a palma, cum decem ſolidis componat.

XVIII. Si longiſſimus digitus abſciſus fuerit a primo nodo, ſolido uno & ſemis componat.

XIX. Si in ſecundo nodo, cum tribus ſolidis componat.

XX. Si totus a palma abſciſus fuerit, cum ſex ſolidis componat.

XXI. Si autem digitus annularis a primo nodo abſciſus fuerit, duos ſolidos, ſi in ſecundo nodo, quatuor ſolidos, ſi totus, octo ſolidos componat.

XXII. Ille minimus digitus ita ſolvatur, ut pollex.

XXIII. Si quis autem longiſſimum digitum ita plagaverit ut inde mancus ſit, ita ut complicare non poſſit, aut ſcutum prendere, aut arma in terra per illum recipere, duodecim ſolidos componat.

XXIV. Si autem in latus punctus fuerit, ita ut interiora membra non contingat, cum ſex ſolidis componat.

XXV. Si autem interiora membra vulneratus fuerit [β], quod hrefuunt dicunt, cum duodecim ſolidis componat.

XXVI. Si autem tranſpunctus fuerit, cum viginti quatuor ſolidis componat.

XXVII. Si autem in inteſtinis maculatus fuerit, ut ſtercora exeant, quadraginta ſolidos componat.

XXVIII. Si aliquis alio genitalia tota abſciderit, quadraginta ſolidos componat.

XXIX. Si autem caſtraverit, ita ut virilia non tollat, cum viginti ſolidis componat.

XXX. Si quis alio ambas coxas uno ictu tranſpuncxerit, cum duodecim ſolidis [γ] componat. Si autem duabus vicibus, ſimiliter.

XXXI. Si quis in genuculo tranſpunctus fuerit aut plagatus, ita ut claudus permaneat, ut pes ejus ros tangat, quod Alamanni taudragil dicunt, cum duodecim ſolidis componat.

XXXII. Si tibia ſubtus genuculo tranſpuncta fuerit, cum tribus ſolidis componat.

XXXIII. Si autem articulus prior abſciſus fuerit, cum ſex ſolidis componat.

XXXIV. Illi autem alii articuli ſi abſciſi fuerint toti, unuſquiſque cum tribus ſolidis componatur.

XXXV. Si totum pedem abſciderit, quadraginta ſolidos componat. Si a genuculo abſciſus fuerit, quinquaginta ſolidis componatur.

XXXVI. Si autem a coxa ſurſum abſciſa fuerit, & inde vixerit, octuaginta ſolidis componatur.

XXXVII. Si autem aliquis alio herniam expreſſerit, cum tribus ſolidis componat.

### TITULUS LXVI.

*De eo qui alteri viam contradixerit.*

SI quis liber libero in via manus injecerit, & contra legem ei viam contradixerit, aut aliquid ei tollere voluerit, cum ſex ſolidis componat.

### TITULUS LXVII.

*De eo qui alterum de caballo jactaverit.*

SI quis liber liberum in via de caballo jactaverit, & ei tulerit, & ſtatim [δ] eum reddit in ipſo loco, addat ei conſimilem, & duodecim ſolidos. Hæc omnis compoſitio, quam viris judicavimus, feminis eorum omnia dupliciter componantur.

### TITULUS LXVIII.

*De libero qui liberum occiderit.*

I. SI quis autem liber liberum occiderit, componat eum bis octuaginta ſolidos filiis ſuis.

II. Si autem filios non reliquit, nec heredes habuit, ſolvat eum ducentis ſolidis.

III. Feminas autem eorum ſemper in duplum componat.

IV. Medius vero Alamannus ſi occiſus fuerit, ducentis ſolidis ſolvat eum parentibus qui eum occiderit.

### TITULUS LXIX.

*De eo qui alterius amiſſarium furaverit.*

I. SI quis alicujus amiſſarium [ε] involaverit, ille cujus eſt debet probare quantum valet. Si enim dicit, quod duodecim ſolidos valeat, cum duobus juret quod tanti valeat, & ſic ſolvat illi [ζ] fur talem qualem ille juraverit in caput, & illos alios novem geldos [η] ſolvat, medietatem in auro valente pecunia, medietatem autem qualem invenire potuerit pecuniam.

II. Et ſi ille talem equum involaverit quem Alamanni marach dicunt, ſic eum ſolvat ſicut & illum amiſſarium.



[α] Herold. *Cum VII. ſolid.* [β] Lindenbr. *Vulnerati fuerint.* [γ] Lindenbr. *XXII. ſol.* [δ] Herold. *Et non ſtatim.* [ε] Herold. & Lindenbr. *Admiſſarium.* [ζ] Herold. *Quod ſic valeat. Poſtea ſolvat ille.* [η] Lindenbr. *VIIII Weregeldos.* Herold. *Oftegeldos.*

### TITULUS LXX.

*De eo qui alterius caballum involaverit.*

I. SI quis alicui caballum involaverit, adpretiet [α] eum dominus ejus cum sacramento usque ad sex solidos, si tantum valet, aut plus aut minus, quantum ille cum sacramento adpretiaverit in caput, tantum restituat fur. Novem enim geldos in quali pecunia habet, jumentum tribus solidis adpretiet, si tantum valet aut minus.

II. Si equo quem [β] marach dicunt, oculum excusserit, aut eum excurtaverit, cum tribus solidis componat.

III. Illo alio caballo mediano si oculum excusserit, solidum unum & semis componat. Et si eum excurtaverit, similiter componat.

IV. Si enim jumento oculum excusserit, medium solidum. Et si eum excurtaverit, ita faciet.

### TITULUS LXXI.

*De eo qui equum plagaverit, dum hominem plagare voluerit.*

SI quis homo in equo suo caballicaverit, & aliquis eum super ipsum plagare voluerit, & dum illum plagare voluerit, caballum ejus plagaverit, ita plagam caballi componat, quemadmodum componere debuit si dominum ejus plagasset.

### TITULUS LXXII.

*De eo qui in troppo de jumentis ductricem involaverit.*

I. SI enim in troppo de jumentis illam ductricem aliquis involaverit, licet eam domino ejus adpretiare duodecim solidis. Et quicquid ille adpretiaverit, ille fur furtivum reddat novem geldos.

II. Alia autem jumenta de grege, quæ lactantes [γ] sunt, cum sex solidis componat.

III. Alia autem quæ adhuc prægna non fuerunt, tribus solidis sint adpretiata.

### TITULUS LXXIII.

*De eo qui prægnans [δ] jumentum ferierit, & abortivum fecerit.*

SI autem aliquis homo ictu ferierit prægnum jumentum, & abortivum fecerit, ita ut jactet poledrum mortuum, unum solidum componat.

### TITULUS LXXIV.

*Qualiter jumenta, quæ messem læserint, includantur.*

I. SI quis gregem jumentorum ad pignus tulerit, & incluserit contra legem, cum duodecim solidis componat & dimittat & usque ad annum integrum habeat eos [ε] in cura ille qui illos pignoravit. Et si aliquid de ipso grege in ipso anno perdiderit, ille qui pignus tulit, simile restituat.

II. Si autem ipse grex jumentorum damnum fecerit, aut in prato, aut in messe, foris minetur, & dicatur domino ejus ut veniat videre quale damnum fecit; & quantum æstimaverit arbitrio, aut adfirmare [ζ] ausus fuerit quod tantum [η] damnum fecisset, tantum dominus jumentorum restituat.

III. Si vero pastorem illorum jumentorum aliquis occiderit, componat eum solidis quadraginta.

### TITULUS LXXV.

*De eo qui taurum gregem regentem involaverit aut occiderit.*

SI quis in vaccaritia legitima, ubi sunt duodecim vaccæ vel amplius, taurum ex ea involaverit vel occiderit, tribus solidis eum solvat: aut qualecunque armentum de ipsa vaccaritia involatus fuerit, secundum qualitatem eum solvat. Illam optimam vaccam quatuor tremisses licet adpretiare, illam aliam sequenterianam solidum unum. Illa alia minuta animalia secundum arbitrium adpretientur, & ita solvantur secundum quod lex habet.

### TITULUS LXXVI.

*De eo cui morttaudus imputatur.*

SI quis morttaudit barum aut feminam [θ], qui qualis fuerit, secundum legitimum weregildum novem geldos [ι] solvatur, aut cum viginti quatuor totos electos [κ] aut cum octuaginta quales invenire potuerit juret.

### TITULUS LXXVII.

*De eo qui gravidæ mulieri natum interfecerit.*

SI qua mulier gravida fuerit, & per factum alterius infans natus mortuus fuerit, aut si vivus natus fuerit, & octo dies non vivit, cui imputatum fuerit, quadraginta solidos solvat, aut cum duodecim medios electos [λ] juret.

### TITULUS LXXVIII.

*De pretio bovis.*

OPrimus bos quinque tremissos valet, medianus quatuor tremissos valet, minor sicut adpretiatus fuerit. Qui de ipsis aliquem involaverit, sicut lex habet, ita componat.

TI-

[α] Herold. *Et pretiet.* [β] Lindenbr. *Si quis equo, quem Alamanni.* [γ] Lindenbr. *Lactantia,*
[δ] Herold. *Prægnum.* [ε] Lindenbr. *Ea*, & paullo post *eos.* [ζ] Herold. *Aut firmare.* [η] Al. *Quantum.*
[θ] Herold. *Si cui mortaudus imponitur, sive sit baro sive femina.* [ι] Desunt in Herold. *Novem geldos.*
[κ] Lindenbr. *Tot electis.* Herold. *Tos electos.* [λ] Herold. & Lindenbr. *Mediis electis.*

### TITULUS LXXIX.

*De eo qui pastores vel artifices occiderit.*

I. SI pastor porcorum, qui habet in grege quadraginta porcos, & habet canem doctum & cornu & juniorem, si occisus fuerit, quadraginta solidis componatur.

II. Legitimus pastor ovium, si octuaginta capita in grege habet domini sui, & occisus fuerit, cum quadraginta solidis componatur.

III. Si alicujus seniscalcus (1), qui servus est, & dominus ejus duodecim vassos (2) infra domum habet, occisus fuerit, quadraginta solidis componatur.

IV. Si mariscalcus qui super duodecim caballos est occiditur, quadraginta solidis componatur.

V. Si coquus qui juniorem habet occiditur, quadraginta solidis componatur.

VI. Si pastor [α] (3), similiter.

VII. Faber aurifex [β] aut spatarius, qui publice probati sunt, si occidantur, quadraginta solidis componantur (4).

### TITULUS LXXX.

*De eo qui cum ancilla vestiaria & geneciaria (5) concubuerit.*

I. SI quis cum alicujus ancilla vestiaria concubuerit contra voluntatem ejus, cum sex solidis componat.

II. Et si cum puella de genecio priore [γ] concubuerit aliquis contra voluntatem ejus, cum sex solidis componat.

III. Si quis cum aliqua ex illis aliis de genecio [δ] (6) contra voluntatem ejus concubuerit, cum tribus solidis componatur.

### TITULUS LXXXI.

*De eo qui incendium super alium in nocte miserit.*

I. SI quis super aliquem focum in nocte miserit, ut domum ejus incendat, seu & salam suam, & inventus & probatus fuerit, omne quod ibidem arsit simile restituat, & super hæc quadraginta solidos componat.

II. Si enim domum infra curtem incenderit, aut scuriam, aut graniam, vel cellaria, omnia similia restituat, & cum duodecim solidis componat.



α Herold. *Si pistorem.* β Lindenbr. *Faber, artifex.* γ Deest in Herold. *Priore.*
δ Lindenbr. *Cum aliqua de alio genecio.*

(1) *Seniscalcus.*) Quidquid dicat Eccardus in notis ad Pactum Legis Salicæ, verba hujusce legis ostendunt, *Seniscalcum* esse hic servum præfectum, non armentis, sed Vassis, hoc est famulitio, sicut *Mariscalcum* servum præfectum equitio.

(2) *Vassos.*) Famulos hac voce hic designatos esse, nemo, ut arbitror, inficias ibit. Super Titulo XXXVI. lege 5. *Vassus Ducis aut Comitis* memoratur, & famulus Curialis indigitatur. *Gwas* Armorica lingua idem est ac *servus*, *famulus*. Antiquitus, Boxhornio authore, designabat *juvenem*, *adolescentem*, *virum*: quibus vocibus nos adhuc famulos designamus *il Giovane*, *il Garzone*, *l'Uomo*. In hoc quoque Titulo *Junior* pastoris porcorum & coqui idem est ac *servus*, *garcio*. Inde peti potest significatio vocis *Vassallus*, quæ vi grammaticali est diminutiva vocis *Vassus*, quamvis haud raro in eandem significationem adhibeantur. V. Wachter. h. v.

(3) *Si pastor.*) Alias: *si pistor*; quam lectionem sinceriorem videri ipse Baluzius autumavit.

(4) *Quadraginta solidis.*) Observa pastorem porcorum, pastorem ovium, seniscalcum, mariscalcum, coquum, pistorem, & fabrum aurificem, atque spatharium publice probatos, omnes æqualiter habitos in æstimatione capitis, XL. scilicet solidis. Credo profecto hic agi de hominibus, qui e servorum grege essent (quamvis excellentiori censu supra communes servos habiti fuerint), cum compositio hominis liberi æstimatione quadruplo majore, hoc est bis octuaginta solidis censeatur Titulo LXVIII. Inde inferas & servos mechanicas artes exercuisse, atque ad id etiam *publice probatos* fuisse, ut eas publico commodo exercerent. Sane ex lege Burgundionum Tit. XXI. cap. 2. liquido colligitur, servos artes mechanicas publice exercuisse: *Quicumque servum suum aurificem, argentarium, ferrarium, fabrum ærarium, sartorem, vel sutorem in publico attributum artificium exercere permiserit, & id, quod ad facienda opera a quocumque suscepit, fortasse everterit, dominus ejus aut pro eodem satisfaciat, aut servi ipsius, si maluerit, faciat cessionem.* Nonne & nos mechanicas artes inter opera servilia recensemus?

(5) *Cum ancilla vestiaria, & geneciaria.*) *Vestiaria* ancilla erat, cui vestiarii domestici cura demandabatur: *Geneciaria*, quæ in gynecæo alebatur. Etenim viri principes, ac nobiles sua gynecæa habebant, in quibus ancillæ nendo, suendo, texendo, aliisque muliebribus artibus vacabant. Vide Cangium hac voce, ibique additiones PP. Maurinorum.

(6) *Ex illis aliis de genecio.*) Sunt qui dividant gynecæum in *superius*, & *inferius*; illud honestius pro fœminis liberis, hoc vilius pro ancillabus. Hanc divisionem & hac lege confirmant, Lindenbrogianæ forte lectioni innixi, quæ habet: *cum aliqua de alio genecio*. Ego is non sum, qui horum sententiam valeam vel minimum infirmare; sed tamen mihi persuadeo, legem hanc ex lectione nostra non nisi de uno gynecæo verba facere. Primo enim agitur *de ancilla de genecio priore*, id est de ea una, quæ inter ancillas erat *Prior*, & præfecta, quam Italice dicimus *la Priora del Conservatorio*. Inde agitur *de illis aliis de genecio*, quæ sub *Priorissæ* illius directione vivebant. Sicut enim inter famulos præfectus erat Seniscalcus, ita & congruum erat, ut inter ancillas esset una præfecta, quæ æstimatione ancillis cæteris majore pensaretur, sicut Seniscalcus cæteris famulis. Cæterum & hanc & illas ex servorum cœtu fuisse mihi certum videtur ex compositione delicti, quæ minima est, si conferatur cum compositione ejusdem delicti in fœminam liberam commissi, quæ habetur supra Titulo LVIII.

III. Si quis stubam, ovile, porcaritiam domum alicujus concremaverit, unamquamque cum tribus solidis [α] componat, & similem restituat.

IV. Servi domum si incenderit, cum duodecim solidis componat, & similem ei restituat.

V. Scuriam vel graniam servi si incenderit, cum sex solidis componat, & similem restituat.

VI. Si enim spicarium servi incenderit, cum tribus solidis componat. Et si domino, cum sex solidis, & similem restituat.

### TITULUS LXXXII.

*De canibus seusibus* [β] (1) *vel aliis furatis aut occisis.*

I. SI quis canem seusium primum cursalem, qui primus currit, involaverit, solidos sex componat; qui secundum, solidos tres componat.

II. Qui illum ductorem, qui hominem sequentem ducit, quem laitihunt dicunt, furaverit, duodecim solidos componat.

III. Bonum canem porcaritium [γ], vel qui vaccam & taurum prendit, si occiderit aliquis, cum tribus solidis componat.

IV. Si veltrum leporalem probatum aliquis occiderit, cum tribus solidis componat.

V. Si quis canem pastoralem, qui lupum mordit, & pecus ex ore ejus tollit, & ad clamorem ad aliam vel ad tertiam villam currit, occiderit, cum tribus solidis componat.

VI. Si canem qui curtem defendit (2) aliquis occiderit, cum solido componat.

VII. Et si ipse canis eum per vestimentum adprehendit, & eum quasi nolens perculserit, & mortuus fuerit, juret ut per invidiam non fecisset, nisi se ad defendendum, & donet alium catellum, qui jugum transpassare possit.

### TITULUS LXXXIII.

*De eo qui aliquam clausuram in aqua fecerit, & ibi aliquid negaverit* [δ].

I. SI quis mulinum aut qualemcunque clausuram in aqua facere voluerit, sic faciat ut nemini noceat. Si autem nocuerit, rumpatur usque dum non noceat.

II. Si ambæ ripæ suæ sunt, licentiam habeat. Si autem una alterius est, aut roget, aut comparet.

III. Si quis aliquam clausuram in aqua fecerit, & ipsa aqua inflaverit, & ibi alicujus pecus negaverit [ε], vel famulus, vel infans, quicquid ibi negaverit, simile restituat, unumquodque secundum legem suam componat.

### TITULUS LXXXIV.

*De his qui de terra sua inter se contendunt.*

SI qua contentio orta fuerit inter duas genealogias de termino terræ eorum, & unus dicit; *Hic est noster terminus*; alius revadit in alium locum, & dicit; *Hic est noster terminus*; ibi præsens sit Comes de plebe illa (3), & ponat signum ubi iste voluerit, & ubi ille alius voluerit [ζ] terminum, & girent ipsam contentionem. Postquam girata fuerit [η], veniant in medium, & præsente Comite tollant de ipsa terra, quod Alamanni curffodi (4) dicunt, & ramos de ipsis arboribus infigant in ipsam terram quam tollunt, & illæ genealogiæ quæ con-

[α] Lindenbr. *VI. sol.* [β] Lindenbr. *Seusiis.* [γ] Addit Herold. & Lindenbr. *Ursaritium.* [δ] Lindenbr. *Annegaverit*, Ita etiam in reliquis. [ε] Lindenbr. *Anegaverit.* [ζ] Desunt in Herold. *Et ubi ille alius voluerit.* [η] Al. *Jurent ipsam contentionem. Postquam jurata fuerit.*

---

(1) *De canibus seusibus.*) Ne mirere in amplissimo Regni Senatu tanta præcisione, & exactitudine de canibus venatoriis actum esse, cum & liberi, & nobiles, & Principes venationibus quam maxime oblectarentur. Tanti namque fiebant canes hujusmodi, ut veteres Danorum heroes canem secum consepultum esse voluissent. Apud Saxonem Grammaticum lib. V. Asvitus *morbo consumptus cum cane & equo terreno mandatur antro.* Ad quæ M. Brynolfus Svenonius apud Stephanum Stephanium in notis ad Saxonem hæc habet: *Equum veteres Danorum Heroes, ac Proceres tanquam bellatoris insigne, canem ceu venatoris, una secum condi volebant, ut quibus in vita rebus, ac studiis se oblectassent, iisdem in morte comitati deponerentur; aut etiam in altera vita ex illis usum expectabant.*

(2) *Si canem, qui curtem defendit.*) Magna certe æstimatio habenda canum rei domesticæ custodum, ubi minus tuta cæteroquin sunt habitacula. Hinc mihi persuadeo, majori adhuc æstimatione canes custodes pensatos fuisse antiquioribus ævis, cum infirmioribus munimentis res & personæ Barbarorum ab aliorum injuriis tutæ redderentur. Statuta David II. Regis Scotiæ, licet hisce legibus valde recentiora, ex remotiori tamen antiquitate hac in re certe derivantur. Ita enim cap. 15. *Statuit Dominus Rex, si aliquis injuste & contra legem alterius canem interfecerit, vigilabit & custodiet ejus simarium per annum & diem. Et omnia damna infra dictum tempus per eum sustentata pro defectu canis sui, restaurabit sine ulla contradictione.*

(3) *Comes de plebe illa.*) De divisione civili Provinciæ *in Plebes*, quæ in Ecclesiasticis adhuc superest, alibi ex professo agemus, cum aliquando fusiori calamo opus sit huic rei satis illustrandæ.

(4) *Curffodi.*) Advertit Baluzius, in Codicibus Metensi, & Thuano legi *Zturf*, quæ vox opportune designat rem, de qua agitur, scilicet cæspitem, seu glebam avulsam cum suo gramine. Receptissima fuit investituræ forma *per ramum & cæspitem.* Hunc ambo contendentes e controverso agro sibi assumunt, ut super illum dimicent, & cui Deus per victoriam *ramum & cæspitem* tradiderit ipse de agro rite investitus esse intelligatur. Habes hic duelli quemdam ritum non sine voluptate legendum.

contendunt levent illam terram præsente Comite, & commendent in sua manu: ille involvat in fanone, & ponat sigillum, & commendet fideli manu usque ad statutum placitum. Tunc spondeant inter se pugnam duorum. Quando parati sunt ad pugnam, tunc ponant ipsam terram in medio, & tangant ipsam cum spatis suis, cum quibus pugnare debent, & testificentur Deum creatorem ut cujus sit justitia, ipsius sit & victoria; & pugnent. Qualis de ipsis vicerit, ipse possideat illam contentionem; & illi alii præsumptiosi, quia proprietatem contradixerunt, duodecim solidos componant.

### TITULUS LXXXV.

*De eo qui servum alterius fugientem acceperit & sequenti domino contradixerit.*

SI quis fugitivum (1) alterius servum susceperit, & sequenti domino aut in illa die, aut quando poterit, contradixerit eum, & reddere noluerit, tunc vadat ad Principem quem ille habet, ut ei justitiam faciat, & cum quadraginta solidis componat eum, quia contra legem eum recepit.

### TITULUS LXXXVI.

*De eo qui servum in pignus susceperit, & si ipse [α] servus aliquod damnum fecerit.*

I. SI quis pignus tulerit contra legem, aut servum, aut equum, postquam illum in domum suam duxerit, & ille servus ibi hominem occiderit, aut ille equus aliquod damnum fecerit, illud damnum ad illum pertineat qui illud pignus tulit, non ad illum dominum cujus illud pignus fuerit.

II. Si autem dominus voluntarie pignus dederit pro aliqua re alicui, & illud pignus quod datum est, ibi aliquod damnum fecerit, dominus qui [β] dedit, damnum quod factum est simile [γ] restituat.

### TITULUS LXXXVII.

*De eo qui alteri res suas apud se inventas contradixerit.*

SI quis res suas apud alium hominem invenerit, quicquid sit, aut mancipia, aut pecus, aut aurum, aut argentum, aut alia spolia, & illa reddere noluerit, & contradixerit, & post hæc convictus fuerit ante judicem, aut simile aut ipsum reddat, & cum duodecim solidis [δ] componat, quia proprietatem ejus contradixit.

### TITULUS LXXXVIII.

*Ut fratres post mortem patris eorum hereditatem non dissipent antequam dividant eam.*

SI qui fratres post mortem patris eorum aliquanti fuerint, dividant portionem patris eorum. Dum hoc non fuerit factum, nullus rem suam dissipare faciat usque dum æqualiter partiant (2).

### TITULUS LXXXIX.

*De eo qui hominem occiderit & negaverit.*

SI quis hominem occiderit, & negare voluerit, cum duodecim nominatis juret, & alios tantos advocatos [ε] in arma sua sacramenta (3) pro quatuor tremissis cum uno sacramentali juret. Pro tribus solidis & tremisse cum duobus sacramentalibus juret. De sex solidis & tremisse cum quinque nominatis juret, aut cum tracta spata defendat.

### TITULUS XC.

*De coxa vel brachio incisis [ζ].*

I. SI coxa abscisa fuerit libero homini, octuaginta solidis componatur.

II. Si brachium abscisum a scapula [η] fuerit, similiter.

### TITULUS XCI.

*De eo qui mulieri prægnanti abortivum fecerit.*

SI quis mulieri prægnanti abortivum fecerit, ita ut jam cognoscere [θ] possit utrum vir an femina fuit; si vir debuit esse, cum duodecim solidis componat; si autem femina, cum viginti quatuor. Si neutrum cognoscere potest, & jam non fuit formatus in lineamenta corporis, cum duodecim solidis componat. Si amplius requirit [ι], cum sacramentalibus suis se idoniet.

TI-

α Lindenbr. *Et si sub se.* β Herold. *Dominus ejus qui.* γ Lindenbr. *Simile ei.* δ Lindenbr. *XV. sol.* ε Lindenbr. *Et aliis tantis advocatis.* ζ Lindenbr. *Abscisis.* η Desunt in Herold. *A scapula.* θ Lindenbr. *Cognosci*, & sic paullo post. ι Lindenbr. *Requiratur.*

(1) *Fugitivum.*) *Quæsitum est ævo Rhabani Archiepiscopi Moguntini, an liceret Missas aut Psalmos cantare pro servo fugitivo in fuga mortuo. Respondit ille ad Reginbaldum Chorepiscopum Moguntinum scribens, orandum esse pro eo, nisi forte aliquo crimine majore implicetur, aut in perfidiam devolvatur.* Baluzius.

(2) *Æqualiter partiant.*) Nulla de jure *primogenituræ* mentio, de qua etiam nescio an in ulla ex antiquis Germanicis legibus verbum occurrat. Et tamen apud quosdam Germaniæ populos quoddam primogenituræ ius adumbratum cerno ex Tacito hæc de Usipiis, ac Tencteris scribente Germ. cap. XXXII. *Inter familiam & penates & jura successionum equi traduntur, Excipit filius, non ut cætera, maximus natu, sed prout ferox bello, & melior.*

(3) *In arma sua sacramenta.*) Juramentum *super arma* Barbaris receptissimum fuit. Suspicor autem hic legendum esse: *in arma sua sacrata*. De juramento *ad arma sacrata* mentio quoque fit in nostris Legibus Langobardicis Rotharis CCCLXIV. & CCCLXVII. Dicuntur porro *arma sacrata*, quia is, qui jurare debebat, *dabat arma sua ad sacrandum*, seu ad benedicendum, ut habetur in lege Bajuvariorum Tit. XVI. cap. V. Errarunt profecto, qui per *arma sacrata* reliquias Sanctorum, vel sacra paramenta intellexere.

## Titulus XCII.

*De hereditate quam mulier post partum statim mortua derelinquit.*

SI qua mulier, quæ hereditatem paternam habet, post nuptum prægnans peperit puerum, & in ipsa hora mortua fuerit, & infans vivus remanserit aliquanto spatio, vel unius horæ, ut possit aperire oculos & videre culmen domus & quatuor parietes, & postea defunctus fuerit, hereditas materna ad patrem ejus pertineat, eo tamen [α] si testes habet pater ejus quod vidissent illum infantem oculos aperire & potuisset culmen domus videre & quatuor parietes (1). Tunc pater ejus habeat licentiam cum lege ipsas res [β] defendere. Si autem aliter [γ]; cujus est proprietas, ipse conquirat.

## Titulus XCIII.

*De eo qui in pugna parem suum dereliquit & fugit.*

SI qua in exercitu pugna commissa fuerit, & dimittit quis parem suum (2) pugnare & fugit, & ille alius defendit se, post reversionem ille qui fugit componat bis octuaginta solidos illi alio quia inde fugivit [δ].

## Titulus XCIV.

*De eo qui post finitam & emendatam caussam mallare præsumpserit.*

SI quis aliquem post finitam caussam & emendatam mallare voluerit, post testes tractos & emendationem datam si hoc præsumpserit tentare, & iste se non potest per sacramenta vel per testes defensare, tunc per pugnam duorum se defendat. Et post hæc ille testator cum quadraginta solidis [ε] componat.

## Titulus XCV.

*De eo qui ingenuam feminam colpo percusserit.*

I. SI quis feminam ingenuam colpo percusserit, sic ut sanguis non exeat, solvat solidos duos. Si lida fuerit (3), solvat solidum unum & tremissem. Si ancilla fuerit, solvat solidum unum.

II. Si barus fuerit, similiter.

III. Si servus fuerit, medium solidum.

## Titulus XCVI.

*De eo qui medelam [ζ] aut carrucam alterius involaverit.*

I. SI quis medelam rumpit aut involat, solidos tres solvat.

II. Si carrucam involat, aut rumpit rotas in priori parte, sic ut illa die opera tricet [η], solidos tres componat.

III. Si de post involat aut rumpit, sex solidos componat.

IV. Si herpices fuerit, tres solidos componat.

## Titulus XCVII.

*De eo qui buricas in sylva porcorum [θ] incenderit.*

I. SI quis buricas in silva tam porcorum quam pecorum incenderit, viginti duos solidos componat.

II. Et si intus per furorem intrat, & de suo nihil invenit, sex solidos componat.

III. Et si in curte aliena ingressus fuerit, simili modo.

IV. Si intus in scuria, duodecim solidos componat.

V. Nisi [ι] homicida suus ei in curte aut in casa fugerit, & pro ipso nullus offert justitiam [κ], si sequenter ipsum currit [λ], hoc non est ad requirendum.

T I-

α Herold. *Et tamen.* β Desunt in Herold. *Ipsas res.* γ Herold. *Sin autem alter.* δ Lindenbr. *Illi alii qui inde non fugit, sed mansit, & pares suos non dimisit.* ε Herold. *Cum XX. solid.* ζ Lindenbr. *Medellam*; al. *medullam*, *medulam*. η Herold. *Triecetur.* θ Herold. *Tecorum.* ι Lindenbr. *Nam si.* κ Herold. in marg. *Drictum.* λ Addit Herold. *Et in curtem vel in domum.*

(1) *Et quatuor parietes.*) Simplicibus hisce cautionibus, quas aliqui fortasse ex nostratibus irridebunt, cavebatur ne abortio pro juste nato venditaretur. Forte etiam id cautum, ut infans ita inter homines vixisse censeretur, ut jurium civilium capax moraliter haberi posset. Petitum in Anglia fuit, ut neonati infantuli audiretur vagitus. Saxones quoque id colligebant ex vagitu intra quatuor parietes audito. Heineccius Elem. Jur. Germ. lib. II. art. 249.

(2 *Parem suum.*) Similem, imo severiorem legem habes libro III. Capitularium cap. 31. Capitulare II. anni DCCCXIII. apud Baluzium cap. 20. *Si quis fidelibus nostris contra adversarium suum pugnam, aut aliquod certamen agere voluit, & convocaverit ad se aliquem de comparis suis, ut ei adjutorium præbuisset, & ille noluit, & exinde negligens permansit, ipsum beneficium quod habuit auferatur ab eo, & detur ei, qui in fidelitate & stabilitate sua permansit.* Cæterum in ejusmodi decretionum spiritum, veramque rationem inquirere illorum est, qui rei militari sua studia impendunt.

(3) *Si lida fuerit.*) Hinc prospicis *litam* haberi ut medium quid inter liberam, & ancillam. Qui litos in classem servorum rejiciunt, rem acu non tangunt. Observat Muratorius Differt. XV. litos possedisse bona immobilia, fructusque suos fecisse; item luisse ipsos patrata delicta pecuniaria taxata solutione. Hæc servis minime competebant. *Servos manumissos* rectius dixeris, quamvis non plena libertate donatos, sed quibusdam oneribus erga patronos obnoxios. Uno verbo servi erant sub dominorum potestate & dominio, liti sub quadam obedientia erga patronos. An vero in Italia ejusmodi fuerint *Aldiones*, alii dijudicent.

### TITULUS XCVIII.

*De eo qui gregem animalium in pignus tulerit, & porcarium vel ceteros paſtores flagellaverit* [α].

I. SI quis gregem de porcis, aut de jumentis, aut de vaccis, vel de berbicibus in pignus tulerit, quadraginta ſolidis ſit culpabilis.

II. Si porcarius ligatus de via oſtatus [β] vel battutus fuerit, ſic ut duo teneant, & tertius percutiat, novem ſolidos componat. Et de reliquo quod ei fecit, ſicut reliquis ſervis componi ſolet, ei in triplum componatur.

III. Et quod de berbicario, ſtotario [γ], & vaccario fit, quod reliquis ſervis componi ſolet, componatur eis in duplo.

### TITULUS XCIX. (1)

*De eo qui biſontem* [δ] *vel cetera animalia aut furaverit aut occiderit.*

I. SI quis biſontem (2), bubalum (3), vel cervum qui prugit [ε], furaverit aut occiderit, duodecim ſolidos componat.

II. Et ſi cervus ille treudis [ζ] non habet, medium ſolidum componat.

III. Si treudis habet, & cum ipſo nihil ſagittatum eſt, ſolvat ſolidum unum.

IV. Si rubeus feramus [η] cum ipſo ſagittatus eſt (4), tres ſolidos ſolvat.

V. Si niger eſt, ſolidos ſex componat.

VI. Si involatus fuerit, novem geldos componat.

VII. Si cerva indomita fuerit occiſa, tremiſſo ſolvat.

VIII. Si treudem habuit, medium ſolidum.

IX. Si cum ipſa rubea fera [θ] ſagittata fuerit, ſex ſolidos ſolvat.

X. Si nigra, ſex ſolidos componat.

XI. Si involata fuerit, novem geldos componat.

XII. Si urſus alienus occiſus aut involatus fuerit, ſolvat eum ſolidis ſex.

XIII. Aprum ſimiliter.

XIV. Si quis pecus manualem, qui dicitur alatus, aut verrem, aut ducariam occiderit, ſex ſolidos componat.

XV. Si furatus fuerit, tres ſolidos ſolvat, & quantum juret quod valuit, novem geldos componat.

XVI. Si quis capriolum occiderit, ſaiga. Si involatus fuerit, novem geldos componat.

XVII. Si grus fuerit furata aut occiſa, tres ſolidos ſolvat.

XVIII. Si auca [ι] fuerit involata aut occiſa, novem geldos ſolvat.

XIX. Aneta, gariola, ciconia, corvus, cornicula, columba, & cauha, & croerola [κ], ut alia ſimilia requirantur.

XX. Si acceptor qui aucam mordet, tres ſolidos ſolvat; ſi gruem mordet, ſex ſolidos componat.

XXI. Si verris occiderit, alium pro eo reddat, & tres ſolidos ſolvat.

XXII. Si canis alienus hominem occiderit, medium weregildum ſolvat. Et ſi totum weregildum quærat, omnia oſtia ſua claudantur, & per unum oſtium ſemper intret & exeat: & de illo limitare novem pedes ſuſpendatur, uſque dum totus putreſcat & ibi putridus cadat, & oſſa ipſius ibi jaceant, per alium oſtium non intret nec exeat (5). Et ſi canem

α Herold. *De grege pignorato & paſtoribus flagellatis*. β Herold. *Bortatus*. γ Al. *Stotario*. δ Lindenbr. *Biſontem vel bubalum*. ε Al. *Brugit* ; *burgit*. ζ Al. *Triudis*. η Herold. *Rubens feramus*. θ Herold. *Rubica fera*. ι Herold. *Autem*. Lindenbr. *Aneta*. κ Lindenbr. *Querola*. Herold. *borocrala & cauba*.

---

(1) In Heroldina editione Titulus iſte inſcribitur: *De biſonte, & cæteris animalibus furatis*; & progreditur uſque ad legem XIX. poſt quam adeſt Titulus: *De acceptore occiſo*. Poſt legem XXI. Titulus: *De cane, qui hominem occiderit*. Poſt legem XXII. Titulus: *De jumento, quod hominem occidit*. Poſt legem XXIV. Titulus: *De his qui res alienas capulaverint*. Poſt legem XXVII. Titulus: *De eo, qui extraneos ſuſcipit ſine permiſſu*.

(2) *Biſontem*.) Biſontibus, feri bovis genus, Germaniam refertam fuiſſe docent antiqui. In noſtris quoque Juliis Alpibus inventos fuiſſe tradit Paulus Diaconus lib. II. cap. 8.; & quidem adeo portentoſæ magnitudinis, ut ferme ſupra fidem ſit. Nunc ſylvis exciſis, & arvis excultis ex Europa pene deſierunt, ſi Lithuaniam excipias, & ſeptemtrionales Europæ receſſus. Pelloutier *Hiſt. des Celtes* lib. II. cap. 12. Ferunt tamen quamplurimos in America Septemtrionali inveniri, a freto Hudſoni ad Floridam uſque. Aliquot ab hinc annis vidimus Venetiis Biſontem jubatum ex Illinenſium finibus advectum, qui Europæorum imaginem referebat. Anne per extremas Septemtrionis oras ab Europa in Americam Biſontibus patuit via?

(3) *Bubalum*.) Non ambigo Bubalos, de quibus lex loquitur, ipſoſmet fuiſſe *Uros*, quorum ferax erat Germania, *quibus imperitum vulgus Bubalorum nomen imponit*, ut ait Plinius lib. VIII. cap. XI. Ita & Solinus cap. XXXIX. *Sunt & Uri, quos imperitum vulgus vocat Bubalos, cum Bubali pene ad cervinam faciem in Africa procreentur*. Urus autem altera eſt bovis ſylveſtris ſpecies, communem bovem magnitudine corporis ſuperans. Adhuc invenitur in Boruſſia & in Septemtrione, ubi tamen & rareſcit. Pelloutier loco citato.

(4) *Sagittatus eſt*.) Originem colligo (ni fallor) jurium venationum reſervatarum. Feræ & volatilia non cenſebantur quidem in poſſeſſione, ſed in iure domini fundi, ſicuti ferme apud nos piſces in piſcariis, vel in vallibus Venetici litoris. Vide Legem Ripuariorum Tit. XLII. Confer quoque Legem Bajuvariorum lege ultima. Bannis autem regiis impetratis, & venationum jure ſub regia tuitione poſito, quo facilius cæteri excluderentur, inter Regalia tranſiiſſe pluribus evincit J. H. Boehmerus in Jure Eccl. Prot. lib. V. tit. 24.

(5) *Nec exeat*.) Obſerva, quænam adhiberentur pœnæ, ſeu civilia remedia, ut laſci-

nem ipſum inde jactaverit, aut per alium oſtium int averit in caſam, ipſum weregildum medium reddat.

XXIII. Si caballus, porcus, aut bos hominem occiderit, totum weregildum ſolvat. Si ſervus fuerit, medium pretium ſolvat.

XXIV. Si alicujus caballus ſepem alienam ſallierit, & de palo tranſpunctus fuerit, cujus ſepis fuerit, ipſe ſolvat medium pretium.

XXV. Si quis ferrum mulinarium [a] involaverit, alium cum ipſo reddat, & ſolvat ſolidos ſex in texaga ei cujus fuerit.

XXVI. Si quis ſepem alienam capulaverit, tres ſolidos ſolvat.

XXVII. Si quis mortuum ſuum in terra aliena poſuerit, duodecim ſolidos ſolvat, aut cum duodecim juret, ut hoc pro malo non feciſſet.

XXVIII. Si quis ingenuum aut ingenuam extraneam ſine permiſſu cujus fuerit in terram miſerit, quadraginta ſolidis ſit culpabilis. Si ſervus fuerit, duodecim ſolidos ſolvat.

EXPLICIT LEX ALAMANNORUM (1).

# CAPITULA ADDITA AD LEGEM ALAMANNORUM,

*Uti edita ſunt a Steph. Baluzio ex veteri Codice Remenſi.*

I. SI quis alteri oculum ruperit, & ille pupillus intus reſtitit, ſolvat ſolidos viginti. Si oculus ille foras exierit, ſolidos quadraginta, aut cum duodecim medios electos juret.

II. Et qui auriculam ſimaverit, ſolvat ſolidos viginti. Si totum excuſſerit, aut ſi plagaverit, ut audire non poſſit, ſolvat ſolidos quadraginta, aut cum duodecim juret.

III. Si quis brachium ſuper cubito tranſpunxerit, ſolvat ſolidos ſex. Si ſubtus cubitum fuerit, ſolidos tres ſolvat.

IV. Simili modo ſi coxa traſpuncta fuerit, ſolvat ſolidos ſex. Si ſubtus genuculum fuerit, ſolvat ſolidos tres. Si non fuerit tranſpuncta, & nervora tetigerit, ut ibi waſilus intrat, ſolvat ſolidos tres.

V. Si in brachium ſive in coxa ſuper genuculum aut ſuper cubito, unam compoſitionem.

VI. Si quis in revo plagatus fuerit in pectus aut in latus, ſolvat ſolidos duodecim, aut cum duodecim medios electos juret. Si tranſpunctus fuerit, ſolvat ſolidos viginti quatuor, aut cum duodecim juret.

VII. Si quis in latus alium tranſpunxerit ſic ut in revo plagatus non ſit, ſolvat ſolidos ſex, aut cum ſex medios electos juret.

VIII. Si quis alteri brachium ſuper cubitum aut coxa ſuper genuculum cum ſpata aut cum fuſte fregerit, & non mancat, ſolvat ſolidos ſex. Et ſi ſubtus cubitum aut ſubtus genuculum fuerit, & non mancaverit, ſolvat ſolidos tres. Si nervora tangit, & waſilus intrat, ſolvat ſolidos tres.

IX. Si quis alterum brachium mancat, ſolvat ſolidos viginti. Et ſi ipſum pertruncat, ſolvat ſolidos quadraginta, aut cum duodecim juret.

X. Si quis digitum pollicem alteri truncaverit, ſolvat ſolidos duodecim. Si mancat, aut in primo nodo truncatus fuerit, ſolvat ſolidos ſex.

XI. Si ſecundus digitus truncatus fuerit, ſolidos decem ſolvat. Si mancat, ſolvat ſolidos quinque. Si prima junctura truncata fuerit, ſolvat ſolidos tres.

XII. Si tertius digitus truncatus fuerit, ſolvat ſolidos tres. Si mancat, ſolvat ſolidos tres.

XIII.

a Lindenbr. *Servum mulinarium.*

ſcivientis civium libertatis abuſus coerceretur. Cæterum remedia hujuſmodi inter Barbaros abs uſu non erant. Etenim neſcio quid ſimile occurrit in Legibus Oſtrogothiæ Drap. B. c. 13. *Si dominus pro ſervo mulctam pendere abnuerit in conventu publico, tum judicis ſententia lata, ligamentum ex ramis quernis collo ſervi circumdabitur, illeque ſuſpendetur ad introitum domus domini.* V. Joh. Ihre V. *Lid.*

(1) Quatuor inſuper leges leguntur in Heroldina Editione, quarum duæ ſub Titulo: *De eo, qui in fredo infantes læſerit*: reliquæ hunc titulum præferunt: *De eo qui raptori reſiſtit.* Leges ipſas hic referre ſuperſedeo, cum infra recitentur, ſuntque lex XXXIX. primi additamenti, & leges tres ſecundi additamenti, quæ tres leges a Baluzio ex eadem Heroldina editione depromptæ ſunt. Goldaſtus vero nobiſcum quidem Legi finem imponit, ſed ſubinde habet integrum caput: *De Legibus. Moyſes Genti Hebreæ* &c. quod Pacto Legis Salicæ præfixum eſt. Tandem in fine tum Heroldina editio, tum Goldaſtina hæc habent: HOC DECRETUM EST APUD REGEM, ET PRINCIPES EJUS, ET APUD CUNCTUM POPULUM CHRISTIANUM, QUI INFRA REGNUM MERWUNGORUM CONSISTUNT.

XIII. Si quartus digitus truncatus fuerit, solvat solidos tres. Si mancat, solvat solidos tres.

XIV. Si quartus digitus truncatus fuerit, solvat solidos quinque. Si in primo nodo truncatus fuerit, solvat solidos tres.

XV. Si minimus digitus truncatus fuerit, solvat solidos decem. Si mancaverit, solvat solidos quinque.

XVI. Et si manus transpuncta fuerit, solvat solidos sex. Et si manus tota excussa fuerit, solvat solidos quadraginta, aut cum duodecim medios electos juret.

XVII. Si quis alteri pedem truncaverit, solvat solidos quadraginta. Et si mancat, solvat solidos viginti. Et si foris villa ambulare potuerit, & in campo suo cum stelzia ambulare poterit, solvat solidos viginti quinque, aut cum duodecim medios electos juret.

XVIII. Si quis alteri articulum pollicem truncaverit, solvat solidos sex. Si prima junctura truncatus fuerit, solvat solidos tres. Si lito contigerit, solvat solidos quatuor, Si servo, solvat solidos tres.

XIX. Si alius articulus truncatus fuerit, solvat solidos tres.

XX. Si qua mulier gravata fuerit, & per facto alterius infans mortuus natus fuerit, aut si vivus natus fuerit, & novem noctes non vivit (1), cui reputatum fuerit quadraginta solidos componat.

XXI. Si femina baronem extra rixam subdulum clamaverit, solvat solidos duodecim, aut cum duodecim medios electos juret maritus ipsius.

XXII. Si quis alterius ingenuam de crimina seu stria aut herbaria sisit (2), & eam priserit, & ipsam in clida miserit, & ipsam cum duodecim medios electos aut cum spata tracta quilibet de parentes adunaverit, DCCC. solidos componat. Si ancilla fuerit, quindecim solidos componatur. Si in clida misa non fuerit, & prisa & temptata fuerit, quadraginta solidos componat. Et si in clida non fuerit, sex solidos solvat. Et si ipsam vir contrasteterit culpabilem, & ille propter quem ei reputatur mortuus fuerit, ille qui feminam contrasteterit, wiregildum ejus desolvat. Si baro fuerit de minoflidis, solvat solidos centum septuaginta. Si medianus Alamannus fuerit, ducentos solidos componat. Si primus Alamannus fuerit, ducentos quadraginta solidos componat, aut cum viginti quatuor medios electos, aut cum quadraginta quales invenire poterit juret. Si femina minoflidus fuerit, solvat solidos trecentos viginti. Si mediana fuerit, solvat solidos quadringentos. Si prima Alamanna fuerit, solvat solidos quadringentos octuaginta.

XXIII. Si quis mortuatus fuerit baro aut femina, qui qualis fuerit, secundum legitimum wiregildum suum in novegildum solvatur, aut cum viginti quatuor totos electos, aut cum octuaginta quales invenire poterit juret.

XXIV. Si quis superius mortuum suum de alienas res qua valuerit sol. in terra miserit, solvat solidos quadraginta. Et si tremissis aut duos valuerit, solvat solidos duodecim, aut cum duodecim medios electos juret.

XXV. Et cuicunque mortuo, tam occiso, quamque sua morte mortuo, aliquid tollatur aut involatur, de fossa ubi reponatur exfoditur (3), & expoliatus fuit, quod ibi tulit reddat, & octuaginta solidos solvat.

XXVI. Si quis ingenuus ingenuum interficiet, & ei aliquid de res suas sangulentas tule-

---

(1) *Et novem noctes non vivit.*) Simile quid habes in Lege Salica a Carolo M. emendata, quæ sic effertur: *Si quis infantem in ventre matris suæ, aut natum, antequam nomen habeat, infra VIII. noctes occiderit &c.* Ex quibus inferes, infantem quoad æstimationem capitis ante nonam diem a nativitate censitum fuisse parem non nato. Notandum autem in Pacto Legis Salicæ Heroldinæ editionis, ubi parallela Lex habetur, clausulam, de qua agitur, deesse. Atque in hac ipsa Alamannorum Lege Tit. XCII. quoad civiles effectus, ut pater scilicet filio in hæreditate succedat, novem dies vitæ filii non requiruntur, sed tantum ut signa dederit quibus vere inter homines vixisse censendus fuerit. Quare ego hanc novam inter Barbaros doctrinam fuisse reor, atque a Romanis acceptam. Festus: *Lustrici dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia bis lustrantur, atque iis nomina imponuntur.* Habuere quidem & antiqui Germani & Septemtrionales lustrationem quandam infantium, qua & nomen imponebant, sed certam diem lustricam non habuisse videntur, neque nonam expectasse, ut additis exemplis docet Cleffelius Antiq. Germ. cap. II. art. 9.

(2) *Aut herbaria sisit.*) Herbaria, hoc est, venefica. Cleffelius loc. cit. cap. I. art. 20. id inter artes fœminarum refert, quod *medicinam tractarent, vulneraque & morbos tum maritorum suorum, tum universæ familiæ curarent.* Igitur illas veneficiis conficiendis maxime idoneas fuisse indubium est. Insuper cum ex Ethnicismi ritibus superstitiosæ observationes tum in colligendis herbis, tum in applicandis pharmacis adhiberentur, nil mirum si herbariæ illæ una ferme cum strigibus veniant. Contra hujusmodi abusus non semel clamant Canones. Apud Gratianum c. XXVI. q. 5. C. *Non licet. Nec in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas observationes, aut incantationes liceat attendere: nisi tantum cum Symbolo Divino, aut Oratione Dominica, ut tantum Deus creator omnium, & Dominus honoretur.* Alios Canones non refero, ne longior sim.

(3) *Exfoditur.*) Adversus violatores sepulchrorum clamitant Barbarorum leges. Colliges, ideo præcipue persuasum fuisse violari sepulchra, ut res auferrentur, quas una cum defunctis sepulchro mandari mos erat. Pretiosa equidem mortuis consepulta fuisse, quamplura nos edocent monumenta. Vide Eccardum in notis ad Pactum Legis Salicæ Titulo XVII. lege 2. Tamen Barbaris omnibus commune minime fuisse aptiore videbimus loco.

tulerit, aut hoc auferit ad parentes, nihil est ad requirendum. Si enimvero non offerit, quadraginta solidos solvat.

XXVII. Si litus fuerit in Ecclesia ut in heris generationis dimissus fuerit, tredecim solidos & tremisso componat. Si servo fuerit factum, duodecim solidos componat. Si ingenua Alamanna factum fuerit, octuaginta solidos componat, aut cum duodecim juret. Si lita fuerit, viginti sex solidos & duos tremissos componat. Si ancilla fuerit, duodecim solidos componat, aut cum duodecim medios electos juret. De wegalaugen sex solidos solvat. Si litus fuerit, solvat solidos quatuor, Si servus fuerit, solidos tres. Si ingenua Alamanna hoc alteri fecerit, duodecim solidos componat. Si lita fuerit, octo solidos componat. Si ancilla fuerit, quatuor solidos solvat. Aut qui eas discapillaverit . . . rit, quindecim solidos componat.

XXVIII. Si quis messem alienam inchoat, . . . solidos componat, aut cum duodecim juret ut pro malo hoc non fecisset. De initiata messe priserit, tres solidos solvat.

XXIX. Si mulier maritum datum sine procreatione aliqua mortua fuerit, & omnes res ejus ad parentes reddantur, quicquid per legem obtingat. Et si maritum supervixerit, tota lectuaria ei concedantur. Si voluntaria se partire volunt, tollant quod eam per legem obtinget. Lectaria partiant æquale.

XXX. Si maritus uxorem suam dimittit, quadraginta solidos ipse componat, & de mundo suo non habeat potestatem, & omnia ei reddat quod ei per legem obtingit. Si reputat aliquid, potestatem habeat femina ipsa debet, solidos duodecim solvat. De una remanastula sua jure quod superfuerit maritus juret aut reddat.

XXXI. Si quis altero per mano aut per drappo iratus priserit, solidos sex solvat.

XXXII. Si pignus alterius œcidit, sex solidos solvat. Si porcus aut berbicis fuerit, tres solidos solvat.

XXXIII. Si alius altero pro altero pignorat aut furore tollit, si domitum armento retulit, tremisse componat. Si indomitus fuerit, duas sagias componatur. Si equus fuerit, solido uno. Si veltris fuerit, dimidio solido, Si jumentus fuerit, tremisse. Si expoliatus fuerit, similiter componatur.

XXXIV. Si quis alterum ligat, & foris marcha eum vendit, ipsum ad locum revocet, & quadraginta solidos componat. Si eum invenire non potuerit, wiregildum suum solvat.

XXXV. Si cujuslibet messarius de grege tuletur, & castratus fuerit, quantas equas sunt, tantos solidos solvat.

XXXVI. Si accipiter qui augam mordit, solidos tres solvat, Si grugem mordit, sex solidos solvat.

XXXVII. Si verrus verrem occidit, ipse pro eo reddatur, aut tres solidos solvat.

XXXVIII. Si quis ingenuum aut ingenuam expromissum cujus fuit in terra miserit, quadraginta solidis sit culpabilis. Si servus fuerit, duodecim solidis sit culpabilis.

XXXIX. Si quis alterius infans minofledis fuerit, tres solidos componat. Si medianus fuerit, sex solidos componat. Si melioriffimus fuerit, duodecim solidos componat.

XL. Si quis alium de caballo jactat, solvat solidos sex.

XLI. Si quis alterius puellam impiafuerit, quadraginta solidos solvat, & ipsam reddat.

XLII. Si quis alterius puellam de genicio deviolaverit, solvat solidos sex. Et qui in ejus solatium ambulat, qui super eam manum mittit solvat solidos tres. Qui eam non tangit, solvat solidos duos.

XLIII. Si quis de grege aliena jumentum tollit, & domat eum alium, simile eum reddat, Si occisa fuerit, tres solidos solvat. Si mediana equa fuerit, sex solidos componat. Si melioriffima fuerit, duodecim solidos componat. Si taurus fuerit, sex solidos componat. Si involatus fuerit, sex solidos componat, & quantum valuit octogildum componat.

XLIV. Si faber ferrarius occisus fuerit, quadraginta solidos componatur. Si aurifex fuerit, quinquaginta solidos componatur.

Si quis de ipsos mancatus . . . .

*Cetera desiderantur.*

## ITEM ALIA CAPITULA.

I. Si quis alterius invitam puellam priserit, weregildo suo semper sit culpabilis. Si non fuerit rapta, duodecim solidos componat.

II. Si quis res alienas aut Ecclesiæ malo ordine invaserit, & alius facienti violentiam repugnaverit, is nullum crimen admittit: quia non facit violentiam qui vim repellit, aut qui male agenti contradicit.

III. Nullus alienam terram sine auctoritate præsumat invadere. Qui hoc fecerit, cum vindicta se expetendum esse cognoscat.

# AD TITULUM XXXVI. LEGIS ALAMANNORUM. DOCUMENTA,

## Quæ ritum veterum judiciorum popularium in civilibus & criminalibus caufis latorum illuftrant.

*I. OMnes, quotquot tribunali præfentes fe fiftebant, etiam non vocati, jure fuffragii gaudebant tum in criminali foro, tum in civili.* Docum. I.

*II. Sententia, quæ a majori circumftantium parte probata erat, rata & grata habebatur.* I.

*III. Id autem obtinebat non modo in fententiis definitivis, fed & in interlocutoriis, imo & cum de actis, præceptifque judicialibus ageretur.* I.

*IV. Suffragantium pluralitas in judiciis faltem primæ inftantiæ demonftrabatur per elevationem, & numerationem digitorum.* I.

*V. Auditis hinc & inde allegatis, ipfo inftanti fententia ferebatur.* II.

*VI. In caufa facti & poffeffionis, productis, auditifque teftibus, illico fententia dicebatur.* V.

*VII. Sententia ferebatur a circumftantibus ftantibus, & non fedentibus, & non in fcriptis.* III.

*VIII. Ejufmodi ferebantur judicia, etiam cum de fori competentia, & judiciaria poteftate Domini Territorialis ageretur.* IV.

*IX. Appellatio non recipiebatur, nifi ftatim, & abfque intervallo a lata fententia interjecta foret.* VI.

*X. Appellatio interjiciebatur a multitudine ad multitudinem, hoc eft ad Generale Patriæ Colloquium, feu ad* Pares Curiæ. *VI.*

*XI. Patriarchæ, ejufque Officialium pro tribunali fedentium non erat, vel opinative fententiam proponere, neque quidquam fuper id ore depromere, fed tantum a circumftantibus petere,* quid juris. *I. II. VI.*

*XII. Unus ex circumftantibus fententiam oretenus proferebat, alii in fententiam ibant, fi hæc placuiffet.* VII.

*XIII. Cum vero duo aut plures ex circumftantibus difpares proferrent fententias, ea pro juridica recipiebatur, quæ a majori circumftantium parte probaretur.* VIII.

*XIV. Radicata hæc judiciorum confuetudo evelli non potuit, quamvis Pontificiis litteris reprobata.* Confer I. II.

# DOCUMENTUM I.

## *De Rubeis, Monum. Eccl. Aquil. c. 98.*

URbanus (1) Epifcopus fervus fervorum Dei Venerabili Fratri ..(2). Patriarchæ Aquilegenfi falutem & Apoftolicam benedictionem. Nuper ad noftrum pervenit auditum, quod in Civitate Aquilegenfi, Utinenfi, Civitatis Auftriæ, Glemonæ, Venzone, Marani, Montis-Falconis, Sacili, Sancti Viti, Medunæ locis, & nonnullis aliis locis, ac Terris & Caftris, Gaftaldiis, & Oppidis Patriæ Forojulii, Aquilegenfis diocefis, tuæ temporali jurifdictioni fubjectis, in criminali & civili foro quædam abufiva confuetudo, quæ potius corruptela dici debet, inolevit rectorum judiciorum quamplurium perverfiva. Ex eo quia in judiciis antedictis, tam in præceptis, monitionibus, interlocutoriis, & definitivis fententiis, quam aliis quibufcumque actibus judicialibus, Patriarcha qui pro tempore eft, & ipfius Officiales examinare, cognofcere, definire, terminare, & alios actus judiciales facere ex ponderata, & matura deliberatione non poffunt: fed folum inquantum in inftanti per aftantes, feu majorem partem aftantium, indifferenter & paffim, five nobiles, innobiles, litterati, & illitterati, artifices, feu cujufvis alterius conditionis, dignitatis, & ftatus homines exiftant: etiam per Patriarcham feu ipfius Officiales in judicio præfidentes non vocati, fed eorum motu proprio, vel ex cafu, temporibus, quibus idem Patriarcha & ipfius Officiales pro jure reddendo federe contigerit,



(1) Urbanus V. (2) Marquardo.

rit, in loco judicii convenientes : & facto per partes, seu ipsarum Advocatos vel Procuratores, atque omnibus quæ ipsæ partes dicere vel allegare in ipso instanti voluerint respectu articuli causæ, de quo in termino ipsis partibus statuto litigare contigerit, enarratis; tunc ad vocationem Patriarchæ, seu Officialium ejusdem, quasi more præconis, eosdem astantes requirentium, quid in præmissis actibus, seu articulis judicialibus de jure videtur, sententiatum & dictum fuerit ipso instanti, nulla alia deliberatione præmissa, qualis & quantacumque fuerit causa seu negotium in judicio deductum non attentis; iidem Patriarcha, & ipsius Officiales ita & taliter, sicut per prædictos astantes, seu majorem partem dictum & sententiatum extiterit ipso instanti, promulgare & sententiare tenentur; & quæ prædictorum astantium, sicut præmittitur, sententiantium major pars existat, per elevationem & numerationem digitorum eorundem, divisim & successive factas, demonstratur. Ex quibus incaute, & absque congrua deliberatione, & sæpe cum fraude partium, & dictorum astantium, vel convenientium in loco & tempore judicii antedicti ad amicorum, parentum, seu aliquorum potentium litigantium . . . actus judiciarii, interlocutoriæ sententiæ, & definitivæ, ac præcepta indebite promulgantur. Nos igitur attendentes, quod consuetudo, quæ canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti: quodque sententia a non suo lata judice, nullam obtinet firmitatem; ut tam tu, quam Officiales tui prædicti in causis subjectorum tuorum, postquam tibi & ipsis de meritis earum constiterit, sententias proferre valeatis, sicut ordo postulat rationis, præmissa consuetudine non obstante, Fraternitati tuæ authoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Viterbii XIII. Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno quinto (1).

# DOCUMENTUM II.

*De Rubeis, Monum. Ecclesiæ Aquilejensis cap. 98.*

EXemplum fideliter de verbo ad verbum extractum ex Libro, sive Registro Litterarum Cancellariæ Reverendissimi D. Antonii Patriarchæ dignissimi de MCCCXC. (2) Indictione V. sic incipiens. Nos Antonius tenore præsentium facimus notum universis nostras præsentes litteras inspecturis: quod in hac nostra Patria Forijulii nostros ad libitum facimus, constituimus, & ordinamus, & creamus Officiales: videlicet, Marescalcum, & Vicarium in temporalibus Generales, Potestates, Capitaneos, & Gastaldiones; qui tam in criminalibus, quam civilibus & profanis causis secundum antiquas præfatæ nostræ Patriæ consuetudines, scilicet per astantes, & non alios, unicuique postulatam habent justitiam ministrare. Dum enim prædicti nostri Officiales, vel ipsorum aliquis sedet pro tribunali ad jus reddendum, petunt a circumstantibus in causa, de qua quæstio vertit, auditis hinc inde allegatis, quid juris? Et tunc per ipsos astantes sententiatur: & lata sententia per eos, rata, & grata habetur, & inviolabiliter observatur. In cujus rei testimonium præsentes scribi jussimus, & nostro sigillo muniri. Datum in nostra Civitate Austriæ die XXVI. Aprilis, anno & indictione quibus supra.

# DOCUMENTUM III.

*An. 1330. Ex Membrana Tab. Aquil.*

IN Christi nomine amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo, trecentesimo, trigesimo. Indictione tertiadecima. Die 20. mensis Septembris. Præsentibus nobilibus viris Dom. Odorico de Cucanea, Artico de Prampergo, Preogna de Spinimbergo, & Hectore de Savorgnano militibus testibus, & aliis ad hoc specialiter vocatis & rogatis. Coram Reverendo in Christo Patre & Domino, Dom. Pagano Dei gratia sanctæ sedis Aquilegensis Patriarcha constitutus Venerabilis vir Dominus Eusebius de Romagnano Canonicus Aquilegensis, Syndicus & Procurator Canonicorum & Capituli Aquilegensis Ecclesiæ, præsente etiam Nicolao de Brazaco Procuratore Dom. Simonis de Castillerio, ut dicebatur, quandam interposuit appellationem hujus tenoris. Coram vobis Reverendo in Christo Patre & Domino, Dom. Pagano Dei gratia sanctæ sedis Aquilegensis Patriarcha compareo ego Eusebius de Romagnano Canonicus Aquilegensis, Syn-

(1) Hoc est, Anno MCCCLXVII.

(2) Lege MCCCXCVII.

Syndicus & Procurator Canonicorum & Capituli Aquilegensis Ecclesiæ, dicens & proponens, quod cum nobilis vir Dom. Simon de Castillerio coram vobis ipsos Canonicos & Capitulum traxisset in causam occasione cujusdam mansi positi in villa de Morsano subtus stradam altam, vos die quinto decimo mensis Septembris contra dictum Capitulum & Canonicos injustam & nullam sententiam, quærendo a circumstantibus laicis, quid juris esset, protulistis, hoc pro sententia habentes, quod ab ipsis laicis stantibus & non sedentibus, nec in scriptis dictatum fuit; ex qua sententia dicti Canonici & Capitulum se reputant aggravatos. Quare ego Eusebius nomine dictorum Capituli, & Canonicorum ab ipsa sententia injusta, si qua dici potest, ad Reverendum in Christo Patrem & Dominum, Dom. Bertrandum Dei gratia Ostiensem & Velletrensem Episcopum Apostolicæ Sedis Legatum in his scriptis appello, & a vobis apostolos peto, & iterum ac iterato & instanter peto, subjiciens me, dictum Capitulum & Canonicos, eorum Ecclesiam, & mansum præfatum, ac omnia eorum jura, protectioni & defensioni dicti Domini Legati. Protestans etiam nomine quo supra, quod liberum sit dicto Capitulo & Canonicis dictam impugnare sententiam ex injustitiæ, & nullitatis vigore. Qua quidem appellatione perlecta, & recepta, idem Dominus Patriarcha asseruit ipsi appellationi velle respondere. Actum Utini in Curia Patriarchali.

Anno & Indictione prædictis, die secundo mensis Octubris. Præsentibus Ven. viro Domino Fratre Johanne Abbate monasterii Rosacensis Vicario, ac discretis viris Dom. Zonfredino de Oppreno Vicedomino, Nicolao de Lasalle de Tarvisio Domicello præfati Dom. Patriarchæ, ac Botto notario de Utino testibus, & aliis ad hoc specialiter vocatis & rogatis. Constitutus in præsentia suprascripti Domini Patriarchæ Dom. Eusebius Syndicus & Procurator antedictus petiit adhuc cum instantia apostolos sibi dari super appellatione prædicta. Cui respondit idem Dom. Patriarcha, quod ob dicti Dom. Legati & Sedis Apostolicæ reverentiam appellationi deferebat prædictæ, & ipsum appellantem remittebat ad examen ejusdem Domini Legati & Curiæ suæ, hanc sibi responsionem cum processu causæ præcipiens sibi dari in formam publicam loco apostolorum, sive litterarum remissoriarum. Actum ut supra.

Anno & Indictione prædictis, die quarto mensis Octubris. Præsentibus Ven. viris Dominis Petro Mora Vicario dicti Dom. Patriarchæ, Odorico de Strasoldo Canonico Civitatense, ac nobili viro Dom. Thomasino de Cucanea, & Stephano notario de Civitate testibus, & aliis ad hoc specialiter vocatis & rogatis. Coram præfato Dom. Patriarcha constitutus Dom. Eusebius Syndicus & Procurator prædictus notificavit & intimavit prædicto Domino Simoni de Castillerio ibidem constituto appellationem suprascriptam, & quod idem Dom. Patriarcha dictæ appellationi detulit, & super ea apostolos sibi dedit. Actum Civitat. in Palatio Patriarchali.

Ego Gubertinus quondam Dom. Ressonadi de Novate Mediolan. diœcef. publicus Imperiali auctoritate Notarius, ac præfati Domini Patriarchæ Officialis, omnibus præsens fui, & rogatus hoc publicum Instrumentum inde scripsi & publicavi.

# DOCUMENTUM IV.

## *Charta producta in causa &c.*

1404. Ultimo Junii.

*In Christi Nomine Amen &c.*

Coram nobili viro ser Francisco filio ser Matthæi de Faganeiis coram viro (1) Mariscalco pro nob. viro Domino Phædrico dicto Toplicher, pro Reverendissimo in Christo Patre & Domino Domino Antonio Dei gratia sanctæ sedis Aquilejensis dignissimo Patriarcha, generali Mariscalco in juditio constitutus Antonius frater infrascripti Joannis defuncti de Galleriano, & Dominica ejus filia conquæsti fuerunt dicto Dom. viro Mariscalco contra Simonem Laretomat habitantem in Mortegliano ibidem in potestate dicti Domini Mariscalchi existentem, quod idem Simon spiritu diabolico instigatus interfecit Joannem fratrem ipsius Antonii suplicantis ipsi Dom. viro Mariscalco, quod de ipso vellet facere justitiam tanquam de homicida, & quod hujusmodi quærelam justificare volebant seque offerebant. & ex adverso dictus Simon respondendum dixit, quod idem vir Mariscalcus de ipso justitiam facere non debebat; imo ipsum relaxare debebat in sua libertate, & reducere eum secum usque ad locum, ubi ipse captus fuit per dictum Dominum virum Mariscalcum, seu ejus familiam, quia ipse Simon captus fuit extra territorium Domini Patriarchæ Aquilejensis, videlicet super territo-



(1) Forte legendum *Vice-Mariscalco*, atque ita semper infra.

ritorio villæ Mortegliani, in qua villa, & in quo territorio Domini de Strasoldo habent jurisdictionem, & dominium, ac merum, & mixtum imperium, quod dominium, & jurisdictionem ipsi Domini de Strasoldo recognoscunt ab inclitis, & illustribus Dominis Comitibus Goritiæ, & quod semper a tanto tempore citra &c. memoria non erat in contrarium, delinquentes sub dominio Ecclesiæ Aquilejensis reducentes se in villam Mortegliani semper fuerunt soliti stare, & steterunt, sicuti sub dicto dominio Dominorum de Strasoldo in villa Mortegliani, & in territorio ipsius villæ, & hæc & alia ad sui defensionem probare volebat, & se obtulit probaturum, super quibus, & aliis pluribus allegationibus factis petente dicto Domino viro Mariscalco. Quid juris? Per omnes adstantes (nemine discrepante) fuit sententiatum, & definitum, quod dictus Simon admitti debebat ad probandum allegata per eum, & etiam Dom. vir Mariscalcus, si aliquid probare vellet in prædictis, & quod limitari debebat utrique parti unus terminus brevis, infra quem utraque pars debeat produxisse, & probasse quidquid voluerit in prædictis. Cujus sententiæ virtute dictus Dominus vir Mariscalcus limitavit utrique parti terminum decem dierum.

*Supradictis Millesimo, & Indictione, die septimo Mensis Julii. Actum Utini &c.*

Coram dicto ser Francisco de Faganeiis viro Mariscalco ut supra, constitutus Simon Laretomat habitans in Mortegliano in potestate ipsius Domini viri Mariscalchi existens occasione mortis dicti quondam Joannis, de cujus morte fertur culpabilis, nec non nob. vir ser Joachinus de Strasoldo pro se, & cæteris suis consortibus proposuerunt alias fuisse datum terminum dicto Simon ad probandum quod ipsi Dom. de Strasoldo habeant, & habuerint a tanto tempore citra quod hominum memoria in contrarium non existit dominium, jurisdictionem, ac merum, & mixtum imperium in dicta villa Mortegliani, & ejus territorio, ac pertinentiis, quod dominium, & quæ jurisdictio est separata & de per se, ac diversa a dominio, & jurisdictione Ecclesiæ Aquilejensis, & Patriarcatu, considerato quod ipsi nobb. de Strasoldo recognoscunt dictum dominium garritum & jurisdictionem ipsius villæ ab illustribus, & magnificis Dom. Comitibus Goritiæ, Tyrolisque. At etiam dixerunt, quod volebant probare per testes, quod semper a tanto tempore citra quod hominum memoria non erat in contrarium delinquentes, & homicidæ homicidium facientes in territorio Ecclesiæ Aquilejensis, & in Patriarcatu, & se reducentes ad habitandum in dominio, ac jurisdictione, & territorio dictorum Illustrissimorum Dominorum Comitum Goritiæ, & in villis & territoriis per ipsos Dom. Comites infeudatis prout est dominium, & jurisdictio villæ prædictæ Mortegliani, & Lavariani fuerunt & steterunt securi in ipsis territoriis, & dominiis, & jurisdictione ipsorum Dominorum Comitum Goritiæ, & in dicta villa Mortegliani, & quod officiales Dominorum Patriarcarum tales homicidas minime fuerunt soliti capere & si aliquis captus fuit in ipsis territoriis, & dominio Dominorum Comitum Goritiæ relaxati fuerunt quandocunque fuit facta defensio. Quare instíterunt dictus ser Jacominus, & Simon audiri eorum jura, privilegia, & testes, & nihilominus instituerunt declarari ibidem si dictus Simon captus fuit in pertinentiis dictæ villæ, & territorio ipsius villæ Mortegliani. Qui ser Franciscus vir Mariscalcus ibidem dixit, & declaravit fore verum, quod dictus Simon captus fuit in territorio, & pertinentiis dictæ villæ Mortegliani, sed dixit, quod potuit & potest capere homicidas, qui homicidium fecerunt in territorio Ecclesiæ Aquilejensis, & Patriarcatus in quibuscumque locis Patriæ. Super quibus petente dicto ser Francisco a dictis adstantibus, quid juris? sententiatum fuit, quod audiri debeant jura, & probationes dicti ser Jacobini, & Simonis, & etiam ipsius Dom. viri Mariscalchi si aliquid probare volebant. Cujus sententiæ vigore dictus ser Jacominus de Strasoldo ibidem produxit, & legi fecit duo privilegia sigillata sigillis pendentibus Illustrissimorum Dominorum Comitum Goritiæ in effectu continentia quantum ipsi Nobiles de Strasoldo recognoscebant a Dom. Comitibus Goritiæ dominium, garritum, & jurisdictionem dictæ villæ Mortegliani, ac villæ Lavariani. Item produxit in testes nobiles viros ser Nicolaum de Goldoneriis, & ser Nicolaum de Toppo cives Utini, qui mediante debito sacramento eis per me Notarium delato per eorum sacramentum concorditer deposuerunt, & testificati fuerunt ibidem (facta prius interrogatione) quod ab eorum memoria citra quæ erat annorum quadraginta & ultra, sciebant quod Nobb. de Strasoldo exercuerant, & exercebant dominium, garritum, & jurisdictionem in dicta villa Mortegliani, & administraverunt justitiam in civilibus & criminalibus, tanquam vassalli dictorum Dominorum Comitum Goritiæ, prout multoties viderunt pacifice, & quiete. Item dixerunt, quod semper a dicto tempore eorum memoria citra homicidæ homicidium committentes in dominio, & territorio Ecclesiæ Aquilejensis, & se reducentes in territoriis, & jurisdictione Dominorum Comitum Goritiæ ad habitandum, & in dicta villa Mortegliani fuerunt, & steterunt, securi ab officialibus Dominorum Patriarcarum, & quod non sciebant, nec unquam intellexerant, quod DD. Mariscalchi DD. Patriarcarum justitiam fecissent de aliquo homicida capto in territorio, & ju-

& jurisdictione ipsorum Dom. Co. licet homicidium factum fuisset in territorio, & jurisdictione Ecclesiæ Aquilejensis. Imo si aliquis captus fuit, prout publice audiverunt dici; & sic publice dicebatur &c. Quibus privilegiis sic lectis, & auscultatis, ac testibus productis, & auditis. Præfacti ser Jacobinus, & Simon supplicaverunt ipsi Domino viro Mariscalco quatenus proferret per sententiam quid juris esset. Super quibus petente ipso Dom. viro Mariscalco, quid juris? per omnes adstantes fuit sententiatum, & definitum, quod vigore ipsorum privilegiorum ibidem lectorum, ac testium productorum ipse Dominus vir Mariscalcus ipsum Simonem capere non potuit in territorio, & pertinentiis dictæ villæ Mortegliani, cum non sit de jurisdictione, & dominio Ecclesiæ Aquilejensis, & Patriarcatus, sed sit de dominio, & jurisdictione Dominorum Comitum Goritiæ, quod, & quam ipsi Nobiles de Strasoldo in phæudum recognoscunt ab ipsis Dominis Comitibus. Item sententiatum fuit, quod ipse Dominus vir Mariscalcus ipsum Simonem relaxare debeat, & ipsum securum in dicta villa Mortegliani, & ejus pertinentiis, & quod deinceps non possit ipsum Simonem, vel alios homicidas capere in dicta villa, & aliis villis sub dominio, & jurisdictione ipsorum Dominorum Comitum Goritiæ, & ipsorum Dominorum de Strasoldo, quas recognoscerent ab ipsis Dom. Comitibus Goritiæ, qui Dominus vir Mariscalcus eundem Simonem relaxavit liberum, & securum juxta dictam latam sententiam &c.

# DOCUMENTUM V.

*Ex Autographo penes DD. Comorettos.*

ANno Domini 1333. Indictione I. Die 10. Mensis Decembris. Præsentibus Nob. viris Dom. Federico de Pers, Joanne de Vilalta, Volvino de Canussio de Civitate Austriæ, Joanne quondam Blasii Notarii de Glemona, Mattiussio de Alteneto de Glemona, & aliis pluribus dignis fide.

Coram Venerabili viro Domino Guglielmo Vicario, & Decano Aquilegiensis Ecclesiæ comparuit Asquinus qu. Gomoretti de Buja, dicens: Domine, quia Leonardus Arcoleanus de Utino Gastaldio in Buja me contra debitum rationis impignorari fecit, eo quia non vult, quod piscari debeam in aqua, & super aqua Ledre: ideo Dominationi vestræ placeat ordinare mihi, ut esse deberem ad hodiernam diem cum meis probationibus ad testificandum, quod jus haberem &c. Qui Dom. Guigelmus audiens prædicta dixit; quod verum est &c. Et quia est pluribus factis occupatus, ideo dictam quæstionem committit audiendam nob. viro Dom. Federico de Pers præsenti, qui congregatis de Nobilibus de Forojulii dictas probationes audire debeat, & postea petere quid juris inde esse deberet, & sicut sententiatum fuerit executioni mandabitur; Salvo semper jure cujuslibet personæ.

Actum in Castro Glemonæ.

SUb instantibus Anno, Indictione, & die, & præsentibus nobilibus viris Dom. Odorlico de Cucanea, Hectore de Savorgnano Militibus honorabilibus, Joanne de Villalta, Fantino de Cucagna, Vulvino de Civitate Austriæ, Benevenuto de Porcilis, Bortolomeo de Monteregali, Manfredo de Soldaneriis Utini commorante, & aliis pluribus dignis fide ad hæc specialiter congregatis, & vocatis.

Coram nob. viro Dom. Federico de Pers comparuit Asquinus, & Franciscus fratres qu. Gomoretti de Buja supplicantes eidem Dom. Federico, ut ex auctoritate ei commissa per Dom. Vicarium Guigelmum debeat testes suos audire, & diligenter examinare super eo, quod sciunt, quod in aqua Ledræ ipsi, & sui antecessores a sexaginta annis citra piscaverunt pacifice, & quiete sine contradictione alicujus personæ. Qui Dom. Federicus ex auctoritate sibi data infrascriptis testibus dedit sacramentum de veritate dicenda remotis prece, & pretio, damno, & proficuo, quod inde sperarent. Qui testes infrascripti corporaliter ad sancta Dei Evangelia jurarunt super prædictis dicere veritatem, & cavere mendacium. Et primo Marcus qu. Leonardi Barbutini de Buja testis super prædictis productus dixit, quod scit, & recordatur, quod Dom. Asquinus, & Gomorettus ejus filius, & Asquinus, Franciscus fratres semper in aqua Ledræ piscaverunt ubicumque vellent, & quandocumque sine contradictione alicujus personæ; recordatur de quinque Patriarchis, quod nullus Patriarcha, nec eorum Gastaldio eisdem aliquam quæstionem non posuerunt. Item Bonussius qu. Biendonii de Buja testis super prædictis productus juratus, & interrogatus dixit, quod recordatur de quatuor Patriarchis quod semper Dom. Asquinus, & Gomorettus, & filii dicti Gomoretti in aqua Ledræ cum rete de tratta ubicumque, & quandocumque vellent piscare, piscarunt sine contradictione alicujus personæ. Item Dominicus Pettonus testis super prædictis juratus, & interrogatus dixit, quod recordatur a Patriarcha Raimundo citra, quod semper Gomorettus, & filii piscaverunt in aqua Ledræ ubicumque, & quandocumque vellent sine con-

contradictione alicujus personæ. Item Bonassius de Buja testis super prædictis productus juratus, & interrogatus dixit, quod recordatur bene de quadraginta annis, quod semper Dominus Asquinus, Gomorettus, & Filii piscaverunt cum rete de trata ubicumque, & quandocumque vellent in aqua Ledræ sine contradictione alicujus personæ &c. Quibus testibus sic examinatis, & auditis petente prædicto Domino Federico, quid juris inde esset: sententiatum, & definitum extitit per supradictos Nobiles, & alios multos Nobiles circumstantes, quod dicti Asquinus, & Franciscus fratres eorum intentionem bene probaverunt, & legitime, & non debeant removeri ab eorum tenuta, ita quod possint piscare in aqua Ledræ ubicumque, & quandocumque voluerint sine contradictione alicujus personæ, donec dicta eorum tenuta quam probaverunt de piscando extiterit eis accepta coram instituto Dominio sententia mediante. Item sententiaverunt, quod Dominus Vicarius supradictus constringere debeat Leonardum prædictum Gastaldionem Bujæ ad restituendum pignora per ipsum, & ejus Officiales accepta Asquino, & Francisco fratribus prædictis occasione piscationis in aqua Ledræ prædictæ.

Actum in Glemona sub Domo Communis in Platea.

Ego Alexander Brugnus de Glemona filius Domini Bertramini Brugni Imperiali auctoritate Notarii Notarius constitutus iis omnibus interfui, & rogatus scribere scripsi.

# DOCUMENTUM VI.

## *An. 1330. Ex Notis Eusebii de Romagnaco pag. 51.*

SAnctissimo Patri & Domino Reverendo Dom. Johanni Divina providentia Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici Paganus Patr. Aquilegensis cum devotissima recommendatione obedientiæ ac reverentiæ debitum & pedum oscula beatorum. Pro instructione clementiæ vestræ in facto appellationis a me interpositæ ab Episcopo Tergestino (1), quam ad cautelam mitto præsentibus interclusam, cognoscat vestra benignitas, quod adversarii dicti Episcopi comparuerunt coram me super prosecutione cujusdam appellationis alias interjectæ per eos ad Generale Colloquium secundum morem Patriæ, & cum ad eorum instantiam citari fecerim dictum Episcopum, ipse in die termini adversariis suis comparentibus & in causa procedi instanter petentibus non comparuit; licet . . . . Vicarium suum ad judicium transmiserit, qui, prout a fide dignis accepi, sufficiens habebat mandatum a dicto Episcopo. Et quia putabam, quod ipse Vicarius comparuisset legitime ad defensionem Episcopi, eo quod in judicio continue suam exhibebat præsentiam, miratus non modicum & stupore motus ipsum sollicitavi pluries, & induxi, ut dominum suum defenderet. Sed demum nihil profuerunt monita & exhortationes, quia licet se præsentem in omnibus exhibuerit, dominum suum tamen, nescimus quo instinctu, obstinato animo defendere recusaverit, Quare contigit quod instantibus adversariis dicti Episcopi necessario habui procedere, & facta relatione nuncii, qui eum citaverat, coram Paribus Curiæ, quos ad hoc conveneram in unum, & præmissa querimonia dictorum, quæri feci a Paribus, Quid juris. Per quos secundum legem consuetudinis Curiæ, & formam Patriæ latæ fuerunt quædam sententiæ, quales in contumaces fieri consuevit. Et novit Deus, quod non modicum me in stuporem adduxit obmutescentia Vicarii supradicti, & in quantum valui, favere & supportare curavi salva debita honestate justitiæ Episcopum Tergestinum. Et hæc omnia facta fuerunt die Lunæ XVIII. Mens. Decemb. Ind. XII. in Palatio Patriarchali de Utino. Die autem Jovis XXVII. ejusdem Mensis in Aquilegia comparuit coram me Procurator dicti Episcopi interponens appellationem interclusam præsentibus. Et quia expedire putavi, ut pro instructione facti aliqua Sanctitati vestræ describerem, & maxime de consuetudinibus Aquilegen. Ecclesiæ & Patriæ, infrascripta summisi. Habet equidem Ecclesiæ Aquilegensis, & Patriæ consuetudo in temporalibus causis, ut a sententia lata coram Patriarcha ad Colloquium appelletur, ita quod aliter appellatio non recipitur interjecta. Habet etiam Ecclesiæ Aquilegen. & Patriæ consuetudo, ut in temporalibus a Colloquio ad Imperium appelletur, a quo Ecclesia temporalia obtinet. Quod tamen non credo habere locum nunc vacante Imperio, sed si non vacaret, forte haberet locum in præsenti causa, quæ feudalis existit. Habet etiam Ecclesiæ Aquilegen. & Patriæ consuetudo, ut in temporalibus causis a sententia statim absque intervallo aliquo appelletur, adeo quod aliter interjecta appellatio non recipitur. Præsens vero appellatio nedum statim sine intervallo interjecta videtur, immo nec infra decemdium. Præmissæ etiam consuetudines, clemens Pater, ita

(1) Guillelmum produnt acta appellationis.

ita inveteratæ sunt, & in legem apud incolas deductæ, quod videre non possum qualiter possint inverti, aut quomodolibet immutari. Item me movet etiam & vertit in dubium, quod cum sententiæ non a me, cujus est officium a circumstantibus Paribus tantum quærere, nihilque in sententiis ore depromere, qualiter a me, qui nil protuli quod sententiam sapit, & non a dictis Paribus Episcopus duxerit appellandum. Super hoc tamen Sanctitas tua dijudicet ac decernat, quid me facturum fore discutiat, qui humilitatis cervicem Clementiæ semper vestræ jugo subjectum detinens promptus sum & vigil ad quæcumque mandata. Dat. Aquilegiæ V. Jan. Anno Domini MCCCXXX. Indict. XIII.

# DOCUMENTUM VII.

## *Ex Transsumpto Tab. Aq. 1276.*

ANno Domini MCCLXXVI. Indictione quarta, die primo Decembris, in Civitate Austria, in Palatio Patriarchali, præsentibus Dominis Wittmaro de Faganea, Leonardo de Utino, Girardino de Civitate, Thomasio de Cucanea, Conrado de Cronoleto, Bultinico de Ruvignaco, Conrado Bojano, & aliis; comparentibus in judicio Venerabili viro Fratre Bonefacio Abbate Monasterii Bellinienfis ex parte una, & Domino Leonardo de Tricano ex altera, coram Reverendo Patre Domino Raymundo Dei gratia Sanctæ Sedis Aquilegensis Patriarcha, idem Domin. Leonardus proposuit dicens, quod Massarii ejusdem Domini Abbatis residentes in villis dicti Monasterii, in quibus ipse Dominus Leonardus jus copolatici dinoscebatur habere, de mansis non locatis, sive postotis, licet colerentur, sibi copolaticum persolvere denegabant; quare petiit per laudum curiæ sententialiter diffiniri, utrum dicti Massarii tam de mansis locatis, quam de non locatis sive pustotis, integraliter solvere tenerentur, an ne? Unde quærente ipso Domino Patriarcha sententiatum fuit per Conradum Bojanum, & subsequenter per alios, qui præsentes erant, quod in villis, in quibus copolaticum persolvitur, talis ratio, sive consuetudo est hactenus observata; videlicet, quod quilibet Massarius residens cum foco super aliquo manso unum modium, scilicet tria staria annonæ dare pro copolatico consuevit, & debet, & quotquot Massarii fuerint super uno manso cum focis, tenentur & debent pro unoquoque foco unum modium annonæ persolvere, atque dare; & licet unus Massarius habens unicum focum decem mansos, aut plures, vel minus coleret, ipse tantum unum modium annonæ persolvere tenebatur.

Ego Henricus Civitatensis Imp. auct. notarius prædictis interfui, & rogatus scripsi.

# DOCUMENTUM VIII.

## *De Rubeis, Monum. Eccl. Aquil. cap. 75.*

EOdem anno (1), cum D. Henricus de Villalta quæreret a Ven. Patre Domino Gregorio Dei gratia Electo Aquilegensi, ut judicari faceret per laudum Curiæ suæ: quid juris esset, si aliquis qui non esset de natura Militum, neque per patrem, neque per avum, neque proavum; & perveniret ad honorem militiæ propter divitias suas, vel aliter; si posset habere manum feudi, & heredes ipsius possent hereditare feudum? Et quærente ipso Domino Aquilegensi Electo, judicatum fuit per D. Henricum de Villalta: quod si illi, qui acceperat militiam, non contradictum fuit per aliquam partem, vel per Dominum Terræ, tempore receptionis suæ militiæ; quod deberet uti honore militiæ, & hereditare feudum ipse, & heredes sui. Ex alia parte judicatum fuit per D. Cononem de Murucio: quod si cum voluntate Domini Terræ acceperit militiam, debeat ipse & heredes ejus habere manum feudi, & uti honore militari: sin autem, non possit habere manum feudi, nisi vivente illo, de cujus manu feudum accepit, nec uti honore militari ipse, vel heredes ejusdem. Cujus D. Cononis sententia fuit a majori parte Curiæ approbata.

---

(1) Anno scilicet MCCLXVII.

LEX

# LEX BAJUVARIORUM

## *CUM NOTIS COLLECTORIS.*

### INCIPIUNT CAPITULA LEGIS BAJUVARIORUM.



TI-

[a] Lindenbr. Regis.

TITULUS VI.

De nuptiis & operationibus inlicitis prohibendis.

Cap. I. *De nuptiis incestis prohibendis.*
II. *De diebus dominicis.*
III. *Ut liberum sine mortali crimine non liceat inservire.*

TITULUS VII.

De uxoribus & causis quæ sæpe contingunt.

Cap. I. *Si cum uxore alterius quis concubuerit.*
II. *De servis qui hoc commiserint* *.
III. *Si propter libidinem manum injecerit.*
IV. *Si indumenta supra genucula elevaverit.*
V. *De discriminalibus rejectis.*
VI. *De raptu virginum.*
VII. *Si quis viduam rapuerit.*
VIII. *De fornicatione cum libera.*
IX. *Si servus cum libera fornicaverit.*
X. *Si cum libera manumissa fornicaverit.*
XI. *Si cum virgine quæ per manum libera missa est.*
XII. *Si cum ancilla alterius.*
XIII. *Si cum ancilla virgine.*
XIV. *Si uxorem propriam propter invidiam dimiserit.*
XV. *Si sponsatam non acceperit.*
XVI. *Si alterius sponsam rapuerit.*
XVII. *Si promissione feminam fraudaverit.*
XVIII. *De avorso per potionem facto.*
XIX. *Varia de avorso.*
XX. *De diuturna compositione dolore parentum.*
XXI. *De debilitate avorsi.*

TITULUS VIII.

De furto.

Cap. I. *Si liber furtum fecerit.*
II. *Si in publico furaverit.*
III. *Si majorem pecuniam furaverit.*
IV. *Si liberum hominem furaverit.*
V. *Si fur nocturno tempore captus in furto.*
VI. *Si alienum servum furtum suaserit.*
VII. *Si nesciens a fure aliquid comparaverit.*
VIII. *De furto in auro vel aliis speciebus.*
IX. *Si quis occulte alienum animal interfecerit.*
X. *Si casu occiderit alienum animal.*
XI. *De tintinnabulo.*
XII. *De horto.*
XIII. *De furtiva re comparata.*
XIV. *De custodia furtivæ rei.*
XV. *De compositione a latrone accepta.*
XVI. *Ut sacramenta non cito fiant.*
XVII. *De falsa suggestione.*
XVIII. *De accusatione servi alterius*

TITULUS IX.

De incendio domorum & earum compositione.

Cap. I. *De immissione ignis per noctem.*
II. *De scuria liberi.*
III. *De culminum ejectione minorum ædificiorum.*
IV. *De igne immisso & extincto.*
V. *De dissipatione domus.*
VI. *De culmine.*
VII. *De trabibus.*
VIII. *De spangis, quæ parietes continent.*
IX. *De cæteris ædificii sumptibus.*
X. *De curtis dissipatione.*
XI. *De sepe rupta.*
XII. *De signis ob defensionem positis.*
XIII. *De via publica.*
XIV. *De via convicinali.*
XV. *De semita.*
XVI. *De fonte.*

TITULUS X.

De violentia.

Cap. I. *De curte.*
II. *De domo.*

TITULUS XI.

De terminis ruptis.

Cap. I. *De limitibus.*
II. *De limitibus casu motis.*
III. *De contentione terminorum.*
IV. *De novo termino prohibendo.*
V. *De signis non evidentibus.*
VI. *De jacentibus columnis.*
VII. *De materiis non elevatis.*

TITULUS XII.

De pignoribus.

Cap. I. *Ut nemini liceat pignorare.*
II. *De eo qui non vult justitiam facere.*
III. *Si contra legem pignoraverit.*
IV. *Si porcos in pignus tulerit.*
V. *Si oves tulerit in pignus.*
VI. *Si messem vel prata araverit.*
VII. *Si messem maturam furaverit.*
VIII. *Si alterius initiaverit messem.*
IX. *Si servum ad fugiendum suaserit.*

TITULUS XIII.

De vitiatis animalibus & eorum compositione.

Cap. I. *De animalibus vitiatis.*
II. *Qui ea in sepem compulerit.*
III. *Si dominus sepis hoc fecerit.*

IV.

* *De servo adultero.*

# INCIPIT LEX BAJUVARIORUM. (1)

## Titulus I.

De eccleſiaſticis rebus, de libris legis inſtitutionum, quæ ad clerum pertinent, ſeu de Eccleſiarum jure.

### Caput I.

*Ut ſi quis liber Bajuvarius vel quiſcumque alodem ſuam ad Eccleſiam vel quamcunque rem donare voluerit, liberam habeat poteſtatem.*

SI quis liber perſona voluerit & dederit res ſuas ad Eccleſiam pro redemptione animæ ſuæ (2), licentiam habeat de portione ſua, poſtquam cum filiis ſuis partivit. Nullus eum prohibeat, non Rex, non Dux, nec ulla perſona habeat poteſtatem prohibendi ei. Et quicquid donaverit, villas, terram, mancipia, vel aliquam pecuniam, omnia quæcunque donaverit pro redemptione animæ ſuæ, hoc per epiſtolam confirmet propria manu ſua ipſe, & teſtes adhibeat ſex [α] vel amplius. Si voluerit, imponant manus ſuas in epiſtola, & nomina eorum notent [β] ibi quos ipſe rogaverit. Et tunc ipſam [γ] epiſtolam ponat ſuper altare, & ſic tradat ipſam pecuniam coram ſacerdote qui ibidem ſervit. Et poſthæc nullam habeat poteſtatem exinde [δ] nec ipſe nec poſteri ejus, niſi defenſor Eccleſiæ ipſius per beneficium præſtare voluerit ei; ſed apud Epiſcopum defendatur res eccleſiæ, quicquid a chriſtianis ad Eccleſiam Dei datum fuerit.

C A-

[α] Herold. *III.* [β] Lindenbr. *Notentur.* [γ] Herold. *Per ipſam.* [δ] Lindenbr. *Exinde quicquam auferre.*

(1) *Lex Bajuvariorum.*) Sicuti Francorum, atque Alamannorum, ita & Bajuvariorum incerta origo ingeniis eruditorum locum in diverſa abeundi relinquit. Gentem Germanicæ lin-

### CAPUT II.

*De his qui contra legem Ecclesiam fraudare voluerint.*

SI quis aliqua persona [α] contra res Ecclesiæ injuste agere voluerit, vel de rebus Ecclesiæ abstrahere voluerit, sive ille qui dedit, vel de heredibus ejus, aut qualiscunque homo præsumpserit, inprimis incurrat Dei judicium & offensionem sanctæ ecclesiæ, & judici terreno persolvat auri uncias tres, & illas res Ecclesiæ [β] reddat, & alias similes addat Rege cogente vel Principe (3) qui in illa regione judex est.

### CAPUT III.

*De furtis Ecclesiæ, quomodo componantur.*

I. SI quis res Ecclesiæ furaverit, & exinde probatus fuerit, de qualicunque reniungeldos solvat, id est, novem capita restituat. Et si negare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ juret in altari de qua Ecclesia furaverit. De una saiga solus juret. De duabus saigis, vel tribus, & usque ad tremissem (4) cum uno sacramentale [γ] juret. Deinde usque ad quatuor tremisses cum tribus sacramentalibus juret.

II. Et si ampliorem pecuniam furaverit, aut caballum, aut bovem, aut vaccam, vel quicquid plus valet quam quatuor tremisses, et [δ] negare voluerit, tunc cum sex [ε] sacramentalibus juret, et ipse sit [ζ] septimus, in altare coram populo et Presbytero.

III. Si autem de ministerio Ecclesiæ aliquid furaverit, id est, calicem, aut patenam, vel pallam, aut qualemcunque rem de infra Ecclesia furaverit, et probatus fuerit, trimniungeldo [η] solvat, hoc est, ter novem restituat. Et si negare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ juret cum XII. sacramentalibus in ipso altare.

### CAPUT IV.

*De his qui servum Ecclesiæ ad fugiendum suaserint.*

I. SI quis servum ecclesiæ vel ancillam ad fugiendum suaserit, & eos foras terminum duxerit, & exinde probatus fuerit, revocet eum celeriter, & cum quindecim solidis [θ] componat auro adpretiatos, pro qua re præsumpserit hoc facere. Et dum illum revocat, alium mittat in loco pro pignore [ι] donec illum reddat, quem in fuga duxit. Et si non potuerit illum invenire, tunc alium donet similem illi, & quindecim solidos [κ] componat.

II. Ita & de ancilla, secundum quod valet, similiter faciat.

CA-

[α] Desunt in Lindenbr. *Aliqua persona.* [β] Desunt in Herold. *Et judici &c.* usque *Ecclesiæ.*
[γ] Herold. *Commune sacramentale.* Notat tamen in margine, *Cum uno.* [δ] Lindenbr. *Et si.*
[ε] Herold. *Cum III.* [ζ] Herold. *Et ipse erit.* [η] Lindenbr. *Triuniumgelda.* Herold. *Litrim niungeldum;* hic idem tamen alibi, *thrimniungeldum.* [θ] Herold. *XII. solid.* Et ita quoque paullo post.
[ι] Herold. *Pro pignus.* [κ] Herold. *XII. solid.*

linguæ fuisse prodit Paulus Diaconus de Alboino Langobardorum Rege disserens lib. I. cap. 27. *Alboin ita præclarum longe lateque nomen percrebuit, ut hactenus etiam tam apud Bajoariorum gentem, quam & Saxonum, sed & alios ejusdem linguæ homines ejus liberalitas & gloria bellorumque felicitas & virtus in eorum carminibus celebretur.* Eadem igitur erat lingua Langobardorum, Bajoariorum, & Saxonum: & quænam alia quæso, nisi Germanica? Voces item in Baiuvariorum Legibus hodiedum superstites Germanicæ sunt. Porro num populi isti (quorum nomen in remota antiquitate Germanica inauditum) fuerint veterum Bojorum, num vero aliarum gentium filii, disquirant eruditi Germani. Ego libens credo, hoc fuisse nomen fœderatorum societati primo impositum, sicuti *Franci*, atque *Alamanni*. Vide Spenerum Germaniæ antiquæ lib. I. cap. 6. & Germaniæ mediæ cap. 4. *Tempus erat*, ut ejus verbis utar, *quo divino quasi monitu omnes Germaniæ nationes, positis quæ hactenus morata erant victoriarum cursum impedimentis, ad stabiles conspirarunt societates, & oriente & congregata vi fortiores Romanam ubique dejecerunt, & protriverunt dominationem.* Hinc & nova fœderatis nomina, quæ deleverunt gentium antiqua.

(2 pag. 358.) *Pro redemptione animæ suæ.*) *Peccata eleemosynis redimi* quisque Christifidelis novit ex Divina Scriptura. Sed & civilis fuit loquendi formula, qua significabatur redemptio a pœna legibus statuta pro patrato delicto, quæ soluta multa redimebatur. *Redimere dorsum* a flagellis: Pact. Leg. Sal. Tit. XLII. lege 1. *Redimere manum* ab amputatione: Capitular. lib. III. lege 10. *Redimere se* a subeunda nece: Pact. Leg. Sal. Tit. LIII. lege 4. &c. Mos inter Barbaros inoletus ad ecclesiastica transiit. Etenim in Canonibus Pœnitentialibus taxatæ fuerunt pœnitentiæ, sicuti pœnæ pro delictis taxatæ leguntur in legibus civilibus. Et sicut hic definitæ pro pœnis fuerant certæ pecuniariæ compensationes, ita & illic admissæ sunt pro pœnitentiis compensationes definitæ aliis piis operibus, atque inter hæc eleemosynis in pios usus erogandis. Quas qui adimplere distulerat, tandem una larga largitione pensabat. Hinc ortæ formulæ in piis largitionibus passim obviæ: *Pro remissione peccatorum: Pro remedio animæ: Pro redemptione animæ &c.*

(3) *Vel Principe.*) *Id est, Duce, vel Comite.* *Infra Cap. XI. lege 1.* Regis, vel Judicis. *Et lege 2.* Mallet eum ante Regem, vel Ducem. *Duces enim agitasse judicia planum est ex multis locis, tum vero ex Tit. II. hujus legis cap. 10. & ex Cap. XLII. legis Alamannorum.* Hæc Baluzius.

(4) *Usque ad tremissem.*) Hoc est, ad tertiam partem solidi. Vides & inter Bajuvarios, sicuti inter Alamannos, & Ripuarios compensationes factas fuisse solidis argenteis, valentibus denariis XII. Notandum tamen est, quibusdam in locis legis Bajuvariorum mentionem fieri de compositionibus faciendis *solidis auro adpretiatis*, quod quasi per exceptionem a regula generali (& forte ex serius inducto in Austrasia more) intelligendum reor de solidis aureis denariorum XL. more veteri Regni Neustriæ. Vide infra annotata ad Tit. III. cap. 14 lege 3.

### CAPUT V.

*De his qui servum Ecclesiæ sine mortali crimine interemerint.*

SI quis servum Ecclesiæ sine mortali culpa occiderit per præsumptionem, duos similes [α] restituat pro illo quem occidit. Et si negare voluerit, cum duodecim sacramentalibus juret in altare in illa Ecclesia cujus servum occidit.

### CAPUT VI.

*De his qui res Ecclesiæ igne cremaverint.*

I. SI quis res Ecclesiæ igne cremaverit per invidiam more furtivo in nocte, & inventus fuerit, si servus est, tollatur [β] manus ejus & oculi ejus, ut amplius non valeat facere malum. Dominus vero ejus omnia similia restituat, quicquid in illo incendio arserit.

II. Et si liber homo hoc præsumpserit facere, & res Ecclesiæ igne cremaverit, & probatus fuerit, componat hoc secundum legem, id est, in primis donet sexaginta solidos [γ] auro adpretiatos propter præsumptionem, quia talia ausus fuerat facere. Postea omne culmen quod in illo incendio cecidit cum viginti quatuor solidis componat, & quicquid ibi arserit, omnia similia restituat. Et quanti homines ibi intus fuerint, & inlæsi de incendio evaserint, unicuique cum sua hreuuauunti [δ] componat. Et si ibi aliquis læsus fuerit vel mortuus, ac si ipse cum [ε] propria manu fecerit, sic secundum personam uniuscujusque componat. Et si hoc negare voluerit, cum viginti quatuor sacramentalibus nominatis juret in altare evangelio superposito coram defensore Ecclesiæ.

III. Et quisquis de rebus ecclesiæ furtivis probatus fuerit, ad partem fisci pro fredo præbeat fidejussorem, & donet wadium de quadraginta solidis, & tantum solvat quantum judex jusserit; & quantum durius solverit, tantum firmior erit pax Ecclesiæ.

### CAPUT VII.

*De his qui rei sunt, & confugium fecerint ad Ecclesiam.*

I. SI culpabilis aliquis confugium ad Ecclesiam fecerit, nullus eum vi abstrahere ausus sit, postquam januam Ecclesiæ intraverit, donec interpellat Presbyterum Ecclesiæ vel Episcopum.

II. Si presbyter responsum dare [ζ] ausus non [η] fuerit, & si talis culpa est ut dignus sit disciplina, cum consilio sacerdotis hoc faciat, quia ad [θ] Ecclesiam confugium fecit.

III. Nulla sit culpa tam gravis ut vita (1) non concedatur propter timorem Dei & reverentiam sanctorum; quia Dominus dixit: *Qui dimiserit, dimittetur ei. Qui non dimiserit, nec ei dimittetur.*

IV. Si quis autem homo contumax & superbus timorem Dei vel reverentiam Ecclesiarum sanctarum non habuerit, & fugientem servum suum, vel quem persecutus fuerit, de Ecclesia vi abstraxerit, & Deo honorem non dederit, componat ad ipsam ecclesiam quadraginta solidos judice cogente, & pro fredo ad fiscum quadraginta solidos, ut sit honor Deo & reverentia sanctorum, & Ecclesia Dei semper invicta [ι] sit.

### CAPUT VIII.

*De compositione ministrorum Ecclesiæ, quomodo componantur.*

I. SI quis ministros Ecclesiæ, id est, Subdiaconum, Lectorem, Exorcistam, Acolytum, Ostiarium, de istis aliquem injuriaverit, aut percusserit, vel plagaverit, vel occiderit, componat hoc dupliciter sicut solent componi parentes ejus [κ].

II. Illi qui sunt ministri altaris Dei, duplicem compositionem accipiant.

III. Alii autem Clerici componantur sicut parentes eorum.

### CAPUT IX.

*De Monachis.*

MOnachi autem qui secundum regulam in monasterio vivunt, & illi dupliciter componantur secundum genealogiam suam, ut reverentia sit Dei, & pax eis qui illi deserviunt.

### CAPUT X.

*De Presbyteris vel Diaconibus, quomodo componantur.*

I. SI quis Presbytero vel Diacono, quem Episcopus in parochia ordinavit, vel qua-

α Herold. *Propter presumtionem ius simile. &c. XL. vel LX. solid.* β Lindenbr. & Herold. *Tollantur.* γ Herold. *Hrena unia.* δ Herold. *Hrena unia.* ε Herold. *Ac si ipsa.* ζ Lindenbr. *Repræsentare.* η Deest in Herold. *Non.* θ Lindenbr. *Quare ad.* Herold. *Qui ad.* ι Herold. *In tuta*; & in marg. *In tuto.* κ Lindenbr. *Eorum.*

(1) *Ut vita.*) Sanctio Concilii Aurelianensis I. sub Clodovæo I. Rege Francorum: *De homicidis, adulteris, & furibus, si ad Ecclesiam confugiunt, id constituimus observandum, quod Ecclesiastici Canones decreverunt, & Lex Romana constituit, ut ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi eos abstrahere omnino non liceat, sed nec aliter consignari, nisi ad Evangelia datis sacramentis, de morte, debilitate, & omni pœnarum genere sint securi, ita ut ei, cui reus fuerit, criminosus de satisfactione conveniat &c.* Vide quoque inter cætera Capitulare Caroli M. de Partibus Saxoniæ cap. 2. Consule Thomassinum Eccles. Discipl. P. II. Lib. III. c. 97.

qualem plebs (1) sibi recepit ad sacerdotem, quem ecclesiastica sedes probatum habet, injuriam fecerit [α], vel plagaverit, tripliciter eum componat.

II. Si autem Presbyterum occiderit, solvat trecentos solidos auro adpretiatos [β]. Si aurum non habet, donet aliam pecuniam, mancipia, terram, vel quicquid habet, usque dum impleat.

III. Diaconum vero cum ducentis solidis solvat.

IV. Utrosque ad illam Ecclesiam ubi ministri fuerunt, Episcopo requirente, & judice [γ] cogente, qui in illa provincia sunt ordinati [δ].

V. Et pro fredo in publico solvat solidos sexaginta [ε], ut exinde sit reverentia sacerdotum, & honor ecclesiasticus [ζ] non contemnatur [η], neque præsumptio crescat in plebe.

## Caput XI.

### *De solis Episcopis, & illorum interfectione.*

I. Si quis Episcopum, quem constituit Rex (2), vel populus elegit (3) sibi Pontificem, occiderit, solvat eum Regi vel plebi aut parentibus secundum hoc edictum. Fiat tunica plumbea (4) secundum statum ejus, & quod ipsa pensaverit, auri [θ] tantum donet, qui eum occidit. Et si aurum [ι] non habet, donet aliam pecuniam, mancipia, terram, villas, vel quicquid habet, usque dum impleat debitum. Et si non habet tantam pecuniam, se ipsum & uxorem & filios tradat ad Ecclesiam illam in servitium usque dum se redimere possit. Hoc per imperium Regis vel judicis fiat. Et illa pecunia in usu ipsius Ecclesiæ, ubi Pontifex fuit, ibi sit firmata usque in perpetuum.

II. Et si Episcopus contra aliquem culpabilis apparet, non præsumat eum occidere, quia Summus Pontifex est; sed mallet eum ante Regem vel Ducem, aut ante plebem suam.

III. Et si convictus de crimine negare [κ] non possit, tunc secundum canones ei judicetur.

Si talis est culpa ut deponatur, deponatur aut exilietur. De homicidio [λ] (5), de fornicatione, de consensu hostili [μ] (6), si infra provinciam inimicos invitaverit, & eos perdere [ν] voluerit, quos salvare debuerat, pro istis culpis damnetur.

## Caput XII.

### *De sanctimonialibus vel Deo dicatis.*

Si quis sanctimonialem, hoc est, Deo dicatam, de monasterio traxerit, & eam sibi in conjugio duxerit contra legem ecclesiasticam (7), requirat eam [ξ] Episcopus civitatis illius cum consilio Ducis; velit nolit, tamen reddat eam ad illud monasterium unde eam tulit, & componat ad illud monasterium dupliciter sicut solet componere, qui alienam [ο] rapit sponsam. Scimus illum crimini esse obnoxium qui alienam sponsam rapit. Quanto magis ille obnoxius est crimini qui Christi usurpavit sponsam [π]? Et



[α] Lindenbr. *Presbyterum vel diaconum . . . injuria affecerit.* [β] Herold. *Solid. CCC. auro adpretietur.* [γ] Al. *Duce.* [δ] Herold. *Sit ordinatus.* [ε] Herold. *Solid. XL.* [ζ] Al. *Ecclesiæ.* [η] Herold. *Condamnetur.* [θ] Herold. *Pensaverit auro.* [ι] Herold. *Et si autem.* [κ] Lindenbr. *Crimen negare.* [λ] Lindenbr. *Si talis culpa est ut deponatur, aut exilietur, de homicidio &c.* [μ] Herold. *De consensu hostibus.* [ν] Herold. *Prodere.* [ξ] Herold. *Eum.* [ο] Herold. *Alteram.* [π] Herold. *Qui uxorem usurpavit sponsam.*

(1) *Qualem plebs.*) Divisionem Diœcesis, seu territorii in *Plebes* (Italice *Pievi*) non modo in Ecclesiasticis, sed & in civilibus notam eo tunc fuisse inter Barbaros innuit Lex Alamannorum Tit. XLII., ubi memorantur *illi, qui boni testimonii sunt in plebe*; & Tit. LXXXIV. *Ibi præsens sit Comes de plebe illa.* Rector autem *Plebis* Plebanus aut Archipresbyter nuncupatur. Horum autem Rectorum (qui alios minores titulos sub se habebant) electio facta fuisse videtur ad formam quandam electionis Episcoporum, suffragante Clero, assentiente populo *Plebis*. Concilium Ticinense an. DCCCLV. can. 4. *Primum quidem ipsius loci Presbyteri, vel cæteri Clerici idoneum sibi Rectorem eligant; deinde populi, qui ad eam* Plebem *adspicit, sequatur assensus. Si autem in ipsa* Plebe *talis inveniri non potuerit, qui illud opus competenter peragere possit, tunc Episcopus de suis quem idoneum judicaverit, inibi constituat.* Vide Thomassin. P. II. Lib. I. cap. 35.

(2) *Quem constituit Rex.*) *Vides tum consuevisse Reges dare Episcopatus, quod infinitis, ut ita dicam, exemplis probari posset. Habes Titulo II.* (in Capitularibus) *Præceptum Dagoberti Regis de Episcopali dignitate Cadurcæ Urbis conlata Desiderio Thesaurario. Vide Formulas Marculfi.* Baluzius.

(3) *Vel populus elegit.*) *Cum permissu vel consensu Regis, quod confirmatur ex his, quæ infra Tit. II. dicuntur de electione Ducis. Vide Marculfum & Gregorium Turonensem.* Hæc Baluzius. Cui tamen addendum est, electionem Episcoporum ad Clerum & Populum quidem pertinuisse ex vetusto jure communi, Regis vero nominationem locum habuisse per exceptionem a jure communi. Vide quæ erudite disserit Thomassinus P. II. Lib. II. cap. 10. & 13.

(4) *Fiat tunica plumbea.*) Colliges hinc penes Bajuvarios æstimationem capitis Episcopi, quanquam gravissimam, minoris tamen habitam fuisse æstimatione capitis Ducis, cujus cædes luebatur vita, & amissione bonorum. Vide infra Tit. II. cap. 2. & confer dicta ad Legem Alamannorum Tit. XII.

(5) *De homicidio.*) *Puto legis istius latorem respexisse ad Canonem XXV. Apostolicum, in quo prout legebatur in nonnullis editionibus, præcipitur, ut Episcopus, qui in homicidio, fornicatione, aut perjurio, aut furto, captus fuerit, deponatur. Vide quæ de hoc Canone dicta a nobis sunt in notis ad Agobardum, ad Reginonem, & ad Gratianum.* Baluzius.

(6) *De consensu hostili.*) *Illud refertur ad perjurium. Vide notas ad Agobardum.* Baluzius.

(7) *Contra legem ecclesiasticam.*) *Id est Constitutionem Gelasii Papæ, quæ extat in libro I. Capitularium cap. 100.* Baluzius.

Et si noluerit emendare & reddere, expellatur de provincia, dicente Apostolo: *Auferte malum a vobismetipsis*; & iterum: *Tradere* [α] *hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini*.

### Caput XIII.

*De Presbyteris & Diaconibus, ut minime habitent cum mulieribus.*

I. De Presbyteris vel Diaconis & de ecclesiasticis ministris [β], ut nullo Presbytero vel Diacono liceat habere secum in domum [γ] extraneam feminam, ne per illam occasionem decipiatur, & pollutus offerat sacrificium Deo, nec plebs per ejus offensionem corruat, & plagam sustineat.

II. Propterea (1) qui gradu sacerdotali fulciuntur, extranearum mulierum interdicta consortia cognoscant; hac eis tantum facultate concessa, ut matres, filias, atque sorores germanas inter domorum suarum septa contineant. In his enim nihil suspecti (2) criminis [δ] æstimare fœdus naturale permittit [ε]. illas etiam non relinqui castitatis hortatur affectio [ζ].

III. De ceteris causis Presbyteri, Diaconi, vel Clerici ab Episcopis secundum illorum canones judicentur.

### Caput XIV.

*De colonis vel servis Ecclesiæ, qualiter serviant.*

I. De colonis (3) vel servis Ecclesiæ, qualiter serviant, vel qualia tributa reddant, hoc est, agrarium [η] secundum æstimationem judicis, provideat hoc judex; secundum quod habet donet. De triginta modiis tres donet, & pascuarium desolvat secundum usum provinciæ.

II. Andecingas [θ] legitimas, hoc est, perticam [ι] decem pedes habentem, quatuor perticas in transverso, quadraginta in longo, arare, seminare, claudere, colligere, & trahere, & recondere. Pratum arpento [κ] uno claudere, secare, colligere, & trahere. A tremisse unusquisque accola ad duo modia sationis excolligere, seminare, colligere, & recondere debeat [λ]. Et vineas plantando claudere, fodere, propaginare, præcidere, vindemiare.

III. Reddant decimum fascem de lino; de apibus decimum vas, pullos quatuor, ova quindecim reddant [μ].

IV. Parafredos donent, aut ipsi vadant ubi eis injunctum fuerit. Angarias cum carro [ν] faciant usque quinquaginta leugas. amplius non minentur.

V. Ad casas dominicas stabulare [ξ], fœnile, granicam, vel tuninum recuperando [ο], pedituras [π] rationabiles accipiant; & quando necesse fuerit, omnino componant. Calcefurnum ubi prope fuerit, ligna aut petras quinquaginta homines faciant; ubi longe fuerit, centum homines debeant exire [ρ]; & ad civitatem, vel ad villam, ubi necesse fuerit, ipsam calcem trahant.

VI. Servus autem Ecclesiæ secundum possessionem suam reddat tributa. Opera vero tres dies in hebdomada in dominico operetur, tres vero sibi faciat. Si vero dominus ejus dederit ei boves (4) aut alias res quas habet, tantum serviat quantum ei per possibilitatem impositum fuerit. tamen injuste neminem [σ] opprimat.

## Titulus II.

De Ducibus & eorum causis, quæ ad eos pertinent.

### Caput I.

*Si quis de morte Ducis consiliatus fuerit.*

I. Si quis contra Ducem suum, quem Rex ordinavit in provincia illa, aut populus sibi elegerit [τ] (5) Ducem, de morte

[α] Lindenbr. *Tradite*. Herold. *Tradetur a vobis*. [β] Desunt in Herold. *De Presbyteris &c.* usque *ministris*. [γ] Herold. *In domo*. [δ] Al. *Nihil sceleris criminisve*. [ε] Herold. *Permittat*. [ζ] Al. *Probat affectio*. [η] Al. *Angaria*. [θ] Al. *Andecenas*. [ι] Herold. *Pertigam*; & iterum *pertigas*. [κ] Herold. *Carpento*. [λ] Herold. *Aut tremisse . . . adque . . . debeant*. [μ] Herold. *Ova XII*. [ν] Herold. *Cum carra*. [ξ] Herold. *Stabulum*; al. *stabulire*. [ο] Lindenbr. & Herold. *Recuperandum*. [π] Herold. *Petoritas*; in marg. tamen: *pedituras*. [ρ] Al. *Debeant experiri*. Herold. *Expediri*. [σ] Al. *Minime*. [τ] Herold. *Elegit*.

(1) *Propterea.*) *Translata est hæc lex ex libro XVI. Cod. Theodos. Tit. II. lege* 44. Baluzius.

(2) *Suspecti.*) *In Cod. Theodos.* scævi. Baluzius.

(3) *De colonis.*) Inter servos aut colonos Ecclesiasticos in hac lege memoratos, *& servos Ecclesiæ*, de quibus agitur lege 6. quænam intercedat disparitas, dictum est ad Leg. Alamannorum Tit. XXIII.

(4) *Boves.*) Inde colligitur ex servis agrariis, alios bobus instrumentisque a se partis, alios a domino comparatis, domini agros coluisse; atque illos equidem multo meliori præ his conditione habitos fuisse.

(5) *Populus sibi elegerit.*) Germanicis gentibus, quæ sui juris erant, Regum, supremorumque Principum electiones ad generalia comitia gentis spectasse, fuse ab aliis ostensum est. Ast a potentiore subactis, jus quidem separatæ Reipublicæ sæpe relictum est; constituere autem proprium Regem, vel Principem non ita liberum, ut id a dominatore supremo præcipue non dependeret. Theodoricus Wisigothorum Rex subactis Svevis primum quidem Achiulfum Warnum ipse præfecit; at inde illis concessit, *ut sibi de suo genere Principem constituerent*. Jornand. c. 44. Balamber Hunnorum Rex *Gothorum populum subactum possedit, ita tamen ut genti Gothorum semper unus proprius Regulus (quamvis Hunnorum consilio) imperitaret*. Idem c. 48. Bajuvariis in Francorum

te ejus consiliatus fuerit, & exinde probatus negare non potest, in Ducis sit potestate homo ille, & vita illius, & res ejus infiscentur in publico.

II. Et hoc non sit per occasionem factum, sed probata res expediat veritatem [α]; nec sub uno teste, sed sub tribus testibus personis coæqualibus sit probatum [β]. Si autem unus fuerit testis, & ille alter negaverit, tunc Dei accipiant judicium. exeant in campum; & cui Deus dederit victoriam, illi credatur. Et hoc in præsentia populi [γ] fiat, ut per invidiam nullus pereat.

III. Ut nullus Bajuvarius alodem aut vitam sine capitali crimine perdat, id est [δ], si aut [ε] in necem Ducis consiliatus fuerit, aut inimicos in provinciam invitaverit, aut civitatem capere ab extraneis machinaverit, & exinde probatus inventus fuerit, tunc in Ducis sit potestate vita ipsius & omnes res ejus & patrimonium.

IV. Cetera vero quæcunque commiserit peccata, quousque habet substantiam, componat secundum legem.

V. Si vero non habet, ipse se in servitio deprimat, & per singulos menses vel annos quantum lucrare quiverit, persolvat cui deliquit, donec debitum universum restituat.

## CAPUT II.

*Si quis Ducem suum occiderit.*

SI quis Ducem suum occiderit, anima illius pro anima ejus sit. mortem quam intulit recipiat, & res ejus infiscentur in publico in sempiternum.

## CAPUT III.

*Si quis seditionem excitaverit contra Ducem suum.*

I. SI quis seditionem excitaverit contra Ducem suum, quod Bajuvarii carmulum [ζ] dicunt, per quem in primis fuerit levatum, componat Duci sexcentos solidos.

II. Alii homines, qui eum secuti sunt illi similes, & consilium cum ipso habuerunt, unusquisque cum ducentis solidis componat.

III. Minores populi qui eum secuti sunt, & liberi sunt, cum quadraginta solidis componant, ut tale scandalum non nascatur in provincia.

## CAPUT IV.

*Si quis in exercitu scandalum excitaverit.*

I. SI quis in exercitu, quem Rex ordinavit vel Dux de provincia illa, scandalum excitaverit infra proprium hostem [η], & ibi homines mortui fuerint, componat in publico sexcentos solidos.

II. Et quisquis ibi aut percussiones, aut plagas, aut homicidium fecerit, componat sicut in lege habetur, unicuique secundum suam genealogiam.

III. Et ille homo, qui hæc commisit, benignum imputet [θ] Regem vel Ducem suum, si ei vitam concesserint.

IV. De minoribus autem hominibus, si in hoste scandalum commiserint, in Ducis sit potestate, qualem pœnam sustineant.

V. Et ille usus eradicandus est, ut non fiat, Solet enim propter pabula equorum vel propter ligna fieri scandalum, quando aliqui defendere volunt casas vel scurias ubi fœnum vel granum inveniunt. Hoc vetandum est ne fiat. Ut si quis invenerit pabula vel ligna, tollat quantum vult, & nemini vetet tollenti, ut per hoc scandalum non nascatur.

VI. Si quis hoc ausus fuerit facere, aut contradicere aliquid quod lex vetat, ille tunc, si inventus fuerit, coram Duce disciplinæ hostili subjaceat, vel ante Comitem suum quinquaginta gamactas [ι], id est, quinquaginta percussiones accipiat.

## CAPUT V.

*Si quis infra provinciam, ubi Dux exercitum ordinaverit, sine Ducis jussione aliquid prædaverit.*

I. SI quis in exercitu infra provinciam sine jussione Ducis sui per fortiam hostilem aliquid deprædare voluerit, aut fœnum tollere aut granum [κ], vel casas incendere, hoc omnino testamur ne fiat. Et exinde curam habeat Comes in suo comitatu. Ponat enim ordinationem suam super Centuriones & Decanos (1), ut unusquisque provideat



[α] Al. *Et hoc vitetur ne fit per occasionem factum, sed per probatas res expellet veritatem.* Al. *Expectat veritatem.* Herold. *Experietur veritatem.* [β] Desunt in Herold *Sit probatum.* [γ] Lindenbr. & Herold. *In præsenti populo.* [δ] Desunt ista in Herold. [ε] Herold. *Si quis.* [ζ] Al. *Carmulam.* [η] Al. *Propria hoste.* [θ] Herold. *Reputet.* [ι] Ita Lindenbr. Al, desunt in omnibus codicibus Mss. *Quinquaginta gamactas.* Herold. habet simpliciter: *XL. gamactos accipiat.* [κ] Lindenbr. *Agrum.*

rum ditionem redactis ita concessa fuisse videtur proprii Ducis electio, ut hic semper de genere Agilolfingorum esset, (vide infra c. 20. lege 3.) atque ut Francorum regi juris esset, illam propria ordinatione antevertere.

(1) *Centuriones & Decanos.*) De Centenis jam diximus ad Legem Alaman. Tit. XXXVI. Aliam nunc minutiorem divisionem spectamus in *Decanias*, ex quibus decem in origine Centenam conficerent, & quarum singulis Præfectus erat *Decanus*. De Decanis, & Decaniis sermo fit in Legibus Langobardorum, Wisigothorum, Anglosaxonum, & alibi. Apud nos omnium commodissima divisio aliquando fuisse videtur per *decenas*. In Comitiis celebratis Utini anno MCCCXXVIII. sub Patriarcha Pagano, cum de instruendo exercitu ageretur, decretum fuit, quod *impositio peditum juxta decenas fiat, & quod pro qualibet decena duo pedites habeantur, & . . . si unus pro decena* non

deat suos quos regit, ut contra legem non faciant.

II. Et si aliquis præsumptuosus hoc fecerit, a Comite illo sit requirendum cujus homo hoc fecit.

III. Et si ille Comes neglexerit inquirere quis hoc fecit, ille omnia de suis rebus restituat; tamen tempus requirendi habeat.

IV. Et si talis homo potens [α] hoc fecerit, quem ille Comes distringere non potest, tunc dicat Duci suo, & Dux illum distringat secundum legem.

V. Si liber est, quadraginta solidis sit culpabilis, & omnia similia restituat.

VI. Si servus hoc fecerit, capitali subjaceat sententiæ [β]. Dominus vero ejus omnia similia restituat, quia servo suo non contestavit ut talia non faceret. Quia si vosmetipsos comeditis, cito deficietis,

VII. Comes tamen non neglegat custodire exercitum suum, ut non faciant contra legem in provincia sua.

## CAPUT VI.

*Si quis in exercitu aliquid furaverit.*

I. SI quis in exercitu aliquid furaverit, pastoriam, capistrum [γ], frenum, feltrum [δ], vel quæcunque involaverit, & probatus fuerit, si servus est, perdat manus suas [ε]; dominus vero ejus ipsam rem, si habet, aut similem reddat.

II. Si autem liber homo hoc fecerit, cum quadraginta solidis redimat manus suas, & quod tulit reddat.

## CAPUT VII.

*Si quis in utilitate Ducis vel domini sui mortuus fuerit.*

I. SI quis homo in utilitatem domini sui in exercitu, vel ubicunque dominus ejus eum miserit, perrexerit, & ibi mortuus fuerit, & quærit opinionem facere domino suo vel populo suo, heredes ejus nunquam sint dejecti de hereditate ejus, quamvis qualescumque sint; sed Dux eos defendat usque dum ipsi possint.

II. Tunc enim unusquisque non tardat voluntatem domini sui facere quando sperat se exinde munus accipere, si inde vivens evaserit. Et si propter hoc mortuus fuerit, credat quod filii ejus aut filiæ possideant hereditatem ejus nullo inquietante, tunc fidus & promptus implet [ζ] jussionem.

## CAPUT VIII.

*Si quis Regis vel Ducis sui jussione hominem interfecerit.*

I. SI quis hominem per jussionem Regis vel Ducis sui, qui [η] illam provinciam in potestate habet, occiderit, non requiratur ei (1), nec faidosus sit, quia jussio domini sui fuit, & non potuit contradicere jussionem; sed Dux defendat eum & filios ejus pro eo.

II. Et si Dux ille mortuus fuerit, alius Dux qui in loco ejus accedit, defendat eum,

CA-

[α] Deest in Lindenbr. *Potens*. [β] Al. *Crimini*. [γ] Herold. & Lindenbr. *Posterium capistrum*.
[δ] Herold. *Frenum feltri*. [ε] Ita Herold. & Baluz. sed Lindenbr. *Manum suam*.
[ζ] Herold. *Est ut impleat*. [η] Desunt in Herold. *Sui, qui*.

*non sufficeret, duo habeantur*. Chartam ipsam exhibet de Rubeis Monum. Eccl. Aquil. Cap. LXXXVI. in qua populus item per decenas numeratur. Adhuc tractui cuidam superest *decenæ* nomen; & pæne in Patria tota pagorum Præfecti hodiedum appellantur *Decani*. Sed ut verbis utar Taciti de Centenariis loquentis Germ. cap. VI. *quod primo numerus fuit, jam nomen & honor est*.

(1) *Non requiratur ei.*) Neque Regi, neque Duci fas erat hominem pro libito morte multare; imo & Duci expresse interdicitur *liberum sine mortali crimine inservire, vel de sua hæreditate expellere*. Vide infra Tit. VI. c. 3. Lex igitur, ni fallor, agit de iis, qui sontes, & novissima exempla meriti, ex politicis causis secreto judicio, & absque strepitu forensi, morte puniebantur. Neque sub Merowingicis Regibus desunt ejusmodi executionum exempla; uti sunt ea, quæ Childeberto & Guntramno regnantibus, Gregorio Turonensi teste, Hist. lib. VIII. cap. 36. & lib. IX. cap. 9. acta sunt adversus Magnovaldum, & Ranchingum regio jussu trucidatos, thesauris quoque eorum publico ærario infiscatis; adversus Ranchingum, inquam, ex conspirationis causa damnatum, adversus Magnovaldum autem *ex causis occultis; aiebant tamen quidam* (verba sunt Gregorii) *eo quod post mortem fratris diversis plagis conjugem affectam interemisset, & uxorem fratris adjecisset thoro, extitisse causam, qua interimeretur*. Ex quo satis dignoscitur, eo tunc jam secretorum criminalium judiciorum modos neque Francorum regibus, neque populis ignotos fuisse. Res ergo omnino nova non fuere judicia illa Westfalica, quæ Carolo Magno referuntur accepta, & de quibus verba faciunt nonnulli sequioris ævi Scriptores. Quædam de illis referam ex Trithemio libro VI. Polygraphiæ. *Secretos quosdam constituit Inquisitores, quibus judiciariam contulit potestatem: Qui totam Saxoniam peragrantes, de fide & moribus gentis secrete inquirerent diligenter. Et quoscumque reperissent apostatasse a fide, raptores, adulteros, blasphemos, Ecclesiæ aut Sacerdotum ejus, & mandatorum contemptores, seu notoriis criminibus Rempublicam perturbantes, aut populum ad Paganismum revocantes, vel sollicitantes, sine dilatione, Imperiali & Regali authoritate, impune laqueo suspenderent, vel alias, ut possent, necarent*. Itaque jam ab antiquo instituti erant secreti Inquisitores, qui in reos præcipue in causis Religionis & Reipublicæ occulta procedendi via animadverterent, usque ad executionem sententiæ inclusive. Scio, a quibusdam in dubium verti, num Carolus Magnus vere judiciorum Westfalicorum author fuerit; ego vero ante ipsum Carolum ejus generis judiciorum vestigia cerno, & in lege, quæ sub oculis obversatur, & in supra laudatis Regum Merovingicæ stirpis exemplis.

## CAPUT IX.

*De Duce, si protervus & elatus vel superbus atque rebellis fuerit, & decretum Regis contempserit.*

SI quis autem Dux de provincia illa, quem Rex ordinaverit, tam audax aut contumax, aut levitate stimulatus, seu protervus & elatus, vel superbus atque rebellis fuerit, qui decretum Regis contempserit, donatu dignitatis ipsius Ducati [α] careat, etiam & insuper spem [β] supernæ contemplationis (1) sciat se esse condemnatum, & vim salutis amittat.

## CAPUT X.

*De filiis Ducum, si protervi fuerint.*

I. SI quis filius Ducis tam superbus vel stultus fuerit, ut patrem suum dehonestare voluerit per consilium malignorum, vel per fortiam, & regnum ejus auferre ab eo, dum adhuc pater ejus potest judicio contendere, in exercitu ambulare, populum judicare, equum viriliter ascendere, arma sua vivaciter bajulare [γ], non est surdus, nec cœcus, in omnibus jussionem Regis potest implere (2), sciat se ille filius contra legem fecisse, & de hereditate patris sui se esse dejectum, & nihil amplius ad eum pertinere de facultatibus patris sui. & hoc in potestate Regis vel patris sui erit ut exiliet eum, si vult.

II. Nihil aliud habeat in potestatem, nisi quod per misericordiam Rex vel pater ejus dare ei voluerint.

III. Et si supervixerit patrem suum, & alios fratres habuerit, non dent ei portionem, quia contra legem peccavit in patrem suum.

IV. Et si ille solus de heredibus ejus supervixerit patrem suum, in Regis erit potestate; cui vult donet, aut illi, aut alteri.

## CAPUT XI.

*De eo qui scandalum in curte Ducis commiserit.*

I. SI quis curte [δ] Ducis scandalum commiserit, ut ibi pugna fiat per superbiam suam, vel per ebrietatem, quicquid ibi factum fuerit, omnia secundum legem componat, & propter stultitiam suam in publico componat quadraginta solidos.

II. Si servus est alicujus qui hæc commisit, manus perdat.

III. Nullus umquam præsumat in curte Ducis scandalum committere.

## CAPUT XII.

*Ut nullus in campiones sine jussu manus injiciat.*

I. SI quis in curte Ducis, vel ubicunque pugnaverint campiones, manus ad levandum miserit antequam ille jusserit cui commendatum est prævidere, si liber est, quadraginta solidos componat in publico. Si servus, manum suam ibi dextram perdat, aut dominus ejus redimat eam [ε] cum viginti solidis.

II. Vetanda est talis causa unde scandalum solet nasci [ζ].

## CAPUT XIII.

*De his qui in curte Regis [η] aliquid furaverint.*

I. SI quis infra curtem Ducis aliquid involaverit, quia domus Ducis domus publica est, trimniungeldum [θ] componat, hoc est, ter novem donet liber homo. Ser-



α Herold. *Ducatu.* β Herold. *Spe.* γ Lindenbr. *Velociter batalare.* δ Lindenbr. & Herold *Si quis in curte.* ε Herold. *Eum.* ζ Lindenbr. *Nascere.* η Herold. *Ducis.* θ Lindenbr. *Triuniumgeldum.* Herold. *Trinumum.*

(1) *Contemplationis.*) Verba hæc ex Heroldo sic legit Heineccius Elem. Jur. Germ. lib. II. p. 2. art. 134. *Donato dignitatis ipsius Ducatu careat, etiam & insuper spe supernæ contemplationis sciat esse se condemnatum, & viam salutis amittat*. Ex quibus adversus Gundligium infert, Ducem rebellem non modo *donato Ducatu cariturum*, verum etiam *omni spe supernæ contemplationis*, seu vitæ monasticæ, sed capitalem in eum latum iri sententiam, sine spe veniæ. Confirmat id ex Reginone ad annum DCCLXXXVIII. scribente, in Synodo Ingelheimensi Tassilonem Bajuvariorum Ducem violatæ fidei convictum, ab omnibus dijudicatum fuisse ad mortem. *Et cum omnes capitalem sententiam proclamarent, Rex misericordia motus, eo quod consanguineus ejus esset, obtinuit ab ipsis Dei & suis fidelibus, ne moreretur*. Quare Tassilo in monasterium missus est. Feralem ergo sententiam pronunciaverant Synodi Patres *juxta Legem Bajuvariorum*, sed Rex id necessitudini dedit, ut veniam a Patribus impetraret.

(2) *Jussionem Regis potest implere.*) Idem ferme statuitur Lege Alamannorum Tit. XXXV. Quod profecto dignum est animadversione. Nam ex hoc innuitur, aliud obtinuisse, si Dux senio, aut infirmitate præpeditus, regendo populo, administrando bello, & Regis jussis implendis ineptus evasisset. Eo sane casu (electionis, non successionis jure quoad Bajuvariorum Ducem tunc vigente) ex consilio Gentis, ad quam Ducis spectabat electio, ut supra capite primo hujus Tituli observatum est, vivente adhuc patre, unum ex filiis ad Ducatum assumi potuisse reor. Grotius de jure belli & pacis lib. I. cap. 3. art. 11. n. 3. ex exemplis colligit extitisse Barbaros, qui jus imperandi revocabile darent Regibus suis, cum ipsos deponerent populi, quoties displicerent. Idque de Burgundis diserte testatur Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. cap. 5. dicens, Regem eorum ritu veteri removeri, *si sub eo fortuna titubaverit belli, vel segetum copiam negaverit terra*. A fortiori ex hac Bajuvariorum lege colligo, filio fas fuisse ad Ducatum evehi, si pater regendæ provinciæ impar evasisset.

vus vero niungeldo solvat, aut manus perdat.

II. Et si aliquid invenerit in curte Ducis quasi per neglectum [α] jacere, & id tulerit, & super noctem celaverit, furtum [β] reputetur, in publico quindecim [γ] solidos componat.

## Caput XIV.

*De his qui jussionem Ducis contempserint.*

Si quis jussionem Ducis sui contempserit, vel signum quale visus [δ] fuerit Dux transmittere, aut annulum, aut sigillum (1), si neglexerit venire aut facere quod jussum est, quindecim [ε] solidos pro neglecto donet in publico, & sic impleat jussionem.

## Caput XV.

*Ut placita fiant per Kalendas.*

I. Ut placita fiant per Kalendas, aut post quindecim dies [ζ], si necesse est, ad caussas inquirendas, ut sit pax in provincia, & omnes liberi conveniant constitutis diebus ubi judex ordinaverit, & nemo sit ausus contemnere venire ad placitum. Qui infra illum comitatum [η] manent, sive Regis vassi, sive Ducis, omnes ad placitum veniant. Et qui neglexerit venire, damnetur quindecim [θ] solidis.

II. Comes vero secum habeat judicem, qui ibi constitutus est judicare, & librum legis [ι], ut semper rectum judicium judicet de omni caussa quæ componenda sunt.

III. Qui contra legem fecit, componat sicut lex habet, & donet wadium Comiti illo de fredo sic ut lex est.

## Caput XVI.

*Ut judex partem suam accipiat.*

Judex vero partem suam accipiat de caussa quam judicavit. De tribus solidis tremissem accipiat, de sex solidis duos tremisses accipiat, de novem solidis unum solidum accipiat [κ]. De omni compositione semper nonam partem accipiat, dum rectum judicat.

## Caput XVII.

*Qualis judex fieri debeat.*

Judex autem talis ordinetur qui veritatem secundum hoc edictum judicet. Non sit personarum acceptor, neque cupidus pecuniæ. Perit lex cupiditatis amore. Præmia & dona legibus vires tulerunt. Impunita manet male vivendi licentia. Propterea talis constituatur judex qui plus diligat justitiam quam pecuniam.

## Caput XVIII.

*Si judex propter munera injuste judicaverit.*

Judex si accepta pecunia male judicaverit, ille qui injuste aliquid ab eo per sententiam judicantis abstulerit, ablata restituat. Nam judex qui perperam [λ] judicaverit, in duplum ei cui damnum intulerit [μ] cogatur exsolvere, quia ferre sententiam contra legum nostrarum statuta præsumpsit. & in fisco cogatur quadraginta solidos persolvere.

## Caput XIX.

*Si per ignorantiam male judicaverit.*

Si vero nec per gratiam, nec per cupiditatem, sed per errorem injuste judicaverit, judicium ipsius, in quo erraffe cognoscitur, non habeat firmitatem; judex non vocetur ad culpam.

## Caput XX.

*De Ducum genealogia, ut duplum honorem accipiant, & eorum compositione.*

I. De genealogia (2) qui vocantur Huosi, (3) Throzza, Sagana, Hahilingua,

α Lindenbr. *Pro neglecto*. Herold. *Pro neglectum*. β Al. *Pro furto*. γ Herold. *XII*. δ Herold. *Visus*. ε Herold. *XII*. ζ Herold *XII. dies*. η Herold. *Illam communitatem*. θ Herold *XII*. ι Al. *Regis*. κ Herold. sic habet: *De VII. solid. tremissem accipiat de III. solid. ut tremissis accipiat; de IX. solid. I. solidum accipiat*. λ Lindenbr. *Per præmia*. μ *Et damnum, quod intulerat*.

(1) *Signum ... aut annulum, aut sigillum.*) Tria hic memorari videntur signaculorum genera; quæ qua ratione diversa inter se fuerint, videant, qui rei diplomaticæ operam navant. Romana Curia antiquitatum optime tenax in re præsertim beneficiaria tribus signorum generibus hodiedum utitur; etenim chartæ expediuntur, sub *simplici signatura*, sub *annulo* Piscatoris, & sub *sigillo*, seu Bulla. Item & in Curia potentissimi Regis Angliæ, in qua non pauca venerandæ antiquitatis vestigia supersunt, trium signaculorum differentia observatur, quæ inibi appellantur: *Signaculum, Privatum Sigillum, Magnum Sigillum: Signet, Privy Seal, Great Seal.*

(2) *De genealogia.*) Frustra non erat apud Barbaros genealogias retexere, cum ex nobilitate generis æstimatio capitis recenseretur, aliique præclari in Republica, ipsisque familiis utiles gignerentur effectus. Præstantiorum familiarum genealogiæ apud veteres Scriptores occurrunt; quarum quædam longissimæ, & usque ad remotissimas fontes ascendunt. Credo, usum servandarum linearum, seu arborum genealogicarum penes nobiles familias ex hujusmodi Barbarorum institutis facile descendisse.

(3) *Huosi.*) Vides hic familias integras, seu verius *Genealogias*, uno communi nomine vocatas, quod oppido antiquissimi moris est. Inter Ostrogothos eminebat prosapia, seu genus *Amalorum*, inter Wisigothos *Baltharum*, inter Wandalos *Asdingorum*. Jornandes c. V. XXII. XXIX. XXXVIII. In Prologo Legum Langobardicarum

gua, Aennion [α], isti sunt quasi primi post Agilolfingos, qui sunt de genere ducali (1). Illis enim duplum honorem concedimus. Et sic duplam compositionem accipiant.

II. Agilolfingi vero usque ad Ducem [β] in quadruplum componuntur, quia summi Principes sunt inter vos [γ].

III. Dux vero qui præest in populo, ille semper de genere Agilolfingorum fuit, & debet esse; quia sic Reges antecessores nostri concesserunt eis, ut qui [δ] de genere illorum (2) fidelis Regi erat & prudens, ipsum constituerent [ε] Ducem ad regendum populum illum.

IV. Et pro eo quia Dux est, addatur ei major honor quam ceteris parentibus ejus, sic ut tertia pars addatur super hoc quod parentes ejus componuntur. Si vita parentorum [ζ] ejus aufertur, cum sexcentis quadraginta solidis componuntur. Dux vero cum nongentis sexaginta solidis [η] componitur parentibus, aut Regi, si parentes non habuerit.

V. Et secundum hoc edictum alia compositio sequatur, qualiter parentes ejus componi solent. Itaque si Duci aliquid accesserit a coæqualibus suis, sic eum componere debet. Ubi compositio parentum [θ] ejus est in quatuor solidis, Duci vero sex solidis. Ubi illorum in sex solidis, Duci vero in novem. Ubi vero illis dantur duodecim solidi, Duci autem octodecim. Sic semper addatur tertia pars supra in Ducis caussa usque in novissimam quæstionem quæ solet inter homines contingere.

## Titulus III.

De liberis, quomodo componantur.

### Caput I.

*Si quis liberum percusserit per iram.*

I. SI quis liberum per iram percusserit, quod pulislac [ι] vocant, unum solidum donet.

II. Si ei sanguinem fuderit, solidum unum & semis [κ] componat.

III. Si in eum contra legem manus injecerit, quod infanc dicunt, tres solidos donet.

IV. Si in eo venam percusserit, ut sine igne sanguinem stagnare non possit, quod athargrati [λ] dicunt, vel in capite testa appareat, quod gebulskini [μ] vocant, & si os fregerit, & pellem non fregerit, quod palepruft [ν] dicunt, & si talis plaga ei fuerit, quæ tumens sit, si aliquid de istis contigerit, cum sex solidis componat.

V. Si os tulerit [ξ] de plaga de capite, vel de brachio supra cubitum, cum sex solidis [ο] componat.

VI. Si cervella in capite appareat, vel interiora membra plagata fuerint, quod hreuuaunt [π] dicunt, cum duodecim solidis componat.

VII. Si quis eum funibus ligaverit contra legem, duodecim solidos componat.

VIII. Si eum per vim implexaverit, & non ligaverit, quod hropant [ρ] dicunt, cum sex solidis componat.

IX. Si quis libero oculum eruerit, vel pedem [σ] tulerit, cum quadraginta solidis componat.

X.

α Herold. *Huosterez, Zafagana, Hailinga, Ænnion*. Lindenbr. *Hosidra, Ozza, Sagana, Habilingua, Anniena*. β Herold. *Usque ad crucem*. Sed male. γ Herold. *Nos*. δ Herold. *Quia*. ε Herold. *Constituerunt*. ζ Lindenbr. *Parentum*. η Herold. *DCCCCXL. solid.* θ Herold. *Parentorum*. ι Lindenbr. *Pulislac*; al. *bullislach*. κ Lindenbr. *Semissem*. λ Al. *Arcrati*. μ Al. *Gelbukin*; al. *sceppolstein*. ν Herold. *Placpruft*. Al. *pulepruft, balchpruft, pelbruft*. ξ Deest in Herold. *Tulerit*. ο Herold. *III. solid.* π Herold. *Hreuaunt*. Lindenbr. *brefaunnt*. ρ Herold. *Hrobason*. σ Lindenbr. & Herold. *Vel manum, vel pedem*.

---

rum Regis Rotharis memoratur Agimundus ex genere *Cugingi*, seu, ut est apud Paulum Diaconum lib. I. cap. 14. ex prosapia *Gungincorum*, quæ apud Langobardos generosior habebatur: Adoinus ex genere *Gausis*; Cleph ex genere *Beleos*; Agiliup ex genere *Anauvat*; Arioald ex genere *Capui*; Rothar filius Nandigild ex genere *Arodos*. In hac Bajuvariorum lege, præter quinque familias, seu genealogias, quæ hoc loco memorantur, clarescit Ducale genus *Agilolfingorum*. Animadverte eadem nomina, seu vocabula, in integras familias, seu genealogicos ramos derivata. Et quid hæc sunt aliud, quam illa, quæ nos appellamus *familiarum cognomina?* Ut vel hinc pateat, quam antiquus fit ejusmodi *cognominum* usus inter nobiliores præsertim Barbarorum familias, quorum maxime intererat proprii generis servare memoriam.

(1) *De genere ducali.*) Nobilitas generis adeo inter Barbaros in pretio fuit, ut Reges, supremosque Principes ex maxime claro sanguine deligere consuescerent. Hinc sensim evenit, ut nobilissima omnium familia, regio præcipue sanguine clarescens illa foret, ex qua summum Reipublicæ caput seligeretur. Quo ipso aliquid juris capessendo regno, & principatui familiæ ipsi quærebatur. Quo jure augescente, atque regalis majestatis existimatione incrementa in dies acquirente, & jure repræsentationis invalescente, id tandem citius aut serius evenit, ut regna in hæreditariam successionem transirent. Vide Loccenium Antiq. Sveogoth. Lib. II. cap. 1.

(2) *De genere illorum.*) Tacitus Germ. cap. VII. ait, Germanos Regem quidem *ex nobilitate*, Duces vero *ex virtute* sumere consuevisse. Sed penes Bajuvarios *Dux* idem erat ac *Rex*. Bajuvaria, sicuti Alamannia, Francis quidem Merovingicis Regibus tunc obsequebatur; sed hæ spectabantur ut duo separatæ Reipublicæ, ad fidelitatem Francis obligatæ, quod civitatis formam non destruebat. Sic populi ipsi sua comitia, suasque leges habebant, & officium Ducis (qui uti summus Præfectus non modo militaris, sed etiam politicus, & civilis fuisse dignoscitur) idem ac Regis erat. Adde Metting. de Militia Vet. Sect. II. art. 5.

X. Et si talis plaga vel fractura fuerit, ut exinde mancus [α] fit, cum viginti solidis componat.

XI. Si quis alicujus pollicem absciderit, cum duodecim solidis componat.

XII. Et si proximum a pollice vel minimum absciderit, cum novem solidis componat, unum sic, & alium sic.

XIII. Illos medianos duos digitos cum decem solidis componat, unum cum quinque solidis, & alium cum quinque.

XIV. Et si non fuerint abscisi [β], & est mancus, & stat rectus ut non possit plicari, hoc impedimentum est ad arma bajulare [γ], major est compositio [δ] quam de absciso, tertiam partem superaddat. Ad duodecim adde quatuor, fiunt sexdecim, Ad novem adde tria, fiunt duodecim [ε]. Ad quinque adde duo & tremisse, fiunt septem solidi & tremisse. Sic enim [ζ] debes judicare, & sic componere.

XV. Si quis alicui brachium supra cubitum transpunxerit, cum sex solidis componat.

XVI. Si ante cubitum transpunxerit, cum tribus solidis componat.

XVII. Si quis alicui nasum transpunxerit, cum novem solidis componat.

XVIII. Si quis aurem transpunxerit, tres solidos componat.

XIX. Si quis aurem alicui absciderit, cum viginti solidis componat.

XX. Si eum sic plagaverit, ut inde surdus fiat, cum quadraginta solidis componat.

XXI. Si aurem maculaverit, ut exinde turpis appareat, quod lidscarti [η] vocant, cum sex solidis componat.

XXII. Labium subterius similiter componat, & palpebram subteriorem simili modo. Si sic plagaverit ut lacrymam continere non possit, vel subterius labium salivam non contineat, tunc cum sex solidis componat.

XXIII. Superiorem vero palpebram vel superius labium si maculaverit, cum tribus solidis componat.

XXIV. Si quis alicui dentem maxillarem, quem marchzant [θ] vocant, excusserit, cum duodecim solidis componat.

XXV. Alios vero dentes si excusserit, unumquemque cum sex solidis componat.

CAPUT II.

*De in ripa projectis.*

SI quis alium de ripa vel de ponte in aquam impinxerit, quod Bajuvarii inunuant [ι] dicunt, cum duodecim solidis componat.

CAPUT III.

*De ab equo projectis.*

SI quis aliquem de equo suo deposuerit, quod marachfalli [κ] vocant, solidos sex componat.

CAPUT IV.

*De scalis projectis.*

ET si alicui scalam injuste ejecerit [λ], vel quodcunque genus ascensionis, & ille desuper fuerit relictus, quod inunuant dicunt, cum duodecim solidis componat.

CAPUT V.

*De in ignem projectis.*

SImiliter qui in ignem impinxerit, ita ut flamma super caput emineat, cum duodecim solidis componat [μ].

CAPUT VI.

*De sagitta toxicata.*

SI quis cum toxicata sagitta (1) alicui sanguinem fuderit, cum duodecim solidis componat, eo quod inunuan est [ν].

CAPUT VII.

*De potione mortifera.*

SImiliter qui potionem (2) hujusmodi donaverit alicui in quo [ξ] mortiferum esse dinoscitur, quamvis parvum sit, aut multum, si evaserit, cum duodecim solidis componat.

C A-

[α] Herold. *Mancatus.* [β] Lindenbr. *Fuerit abscisus:* Herold. *Abscissa.* [γ] Lindenbr *Batalare.* [δ] Lindenbr. *Majorem compositionem.* [ε] Addit Lindenbr. *Ad VII. adde IV. fiunt XI.* [ζ] Lindenbr. *Eum.* [η] Lindenbr. *Lidiscarti:* al. *lidslasti.* [θ] Lindenbr. *Marchzan.* Al. *Marzan.* [ι] Herold. *In vnuuan.* [κ] Lindenbr. *Marchfalli:* al. *marfalli.* [λ] Herold. *Injecerit.* [μ] Addit Herold. *Eo quod inunuan impinxerit.* [ν] Lindenbr. *In vvuuant.* [ξ] Herold. & Lindenbr. *In qua.*

---

(1) *Cum toxicata sagitta.*) Mos fuit apud veteres veneficis herbis linire sagittas, quæ vel summam cutem tantillum pervadentes necem infligerent vulnerato. Ita apud Greg. Turon. Hist. lib. II. *Franci effudere sagittas inlitas herbarum venenis, ut summæ cuti neque lethalibus inflicta locis vulnera haud dubiæ mortes sequerentur.* Vide Pellouterium *Hist. des Celtes* lib. II. cap. 12. & Bignonium ad leg. Sal. Tit. XIX. Quamquam non semper adeo lethifero veneno imbutas fuisse sagittas, ut *haud dubiæ mortes sequerentur* aut certe adversus ejusmodi toxica non defuisse remedia, constat ex compositione hic decreta, quæ multo major statuta fuisset, si certa mors sequutura foret.

(2) *Potionem.*) Et hæ quidem potiones herbis, aut herbarum succis veneniferæ reddebantur. Pactus Legis Salicæ antiquior Tit. XXII. lege prima: *Si quis alteri herbas dederit bibere ut moriatur* &c. Vide Eccardum ibi.

### CAPUT VIII.

*De hostiliter cinctis.*

I. SI quis liberum hostili manu cinxerit, quod herireita [α] (1) dicunt, id est, cum quadraginta duobus [β] clypeis, & sagittam in curtim projecerit, aut quodcunque telorum [γ] genus, cum quadraginta solidis componat. Duci vero nihilominus.

II. Si autem minus fuerint scuta, veruntamen ita per vim injuste cinxerit, quod heimzuht [δ] vocant, cum duodecim solidis componat.

### CAPUT IX.

*De invitis pro pignore obtentis.*

SI quis liberum contra legem per vim pro pignore tenuerit, aut in domo recluserit hujusmodi ut liberum non habeat egressum, cum quadraginta solidis componat.

### CAPUT X.

*De porcis dispersis.*

SI quis liberi porcos [ε] propter præsumptionem ejulati [ζ] aut hujusmodi sono ejecerit vel disperserit ubi septuaginta fuerint porci, & ipse pastor buccinam portaverit porcilem, cum duodecim solidis componat.

### CAPUT XI.

*De simulatis, quod wancstodal dicunt.*

SI quis liber a facie inimicorum suorum fugerit, & alius eum per vim constare fecerit, aut se [η] contra illum paraverit, interdum inimici illius conjunxerint, & interfecerint, & iste nihil amplius commiserit, nec ipse tetigerit, quod wancstodal [θ] dicunt, cum duodecim solidis componat parentibus suis,

### CAPUT XII.

*De plaga claudicationis.*

SI quis aliquem plagaverit ut exinde claudus fiat, sic ut pes ejus ros tangat, quod taudregil [ι] vocant, cum duodecim solidis componat.

### CAPUT XIII.

*De interfectione liberi hominis.*

I. SI quis liberum hominem occiderit, solvat parentibus suis, si habet; si autem non habet, solvat Duci, vel cui commendatus fuit dum vixit, bis octuaginta solidos [κ], id sunt centum sexaginta.

II. De feminis vero eorum si aliquid de istis actis contigerit, omnia dupliciter componantur. Et quia femina cum armis se defendere nequiverit, duplicem compositionem accipiat.

III. Si autem pugnare voluerit per audaciam cordis sui, sicut vir, non erit duplex compositio ejus [λ]; sed sicut fratres ejus, ita & ipsa recipiat.

### CAPUT XIV.

*De peregrinis transeuntibus viam.*

I. NEmo enim ausus sit inquietare [μ] vel nocere peregrinum [ν]; quia alii propter Deum, alii propter necessitatem discurrunt; tamen una pax omnibus necessaria est.

II. Si autem aliquis tam præsumptuosus fuerit ut peregrinum [ξ] nocere voluerit, & fecerit, aut despoliaverit, vel læserit, vel plagaverit, aut ipsum ligaverit, vel vendiderit, aut occiderit [ο] (2), & exinde probatus fuerit, centum sexaginta solidos in fisco

[α] Al. *Heireita.* [β] Herold. *XL.* [γ] Herold. *Telarum.* [δ] Herold. *Heimzot.* [ε] Lindenbr. *Liber porcos.* [ζ] Lindenbr. *Ejulatu.* Herold. *Hejulatu.* [η] Lindenbr. *Aut si.* [θ] Herold. *Vvanstodal.* [ι] Herold. *Athaudregil.* [κ] Herold. *Bis LXXX. solid. componat.* [λ] Herold. *Sicut vir non timet, duplex compositio ejus non erit.* [μ] Herold. *Peregrinis transeuntibus viam nemo ausus &c.* [ν] Lindenbr. & Herold. *Peregrino.* [ξ] Lindenbr. *Peregrinis.* Herold. *Peregrino.* [ο] Desunt in Herold. *Aut occiderit.*

(1) *Herireita.*) *Lindenbrogius vocem Theotiscam interpretatur* equitatum exercitus, *Spelmannus* catervam militarem, *Eccardus* supellectilem castrensem. *Cangius metu erroris ab interpretatione abstinet, & ignorantiam ingenue fatetur. Qua in re mihi cæteris doctior videtur, quia modestior. Nam* reite *non est equitatus, nec caterva, nec supellex, sed invasio. Quid autem sit* herireita, *&* heimzuht, *ex oppositione utrinsque criminis manifestum est. Nimirum domus cujusque erat instar prætorii, legum vallata munimine, ne quis turbari posset ab invasoribus. Invasio autem erat major, vel minor, pro numero aggressorum. Si quis agmine scutato domum cinxisset numero armatorum XLII. tunc committebat magnam invasionem; si minori numero, minorem. Illa dicebatur* herireita, *hoc est, invasio militaris, ab* her, *exercitus, quia talis numerus censebatur exercitus; hæc* heimzuht, *hoc est, invasio domus, ab* heim, *domus, &* suchen, *infestare.* Hæc Wachterus in Glossario V. *Reite*, & quidem optime. Id enim invaluerat inter Barbaros, ut ex præfinito aggressorum numero *invasio exercitus* censeretur. Apud Anglosaxones reputabatur exercitus, cum aggressores essent plures quam trigintaquinque. Sic enim in Legibus Inæ cap. XII. ex interpretatione Wilkinsii: *Fures appellamus societatem septem hominum; a septem usque ad trigintaquinque, turmam; & deinde esto exercitus.* Apud Langobardos exercitum constituisse videntur homines tantum quatuor. Rotharis lege 19. *Si quis . . . . . manu armata, aut cum exercitu usque ad quatuor homines in vicum intraverit.* In Edda Snorronis Sturlonidæ centenarius numerus *exercitus* dicitur. Vide Ihre Gloss. V. *Hær.* Alibi alius reputabatur numerus; ita tamen ut exercitus definito, & quidem non amplo, hominum numero, constitutus civiliter censeretur.

(2) *Aut occiderit.*) Merito hæc desunt in Heroldina editione, cum de occisione sermo sit lege sequenti.

fisco cogatur exsolvere; & peregrino, si viventem reliquit, omnia injuria quod [α] fecit ei, vel quod tulit, dupliciter componat (1) sicut solet unum de infra provincia componere.

III. Si autem eum occiderit, centum solidos auro adpretiatos (2) cogatur exsolvere. Si parentes desunt, fiscus accipiat, & pro delicto hoc pauperibus tribuat, ut possit is [β] dominum propitium habere, qui dixit: *Peregrinum & advenam non contristabis de suis rebus.*

IV. Si Dux illi concesserit aliquid habere, componat octuaginta solidos.

### Caput XV.

*Si servus liberum furaverit.*

I. SI vero servus liberum furaverit & vendiderit, dominus ejus ligatum præsentet coram judice. In Ducis potestate sit disciplina ejus; aut manus perdat, aut oculos. Sine signo nunquam evadat, quamvis delitiosus sit apud dominum suum.

II. Et si dominus ejus hoc jussit, aut consentiens fuit, superiori sententiæ subjaceat ipse, & illum servum perdat [γ].

### Titulus IV.

De liberis qui per manum dimissi sunt liberi, quomodo componantur.

I. SI quis eum percusserit, quod pulislac vocant, cum dimidio solido [δ] componat.

II. Si ei sanguinem perfuderit, cum novem saigis & semis [ε] componat.

III. Si in eum contra legem manus injecerit, quod infanc dicunt, vel si eum plagaverit, ut propter hoc medicum inquirat, vel [ζ] sic ut in capite testa appareat, vel vena percussa fuerit, cum solido & semis componat.

IV. Si in eum talem plagam fecerit ut exinde os tollatur de capite vel de brachio supra [η], cum tribus solidis componat.

V. Si quis eum percusserit ut cervella ejus appareat [θ], vel interiora membra vulneraverit, quod hreuuauunt [ι] dicunt, vel eum ligaverit contra legem, cum sex solidis componat.

VI. Si quis ei oculum vel manum vel pedem excusserit, cum decem solidis componat.

VII. Si quis alicui pollicem absciderit, cum sex solidis [κ] componat.

VIII. Proximum a pollice & minimum digitum cum solido uno & semis componat.

IX. Et medianos duos cum solido componat.

X. Si quis eum plagaverit, ut exinde claudus permaneat [λ], sic ut pes ejus ros tangat, cum sex solidis componat.

XI. Si eum occiderit, componat eum domino suo cum quadraginta solidis.

### Titulus V.

De servis, quomodo componantur.

I. SI quis servum alienum per iram percusserit, cum tremisse componat.

II. Si sanguinem fuderit, medium solidum donet.

III. Si in eo contra legem infanc fecerit, vel in capite plagam, ut testa appareat, vel vena percussa, vel plaga tumens fuerit, cum uno solido componat.

IV. Si in eo talem plagam fecerit ut exinde fracturas ossium tollat [μ], cum solido & semis componat.

V. Si eum plagaverit ut cervella appareat [ν], vel interiora membra vulneraverit, quod hreuuauunt vocant, & si eum tantum cæderit & turnaverit [ξ] usque dum eum semivivum relinquat, hoc cum quatuor solidis componat.

VI. Si ei oculum vel manum vel pedem absciderit, cum sex solidis [ο] componat.

VII. Si ei pollicem absciderit, cum quatuor solidis componat.

VIII. Et proximum a pollice & minimum cum duobus solidis componat [π].

IX. Et medianos cum uno solido & semis [ρ] componat.

X. Si ei nasum transpunxerit, cum duobus solidis & semis componat.

XI. Si labia subteriora maculaverit, vel aurem vel palpebram subteriorem maculaverit,

[α] Herold. *Omnem injuriam quam.* [β] Deest in Herold. *Is.* [γ] Al. *Redias.* [δ] Lindenbr. *Medio solido.* [ε] Herold. *VI. solid saigis & semis.* [ζ] Deest in Herold *VI.* [η] Herold. *Supra cubitum.* [θ] Lindenbr. *Adpareant.* [ι] Lindenbr. *Hrefauuns*; ita & paulo inf. [κ] Herold. *III. solid.* [λ] Al. *Appareat.* [μ] Herold. *Ut ex ea fractura ossuum tollat* [ν] Lindenbr. *Adpareant.* [ξ] Lindenbr. *Cediderit & turbaverit.* Herold. *Et turnaverit.* [ο] Herold. *III. solid.* [π] In Herold. deest caput VIII. [ρ] Herold. *Et medianis cum I. sol.*

(1) *Dupliciter componat.*) Hinc colliges quam sacrum inter Barbaros esset jus hospitalitatis; quod certe ex antiquis Celtarum institutis profectum erat. *Graviorem pœnam apud Celtas luit qui peregrinum, quam qui civem interemerit.* Nicolaus Damascenus apud Stobæum Serm. 165. Cæsar item de Bello Gallico lib. VI. cap. 22. de Germanis scribit, quod *hospites violare fas non putant; qui quaque de causa ad eos venerunt, ab injuria probibent sanctosque habent, iisque omnium domus patent victusque communicatur.*

(2) *Auro adpretiatos.*) Interfectionem liberi bis octuaginta solidis componendam docet caput XIII. hujus Tituli. Cum vero peregrinus majori multa pensandus esset, ut ex superiori lege constat, consequens est, multam liberi solidis minoribus, sive argenteis, æstimatam fuisse, multam vero peregrini solidis aureis. Quod notandum, ut inspiciatur, ex Bajuvariorum lege compositiones solidis minoribus persolutum iri, exceptis casibus, ubi mentio fit solidorum *auro adpretiatorum*, qui solidi majores, seu aurei censendi sunt.

rit, cum solido & semis componat.

XII. Superiores vero cum uno solido componat.

XIII. Si ei dentem maxillarem excusserit, quem marchzant [α] vocant, cum tribus solidis componat.

XIV. Alios vero cum solido & semis componat.

XV. Si aurem ejus absciderit, cum solido & semis componat.

XVI. Si aurem ejus transpunxerit, cum uno solido componat [β].

XVII. Si eum surdaverit, vel sic eum plagaverit ut claudus permaneat, quod taudregil vocant, & si in aquam impinxerit de ripa vel de ponte, in istis causis semper quatuor solidos componat.

XVIII. Si eum [γ] occiderit, solvat eum domino suo cum viginti solidis.

## Titulus VI.

### De nuptiis & operationibus inlicitis prohibendis.

### Caput I. (1)

*De nuptiis incestis prohibendis.*

I. Nuptias prohibemus incestas. Itaque uxorem habere non liceat socrum, nurum, privignam, novercam, filiam fratris [δ], filiam sororis, fratris uxorem, uxoris sororem. Filii fratrum, filii sororum inter se nulla præsumptione jungantur [ε].

II. Si quis contra hæc fecerit, a loci judicibus separetur, & omnes facultates amittat [ζ], quas fiscus adquirat.

III. Si minores personæ sunt quæ [η] se inlicita conjunctione polluerunt, careant libertate, servis fiscalibus adgregentur.

### Caput II.

*De diebus dominicis.*

I. Si quis die dominico operam servilem fecerit liber homo, id est, si boves junxerit, & cum carro ambulaverit, dextrum bovem perdat.

II. Si autem sepem clauserit (2), fœnum secaverit, aut messem secaverit vel collegerit [θ], vel aliquod opus servile fecerit die dominico, corripiatur semel vel bis. Et si non emendaverit, rumpatur dorsus ejus quinquaginta percussionibus. Et si iterum præsumpserit operare die dominico, auferatur de rebus ejus tertia pars. Et si nec sic cessaverit, tunc perdat libertatem suam, & sit servus qui noluit in die sancto [ι] esse liber.

III. Servus autem pro tali crimine vapuletur. Et si non emendaverit, manum dextram perdat. Quia talis causa vetanda est, quæ Deum [κ] ad iracundiam provocat, & exinde flagellamur in frugibus, & penuriam patimur.

IV. Et hoc vetandum est in die dominico [λ], ut quamvis in itinere positus cum carro [μ], vel cum nave, pauset die dominico usque in secundam feriam.

V. Et si noluerit custodire præceptum Domini, quia Dominus dixit: *Nullum opus servile facias in die sancto, neque tu, neque servus tuus, neque ancilla tua, neque bos tuus, neque asinus tuus, neque ullus subjectorum tuorum.* Et qui [ν] hoc in itinere vel ubicunque observare neglexerit, cum duodecim solidis condemnetur.

### Caput III.

*Ut liberum sine mortali crimine non liceat inservire.*

I. Ut nullum liberum sine mortali crimine liceat inservire, nec de hereditate sua expellere: sed liberi qui justis legibus deserviunt, sine impedimento hereditates suas possideant. Quamvis pauper sit, tamen libertatem suam non perdat, nec hereditatem suam. Nisi ex spontanea voluntate alicui [ξ] tradere voluerit, hoc potestatem habeat faciendi.

II. Qui contra hoc præceptum fecerit, sive Dux, sive judex, sive aliqua persona, agnoscat se contra legem fecisse, quadraginta solidis [ο] sit culpabilis in publico, & liberum quem servitio oppresserit, vel hereditа-

[α] Ita Herold. & Baluz. Sed Lindenbr. *Marchzan*. [β] In Herold. deest Caput XVI. [γ] Lindenbr. *Si autem eum*. [δ] Desunt in Herold. *Filiam fratris*. [ε] Herold. *Intra se . . . ligantur*. [ζ] Herold. *Separentur . . . amittant*. [η] Herold. *Quia*. [θ] Herold. *Si autem siccaverit fœnum, vel collegerit, aut messem siccaverit &c.* [ι] Herold. *Qui voluit in die secundo*. [κ] Lindenbr. *Dominum*. [λ] Heroldina annectit ista præcedenti cap. [μ] Herold. *Carra*. [ν] Herold. *Et quia*. [ξ] Herold. *Se alicui*. [ο] Herold. *LX. solid.*

(1) *Caput I.*) Caput hoc iisdem pæne verbis descriptum est Titulo XXXIX. Legis Alamannorum.

(2) *Si autem sepem clauserit* &c.) Quæ opera licite exerceri possent die Dominico, quæve non, arbitror ex Conciliorum Canonibus, Sanctorumque Patrum dictis desumptum esse, vel saltem a Præsulibus, qui Comitiis intererant, constitutum, Francorum recepto more, ut Ecclesiastici sacra, laici civilia tractarent; eaque in Leges civiles transiisse, ut eorundem statutorum inobservantia civili quoque authoritate, civilibusque pœnis facilius comprimeretur. Certe ejus generis lex, quæ habetur Capitularium libro I. cap. 7. a Burchardo & Ivone refertur *ex Concilio apud S. Medardum præsente Karolo Imperatore cap. 5. & ex Concilio apud Compendium cap. 6.* Vide ibi Baluzium. Item in præceptione Regis Guntramni anni DLXXXV. *de observando die Dominico & aliis*, hæc subinde leguntur: *Cuncta ergo, quæ hujus Edicti tenore decrevimus, perpetualiter volumus custodiri; quia in sancta Synodo Matisconensi hæc omnia, sicut nostis, studuimus definire, quæ præsenti auctoritate vulgamus.*

ditatem tulit, ad pristinam libertatem restituat, & res ejus reddat, quas injuste abstulit, & alias similes restituat, & cum quadraginta solidis componat illi homini quem [α] contra legem inservivit.

### TITULUS VII.

De uxoribus & causis quæ sæpe contingunt.

#### CAPUT I.

*Si cum uxore alterius quis concubuerit.*

I. SI quis cum uxore alterius concubuerit libera, componat hoc marito ejus cum suo weregildo, id est, centum sexaginta solidos (1).

II. Et si in lecto cum illa interfectus fuerit, pro ipsa compositione quam debuit solvere marito ejus, in suo scelere jaceat sine vindicta (2).

III. Et si in lecto calcaverit uno pede, & prohibetur a muliere, & amplius nihil fecerit, cum duodecim solidis componat, eo quod injuste in extraneum calcavit thorum.

#### CAPUT II.

*De servis qui hoc commiserint [β].*

I. SI servus hoc fecerit, & interfectus cum libera in extraneo fuerit thoro, viginti solidis in suo damno minuetur ipsius conjugis weregildus.

II. Cetera vero quæ remanent dominus ejus cogatur solvere, usque dum repletus fuerit numerus sceleris [γ] compositionis.

III. Et si ille servus evaserit, & interfectus non fuerit, sed tamen crimine devictus, dominus ejus reddat eum illi cujus uxorem maculavit, pro viginti solidis.

IV. Cetera vero omnia perimpleat [δ], pro eo quod servo suo disciplinam minime imposuit.

#### CAPUT III.

*Si propter libidinem manum injecerit.*

SI quis propter libidinem liberæ manum injecerit, aut virgini seu uxori alterius, quod Bajuvarii horcrist [ε] vocant, cum sex solidis componat.

#### CAPUT IV.

*Si indumenta supra genucula elevaverit.*

SI indumenta super genucula elevaverit, quod himilzorun vocant, cum duodecim solidis componat.

#### CAPUT V.

*De discriminalibus rejectis.*

SI autem discriminalia ejecerit de capite, quod waluurst [ζ] (3) dicunt, vel virgini libidinose crines de capite extraxerit, cum duodecim solidis componat.

#### CAPUT VI.

*De raptu virginum.*

SI quis virginem rapuerit contra ipsius voluntatem & parentum ejus, cum quadraginta solidis componat, & alios quadraginta cogatur in fisco.

#### CAPUT VII.

*Si quis viduam rapuerit.*

SI autem viduam rapuerit, quæ coacta ex tecto egreditur propter orphanorum & propriæ penuriæ rebus [η], cum octuaginta solidis componat, & sexaginta cogatur in fisco: quia vetanda est talis præsumptio, & ejus defensio in Deo & in Duce atque in judicibus debet consistere.

#### CAPUT VIII.

*De fornicatione cum libera.*

SI quis cum libera cum consensu [θ] ipsius fornicaverit, & nolit [ι] eam in conjugium

[α] Herold. *Qui.* [β] Lindenbr. *De servo adultero.* [γ] Herold. *Scelerata.* [δ] Herold. & Lindenbr. *Per omnia impleat.* [ε] Herold. *Hortchriffe.* Lindenbr. *Horgrift*; al. *Horchrift*; al. *Horuncrift*; al. *Hoorstret.* [ζ] Herold *Valtuurfo*; Lindenbr. *Vvultuvorf*; al. *vualuuefe.* [η] Lindenbr. *Orphanorum & pro penuria rebus.* Herold. *Propter orfanorum & propriam penuriam rerum.* [θ] Herold. *Per consensum.* [ι] Lindenbr. *Nollet.*

(1) *Centum sexaginta solidos.*) Sunt qui leges ejusmodi cachinnis excipiunt, turpem clamitantes solutionem pecuniæ ab adultero irrogandam marito; ut adultero luente flagitium, maritus passus injuriam, in novum probrum incidat, puta in lenocinium. Sed scite respondet Cl. Heineccius in Præfatione Elem. Jur. Germ. *non tam subtiles fuisse Germanos, ut in lenocinium incidere existimarent pœnam pecuniariam marito injuriam passo adplicandam. Leno est, qui dolo malo fœminas prostituit, & quæstuaria habet corpora. Cui vero pecunia in pœnam solvitur, is non magis venalem habere uxorem dici potest, quam is venales habet alapas & pugnos, qui ex Juris Romani principiis certa pecunia æstimat has injurias.* Hæc ille. Ego vero non diffitear ejusmodi compositionem nostris quidem inspectis moribus vilem habitum iri, sed non item ex Barbarorum institutis, ex quibus omnia ferme delicta privata, atque publica pecuniis, ac facultatibus redimi consueverant.

(2) *Jaceat sine vindicta.*) Hoc est, homicida nec weregeldum interfecti propinquis solvere teneatur, nec privatæ ipsorum vindictæ obnoxius habeatur.

(3) *Waluurst.*) Sive *Walaworf*; *ejectio discriminalium de capite virginis* . . . *Lindenbrogius* wala *interpretatur caput, invita lege, in qua certe non de capite, quod nullo modo ejici potest, sed de ejectione discerniculi agitur.* Wachter. V. *Wurf.*

gium sociare, cum duodecim solidis componat: quia nondum sponsata [α], nec a parentibus sociata, sed in sua libidine maculata.

### Caput IX.

*Si servus cum libera fornicaverit.*

SI servus cum libera fornicaverit, & hoc repertum fuerit, ille cujus servus est reddat illum parentibus ejus ad pœnam quam meruit luendam, vel ad interficiendum, & amplius nihil cogatur exsolvere: quia talis præsumptio excitat inimicitias in populo.

### Caput X.

*Si cum libera manumissa fornicaverit.*

SI cum manumissa, quam Frilazin vocant, & maritum habet, concubuerit, cum quadraginta solidis [β] componat parentibus suis, vel domino vel marito ejus.

### Caput XI.

*Si cum virgine quæ per manum libera missa est.*

SI quis cum virgine quæ dimissa est libera concubuerit, cum octo solidis componat parentibus vel domino.

### Caput XII.

*Si cum ancilla alterius.*

SI quis cum ancilla alterius maritata concubuerit, cum viginti solidis componat domino [γ].

### Caput XIII.

*Si cum ancilla virgine.*

SI quis cum ancilla virgine concubuerit, cum quatuor solidis [δ] componat.

### Caput XIV.

*Si uxorem propriam propter invidiam dimiserit.*

I. SI quis liber liberam uxorem suam sine aliquo vitio per invidiam dimiserit, cum quadraginta & octo solidis [ε] componat parentibus.

II. Mulieri autem dotem suam secundum genealogiam suam solvat legitime. Et quicquid illa de rebus parentum ibi adduxit, omnia reddantur mulieri illi (1).

### Caput XV.

*Si sponsatam non acceperit.*

SI quis liber, postquam sponsaverit alicujus filiam liberam legitime, sicut lex est, & [ζ] eam dimiserit, & contra legem aliam duxerit, cum viginti quatuor solidis componat parentibus, & cum duodecim sacramentalibus juret de suo genere nominatis ut non per invidiam parentum ejus nec per ullum crimen eam dimisisset, sed propter amorem alterius alteram duxerit, & sit finitum inter illos, & postea filiam suam donet cui vult.

### Caput XVI.

*Si alterius sponsam rapuerit.*

SI quis sponsam alicujus rapuerit, vel per suasionem sibi eam duxerit uxorem, ipsam reddat, & componat bis octuaginta solidos, hoc est, centum sexaginta.

### Caput XVII.

*Si promissione feminam fraudaverit.*

SI quis liberam feminam suaserit quasi ad conjugem, & in via eam dimiserit, quod Bajuvarii wancluga [η] vocant, cum duodecim solidis componat.

### Caput XVIII.

*De avorso per potionem facto.*

SI qua mulier alii [θ] potionem dederit ut avorsum faceret, si ancilla est, ducenta flagella suscipiat, & si ingenua, careat libertate, servitio deputanda [ι] cui Dux jusserit.

### Caput XIX.

*Varia de avorso.*

I. SI quis mulieri ictu quolibet avorsum fecerit, si mulier mortua fuerit, tanquam homicida teneatur.

II. Si autem tantum partus extinguitur, & si



α Herold. *Spontanea.* β Herold. *XII. solid.* γ Lindenbr. *Cum IIII. solid. componat.* δ Lindenbr. *Cum III. sol.* ε Herold. *XL. solid.* ζ Deest in Lindenbr. *Et.* η Herold. *Vuanclugi.* Al. *Vuaebsitdac; Vuaebslodat.* θ Herold. *Si quis mulieri.* ι Herold. *Careat liber libertate, servitio deputatus.*

(1) *Mulieri illi.*) Binas hasce leges perpendenti videtur potuisse virum *absque ullo uxoris vitio, & per invidiam* uxorem ipsam dimittere, dummodo multam solveret lege statutam. Quin & priore dimissa conjuge ad alias transire nuptias non legitur interdictum. Consule dicta ad Legem Alamannorum Tit. LI. At vero quod civilibus pœnis non satis coercebatur, Ecclesiasticis censuris cohibitum est. Capitularium lib. VII. c. 305. *Hi vero saeculares, qui conjugale consortium absque culpa graviore dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt, ut aut inlicita, aut aliena præsumant, si antequam apud Episcopos Comprovinciales dissidii causas dixerint, & priusquam uxores judicio damnentur, abjecerint, a communione Ecclesiæ, & sancto populi cœtu, pro eo quod fidem & conjugium maculant, excludantur.*

& si adhuc partus vivus non fuerit, viginti solidos componat.

III. Si autem vivens (1) fuit, weregildum [α] persolvat quinquaginta & tribus solidis & tremisse.

IV. Si avorsum fecerit, in primis duodecim solidos cogatur exsolvere; deinde ipse & posteri sui per singulos annos, id est, autumnos (2), singulos solidos solvant [β] usque in septimam propinquitatem de patre in filios.

V. Et si neglectum unius anni fecerint, tunc iterum duodecim solidos solvere cogantur, & deinceps ordine præfato, donec series rationabilis impleatur.

### Caput XX.

*De diuturna compositione dolore parentum.*

Propterea diuturnam judicaverunt antecessores nostri compositionem & judices, postquam [γ] religio Christianitatis inolevit in mundo. Quia diuturnam, postquam incarnationem [δ] suscepit anima, quamvis ad nativitatis lucem minime pervenisset, patitur pœnam; quia sine sacramento regenerationis (3) abortivo modo tradita est ad inferos.

### Caput XXI.

*De debilitate avorsi.*

I. Si vero ancilla a quacunque [ε] persona debilitata fuerit ut avorsum faceret, si adhuc vivus non fuit, cum quatuor solidis componat.

II. Si autem jam vivus, decem solidos componat. Ancillæ domino reformentur [ζ].

### Titulus VIII.

De Furto.

### Caput I.

*Si liber furtum fecerit.*

Si quis liber aliquid furaverit, qualemcunque rem, niungeldo componat, hoc est, novem capitalia restituat.

### Caput II.

*Si quis in publico furaverit.*

I. Et si in Ecclesia, vel [η] infra curtem Ducis, vel in fabrica, vel in molino [η] aliquid furaverit, ter niungeldum [θ] componat, hoc est, ter novem reddat; quia istæ quatuor domus casæ publicæ sunt, & semper patentes (4).

II. Et si negare voluerit, secundum qualitatem pecuniæ juret.

III. Si unam saigam, id est, tres denarios [ι], furaverit, solus juret secundum legem nostram.

IV. Si duos saigas, hoc est, sex denarios, vel amplius usque ad unum solidum, quod sunt tres tremisses, cum sacramentali uno juret.

V. Et si amplius quam solidum sive tres denarios vel plus [κ] usque ad quinque solidos furaverit, cum sacramentalibus sex juret.

VI. Si bovem domitum vel vaccam mulsam, id est, lactantem, furaverit, cum sex sacramentalibus juret, vel duo campiones pugnent; & sortiant [λ] de illis cui Deus fortiam [μ] dederit.

C A-

[α] Herold. *Vuirgilt.* [β] Deest in Lindenbr. *Solvant.* [γ] Herold. *Quam primum.* [δ] Al. *Carnem.* [ε] Herold. *Aut quacunque.* [ζ] Herold. *X. solid. ancillæ domino reformentur.* [η] Lindenbr. *Vel infra basilicam vel in mulino.* [θ] Lindenbr. *Triniungeldo.* Herold. *Thrimniungeldo.* [ι] Desunt in Herold. *Id est tres, denarios.* Item capite sequenti: *Hoc est, seu denarios.* [κ] Deest in Herold. *Plus.* [λ] Lindenbr. *Sortiatur.* [μ] Lindenbr. *Fortiter.* Herold. *Fortiorem.*

(1) *Vivens.*) Animadverte distinctionem inter fœtum *animatum*, & *inanimatum*.

(2) *Id est, autumnos.*) Vides *Autumnum* sumi pro integro anno. Testatur equidem Tacitus Germ. cap. XXVI. antiquos Germanos *autumni nomen perinde ac bona ignoraſſe*. At vero quod apud Romanos *Autumni*, apud Germanos *Messis* nomine donabatur. In Legibus Anglosaxonicis Ælfredi XXXIX. *En bærfæste fullan wucan*; h. e. *In Autumno plena septimana*. Porro *harvest*, vox indigitandæ autumnali tempestati quondam usurpata, hodiedum apud Anglos *messem* significat. Haud absimili vocabulo Autumnus dictus fuit Germanis *herbst*, Francis *herbist*, Belgis *herfst*, procul dubio ex primaria *messis* significatione. *Per hyemes* autem, vel *per messes* integros annos numerasse Barbaros certum est; adeo ut ex. gr. *quinque anni* ab illis *quinque messes* nuncuparentur. Et per *autumnos* quidem sive per *messes* (de quibus nunc sermo est) *annos* intellectos fuisse, docet Cl. Ihre Gloss. V. *Ar*, quæ proprie messem denotat, & refertur ad integrum annum. Inde exortæ juxta varia dialecta voces *jer*, *jar*, *year* &c. quibus annus designatur. Neque aliunde sumpsisse videtur originem Hispanica vox *æra* a Gothis disseminata, ut optime censet laudatus Glossographus.

(3) *Quia sine sacramento regenerationis* &c.) Hinc patet, Legislatoribus extra omnem dubitationis aleam positum fuisse, non modo baptismum infantibus necessarium esse ad salutem, sed etiam nondum natorum sine baptismo decedentium *animam traditam esse ad inferos, pœnam passuram*; quo indigitari videtur illa, quæ *pœna sensus* a nostratibus appellatur. Notatu autem digna est pro diuturna pœna infantis diuturna compositio a sceleris auctore reddenda parentibus, ut perpetrato delicto multa penalis aliquo modo respondeat.

(4) *Semper patentes.*) Elegans ratio, qua molendina ipsa sancta haberentur, graviusque puniretur, qui securitatem ibi violaret. Quod & adhuc quibusdam observatum esse ait Heineccius Elem. Jur. Germ. lib. II. p. 2. art. 45. Haud dubie & publica diversoria pari saltem sanctitate gaudere Legislatores decrevissent, si ea tunc in usu fuissent.

### CAPUT III.

*Si majorem pecuniam furaverit.*

ET si majorem pecuniam furaverit, hoc est, duodecim solidos valentem vel amplius, aut equum totidem pretii [α], vel mancipium, & negare voluerit, cum duodecim sacramentalibus juret de lite sua, vel duo campiones propter hoc pugnent.

### CAPUT IV.

*Si liberum hominem furaverit.*

I. SI quis liber liberum hominem furaverit & vendiderit, & exinde probatus fuerit, reducat eum, & libertati restituat, & cum octuaginta solidis componat eum; in publico vero quadraginta solidos solvat propter præsumtionem quam fecit.

II. Et si eum revocare non potuerit, tunc ipse fur perdat libertatem suam pro eo quod conlibertum suum servitio tradidit, si solvere non valet weregildum [β] parentibus, & amplius non requiratur.

### CAPUT V.

*Si fur nocturno tempore captus in furto.*

FUr nocturno tempore captus in furto, dum res furtivas secum portat, si fuerit occisus, nulla ex hoc homicidii querela nascatur.

### CAPUT VI.

*Si alienum servum in furtum suaserit.*

SI quis alienum servum ad furtum suaserit aut aliquid damnosum in fraudem domini sui, ut posset accusare eum, & fraus ipsa fuerit detecta per investigationem judicis, dominus nec servum perdat, nec aliquid damni pro [γ] compositione patiatur; sed ille cujus conludione crimen admissum est, tanquam fur damnetur, in novicuplum compositionem [δ] cogatur exsolvere. Servus vero quod tulit reddat, & insuper ducentos ictus flagellorum extensus (1) publice accipiat.

### CAPUT VII.

*Si nesciens de fure [ε] aliquid comparaverit.*

I. SI quis de fure nesciens comparavit, requirat accepto spatio venditorem.

II. Quem si non potuerit invenire, probet se cum sacramento & testibus innocentem, & quod apud eum cognoscitur, ex medietate restituat, & furem quærere non desistat.

III. Quod si furem celare voluerit perjurans, & postea detectus inventus fuerit, tamquam ille fur, ita in crimine damnetur.

### CAPUT VIII.

*De furto in auro vel aliis speciebus.*

SI quis aurum, argentum, jumenta, vel pecora, aut quascunque res usque ad soldos decem vel amplius furaverit, & exinde probatus fuerit, tunc fur comprehensus judici tradatur, & secundum legem vindictæ subjaceat, aut ei [ζ] qui perdidit in simplo componat. Veruntamen non prius damnetur ad mortem [η] (2) quam vel simplum de facultatibus furis componatur [θ].

### CAPUT IX.

*Si quis occulte alienum animal interfecerit.*

SI quis occulte in nocte vel in die alienum caballum aut bovem aut aliquod animal occiderit, & negaverit, & postea exinde probatus fuerit, tamquam furtivum componat.

### CAPUT X.

*Si casu occiderit alienum animal.*

SI quis autem non volens casu faciente occiderit alienum animal, & non negaverit, consimile dare non tardet, & cadaver mortuum accipiat.

### CAPUT XI.

*De tintinnabulo.*

I. SI quis tintinnabulum (3) furaverit de ca-



[α] Herold. *Major pecunia furata fuerit . . . equus tanti pretii.* [β] Herold. *Vueregelt.* [γ] Herold. *Præ.* [δ] Herold. *In novicuplam & compositionem.* [ε] Lindenbr. *A fure;* sic & paulo post. [ζ] Herold. *Ut ei.* [η] Herold. *Mortis pœnam.* [θ] Lindenbr. *Simplex de facultatibus prius componat.* Herold. *Furis componat.*

(1) *Extensus.*) Vide, quæ Cl. Eccardus de hac pœna differuit ad Pactum Legis Salicæ Tit. XLIII. lege I.

(2) *Ad mortem.*) Supra Tit. II. cap. 1. lege 3. expresse præscriptum est, *ut nullus Bajuvariorum alodem, aut vitam sine capitali crimine perdat*, hoc est, ex tribus criminibus ibidem memoratis, inter quæ non recensetur furtum. Hic tamen cernimus & furta morte multata fuisse. Et quidem non una Barbarorum lege furta majora morte luebantur, cum tamen homicidia multa pecuniaria componerentur. Vide Heineccium Elem. Jur. Germ. lib. II. p. 2. art. 43. & seqq. Quod non nisi gravibus de causis constitutum fuisse, inficias ibit nemo; quamvis illas plene assequi non valeamus. Unam ego ex antiquis gentium institutis repetam; ut scilicet facultatum securitati consuleretur, dum vel nullo vel infirmo munimine tutabantur. Hanc causam certe affert Justinus lib. II. c. 2. de Scythis loquens, quorum mores plurimum exprimebant antiqui Germani: *Nullum scelus*, inquit, *apud eos furto gravius, quippe sine tecto, munimentoque pecora, & armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret?*

(3) *Tintinnabulum.*) *Mos antiquis inoleverat Francis, & maxime Austrasiis, ut pascentibus*

caballo vel bove, cum uno solido componat.

II. Si de vacca, cum duobus tremissibus componat.

III. Si de minutis pecoribus, cum tremisse componat.

CAPUT XII.

*De Horto.*

I. SI quis in hortum furtive alicujus intraverit, cum tribus solidis componat; & quicquid ibi tulit, secundum legem furtivum [α] componat.

II. Ita & de pomariis lex servanda est.

CAPUT XIII.

*De furtiva re comparata.*

I. UT nullus præsumat furtivam rem comparare infra provinciam. Quod comparare voluerit, prius inquirat si furtivum est an non.

II. Si furtivum præsumpserit emere, & exinde probatus fuerit, & scienter hoc fecit, tunc similem rem donet illi cujus pecuniam comparavit. Et in fisco pro fredo duodecim solidis sit culpabilis.

CAPUT XIV.

*De custodia furtivæ rei.*

I. SImiliter ille qui de manu furis furtivam rem ad custodiendum acceperit, quasi consentiens furi, ita componat sicut superius diximus.

II. Aut cum uno sacramentali juret quod nescivit furtivum quando comparavit, vel quando commendatum suscepit.

III. Una lex erit utrisque [β], qui emit furtivum, aut qui commendatum suscepit.

IV. Si autem ille qui furtivam rem commendatam suscepit [γ], & quærente domino [δ] negaverit, ille fur est; sicut ille qui furavit, ita componat sicut lex habet.

CAPUT XV.

*De compositione a latrone accepta.*

I. UT nemo de probato furto compositionem a latrone [ε] ausus sit accipere, nisi ante judicem suum judicetur.

II. Si autem præsumpserit hoc facere, & celaverit judici suo, tunc latronis culpæ subjacebit.

CAPUT XVI.

*Ut sacramenta non cito fiant.*

I. UT sacramenta non cito fiant [ζ]. Judex causam suam bene cognoscat, & prius veraciter [η] inquirat, ut eum veritas latere non possit. Nec facile ad sacramenta veniatur.

II. Hoc autem volumus inter Bajuvarios in perpetuum custodiri, ut causa investigata, & [θ] veraciter inventa, apud judicem sit judicata. Nulli liceat perjurare; sed sicut judicatum est, cogatur exsolvere [ι].

III. In his vero causis sacramenta præstentur, in quibus nullam probationem discussio judicantis invenerit.

CAPUT XVII.

*De falsa suggestione.*

I. SI quis contra caput alterius falsa suggesserit, vel pro quacunque invidia de injusta accusatione [κ] commoverit, ipse pœnam [λ] vel damnum, quod alteri intulit, excipiat.

II. Neminem damnes antequam inquiras veritatem. Scriptum est: *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

CAPUT XVIII.

*De accusatione servi alterius.*

I. SI quis servum alienum injuste accusaverit, & innocens tormenta pertulerit, pro eo quod innocentem in tormenta tradidit, domino simile mancipium reddere non moretur.

II. Si vero innocens in tormento [μ] mortuus fuerit, duos servos ejusdem meriti (1) sine dilatione restituat.

III. Si non habuerit servum aut unde componat, ipse subjaceat servituti qui innocentem fecit occidi.

T I-

[α] Herold. *Furtivam.* [β] Herold. *Utraque.* [γ] Desunt in Lindenbr. *Si autem usque suscepit.* [δ] Lindenbr. *Et si quærenti domino.* [ε] Herold *De furti comprobato, compositionem, aut de latrone.* [ζ] Desunt in Herold. *Ut sacramenta non cito fiant.* [η] Herold. *Vel tacitus.* [θ] Herold. *Et quæ.* [ι] Herold. *Exsolvi.* [κ] Lindenbr. *Injustam accusationem.* [λ] Herold. *Ipsam pœnam.* [μ] Herold. *In tormentis.*

*bus equis tintinnabula imponerent, quo si forte longius in pascendo aberrassent, eorum sonitu dignosci possent.* Aimoinus lib. III. Hist. Franc. cap. 82. Alia reperies apud Lindenbrogium in Glossario V. *Tintinnabulum.*

(1) *Ejusdem meriti.*) *Lex Wisigothorum lib. VIII. Tit.* 4. *c.* 13. Alium ejusdem meriti domino reformare cogatur. *Ibidem lib. IX. Tit.* 1. *c.* 6. Duos æqualis meriti domino cogatur exsolvere, *Præceptum Karoli Regis Burgundiæ de commutatione manciplorum cum Monasteri S. Andreæ Viennensis in Tomo XII. Spicilegii Dacheriani pag.* 127. In hujus meriti recompensatione dedimus Warnerium & Warnaldum cum uxoribus & infantibus illorum. *Meritum ergo hic significat pretium rei venditæ, commutatæ, perditæ, aut debilitatæ. Vide infra Tit. XIV. cap.* 1. *hujus legis.* Baluzius.

## TITULUS IX.

### De incendio domorum (1) & earum compositione.

#### CAPUT I.

*De immissione ignis per noctem.*

I. SI quis super aliquem in nocte ignem imposuerit, & incenderit liberi vel servi domum, in primis secundum qualitatem personæ omnia ædificia componat atque restituat, & quicquid ibi arserit restituat unaquæque supellectilia.

II. Et quanti [α] liberi nudi de ipso incendio evaserint, unumquemque cum sua hrewauunti [β] componat.

III. De feminis vero dupliciter,

IV. Et tunc domus culmen cum quadraginta solidis componat.

#### CAPUT II.

*De scuria (2) liberi.*

I. DE scuria vero liberi, si conclusa parietibus & pessulis cum clave munita fuerit, cum duodecim solidis culmen [γ] componat.

II. Si autem septa non fuerit, sed talis quod Bajuvarii scof [δ] dicunt, absque parietibus, cum sex solidis componat.

III. De illo granario, quod parch [ε] appellant, cum tribus solidis componat.

IV. De mita [ζ] vero si illam detegerit vel incenderit, cum tribus solidis componat.

V. De minore vero, quod scopar appellant, cum solido uno componat, & universa comparilia [η] restituat.

#### CAPUT III.

*De culminum ejectione minorum ædificiorum.*

SI quis desertaverit, aut culmen ejecerit, quod sæpe contingit, aut incendio tradiderit uniuscujusque, quod firstfalli dicunt, quæ [θ] per se constructa sunt, id est, balnearium, pistoriam, coquinam, vel cetera hujusmodi, cum tribus solidis componat, & restituat dissipata vel incensa,

#### CAPUT IV.

*De igne immisso & extincto.*

I. SI autem ignem posuerit in domo, ita ut flamma eructuet [ι], & non perarserit, & a familiis liberata fuerit, unumquemque de liberis cum sua hreuuawunti [κ] componat, eo quod illos, inunwan quod dicunt, in desperationem vitæ fecerit.

II. Et non componat amplius, nisi tantum quantum ignis consumpserit.

III. Ducalis vero disciplina integra permaneat,

IV. Et si negare voluerit de istis, cum campione se defendat, aut cum duodecim sacramentalibus juret.

V. De servorum vero firstfalli uniuscujusque, ut manum recisam [λ] componat.



[α] Lindenbr. ita legit: *Restituat. II. Unaquæque supellectilia & quanti &c.* [β] Lindenbr. *Hrefawunti*, Herold. *Hreaunti*. [γ] Deest in Herold. *Culmen* [δ] Lindenbr *Scofph*. [ε] Herold. *Parc*. [ζ] Al. *Medam*. [η] Herold. *Cum paraba*. Al. *parialia*. [θ] Herold. *Quia*, [ι] Lindenbr. *Eructet*. Herold. *Eructuat*, [κ] Lindenbr. *Hrefawunti*, Herold. *Hreuuaunntina*. [λ] Herold. *Cum manu recissa*.

(1) *De incendio domorum.*) Quoniam tota domus, & omnia ferme utensilia e materie constabant facile combustibili, id occasionem dederat incendiis ex lasciviente antiquo jure privatæ vindictæ. Accidebat enim, ut ii præsertim, qui cominus pugnare non auderent, quosvis inimicos, imo & fortissimos heroas incendiis opprimerent. In Septemtrione præcipue apud Saxonem, Snorronem, aliosque scriptores, quorum monumenta supersunt, hujus facinoris occurrunt exempla. Vide Cleffelium Antiq. Germ. cap. IV. art. 13. Huic morbo non modo legibus, sed & Ecclesiasticis Canonibus medelam afferre sedulo curarunt veteres. Inter hos extat Decretum Eugenii Papæ II. ex Conc. Rhemensi cap. 9. *Innovamus ut si quis pro vindicta, vel odio ignem apposuerit, vel apponi fecerit, non absolvatur, nisi damno, cui intulerit, secundum facultatem suam resarcito, juret se ulterius ignem non appositurum; & pœnitentia ei detur, ut Hierosolymis, aut in Hispania, in servitio Dei per annum pœniteat.*

(2) *Scuria*, ) In voculis non hæreo, sed hæc, quæ ad nos usque pervenit, incuriose prætereunda non est; ea enim in mentem revocat morem quendam antiquissimum gentium Europæarum. Vox hæc derivata videtur ab antiquissimo vocabulo, quod a Latinis Scriptoribus effertur *Sirus* (uti reor Germanorum *Scheur*), quo penes omnes ferme Europæos indigitabantur subterraneæ specus, frugibus, aliisque rebus condendis effossæ. Vid. Pelloutier *Hist. des Celtes* Lib. II. cap. 5. Et de Germanis equidem, inter quos modo versamur, hæc scribit Tacitus Germ. cap. XVI. *Solent & subterraneos specus aperire: eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi, & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt; & si quando hostis advenit, aperta populatur: abdita autem & defossa, aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quo quærenda sunt.* Cosacchi & Circassi, qui ad Pontum Euxinum incolunt, hodie quoque ejusmodi specus habere dicuntur. Sed & in quibusdam Italiæ locis fruges itidem adhuc servari in subterraneis specubus ego vidi, non quod hostiles timeantur incursus, sed quod hæc optima servandarum frugum methodus esse censeatur. Quod nec antiqui ignorabant. *Utilissime* (verba sunt Plinii lib. XVIII. cap. 30.) *frumenta servantur in scrobibus, quos Siros vocant, ut in Cappadocia, & in Thracia, in Hispania, & Africa . . . . . Varro auctor est, sic conditum triticum durare annis quinquaginta, milium vero centum.* Cæterum tempore conditorum codicum aliud apud Germanos obtinuisse innuitur ex lege præsertim, quæ sub oculis obversatur; sed re mutata vox & nomen perdurare facile potuit.

### CAPUT V.

*De dissipatione domus.*

MOdo quia de domorum incensione sermo persinitur, censemus incongruum non esse ut de dissipatione domus ædificiorumque compositione edisseramus.

### CAPUT VI.

*De culmine.*

I. SI quis delicti [α] vel qualibet causæ præsumptione vel inimicitia, nec non & incuria aut certe hebetatione liberi culmen ejecerit, domino domus quadraginta [β] solidos componat.

II. Si eam columnam a qua culmen sustentatur, quam firstful (1) vocant, cum duodecim solidis componat [γ].

III. Si interioris ædificii illam columnam ejecerit, quam winchilful vocant, sex solidos componat.

IV. Cæteræ vero hujus ordinis componantur cum tribus solidis.

V. Exterioris vero ordinis columnam angularem cum tribus solidis componat.

VI. Illas alias columnas hujus ordinis singulas cum singulis solidis componat.

### CAPUT VII.

*De trabibus.*

TRabes vero singuli cum tribus solidis componantur.

### CAPUT VIII.

*De spangis quæ parietes continent.*

EXteriores vero, quas spangas vocamus, eo quod ordinem continent parietum, cum tribus solidis componat.

### CAPUT IX.

*De ceteris ædificii sumptibus.*

I. Cetera vero, id est, afferes, laterculi [δ] axes, vel quicquid in ædificio construitur, singula cum singulis [ε] componantur.

II. Et si una persona hæc omnia commiserit in alterius ædificio, amplius non cogatur solvere quam culminis dejectionem, vel ea quæ majora hujus commiserint criminis. minora hujus personæ non sequuntur [ζ], nisi tantum restituendi secundum legem.

### CAPUT X.

*De curtis dissipatione.*

SI curtem dissip averit aut inruperit liber liberi, cum tribus solidis componat, & restituat damnum.

### CAPUT XI.

*De sepe rupta.*

I. SI illam sepem eruperit [η], vel dissipaverit, quam ezzisezun vocant, cum uno solido componat & restitutione [θ].

II. Superiorem vero virgam, quam etarchartea [ι] vocamus, quæ sepis continet firmitatem, si eam injuste reciderit, simili modo cum solido componat, eo quod minime tunc sepis vitiata animalis sustinet impetum.

### CAPUT XII.

*De signis ob defensionem positis.*

QUi autem signum (2) quod propter defensionem ponitur, aut injustum iter excludendum [κ], vel pascendum, vel campum defendendum, vel applicandum [λ] secundum morem antiquum, quod signum wiffam [μ] vocamus, abstulerit vel injuste reciderit, cum uno solido componat.

### CAPUT XIII.

*De via publica.*

SI quis viam publicam, ubi Dux egreditur, vel viam æqualem alicujus clauserit contra legem, cum duodecim solidis componat, & illam sepem tollat. Et si negare voluerit, cum duodecim sacramentalibus juret.

### CAPUT XIV.

*De via convicinali.*

DE via convicinali vel pastorali, qui eam alicui contra legem clauserit, cum sex solidis componat & aperiat, vel cum sex sacramentalibus juret.

### CAPUT XV.

*De semita.*

DE semita convicinali, si quis eam clauserit, cum tribus solidis componat, aut cum uno sacramentali juret.

CA-

[α] Baluz. habet *Relicti*. [β] Lindenbr. *Cum XL. sol.* [γ] Desunt in Lindenbr. *Cum duodecim solidis componat.* [δ] Lindenbr. *Laterculos.* [ε] Herold. & Lindenbr. addunt *solidis.* [ζ] Lindenbr. *Sequitur.* [η] Lindenbr. *Ruperit.* Herold. *Irruperit.* [θ] Lindenbr. *Est restitutio.* [ι] Al. *Etacarita.* [κ] Lindenbr. *Excindendum.* [λ] Lindenbr. & Herold. *Amplificandum.* [μ] Al. *Vuiffun.*

(1) *Firstful.*) Quo materiamine, quave structura constarent Germanorum ædificia circa tempora hujus conditæ legis, ex his capitibus aptius, tutiusque colligi potest, quam ex quibuslibet Historicis.

(2) *Signum.*) Hodiedum semitis, quæ ad vicinos agros ducunt, & publicæ non sunt, signum ex lignis, & frondibus intextum apud nos apponi solet, quo etiam facile claudi potest, & clauditur semitæ ingressus. Mos sane antiquus.

### Caput XVI.

*De fonte.*

I. Si fontem quacunque immunditia coinquinaverit vel maculaverit, emundet eum prius [α], ut nulla sit suspicio coinquinationis, & cum sex solidis componat.

II. Si autem plurimorum in vicinio puteus fuerit, compositione inter se multentur.

III. Ille vero puteum in pristinum restituat gradum.

## Titulus X.

## De Violentia.

### Caput I.

*De curte.*

Si quis in curtem alterius per vim contra legem intraverit, cum tribus solidis componat.

### Caput II.

*De domo.*

I. Si autem in domum per violentiam intraverit, & ibi suum nihil invenerit, cum sex solidis componat.

II. Nemo enim ingrediatur alienam domum per violentiam; quia hoc scandalum generat.

III. Et postquam intraverit, & se cognoverit [β] reum, injuste quod intrasset, det wadium [γ] domino domus. Et si ille defuerit, mittat ipsum wadium supra liminare, & non cogatur amplius solvere quam tres solidos.

## Titulus XI.

## De Terminis ruptis.

### Caput I.

*De limitibus.*

I. Si quis limites complantaverit [δ], aut terminos fixos fuerit ausus evellere, si ingenuus est, per singula signa vel notas vicenos sex solidos [ε] componat.

II. Si servus est, per singula signa vel notas vicina flagella [ζ] (1) suscipiat.

### Caput II.

*De limitibus casu motis.*

Si quis dum arat, vel plantat vineam, terminos casu non voluntate evellerit, vicinis (2) præsentibus restituat terminum, & nullum [η] damnum patiatur.

### Caput III.

*De contentione terminorum.*

I. Quotienscunque de terminis fuerit orta contentio, signa quæ antiquitus constituta sunt oportet inquirere, id est, aggerem terræ, quem propter fines fundorum antiquitus apparuerit fuisse ingestum, lapides etiam quos propter indicium terminorum notis evidentibus sculptos vel constiterit esse defixos.

II. Si hæc signa defuerint, tunc in arboribus notas, quas decoreas [θ] (3) vocant, convenit observare, sed illas quæ antiquitus probantur incisæ.

III. Quod si intra terminos alienos per absentiam aut per ignorantiam domini partem aliquam forte possederit, statim eam, cum antiqui & evidentes, ab inspectoribus fines agnoscuntur, amittat domino reformandam, nec contra signa evidentia ullum longæ possessionis tempus opponat.

IV. Nisi si comparavit ab aliquo, tunc venditorem ostendat, & secundum legem definiant [κ].

### Caput IV.

*De novo termino prohibendo.*

I. Nemo novum terminum sine consensu partis alterius aut sine inspectore constituat.

II. Quod si forte liber hoc fecerit, damnum pervasionis excipiat, quod legibus continetur, id est, sex solidos.

III. Si vero servus hoc admiserit domino

α Herold. *Ut prius.* β Herold. *Cognoscerit.* γ Lindenbr. *Vuandium.* δ Herold. *Complanaverit.* ε Herold. *Notas vicinas VI. solid.* ζ Herold. & Lindenbr. *L. flagella.* η Herold. *Nullus.* θ Herold. *Decorticatas.* ι Herold. *Antiquitatis evidentis.* κ Lindenbr. *Definiat.*

(1) *Vicina flagella.*) **Legendum**, Vicena, *ut est in libro Metensi. Quam lectionem nos prætulimus propter ea, quæ paulo ante dicta sunt, quamvis reliqua exemplaria, & omnes editiones habeant* quinquaginta. *Error ortus est ex eo quod Scriptores veterum Codicum istius legis omiserunt vocem* notas *in hoc paragrapho, & litteram* l *positam post vocem* signa *interpretati sunt de numero flagellorum, cum significet tantum* vel. *Nam notum est eam litteram, cum superiorem ejus partem obeliscus intersecat, non esse notam numeri. Rem conficiam auctoritate Codicis Regii, in quo locus iste sic legitur:* Si servus est, per singula signata l flagella suscipiat. *Ibi superior litteræ illius pars divisa est per lineam transversam, ut intelligeremus ita legendum esse;* signata vel flagella. *Nemo non videt, sensum non esse plenum. Erit autem integer si legatur,* signa, vel notas vicena flagella, *ut scriptum est in libro Metensi.* Baluzius.

(2) *Vicinis.*) Id est, ejusdem loci incolis, qui haud raro *vicinorum* nomine veniunt in legibus, & chartis antiquis. Inde apud nos pagensis rusticorum conventus hodiedum appellatur *Vicinia*.

(3) *Decoreas.*) Signa cultro, aut scalpello impressa in arboribus, aut clavos ferreos arbori infixos fuisse ad denotandos agrorum fines, nota res est. Hinc qui nova temere signa in arboribus faceret, aut qui signatas arbores incideret, tanquam reus *termini moti* graviter multabatur. Vide LL. Langob. Rotharis CCXLII. & seq.

no nesciente, ducenta [α] flagella publice extensus accipiat; & nullum ex hoc præjudicium domino comparetur [β].

CAPUT V.

*De signis non evidentibus.*

Quotiens de commarchanis contentio nascitur, ubi evidentia signa non apparent in arboribus aut in montibus nec in fluminibus, & iste dicit; *Hucusque antecessores mei tenuerunt, & in alodem mihi reliquerunt;* & ostendit secundum proprium arbitrium locum; alter vero nihilominus in istius partem ingreditur, alium ostendit locum, secundum prioris verba suum & suorum antecessorum semper finisse usque in præsens asserit. Et si alia probatio nusquam inveniri dinoscitur, nec utriusque invasionem compensare voluerint, tunc spondeant invicem wehadinc [γ] (1) quod dicimus, & in campiones non sortiantur, sed cui Deus fortiorem [δ] dederit & victoriam, ad ipsius partem designata pars, ut quærit [ε], pertineat.

CAPUT VI.

*De jacentibus columnis.*

I. Si quis, priusquam finita fuerit contentio, per fortiam ædificia elevare voluerit, & e contrario ille alter jacentibus columnis contradixerit, & inde testem habuerit, & is propter contumaciam legi obtemperare noluerit, sed suam perfecerit domum, & cetera ædificia sepis conclusione firmaverit, tunc dicat; *Emunda territorium meum usque ad legis perfinitionem* [ζ]; & ille e contrario in suum dicit posuisse & emundare minime debere, iste vero dicit; *Ego testem habeo quod tibi jacentibus columnis contradixi;* tunc testes jurantes testimonium præferant [η], & cum campionibus determinetur sententia.

II. In ceteris hujusmodi ædificiis & horum conclusionibus nullatenus testificatio consistat; sed is qui ædificavit, cum sua lege defendat. Si autem curtis adhuc cinctus non fuerit, ille qui defendere voluerit, jactet securem saiga valentem (2) contra meridiem, orientem, atque occidentem: a septentrione vero ut umbra pertingit, amplius non ponat sepem nisi determinata fuerit contentio.

CAPUT VII.

*De materiis non elevatis.*

I. Si aliquis alicujus materiamen in silva aut propter inimicitias vel invidiam troncaverit, vel læserit, cum alio [θ] simili restituat, & cum solido uno componat.

II. Et si ea sibi in usum miserit, nisi per convenientiam non potest, debet ei in mallo placare ad restituendum, & cum solido, dum ipsam habet, componat.

TITULUS XII.

De Pignoribus.

CAPUT I.

*Ut nemini liceat pignorare.*

I. Pignorare nemini liceat nisi per jussionem judicis.

II. Si forte est aliquis homo tam durus vel inobediens aut contumax, rebellis justitiæ, qui non vult recte respondere, non vult justitiam facere, ille est contemptor legis, talis distringatur a judice.

CAPUT II.

*De eo qui non vult justitiam facere.*

I. Si quis liber alicui libero, qui eum mallat de qualicumque re, dedignabitur justitiam facere, ille qui quærit causam suam, habeat ibi testes duos vel tres, qui audiant & videant qualiter ille respondeat, ut possint ante judices testes esse. Tunc judex jubeat eum in præsenti venire, & judicet ei, & componat duodecim solidos, quia non dignabatur justitiam facere ei cui debuit.

II. Sic omnis qui non dignabitur justitiam face-

[α] Herold. *Tant.* [β] Al. *Componat.* [γ] Herold. *Vueladinc.* [δ] Lindenbr. *Fortiam.* Et forte rectius. [ε] Lindenbr. *Ut quæritur.* Herold. *Utraquem.* [ζ] Lindenbr. *Præfinitionem.* [η] Lindenbr. *Proferant.* [θ] Lindenbr. *Cum alia.*

(1) *Wehadinc.*) Hoc est verbotenus, *judicium pugnæ*. Wachterus V. *Ding*; qui etiam subdit, rationem cur duellum sic appelletur, sat manifestam esse. Nam quæ judicio ordinario terminari non poterant, duello apud veteres dirimebantur, tanquam oraculo quodam, & judicio divino.

(2) *Jactet securem saiga valentem.*) Animadverte, quæso, morem determinandi domesticam curtem per jactum securis, & umbram solis. Rustica, & simplex hæc methodus maximam prodit antiquitatem illius. Anne prodiit ex tempore illo, quo ager omnis *communalis* erat, sicuti Cæsaris imo & Taciti obtinebat ætate? Tacito teste Germ. cap. XVII. circa cujusque ædem eo tunc spatium assignari consueverat, quo domus circumambiretur: *Vicos locant, non in nostrum morem connexis, & cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia ædificandi.* Anne spatium hoc, quo domus circumdabatur, pro vulgi familiis definiri consueverat *per jactum securis, & umbram solis*, sicuti legimus in lege, quam præ oculis habemus? Hæc adnoto, quoniam ubi monumenta antiquitatis desunt, fragmenta quæque pretiosissima sunt. Cæterum num spatium illud fuerit ipsum, quod *Terra Salica* primitus diceretur, ad Legem Thoringorum agemus. Vide interim dicta a Cl. Eccardo ad Pactum Legis Salicæ Tit. LXII.

facere ei cui debuit, de qua re appellatus fuerit, pro fatigatione quam facit ei qui cum appellat, componat duodecim solidos, & postea respondeat secundum legem, & faciat justitiam sicut lex habet [α]; Duci vero quadraginta solidos.

### Caput III.

*Si contra legem pignoraverit.*

I. SI quis aliquem contra legem pignoraverit sine [β] jussione Ducis, pignus sine læsione reddat, & aliud simile addat. Duci vero pro fredo quadraginta solidos solvat.

II. Et si læserit illud pignus [γ], componat quantum æstimaverit qui causas judicat.

III. Talis enim præsumptio non debet fieri, quia hoc scandalum generat.

IV. Et pro omni pignore, quod contra legem tulerit, semper cum sex solidis componat.

V. Si pignus illud minus valet, quam sex solidos, tunc pignus reddat, & cum sex solidis componat.

VI. Si autem pignus quod tulit plus valet quam sex solidos, ipsum inlæsum reddat, & simile aliud addat; Duci vero pro fredo quadraginta solidos.

### Caput IV.

*Si porcos in pignus tulerit.*

I. SI quis contra legem porcos in pignus tulerit, unumquemque cum duodecim saigis componat.

II. Illam ductricem cum tremisse componat.

### Caput V.

*Si oves tulerit in pignus.*

I. SI quis oves in pignus contra legem tulerit, taceat de causa pro qua pignus tulit, & cum solido componat.

II. Nisi forte ille homo alias res non habet, per quas possit pignus tollere, si nisi ipsas oves nihil aliud habet, non erit culpabilis; quia necessitas hoc compellit facere.

### Caput VI.

*Si messem vel prata araverit.*

SI quis messem vel pratum alterius araverit usque ad tres sulces [δ] in longitudine jugeris, vel in transversa [ε] sex sulces, cum tribus solidis componat. Aut si negare voluerit, juret cum sacramentali uno.

### Caput VII.

*Si messem maturam furaverit.*

I. SI quis messem jam maturam in agro furaverit, cum sex solidis componat.

II. Et si negare voluerit, cum sex sacramentalibus juret secundum legem suam.

### Caput VIII.

*Si alterius initiaverit messem.*

SI quis messes alterius initiaverit maleficis artibus (1), & inventus fuerit, cum duodecim solidis componat, quod aranscarti dicunt, & familiam ejus & omnem substantiam ejus vel pecora ejus habeat in cura usque ad annum. Et si aliquid perdiderit homo ille de rebus suis in illo anno, ille reddat. Et si negare voluerit, cum duodecim sacramentalibus juret, aut cum campione cincto defendat se, hoc est, pugna duorum.

### Caput IX.

*Si servum ad fugiendum suaserit.*

I. SI quis servum alienum ad fugiendum suaserit, & foras terminum eum duxerit, hoc est, foras marcham, cum duodecim solidis componat, & ipsum reducat.

II. Et si negare voluerit, cum duodecim sacramentalibus juret, aut cum campionibus suam quærat justitiam.

III. Si ancilla est, cum viginti quatuor solidis componat, & ipsam reddat.

## Titulus XIII.

De vitiatis [ζ] animalibus & eorum compositione.

### Caput I.

*De animalibus vitiatis.*

QUi [η] sepi damnum inferunt, & hujus vitii [θ] adsuescunt, si se in stipitem maculaverint introeundo vel exeundo, & ibi mortui fuerint, si sepes legitime fuerit exaltata, id est, mediocri statura virili usque ad mammas, nihil cogatur solvere dominus sepis.

### Caput II.

*Qui ea in sepem compulerit.*

SI altera persona ipsum animal per vim sallire compellerit [ι], solvat animal, quia injuste eum in periculum mortis ejecit.

Ca-

[α] Herold. & Lindenbr. *Legem habet.* [β] Lindenbr. *Et sine.* [γ] Lindenbr. *Et aliud pignus si læserit.* [δ] Herold. & Lindenbr. *Sulcos*. Et sic porro. [ε] Lindenbr. *In transverso.* [ζ] Herold. & Lindenbr. *Vitiosis*. Et ita quoque paulo post. [η] Lindenbr. *Quæ.* Herold. *Animalia, quæ.* [θ] Lindenbr. *Huic vitio.* [ι] Lindenbr. *Compulerit.*

(1) *Initiaverit maleficis artibus.*) In Capitulis additis ad legem Alamannorum lege 28. *Si quis messem alienam inchoat . . . De initiata messe priserit*. Quid porro proprie sit *maleficis artibus initiare*, videant eruditiores. Ego tantum animadvertam, vocem *aranscarti* (qua explicatur legis sententia) designare læsionem messis incisione factam. *Arn* enim est messis, & *scharte* incisura. Wachter. Glossar. V. *Scharte*.

### Caput III.

*Si dominus sepis hoc fecerit.*

SI ipse dominus sepis simili modo ex sua clausura cum canibus vel ceteris flagellis ejecerit, cum simili componat.

### Caput IV.

*Statim si mortua non fuerit.*

SI autem statim mortuum non fuerit, sed vulneratum evaserit ad domum domini sui, & dominus animalis hoc cognoverit, & dicit ad illum reum qui ipsum animal compellebat in mortem; *Recipe animal quod læsisti.* quod nos aurursum [α] vocamus,

### Caput V.

*Si confessus est, recipiat eum.*

SI autem confessus est, recipiat, donec sanetur, & aliud interim ad operationem restituat, quale illud fuerat quod læsit.

### Caput VI.

*De restituendis animalibus.*

I. SI vero mortuum fuerit, quod in locum posuit teneat possessor animalis læsi.

II. Iste [β] vero cadaver quod sanare nequiverat ad suum teneat usum.

### Caput VII.

*Si læsum recipere noluerit.*

SI autem læsum animal, qui id [γ] lædere se compellebat, recipere noluerit, dominus animalis cadaver sibi sumat in usum, & ille alius nihilominus ex integro cogatur exsolvere.

### Caput VIII.

*Si oculum alterius animalis excusserit.*

SI quis alicujus caballo aut bovi vel cuilibet quadrupedi unum oculum excusserit, adpretiet illud pecus quod valet, & tertiam partem componat.

### Caput IX.

*Si bovis cornu.*

I. SI quis bovi alterius cornu a capite excusserit, cum tremisse componat.

II. Si cornu exilierit [δ], & os remanserit, duas saigas donet.

III. Si vaccæ excusserit, duas saigas componat.

### Caput X.

*Si caudam amputaverit.*

I. SI caudam amputaverit, vel aurem, si equus est, quem marach dicimus, cum solido componat.

II. Si mediocris fuerit, quod vulz [ε] vocant, cum medio solido componat.

III. Et si deterior fuerit, quod angargnago [ζ] dicimus, qui in hoste utilis non est, cum tremisse componat.

IV. Similiter qui alterius bovi caudam amputaverit vel aurem, cum tremisse componat.

V. Si vaccam alterius hujusmodi læserit, cum duabus saigis componat.

### Caput XI.

*De injuste usis animalibus.*

I. ET si unum eorum contra legem minaverit, quod swezcholi [η] dicimus, pari sententiæ subjaceat.

II. Si quis autem contumaciter alterius jumento propter dispectionem domini sui vel quacunque inimicitia hoc injuste perpetraverit, hæc universa in componendo duplentur [θ].

### Caput XII.

*Ut minime præsumat animal alienum occidere.*

I. UT nemo præsumat alienum animal occidere, neque porcum, quamvis in damno eum invenerit; sed recludat eum donec domino ejus ostendat damnum, & aliqui de vicinis eorum videant hoc, & designent locum qui læsus est. & alia quæ intacta sunt, usque ad maturitatem colligat cujus messis est; & quantum minus invenerit in læsione illa, contra hæc æqualitatem integram ille reddat cujus animalia fuerunt & damnum fecerunt.

II. Ita & de vinea & de prato faciat sicut æstimatores arbitraverint, & componat.

## Titulus XIV.

De commendatis & commodatis.

### Caput I.

*De custodia.*

I. SI quis caballum aut quodlibet animalium genus ad custodiendum mercede placita [ι] commendaverit, si perierit, ejusdem meriti ille qui commendata suscepit exsolvat; si tamen mercedem fuerit pro custodia consecutus [κ].

II. Quod si etiam nulla placita mercede [λ] susceperat, & mortuum esse probaverit, nec ille mercedem requirat, nec ab illo ali-

[α] Lindenbr. *Aurursam*. Herold. *Anorsam*. Al. *Aurursum*. [β] Herold. *Isti*. [γ] Herold. *Quod*.
[δ] Lindenbr. *Exiluerit*. [ε] Lindenbr. *Vvilz*, Al. *Vvulz*. [ζ] Lindenbr. *Angargnaco*.
[η] Lindenbr. *Suverzboli*. [θ] Lindenbr. *Duplicantur*. [ι] Herold. *Mercedem placitq.*
[κ] Herold. *Susceperit pro custodia*. [λ] Herold. *Nullo placito mercedem*.

liquid requiratur.

III. Tamen ratio est ut præbeat sacramenta ille qui commendata susceperat, quod non per suam culpam neque per neglegentiam mortua consumpta sint, & reddat corium.

IV. Eadem de commodatis forma servetur.

### CAPUT II.

*Si aurum furaverit.*

SI cui aurum, vel argentum, vel ornamenta, vel quæcunque species fuerint commendatæ, sive custodiendæ traditæ sint, sive vendendæ, & in domo ipsius cum rebus ipsius forsitan fuerint incendio concrematæ, una cum testibus qui commendata susceperat præbeat sacramenta nihil exinde suis profuisse compendiis, & nihil cogatur exsolvere; excepto auro & argento, quod ardere non potuit.

### CAPUT III.

*De incendio furatis.*

I. SI quis forte, dum domum flamma consumit, se quasi auxilium adlaturus ingesserit, & aliquid forte rapuerit, dominus domus diligenter inquirat; & si eum potuerit invenire, ille qui rapuerat, in quadruplum rapta restituat.

II. Et si de commendatis rebus apud direptorem aliquid forte reperit, domino restituere non moretur.

### CAPUT IV.

*De commendatis furatis.*

I. SI vero quæ commendata fuerant furto probantur ablata, ei qui commendata perdiderat spatium tribuatur, donec furem suum investigatione perquirat.

II. Et si eum invenerit, commendatori res proprias tantummodo reformare procuret.

III. Compositio vero furti ad eum qui habuit rem commendatam pertineat.

IV. Et si fur non fuerit intra statutum [α] tempus inventus, medietas rerum commendatarum domino suscipiente reddatur, damnum vero ex medio uterque sustineat.

V. Et postmodum si dominus rerum apud eum cui commendaverat, quæcunque fuerint suppressa vel repressa repererit [β], cum hæc ille prius se dixerat perdidisse, vel furto fuisse sublata, sicut a fure ea [γ] ab eo exigi legum statuta præcipiunt, & compositionem cogatur implere.

### CAPUT V.

*De re in contentione posita.*

REm in contentione positam non liceat donare nec vendere.

### CAPUT VI.

*De viduis.*

VIduæ, si post mortem mariti in viduitate permaneant [δ], æqualem inter filios suos, id est, qualem unus ex filiis, usufructuariam habeant portionem, usque ad tempus vitæ suæ usufructuario jure possideant.

### CAPUT VII.

*De secundis nuptiis.*

I. QUod si mater ad alias nuptias forte transierit, ea die usufructuariam portionem, quam de bonis mariti fuerat consecuta, filii inter reliquas res paternas, qui ex eo nati sunt conjugio, vindicabunt.

II. Mater vero si habet proprias res, cum [ε] dote sua, quam per legem habet, egrediatur.

III. Et si ibi filios nec filias generavit, post mortem ejus omnia quæ de filiis suis detulit, ad alios [ζ] revertantur.

### CAPUT VIII.

*De divisione inter fratres.*

I. UT fratres hereditatem patris æqualiter dividant; ut quamvis multas mulieres habuisset, & totæ liberæ fuissent de genealogia sua, quamvis non æqualiter divites, unusquisque hereditatem matris suæ possideat, res autem paternas æqualiter dividant.

II. Si vero de ancilla (1) habuerit filios, non accipiant portionem inter fratres [η], nisi

α Lindenbr. *Statum.* β Lindenbr. *Expressa reperit.* γ Deest in Lindenbr. *ea.*
δ Herold. *Quæ post . . . permanet.* ε Herold. & Lindenbr. *Et cum.* ζ Herold. *Illos;* & rectius forte.
η Deluat in Herold. *Inter fratres.*

(1) *De ancilla.*) Ex lege prima hujus capitis colligitur hic agi de ancilla uxore, potius quam de pellice. Siquidem cum ex antiquis Germanorum moribus cautum esset, nequis extra proprium ordinem uxorem duceret. invaluit, ut matrimonia cum inferioris ordinis fœmina, & præcipue ex servili fæce contracta, justa matrimonia quoad civiles effectus, maxime vero quoad prolis successionem, minime censerentur. Matrimonia hujusmodi vocabulo inferioris ævi dicta fuere *disparagia*; & ejus generis uxores esse credo, quæ scripturali stylo *concubinarum* nomine veniunt in Concilio Tolerano I. cap. 17. *Qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, sit conjunctione contentus.* Quo spectat & sanctio, quæ legitur inter Canones editos sub Eadgaro, qui titulum præseferunt, *Modus imponendi pœnitentiam*, Can. XIX. apud Wilkins Legum Anglosaxonicarum pag 91. *Si quis habeat uxorem, & concubinam etiam, nullus Sacerdos ei aliquod officium faciat cum Christianis, nisi ad emendationem revertatur, unam retineat sibi sive uxorem sive concubinam.* Hæc autem matrimonia confundi non debent cum matrimoniis *ad morganaticam*, quorum mentio fit II. Feud. 29., de quibus consulendi sunt Juris Interpretes.

nisi tantum quantum ei per misericordiam dare voluerint fratres eorum; quia in veteri lege scriptum est: *Non enim erit heres filius ancillæ cum filio liberæ*. Tamen debent misericordiam considerare, quia caro eorum est.

### Caput IX.

*De eo qui sine liberis moritur.*

I. DE eo qui sine filiis & filiabus mortuus est, mulier accipiat portionem suam, dum viduitatem custodierit, id est, medietatem pecuniæ. Medietas autem [α] ad propinquos mariti pertineat.

II. Si autem mulier mortua fuerit, aut alium maritum tulit, tunc quod proprium habet de mariti rebus [β], quæ per legem ei debentur, accipiat [γ]. Ceteras res propinqui prioris mariti accipiant.

III. Si autem maritus, qui nec filios nec filias nec nepotes nec pronepotes nec ullum de propinquis habet, sed in uxorem aut donatione aut testamento sive partem sive omnes contulerit facultates, & hæc deinceps in viduitate persistit, & memoriam mariti cum pudicitia castitatis (1) observat, omnia quæ a marito ei sunt donata possideat, & ea in quem voluerit pro suo jure transfundat.

IV. Quod si maritus & mulier sine herede mortui fuerint, & nullus usque ad septimum gradum de propinquis & quibuscunque parentibus invenitur, tunc illas res fiscus adquirat.

## Titulus XV.

## De Venditionibus.

### Caput I.

*Si quis res alienas vendiderit.*

I. SI quis vendiderit res alienas sine voluntate domini sui, aut servum, aut ancillam, aut qualemcumque rem, ipsam per legem reddat, & consimilem aliam addat.

II. Et si ipsam non potest invenire, duas consimiles reddat.

### Caput II.

*Si quis possessionem vendiderit.*

I. SI quis vendiderit possessionem suam alicui, terram cultam, non cultam, prata, vel silvas, post acceptum pretium aut per chartam aut per testes comprobetur firma emptio, ille testis per aurem (2) debet esse tractus, quia sic habet lex vestra. Duo vel tres vel amplius [δ] debent esse testes.

II. Si venditio fuit violenter extorta, id est, aut metu mortis, aut per custodiam, nulla ratione firma sit.

### Caput III.

*Si a servo alieno comparaverit.*

I. SI quis a servo alieno aliquid comparaverit nesciente domino suo, si dominus firmam esse noluerit emptionem, reddatur pretium emptori, & emptio nihil habeat firmitatis.

II. Si ipsum non habet, consimile reddat.

### Caput IV.

*De contentione venditæ rei.*

I. QUotiens de vendita re contentio commovetur, si alienam fuisse constiterit, nullus sine domini præjudicio comparet.

II. Et domino is qui aliena vendere præsumpsit, duplum cogatur exsolvere, nihilominus emptori, qui accepit, pretium redditurus.

III. Et quicquid ad comparatæ rei profectum studio suæ utilitatis emptor adjecerit, a locorum judicibus [ε] æstimetur, & ei qui laborasse cognoscitur, a venditore juris alieni satisfactio justa reddatur.

### Caput V.

*Si ingenuum hominem vendiderit.*

I. SI quis ingenuum vendiderit, cum ille suam probaverit libertatem, is qui eum vendidit [ζ], reducat eum in locum suum, & restituat ei libertatem sicut prius ha-

[α] Herold. *Autem altera.* [β] Herold. *Et de mariti rebus.* [γ] Herold. *Secundus accipiat.*
[δ] Desunt in Herold. *Vel amplius.* [ε] Herold. *Apud locorum judices.* [ζ] Lindenbr. *Vendiderit.*

(1) *Cum pudicitia castitatis.*) Observa, quod non tantum ob novas nuptias, sed etiam ob jacturam castitatis extra matrimonium perpetratam, vidua destituebatur jure suo in bonis a marito relictis. Simile quid ego animadverti adhuc servari in quibusdam partibus Regni Angliæ, ubi vidua in quædam mariti jura, facultatesque succedit, *dum sola, & casta fuerit*. Hoc autem occurrit valde ridiculum, quod alicubi incontinens vidua potest jus suum redimere, dummodo sistat se Curiæ Manerii, inequitans inverso ordine arieti nigro, ejusque caudam manu tenens, & recitans quendam sibi indecorum rhythmum ex usu præscriptum, quem exhibet Anglus Jurisconsultus Jacob Law Diction. V. *Free Bench*.

(2) *Per aurem.*) *Vide infra Tit. XVI. c. 2. Notitia judicii facti ab Arnone Archiepiscopo, & cæteris Missis Dominicis anno secundo Karoli M. Imperatoris Tomo III. Metr. Salisb. pag.* 322. Testes usu Bajoariorum per aures ex utrisque partibus tracti, ut amplius examen firmum esset. *Baluzius*. Ex quo videtur hic sermonem non esse de testibus illis, quibus tempore celebrati contractus infligebantur alapæ, & torquebantur auriculæ, de quibus loquitur Lex Ripuar. Tit. LX. lege 1., sed verba fieri de testibus tractis per aurem, cum examini subjiciendi forent, ex veteri forte a Romanis deprompto more, quo in quibusdam judicialibus actibus testis auricula vellicari consueverat; de quo vide Cangium V. *Auris*. Cæterum testes tracti memorantur etiam in lege Alamannorum Tit. XCIV.

habuit, & componat ei quadraginta solidos; excepto quod emptori in duplum pretium, quod accepit, cogatur exsolvere.

II. Similis ratio dupliciter de feminis servetur.

III. Et si eum vel illam foris provincia vendiderit, & iterum reducere non potuerit, tunc cum weregildo componat, hoc est, centum sexaginta solidos solvat [α] parentibus.

### Caput VI.

*Si servum proprium vendiderit.*

Si quis servum suum vendiderit, forsitan ejus nesciens facultates quas habebat, dominus ejus potestatem habeat, qui eum vendidit, requirendi res ejus ubicunque invenire potuerit.

### Caput VII.

*Si servus de suo fuerit redemptus.*

Si quis servus de peculio suo fuerit redemptus, & hoc dominus ejus forte nescierit, de domini potestate non exeat; quia non pretium, sed res servi sui, dum ignorat, accepit.

### Caput VIII.

*De commutatione.*

Commutatio, hoc est, quod cambias [β], talem qualem emptio habeat firmitatem.

### Caput IX.

*De venditionis forma.*

I. Venditionis hæc forma servetur ut seu res seu mancipium vel quodlibet genus animalium venditur, nemo propterea firmitatem venditionis irrumpat quod dicat, se vili pretio vendidisse; sed postquam factum est negotium, non sit mutatum.

II. Nisi forte vitium invenerit quod ille venditor celavit, hoc est, in mancipio, aut in caballo, aut in qualicunque peculio, id est, aut cæcum, aut herniosum, aut caducum [γ], aut leprosum.

III. In animalibus autem sunt vitia quæ aliquotiens celare potest venditor.

IV. Si autem venditor dixerit vitium, stet emptio: non potest mutari [δ].

V. Si autem non dixerit, mutare potest in illa die, & in alia, & in tertia die.

VI. Et si plus de tribus noctibus habuerit, postea non potest mutare.

VII. Nisi forte eum invenire non potuerit infra tres dies, tunc quando invenerit, recipiat qui vitiatum vendidit.

VIII. Aut si non vult recipere, juret cum sacramentali uno: *quia vitium ibi nullum sciebam in illa die quando negotium fecimus.* & stet factum.

### Caput X.

*De arris.*

Qui arras dederit pro quacunque re, pretium cogatur implere quod placuit emptori. Et si non occurrerit ad diem constitutum, vel antea non rogaverit placitum ampliorem, & hoc neglexerit facere, tunc perdat arras, & pretium quod debuit impleat.

### Caput XI.

*De firmitate [ε].*

I. Si mancipium alicujus aliquis intertiaverit dicens [ζ]: *Istud mancipium ego comprehendi extra terminum ubi Dux exercitum duxit, vel alibi Dux illum per debitam & justam culpam tulit, & mibi licenter tradidit.* Aut si aliqua ornamenta sint, dicit: *Quod mancipia mea ex propria mea materia laboraverunt & fecerunt;* aut fabri hujusmodi si fuerint; *propterea tradidi & firmabo.* Si hæc defuerint, in supradictis rebus nullatenus potest firmare. Si autem firmaverit, non potest ab eo cui firmavit [η], nisi ipse voluerit, retrahere.

II. Si campio quæsitores vicerit, si firmare promiserit emptori, id est, suuiron [θ], & non potuerit per hæc verba veraciter, ut supra diximus, & constitutum ruperit, tunc pretium reddat, & talem terram aut speciem, qualem se firmare pollicebatur, restituat sine mora; eo quod valde reprehensibilis est qui res alterius dare præsumpserit; quia aliquotiens exinde scandala nascuntur.

III. Simili modo qui propria donaverit ut quibusdam injustis machinamentis sibi sociaret, quod nunquam tenuerat.

IV. Si mancipium fuerit, & dicit: *Pater meus reliquit mibi in bereditatem;* aut: *Ego in propria domo enutrivi illud, de propriis meis mancipiis natum;* similiter de jumentis vel hujusmodi, quæ fuerint, adserere potest.

### Caput XII.

*Ut per chartam venditio firmetur aut testes.*

Quicquid vendiderit homo, aut comparaverit qualemcunque rem, omnia sint firmata aut per chartas aut per testes (1) qui hoc probare possint, hoc est,



[α] Lindenbr. *Componat.* [β] Herold. *Cambiare vocant.* [γ] Herold *Claudum*, & in marg. *Cadivum.*
[δ] Herold. & Lindenbr. *Mutare.* [ε] Hoc caput multum variat ab edit. Herold.
[ζ] Lindenbr. *Si mancipium aliquod sit dicat.* Herold. *Et si de mancipiis si aliquis dicat.*
[η] Herold. *Infirmari*; sed minus recte. [θ] Lindenbr. *Suuro.* Herold. *Si vero addiderit.*

(1) *Aut per testes.*) Vides hic contractus emptionis venditionis etiam de rebus immobilibus

de mancipiis, de terra, casis vel silvis, ut postea non sit contentio.

### Caput XIII.

*De pactis vel placitis.*

PActa vel placita quæ per scripturam quamcunque facta sunt, vel per testes denominatos tres vel α amplius, dummodo in his dies & annus sit evidenter expressus, immutare nulla ratione permittimus.

## Titulus XVI.

### De Testibus & eorum causis.

### Caput I.

*De testibus, si suum voluerit vindicare.*

I. SI quis homo pratum vel agrum vel exartum (1) alterius contra legem malo ordine invaserit, & dicit suum esse, propter præsumptionem, cum sex solidis componat, & exeat.

II. Si autem suum voluerit vindicare illum agrum aut pratum vel exartum, vel unde illa contentio est, taliter vindicet. Juret cum sex sacramentalibus, & dicat: *Ego tua opera priora non invasi contra legem, nec cum sex solidis componere debeo, nec exire, quia mea opera & labor prior hic est quam tuus.* Tunc dicat ille qui quærit: *Ego habeo testes qui hoc sciunt, quod labores de isto campo semper ego tuli, nemine contradicente exartavi, mundavi, possedi usque hodie, & pater meus reliquit mihi in possessione sua.* Ille homo qui hoc testificare voluerit, commarchanus ejus debet esse, & debet habere sex solidorum pecuniam & similem agrum. Tunc ille testis juret taliter: *Quia ego hoc meis auribus audivi, & oculis meis vidi, quod istius hominis priora* β *opera fuerunt in isto agro quam tua, & labores fructuum ille tulit.* Post sacramentum reddat agrum. Tunc ille defensor, si sperat quod justitia de illo agro suo fuisset, & hoc γ in præsenti populo fiat, ne per invidiam aliquis pereat, dicat ad illum testem: *Mendacium jurasti contra me. Sponde mihi pugnam duorum, & manifestet Deus si mendacium an veritatem jurasti contra me; & componere debes cum duodecim solidis, & illam terram reddere quam mendaciter abstulisti.* Si vicerit ille qui quærit, componat cum duodecim solidis, & illam terram reddat. Et si illam terram non potuerit donare, donet aliam in proximo quantum jactus est de securi saiga valente. Et si in proximo non habet, nec comparare potest, juret secundum pretium agri ut ipsum agrum cum pretio valente nec cum duplo nec cum triplo conquirere potuisset, donet ubi habet; & ipsum agrum quem donaverit, juret quod talis sit qualis suus fuerat.

### Caput II.

*Si testem habuerit per aurem tractum.*

SI quis testem habuerit per aurem tractum de qualibet causa finita ratione, & hoc confirmarit per testes, posthæc non debet δ repetere nec inquietare illum a quo finivit rationem suam. Et si voluerit, tunc per testes defendat se, ille testis testificet sicut scit unde ad testem per aurem tractus fuit, & hoc per sacramentum confirmet. Non debet testem veritatis repellere causaticus ejus. Nisi forte aliquis testem mendacem habere voluerit, potest illum cum lege repellere cum pugna duorum & dicere: *Non tibi traxi testem de ista causa, neque consentio.* Si autem testis per aurem tractus fuerit de compositione finienda, vel propter arras, qui donat quasi pro pignore qualemcunque rem, usque dum solvat debitum, & pignus recipiat, illum testem nemo repellat, nec potest, sed consentiat. Nisi super mortuum hominem (2) testare voluerit aliquam causam, illum potest contradicere cum duorum pugna & dicere: *Defendere hoc volo cum campione meo* (3) *quod dicis, quia & tu mentiris, & tuus testis super mortuum meum.*

CA-

α Heròld. *Duos vel.* β Herold. *Propria.* γ Deest in Lindenbr. *Hoc.*
δ Lindenbr. *Non habet.*

---

bus validos, ratosque habitos fuisse etiam absque scripturis, & instrumentis, modo testes adessent, qui rei gestæ veritatem affirmarent. Quod cæteroquin satis erat ævis illis, quibus triginta annorum possessio tutum reddebat emptorem.

(1) *Exartum.*) *Essarta vulgo dicuntur, quæ apud Isidorum occationes nominantur, quando scilicet, forestæ, nemora, vel dumeta quælibet pascuis, & latibulis ferarum opportuna succiduntur, quibus succisis & radicitus evulsis terra subvertitur & excolitur.* Liber Scaccarii Anglici parte I. cap. 13. apud Cangium, qui ignotæ vocis origines atque etyma refert nonnulla; quæ tamen non possunt me inducere, ut sententiam meam dimittam, dum *exartum* derivatum Latino-barbarum esse censeo a verbo *exardeo*. Etenim penes antiquos Barbaros notum fuit, excisis sylvis ignem subjicere, ut arvum e lignosa materia expurgaretur, & cineribus fertilius redderetur. Consulatur Cl. Ihre V. *Swedia.*

(2) *Super mortuum hominem.*) *Antiquis in usu positum erat, ut si quid a quopiam actum esset, ob quod interveniente morte in jus vocari non potuit, ad locum sepulturæ irent cum jurejurando, & consacramentalibus, fidem defuncti imploraturi; quod dicebatur vulgo* contestatio super sepulchrum. V. Ihre V. *Hoeg.*

(3) *Cum campione meo.*) Per campiones defendere se poterant non modo qui per se ipsos certamen inire legibus excusabantur, ut femi-

### CAPUT III.

*Si testis victus fuerit.*

ET si ille victus fuerit qui negare testem voluit super mortuum suum, tunc amplius pugna duorum non veniat, quia ad testificationem per vim illum mortuum adquisivit; sed cum sacramento, ut lex est, testificetur, & testificatio firma permaneat.

### CAPUT IV.

*De discordia judicum.*

SEd hic [α] discordant nostri judices de pacto (1), quod ipse qui testem adducit jurare debeat, quod mendacem testem non proferat [β], nec de illius testificatione sacramenti se abstinere debeat.

### CAPUT V.

*Si plures fuerint testes.*

ET si plurimi testes fuerint, & ad unum conventum venerint, sortiantur illi testes inter se, & cui sors exierit, juret ille taliter & dicat: *Ad testem sortitus sum, & ad testem me facere volo*. Adprehendat manum proximi sui, & dicat: *Si illum Deus* [γ] *adjuvet, & illum cujus manum teneo, quod ego ad testem illum inter vos per aurem tractus fui de ista causa ad veritatem dicendam*. Tunc solus juret cum sua manu. Postea donet arma sua ad sacrandum (2), & per ea juret ipsum verbum cum uno sacramentali. Et si mendaciter jurat, componat illi [δ] cujus causam abstulit cum duodecim solidis; & ipsam causam restituat, aut defendat se cum campione suo, si recte juravit, hoc est, pugna duorum.

### TITULUS XVII.

De Campionibus & causis quae ad eos pertinent.

### CAPUT I.

*Si unus ab altero fuerit interfectus.*

I. SI unus ex his ab altero interfectus fuerit, quamvis nobilis sit persona (3), non componatur amplius quam duodecim solidis; & ab eo componatur qui illum injuste invitavit.

II. Si servus fuerit [ε] (4) per domini sui consensum, pari modo ratio [ζ] subjacebit. Sin autem, cum viginti solidis componat.

### CAPUT II.

*De his qui propriam alodem vendiderunt.*

DE his qui propriam alodem vendunt vel quascunque res, & ab emptore alter abstrahere voluerit & sibi sociare in patrimonium, tunc dicat emptor ad venditorem: *Terram*, aut quaecunque fuerit res, *abstrahere mihi vult vicinus meus*, aut quis fuerit. Et iste respondet: *Ego quod tibi donavi, cum lege integra & verbis testificatione firmare volo*. Super septem noctes fiat constitutum. Si dicit, cum utrisque utraeque partes conveniunt: *Cur invadere conaris territorium quod* [η] *ego juste jure hereditatis donavi*. Ille alius contra: *Cur meum donare debuisti, quod antecessores mei antea tenuerunt?* Iste vero dicit: *Non ita, sed mei antecessores tenuerunt, & mihi in alodem reliquerunt, & vestita est illius manus cui tradidi, & firmare volo cum lege.*



[α] Lindenbr. *Sed si*. [β] Lindenbr. *Proferres*. [γ] Lindenbr. *Sic me Deus*.
[δ] Lindenbr. *Illa*. Herold. *Ille*. [ε] Deest in Lindenbr. *Fuerit*. [ζ] Herold. *Ratione*. [η] Lindenbr. *Quem*.

---

minae, ecclesiastici, &c. sed in quibusdam causis id unicuique licuisse ex hac lege colligimus, & clarius adhuc ex Lege Frisionum Tit. XIV. lege 7. *In hac contentione licet unicuique pro se campionem mercede conducere, si eum invenire potuerit.*

(1) *Judices de pacto.*) Qui scilicet causas judicabant secundum Legem Bajuvariorum, ut optime explicat Baluzius; ad discrimen praecipue illorum, qui ex Romanis legibus judicabant causas eorum, qui Romana lege vivebant. Certe ex Prologo Legis Burgundionum constat extitisse Judices *Barbaros* & *Romanos*. *Pacti* autem nomine Barbarorum leges donabantur, quod ex pacto convento latae, aut admissae forent communi populi consensu. V. Eccardum in *Prologo* Pacti Legis Salicae.

(2) *Donet arma sua ad sacrandum.*) Habes hic perspicue quid rei fuerit *jurare ad arma sacrata*. Vide dicta ad Legem Alaman. Tit. LXXXIX.

(3) *Quamvis nobilis sit persona.*) Observa, nobiles quoque personas functas fuisse campionis officio. Quod perpendendum est adversus illos, qui campionis officium velut infamia notatum traducunt. Fuere subinde & qui Feudis donarentur titulo *Campionis*, ut oblata occasione pro dominis suis sive per se sive per alium monomachia dimicarent. V. Cangium V. *Campio*. Feuda haec accensentur Feudis Magnae Sergenteriae. Ex antiquo instituto adest hodiedum in Anglia illustris familia manerio feudali Magnae Sergenteriae donata, titulo Campionis Potentissimi Regis Angliae; & qui hoc feudum tenet, in solemni die coronationis Regis perhonorabili perfungitur Campionis officio.

(4) *Si servus fuerit.*) Hinc patet servos, quamvis jure armorum non gauderent, ad duella tamen judicialia campionum titulo receptos fuisse. De quo & exemplum suppeditat Paulus Diaconus lib. IV. cap. 49. Cum Gundiberga Regis Rodoaldi conjux *de crimine adulterii apud virum accusata fuisset, proprius ejus servus, Carellus nomine, a Rege expetiit, ut cum eo, qui Reginae crimen ingesserat, pro castitate suae dominae monomachia dimicaret. Qui dum cum criminatore illo singulare certamen iniisset, eum cuncto populo astante superavit*. Muratorius Antiquit. Italic. Dissert. XXXIX. suspicatur, Carellum aut aulicum quidem Reginae, sed non ex servorum grege fuisse, aut peculiare jus dimicandi a Rege obtinuisse. Posset quis etiam dicere, Carellum illum fuisse ex fiscalinis, qui honoratioribus juribus supra caeteros servos gaudebant. At vero inutiles sunt hujusmodi hypotheses, ubi servi a monomachia de jure non penitus excludebantur; ut ex hac lege sat elucescit.

Si statim voluerit, liberam habeat potestatem. Sin autem, postea super tres dies aut quinque aut certe septem [α] ea ratione firmet. Per quatuor angulos campi, aut designatis terminis, per hæc verba tollat de ipsa terra, vel aratrum circumducat, vel de herbis, aut ramis, silva si fuerit: *Ego tibi tradidi, & legitime firmabo per ternas vices.* Dicat hæc verba, & cum dextera manu tradat; cum sinistra vero porrigat wadium huic qui de terra ipsa eum mallat, per hæc verba: *Ecce wadium tibi do quod terram tuam alteri non do, legem faciendo.* Tunc ille alter suscipiat wadium, & donet illum vicessoribus istius ad legem faciendam. Si causa fuerit inter illos pugnæ, dicat ille qui wadium suscepit: *Injuste territorium meum alteri firmasti*, id est, faswirotos [β]. *Ipsum mihi debes reddere, & cum duodecim solidis componere.* Tunc spondeant pugnam duorum [γ], & ad Dei pertineat judicium. Sin autem, cum sacramento se defendat, id est, cum duodecim, quod suam terram injuste non firmaret alteri, nec suæ ditioni restituere deberet, nec cum duodecim solidis componere.

## Titulus XVIII.

## De Mortuis & eorum causis.

### Caput I.

*Si mortuum ex monumento ejecerit.*

SI quis mortuum liberum de monumento effodierit, cum quadraginta solidis componat parentibus, & ipsum quod ibi tulit furtivum componat.

### Caput II.

*Si in flumine projecerit.*

I. SI quis liberum occiderit furtivo modo, & in flumen ejecerit, vel in talem locum ut cadaver redire [δ] non quiverit, quod Bajuvarii murdridam [ε] dicunt, in primis cum quadraginta solidis componat, eo quod funus ad dignas obsequias [ζ] reddere non valet. Postea vero cum suo weregildo componat.

II. Et si ipsum cadaver a fluminis alveo ad ripam projectum fuerit, & a quolibet inventum, qui iterum cadaver de ripa impinxerit, & exinde probatus fuerit, cum duodecim solidis componat.

III. Si servus furtivo modo supradicto more occisus fuerit, & ita absconsus, quod garmurdrit [η], dicunt, nouuplum componat, id est, centum octuaginta solidos.

### Caput III.

*De vestitu mortuorum.*

I. DE vestitu utrorumque, quod walaraupa [θ] dicimus, si ipse abstulerit qui hos interfecit [ι], dupliciter componat.

II. Si alter, & non ipse reus, omnia furtivo more componat.

### Caput IV.

*Si vulneraverit mortuum.*

ET si, ut sæpe contingit, aquilæ vel ceteræ aves cadaver repererint, & super ad lacerandum consederint, & aliquis sagittam ejecerit, & cadaver vulneraverit, & repertum fuerit, cum duodecim solidis componat.

### Caput V.

*Si cadaver læserit.*

SImili modo quicunque cadaver hominis læserit, quem alter interfecit, si caput amputaverit, si manum præciderit, si pedes, si aurem, si tantum quod [κ] profusionem sanguinis reputamus, de mortuo tam minima quam maxima plaga, semper cum duodecim solidis componat.

### Caput VI.

*Si humaverit mortuum.*

I. ET si a quolibet mortuus fuerit repertus & eum humanitatis causa humaverit, ut neque a porcis inquinetur, nec a bestiis seu canibus laceretur, liber sit an servus, & postea repertum fuerit, (1) ille qui eum humaverit, si requirere voluerit, parentes [λ] illius solvant ei solidum unum, aut dominus servi, si servus fuit. Sin autem, a domino recipiat mercedem, quia scriptum est: *Mortuos sepelire* [μ].

II. Quia aliquotiens conspicimus, cum cadaver humo immissum fuerit, & lignum insuper positum, cunctis adstantibus, ut requiratur dominus cadaveris ut primus terram superiniciat, & si liber, similiter filium aut fratrem, ne rei sint ceteri humatores. quod omne a falsis judicibus fuerat æstimatum, non in veræ legis veritate repertum.

Ca-

[α] Herold. *Duas aut tres aut certe quatuor noctes.* [β] Herold. *Farunifetu.* Lindenbr. *Furfwirotos.* [γ] Lindenbr. *Tunc respondeat. Pugna duorum.* [δ] Lindenbr. *Reddere.* [ε] Lindenbr. *Murdrida.* Herold. *Mordrina.* [ζ] Lindenbr. *Exequias.* [η] Herold. *Garmurdrit.* [θ] Herold. *Vualaurapa.* [ι] Lindenbr. *Interfecerit.* [κ] Lindenbr. *Si tantum quantum.* [λ] Lindenbr. *Parentes vero.* [μ] Lindenbr. *Sepelire.*

(1) *Repertum fuerit.*) Si hanc legem conferas cum Titulo IC. lege 27. & 28. Legis Alamannorum adversus eum, *qui mortuum in terra aliena posuerit*, facile elicies, tempore conditarum legum non adhuc ita invaluisse jus mortuos sepeliendi in Ecclesiæ cœmeteriis, & authoritate ecclesiastica, ut id non fieret etiam extra cœmeterium, & authoritate privata.

CAPUT VII.

*De navibus.*

I. SI quis navem alterius tulerit de loco suo, ipsam inlæsam reddat aut similem.

II. Et si eam foris aqua traxerit, & absconderit, & negaverit [α] interrogatus, furtivum componat.

TITULUS XIX.

De canibus & eorum compositione.

I. SI quis canem seucem, quem leitihunt [β] vocant, furaverit, aut similem aut ipsum reddat, & cum sex solidis componat. Et si negare voluerit, cum tribus sacramentalibus juret secundum legem suam.

II. Si autem seucem doctum, quem triphunt vocant, furaverit, cum tribus solidis componat, aut cum uno [γ] sacramentali juret.

III. Si autem seucem qui in ligamine vestigium tenet, quem spurihunt dicunt, furaverit, cum sex solidis componat, & similem aut ipsum reddat.

IV. De eo cane quem bibarhunt vocant, qui sub terra venatur, qui occiderit, alium similem reddat, & cum sex solidis componat.

V. De canibus veltricibus, qui unum occiderit qui leporem non persequitur, sed sua velocitate comprehendit, cum simile & tribus solidis componat.

VI. De eo cane qui dicitur hapihuhunt [δ], pari sententiæ subjaceat.

VII. De his canibus qui ursos vel bubalos, id est, majores feras, quod suuarzuuild dicimus, persequuntur, si de his occiderit, cum simile & sex solidis componat.

VIII. Qui vero pastoralem, qui lupum mordet, occiderit, cum tribus solidis componat.

IX. Si autem canem qui curtem domini sui defendit, quem houauuarth dicunt, occiderit post occasum solis in nocte, cum tribus solidis componat, quia furtivum est. Si vero ante solis occasum [ε] hoc fecerit, similem reddat, & cum uno [ζ] solido componat.

X. Si autem canis per vestimentum aut per membrum hominem tenuerit, & de manu eum percusserit ut moriatur, similem reddat, & amplius non requiratur. Et dominus canis quod canis fecit componat medietatem ac si ipse fecisset. Si hoc noluerit, canem non requirat.

TITULUS XX.

De Accipitribus (1) vel avibus.

I. SI quis [η] accipitrem occiderit, quem chranohari dicunt, cum sex solidis & simile componat, & cum uno sacramentali juret ut ad volare & capere similis sit.

II. [θ] De eo qui dicitur ganshapuch [ι], qui anseres capit, cum tribus solidis componat, & similem reddat.

III. Illum quem anothapuch [κ] dicimus, cum solido & simili componat.

IV. De sparvariis vero pari sententiæ subjaceat cum solido & simile restituendi, & cum sacramento ut tales sint quales interfectione damnavit.

V. Si vero furto ablati fuerint, per omnia furtivum cogantur solvere ut lex compellit.

VI. De his quidem avibus quæ de silvaticis [λ] per documenta humana domesticantur industria, & per curtes nobilium mansuescunt volitare atque cantare, cum solido uno & simile componat; atque insuper ad sacramentum.

TITULUS XXI.

De Pomariis & nemoribus atque apibus & eorum compositione.

I. SI quis alienum pomarium effodierit per invidiam, vel exciderit arbores fructiferas, ubi duodecim sive amplius fuerint, in primis quadraginta solidos componat, viginti cujus pomarium fuit, & alios viginti in publicum, quia contra legem fecit. Et alias arbores similes ibi plantet, & unamquamque arborem cum solido componat; & omni tempore pomorum solidos donet usque dum illæ arbores fructum faciant quas ille plantavit.

II. Si quis aliena nemora præciderit, si portat escam [μ], & rubus est, cum solido & simile componat.

III. Et si amplius usque ad numerum sex per singulos singulum restituat. Deinde arborum numerositatem restituere cogatur; & de his quæ nondum fructum portaverunt, cum tremisse & simile restituat.

IV. De fagis [ν] vero tremissem & simile restituendum censemus, usque ad numerum sex solidorum per singulas arbores, id est, decem & octo. Et si amplius damnum infert, non cogatur componere nisi numerum restituendi.

V. Si malum vel pirum vel cetera hujus-



[α] Lindenbr. *Negare voluerit.* [β] Lindenbr. *Leithibunt.* [γ] Deest in Lindenb. *Uno.* [δ] Lindenbr. *Hapichhunt.* Herold. *Halughunt.* [ε] Herold. *Sole stante.* [ζ] Deest in Lindenbr. *Uno.* [η] Deest in Lindenbr. *Quis.* [θ] In Herold. deest hoc caput. [ι] Lindenbr. *Gansbapich.* [κ] Lindenbr. *Anetbapich.* [λ] Lindenbr. *Salvaticis.* [μ] Al. *Ubi porcorum esca.* [ν] Al. *De favis.*

(1) *De Accipitribus.*) Accipitritia venatio magno in pretio apud veteres habebatur. *Magni ab omni memoria* (ait Stephanus Stephanius in notis ad Saxonem Grammaticum lib. VIII.) *id genus oblectamenti fecere Reges Principesque atque Magnates, adeout lege etiam probiberent, ne quis spatham, vel accipitrem suum in ipsam capitis redemptionem dare cogeretur: scilicet cum hic non minus vitæ esset solatium, quam illa libertatis vindex atque præsidium.*

modi, pari ſententia ut fagi perſeverent.

VI. Si vero de minutis ſilvis de luco vel quacunque Kaheio [α] (1) vegetum reciderit, cum ſolido & ſimile componat, & deinceps uſque ad ſex ſolidos reſtitutionem & compoſitionem.

VII. Si amplior fuerit numerus vegitarum [β], non cogatur componere, niſi reſtituere cum ſimili & ſacramento. Si autem poſt compoſitionem & reſtitutionem damnum intraverit inferre in ipſius nemora cui compoſuit, nihil excludat componendi ſententiam, ſed ſuperioris obſervetur regula ſententiæ.

VIII. Si apes, id eſt, examen alicujus ex apili elapſum fuerit, & in alterius nemoris arborem intraverit, & ille conſecutus fuerit, tunc interpellat eum cujus arbor eſt, & cum fumo & percuſſionibus ternis de tranſverſa ſecure, ſi poteſt, ſuum ejiciat examen, veruntamen ita ut arbor non lædatur. Et quod remanſerit, hujus ſit cujus arbor eſt.

IX. Si autem in capturis quæ ad capiendas apes ponuntur, id eſt, vaſculis apum, ſimili modo interpellat eum cujus vaſculum eſt, & ſtudeat ſuum ejicere examen. Veruntamen vaſculum non aperietur nec lædetur. Si ligneum eſt, ternis vicibus lidat eum terris. Si ex corticibus aut ex ſurculis compoſitum fuerit, cum pugillo ternis vicibus percutiatur vaſculum, & non amplius. Et quos [γ] ejecerit ſua erunt; & quæ remanſerint, ipſius erunt cujus vaſculum eſt.

X. Si autem dominum arboris vel vaſculi non interpellaverit, & ſine illius conſcientia ejectum domino reſtituerit, & ille cujus vaſculum fuerat eum compellaverit, ut ex ſuo opere vel arbore res tuliſſet, & ad reſtituendum compellaverit, quod untprut [δ] vocant, & ille alius ſi negare voluerit, & dicit ſuum conſecutum [ε] fuiſſe, tunc cum ſex ſacramentalibus juret quod ex ſuo opere ipſum examen injuſte non tuliſſet, nec illud ad judicium reſtituere deberet.

XI. Pari modo de avibus ſententia ſubjacet, ut nullus (2) de alterius ſilva, quamvis prius inveniat, aves tollere præſumat, niſi ejus commarchanus fuerit. quem calaſneo dicimus. Et qui aliter præſumpſerit, ſemper reſtitutionis ſacramentum juſtum putamus, quamvis minima ſit querela. Et ſi admittitur [ζ], cum ſex ſacramentalibus jurare lex compellit,

DE ISTIS SUFFICIT,

[α] Lindenbr. *De ovis vel quocunque Kancio*. Al. *Kationtitam*. [β] Lindenbr. *Vegetorum*.
[γ] Lindenbr. *Quas*. [δ] Al. *Unterprut*. [ε] Lindenbr. *Conſecutus*.
[ζ] Deſunt in Lindenbr. *Et ſi admittitur*.

(1) *Kaheio*.) Muratorius in Legem Langobardicam Rotharis CCCXXV. teſtis eſt, in Lege Bajuvariorum deſcripta in Codice Cathedralis Eccleſiæ Mutinenſis pro *Kahejo* legi *Gajo*. *Gajum* autem in excerptis Pithœanis eſt *ſylva denſiſſima*. Superſunt adhuc quorundam pagorum nomina *Gajo*, *Gazo*, *Gajarine* &c. quæ innuunt ea fuiſſe ſylveſtria loca.

(2) *Nullus* &c.) Ergo non quadrupedium tantum, ſed & volatilium in foreſta exiſtentium jus ad foreſtæ dominum ſpectare cenſebatur, ut a venatione cæteri excluderentur. Vide dicta ad Legem Alaman. Tit. IC. Exceptio *commarchani* ſat indicat, volatilia promiſcui juris inter conterminos agrorum poſſeſſores cenſita fuiſſe. Similem legem habet Jus Weichb. Magdeburg. art. CXVIII.

CON-

# CONCILIUM ASCHAIMENSE (1)

## *SUB TASSILONE DUCE BAJOARIÆ*

### Anno a reparata salute DCCLXIII. celebratum.

---

*Domino gloriosissimo duce* [α] *nostro Tassiloni* (2) *maxime congregatio jura* [β] *Synodali per præsentes eulogias in Christo salutem dirigitur.*

SUfficit enim Christianis cum ad normam priscorum Patrum vitam deducere, & eorum auctoritate passim gradibus polum scandere: tamen propter diversitate temporum diversa necessitate componendi compellitur [γ]: Propterea sanctumq. est congregatio sacerdotum (3) in dictis temporibus, Deo opitulante, ut diversa jure [δ] considerentur. Nam qui hos præcessores pastores & patres nostros docuit, ipse & nos docebit, sicut veritas ait: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Misit nos qui missurus erat. Ideo indesinenter Deo deferimus grates, qui de nostris temporibus constituit principem, quia est in ætate tenerulus (4), in sensu sanctæ Scripturæ præcessoribus tuis maturior appareris [ε]. Propterea time Deum & custodi vias ejus. Nam qui illum non habet placatum, nunquam evadit iratum.

I. PRæcipimus enim, ut omnes tam Sacerdotes quam monachi & omnis cleros ecclesiastice [ζ] jure non tantum in missarum celebratione, sed etiam in omnibus cursalis [η] oribus (5), tam pro animam scellentiæ vestræ, quam pro vitam [θ] & regni in læsione, & fidelium vestrorum die noctuque preces Deo fundere debeant. Et si aliter quis inventus fuerit, deponatur.

II. Ut ecclesias ad priscorum antecessorum vestrorum, aut vestris temporibus fundatas sine fraude permanere inlæsas debeant; ubi oculi Domini malos & bonos contemplantur. Unde & veritas per Paulum dicitur: *Si quis autem templum Dei violaverit*, & reliqua.

III. De potestate episcoporum, qui [ι] claves polique lingandi atque solvendi deveuntur [κ], & curam pastoralem exerceunt in pleve [λ] (unde & sine dubio rationem redditurí sunt) ut ecclesiasticis rebus dominentur atque spensando [μ] provideant. Unde Synodus Nicinensis ait, ut omnes res ecclesiasticas [ν] in potestate episcoporum sint.

IV. De legibus ecclesiarum paterna reverentia comperiemini, & nos maxime admoneri oportet, quod tot [ξ] diffusus orbis, oriens occidensque conservat & præcessorum vestrorum depicta pactus (6) insinuat; quicumque domum Dei, & altarem ejus frau-

[α] *Duci.* [β] *Jure, vel nostra.* [γ] *Diversitatem temporum diversas necessitates componere compellimur.* [δ] *Jura.* [ε] *Appares.* [ζ] *Clericus ecclesiastico.* [η] *Cursalibus.* [θ] *Animæ excellentiæ pro vita.* [ι] *Quibus.* [κ] *Debentur.* [λ] *Exercent in plebe.* [μ] *Dispensando.* [ν] *Ecclesiastica.* [ξ] *Totus.*

---

(1) *Concilium Aschaimense.*) Concilium hoc, seu Concilii partem e Codice Capituli Cathedralis Frisingensis in lucem edidit, & procemio, notisque erudite exornavit R. P. Frobenius Forster O. S. Benedicti; quod in amplissima Collectione Conciliorum editionis Venetæ novissimæ impressum est Tomo XII. pag. 667. & seqq. Inde ego illud deprompsi, & quod ad notas attinet, Forsteri breviatorem ferme in omnibus egi.

(2) *Tassiloni.*) Tassiloni Baiuvariorum Duci hæc constituta diriguntur, neque ulla fit mentio Regis Francorum. Quod unum est ex argumentis, quibus ab eruditis probatur, Conventum hunc referendum esse in annum DCCLXIII., quo Tassilo, desertis Francis, Boicum principatum sibi soli vindicaverat.

(3) *Congregatio sacerdotum.*) De Aschaimensi Concilio hæc scribit Aventinus Annal. Bojor. lib. III. cap. 10. *Proceres Bojorum, Episcopi, & Monachorum Præsules, ut mos gentis est, Aschaemis (vicus est superioris Bojariæ inter Oenum & Isaram) conveniunt. Veteri consuetudine novo Principi administrandi leges præscribunt.* Si vera sunt, quæ de conventu *Procerum* nobis narrat Aventinus, pronum est credere, in Aschaimensi Concilio Francorum morem observatum fuisse, penes quos Præsules Ecclesiastici sacra, laici politica sejunctim tractare consueverant. Porro hic descripta legimus, quæ ab Ecclesiastico cœtu seu *a congregatione Sacerdotum*, constituta fuere; laicorum sanctiones vel deperditæ sunt, vel in archiviis delitescunt.

(4) *Tenerulus.*) Non minus, quam vigesimum circiter ætatis suæ annum agebat Tassilo anno DCCLXIII., quo Synodus hæc celebrabatur.

(5) *Cursalis oribus.*) Lege: *cursalibus horis*. Cursus idem apud veteres fuit, ac Divinum Officium in Horas Canonicas distributum.

(6) *Pactus.*) Hoc est Lex Bajuvariorum, quam consule Tit. I. cap. 2. & 3.

fraudare conatur, quibuscumque præsidiis, in ipso altare jurare faciatis, ut ne eorum lectionibus ab altare alienetis [α].

V. De decimis Deo reddendis Propheta testatur, ut si quis decimam non dederit, ad decimam revertatur. Unde venit, ut quicumque aut occasione [β] presbyteri aut avaritiæ modo Deo decimas reddere noluerit, ut manus vestræ decretus confirmetur, ut dupliciter ecclesiæ censum reddatur, ut vestræ requerillæ [γ] secundum possibilitatem culpabilis existant.

VI. De deocenis [δ], ut presbyteri sibi minime injungere debeant, nisi secundum constitutionem episcoporum, qualiter sacerdotalem aut pastoralem queant exercere curam.

VII. Ut ipsi presbyteri alienas oblationes aut decimas sibimet ingerere conentur. Unde Gregorius ait: *Per extraneam messem transiens, falcem mittere non debet*. Et alibi: *Quod tibi non vis, alii ne facias*.

VIII. (1) De Abbatibus & abbatissas convenit admonendi, ut secundum possibilitatem & loci administrationem, ut regulariter vivere debeant cum providentia episcoporum, quorum cura hæc adesse dinoscuntur. Unde & veritas: *Omnis plantatio quam non plantavit*, & reliqua.

IX. De clericis aut Nonnanes, ut aut in monasterio ire [ε] debeant, aut cum consensu episcoporum, cui hæc credita sunt, regulariter vivant, & si hoc agere noluerint, exterminentur.

X. De viduis & orphanis admoneri oportet, ut sine calumnias potentium efficientur [ζ]. Unde propheta testatur: *Vociferabuntur ad me*; & reliqua.

XI. De oppressione pauperorum admonendi convenit, ut per omnia præsides seu judices, centuriones atque vicarios admonere seu præcipere debeatis, ut sine ulla injusta calumnia permaneant (2). Unde evangelium testatur: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles*.

XII. De reliquo promiscuo, ut in lege Bajuvariorum consistere debeant, ut de eorum hereditate, exceptis capitalis criminibus (3), non alienentur. Unde veritas: *Nolite judicare, & non judicabimini*, & reliqua. Primum quidem judicium, postea misericordia.

XIII. De incestis conjugiis minime convenit, ut per omnia vestro consequamini decreto (4), quo [η] in præsente villa puplica, noncupante Ascheim constituere recordamini. Unde & Paulus: *Neque adulteri regnum Dei possidebunt*.

XIV. De missis vestris (5) per circuitu diocenum [θ], ut ibi quemdam sacerdotem (6) cum his mittere dignemini, ut ne innocens fraude deceptus calumnii restuetur & vobis in cassa commutata pecunia recurrat, pro quos in ætate positum sub jure sensu redditurum rationem fatemus, aut si recte te geris, sine hæsitatione remuneraturum in die judicii esse credimus atque testamur.

XV. De judicio puplico & clamore pauperorum per singulas sabbatis (7) fiendi aut per dies Kalendarum, ut in auribus clementiæ vestræ acta prænuntient diversa. De quibus diebus te epulaturum fateris, si hoc agere coneris testare audemus. Et in his diebus semper sacerdos adesse debeat, ut sit sententia vestra Dei sale condita, ut ne judices terreni præmias causas torquantur [κ], & innocentes obprimantur, aut nocentes justificentur.

[α] *Alieneris*. [β] *Odio*. [γ] Ita cod. Forte *requilie*, & infra *inculpabiles*. Vox ex Gallico. Vide Ducangium. *Mansi*. [δ] *Diocesanis*. [ε] *Vivere*. [ζ] *Calumniis efficiantur*. [η] *Quod*. [θ] *Circuitum diocesanum*. [ι] Locus corruptus. [κ] *Præmia torqueant*.

(1) Caput hoc & sequentia duo parallela esse dignoscuntur Canonibus quibusdam Concilii Vernensis anno DCCLV. celebrati; exordium quoque hujus Synodi similis est exordio illius. Advertit etiam Forsterus, in Codice Frisingensi, qui pene coævus est, idem Concilium Vernense Aschaimensi Concilio immediate præponi. Quæ sat innuunt Aschaimense posterius tempore esse Vernensi, adeoque illorum corruere sententiam, qui Aschaimense rejiciunt in annum DCCXLVIII.

(2) *Permaneant*.) Observat alias Forsterus *quod decreta ad Principem mittantur, non cum supplicatione, ut sua authoritate rata habeantur, sed cum exhortatione ut serventur, & executioni mandentur. Quod an faveat systemati D. Ludvvigii* (*Dissert.* de Principum S. R. I. potestate in sacris ante paces religionis) *aliisque ejus systematis fautoribus, ipsi viderint*.

(3) *Capitalis criminibus*.) Vide legem Bajuvar. Tit. I. cap. 1. lege 3.

(4) *Vestro consequamini decreto*.) Ex hoc capitulo apparet, in alio conventu Aschaemis habito jam ante hanc Synodum, sub Duce Tassilone, decretum fuisse publicatum adversus incesta conjugia.

(5) *De missis vestris*.) Hæc probant jam ante tempora celebrati Concilii invaluisse morem Missorum Dominicorum.

(6) *Quemdam sacerdotem*.) Forsterus opinatur morem adjungendi Missis Dominicis Sacerdotem nunc primum constitutum fuisse. Fides sit penes ipsum.

(7) *Per singulas sabbatis*.) Castigata videtur Lex Bajuvar. Tit. II. cap. 15. lege 1. jubens *ut Placita fiant per Kalendas, aut post quindecim dies*, & redacta ad tramites Legis conterminorum Alamannorum Tit. XXXVI lege 2. quæ præcipit, *ut Placitum fiat de Sabbato in Sabbatum*.

CON-

# CONCILIUM BAVARICUM

## Apud Dingolvingam [α] (1) XXII. anno Tassilonis Ducis Bavariæ celebratum tempore Hadriani papæ primi, Anno Christi DCCLXXII.

---

HÆc sunt decreta (2) quæ constituit sancta synodus in loco qui dicitur Dingolvingam, domino [β] Tassilo mediante.

I. DE die dominico ita constitutum est, ut tali honore habeatur sicut in lege scriptum est, & in decretis canonum. Et si quid [γ] præsumpserit frangere [δ] contra legem aut decreta canonum, tali pœna subjaceat sicut ibi scriptum est.

II. De hereditate quæ tradita est ad ecclesiam; ita constituit, ut quisquis hereditatem suam ad ecclesiam ante donaverat, aut postea donaverit, si quid mutare voluerit, chartam suam habeat ita scriptam, ut locum, tempus & personam habeat, aut tribus testibus fidelibus & nobilibus testificetur. Si sacerdos non habeat chartam nec testem, ut prædiximus, tunc sicut in lege Bajoariorum & judex judicat, sic defendat.

III. De eo quod episcopi juxta canones, & abbates monasteriorum juxta regulam viventes [ε], ita constituit.

IV. De eo quod sanctimoniales [ζ] quæ in servitio Dei sunt, ita constituit, ut nullus ausus sit in conjugium & matrimonium ducere: aut si quis ausus fuerit contra decretum [η] canonum, ita componat sicut canones decreverunt.

V. De eo quod jus ad [θ] legem quam habuerunt in diebus patris sui, nobiles & liberi servi ejus, ita donaverunt [ι] ut firma fieret.

VI. De eo quod ut si qui [κ] de nobili genere de hereditate sua dare [λ] ad sanctuarium Dei, in sua potestate esset, nemo prohibuisset [μ], nec mutaret in perpetuum.

VII. De eo quod ut servi principis qui dicuntur Adelschalche (3) ut [ν] suam habeant Weregeldam, juxta morem quem habuerunt sub parentibus, & cæteri minores Weregildi juxta legem suam, ita constituit.

VIII. (4) De eo quod parentes principis quodcumque præstitum fuisset nobilibus intra Bajoarios, hoc constituit, ut permaneret, & esset sub potestate uniuscujusque relinquendum posteris, quamdiu stabiles fœdere servassent apud principem ad serviendum sibi, & hæc firma permaneret, ita constituit.

IX. De eo ut nullus hæreditate sua privetur, nisi per tres causas, quas [ξ] in pacto (5) scribentur [ο]: Propter homicidium, hoc est, ut quisquis hominem principis sibi dilectum occiderit, ob injuriam principis, & ad calumniam, hominem componat secundum legem, tunc privetur hereditate sua.

X. De eo quisquis mulierem [π] nobilem acceperit in conjugium, & non præscivit, ita constituit, ut iterum libera esset, dimittat servum, & postea non redigatur in servitium, sed esset libera.

XI. De eo quod & si quis de quocumque reatu accusatus ab aliquo potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare si voluerit, antequam pugnam quæ Wedahinc [ρ] vocatur, permittat [σ].

XII. De eo quisquis de nobili genere deprehensus fuerit de illis IV. [τ] causis de qua [υ] supra diximus, si ille hereditate sua [φ] portionem pro illius criminis reatu perdat, uxor autem illius suo jure non privetur, ita constituit.

XIII.

[α] Dingelfina, *vel Isaurum amnem in Bavaria*. Harduinus. [β] *Tassilone*. [γ] *Quis*. [δ] Lindenbrogius, *facere*. [ε] *Vivant, aut viventes sint*. [ζ] *De sanctimonialibus*. [η] Lind. *Decreta*. [θ] Lind. *ac*. [ι] Lind. *liberi, & servi ejus, ita ordinavit*. [κ] Lind. *si cui*. [λ] *Vellent*. [μ] Lind. *prohiberet*. [ν] Abundat *ut*. [ξ] *Quæ*. [ο] Lind. *scribuntur*. [π] *Servus* videtur deesse. [ρ] Lind. *Vorhadinc*. [σ] *Permittatur*. [τ] Lind. *III*. [υ] *Quibus*. [φ] *Ille hereditatis sua*.

---

(1) *Apud Dingolvingam.*) *Concilium Bavaricum apud Dingolvingam celebratum ad nos integrum non pervenit, sed potius ejus fragmentum, a Marco Velsero e tenebris crutum*. Pagius ad an. DCCLXXII.

(2) *Hæc sunt decreta.*) Procemiolum hoc deest in Lindenbrogiana editione; hoc autem loco præfixus legitur integer articulus: *Regnante in perpetuum &c.*, qui habetur infra post legem XIV.

(3) *Adelschalche.*) Hoc est, servi nobiles. Videntur fuisse ii, qui nobile quoddam ministerium Principi impendebant.

(4) *VIII.*) Articulus hic deest apud Lindenbrogium.

(5) *In pacto.*) Hoc est in Lege Bajuvariorum, in qua simile quid legitur Tit. II. cap. 1. lege 3. ad quam appellat & Synodus Aschaimensis cap. 12. Observa semper repetitam legem, qua vita & facultates populi tutæ redderentur adversus eos præcipue, qui juri dicundo præfecti erant. Confer quæ dicta sunt in Præfatione Generali Tomo I. præfixæ.

XIII. (1) De collaudatione quam episcopi & abbates in Bajoaria inter se fecerunt, pro defunctis fratribus.

In Cristi nomine: Notitia qualem convenientiam gentis Bajoariorum episcopi & abbates inter se fecerunt, quorum nomina infra perarare stylo decrevimus. Id est, Manno Nuvenpurgensis civitatis episcopus, Alim, Vigilius [α], Wiserich, Sintpreth, Heres, episcopi; Oportunus Wolfpreth, Adalpreht, Ato, Uto, Lantfrit, Albune, Ruothart, Ernest, Reginpreht, Volchanhart, Perchkoch, Sigido, abbates (2).

XIV. Ut eorum quis de hac luce migrarer, unusquisque superstitum (3) episcoporum vel abbatum pro defuncto in domo sua episcopali vel cœnobio centum missas speciales & eodem numero psalterio [β] cantare faciat. Ipse vero de propria persona sua xxx. speciales missas compleat, vel a religiosis sibimet subjectis impleie omnino prænotatum facier numerum presbyteris sive monachis, cum de hoc sæculo migraverint episcopus seu abbas, uno presbytero vel monacho xxx. missas speciales, totidem psalteria faciant celebrari.

*Post hæc mox ista subjiciuntur eodem, ut vides, ordine,*

## DE CONCILIO,

### Quod dux Tassilo apud Dingolvingam celebravit.

Regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo, in anno vero XXII. regni (4) religiosissimi ducis Tassilonis gentis Bajoariorum sub die consulem [γ] (5) [δ], quod erat II. Idus Octobris, atque anno ab incarnatione Dominica (6) DCCLXXII. indictione X. divina præflatus inspiratione, ut omne regni Dei [ε] prænotatus princeps collegium procerum coadunaret in villam publicam Dingolvingam nuncupatam, ut ibi tam regulare moderaretur [ζ] in sancto habitu cœnobium virorum & puellarum, quam episcopales moderaretur obsequias, insuper gentis suæ institutiones legum per primatos [η] imperitos [θ] universa consentiente multitudine, quæ reperit diuturna [ι] vitiata, & quæ videbantur abstrahendo evellere [κ], & quæ decretis placerent componendo instituerentur [λ]. Inter tot vero collegia sacerdotum, devolutis episcoporum & abbatum in præsentia paginis, regularis ordines vitæ atque canonum normas vel decreta patrum nullis comprobare quiverant testimoniis, ut monachis parochiæ commendari deberent vel publica baptismatis obsequia, nisi forte pro periculo mortis, & nihil eorum implerent commorandi negotio, excepto [μ] vicissitudinis villarum propriarum singulis annis obedientialibus curis commissio ab abbate proprio fuerit determinata. Unde ab universis abbatibus facta professio, ut minime titulis popularibus se ingerere depellerentur, & hæc omnia [ν] cui commissæ sunt plebes, sub potestate episcoporum permanerent, sicut in sanctis synodis vel decretis priscorum patrum perarata comprobat conscriptio: ab episcopis vero simili modo, & nihilominus prælatis [ξ] ponderaverunt sententiis, ut erga eos charitatis gererentur curæ, ita ut canonica auctoritas confirmat, & spiritualis concordia declarat. Hoc peracto concilio, & [ο] ab universis uno

[α] *Virgilius.* [β] *Psalteria.* [γ] Fortasse Callisti, incidit enim prid. Id. Octobris. [δ] Lind. *Sub die consulum.* [ε] Lind. *sui.* [ζ] Lind. *Ordinares.* [η] *Primates, & peritos.* [θ] Lind. *Per primates imperii,* [ι] *Diuturnitate.* [κ] Lind. *Abstrahenda, evelleret.* [λ] Lind. *Componenda, instituerer.* [μ] *Si.* [ν] Lind. *Deberent, sed hæc omnia &c.* [ξ] *Prolatis* [ο] Lind. *Est.*

(1) *XIII.*) Articuli XIII. & XIV. desiderantur in editione Lindenbrogii.

(2) *Abbates.*) Aventinus Annal. Bojor. libro III. c. 10. n. 4. hæc habet: *Celebrior conventus Bojorum in inferiore Bojaria* Dingulofini *fuit, oppidum est in ripa Isaræ. Interfuere sex Episcopi, & Pontifices tredecim Monasteriorum rectores. Atque hi fuere Episcopi,* Mannus Neoburgensis; *ea Provincia & Diœcesis postea* Divo Udalrico *condonata* Augustam Rhetiæ *translata est.* Almus *Sabonensis*, Divus Vergilius *Saleburgensis*, Bisericus *Laureacensis Archiflamen, Pontifex Bathavensis*, Synebertus *Reginoburgensis*, Aribo *Fruxinensis. Nomina Antistitum, qui cœnobiis ac contuberniis præfuerunt, hæc sunt:* Oportunus *Menensis*, Wolfprechtus *Altaichii inferioris pater*, Albertus *Tigurinus*, Ato *Schiratius, qui jam ad Schlechdorf & in templum ibi Divo Dionysio dedicatum demigrarat, relicto saltu Schiratio*; Uto, *qui & Ato Ilmensis*, Landofridus *Burensis*, Albanus *Sandunensis*, Ruthardus Wessobrunnæ *Præsul*, Arionistus *superioris Altaichii*, Reginobertus *Pfaffomonasterii*, Wolcardus *Austraviæ*, Berichtoldus *Chimensis*, Segido *Weltenburgensis rector. Vice Reginoburgensium, Bathaviensium, & Monachorum Juvavensium functi sunt eorum Pontifices.*

(3) *Unusquisque superstitum.*) Hæc innuunt, instituta jam tunc fuisse pia sodalitia ad missas, precesque pro defunctis confratribus persolvendas.

(4) *Anno XXII. regni* &c.) Vide quæ in hanc epocham habet Pagius ad an. DCCLXXII.

(5) *Sub die consulem.*) Seu potius, *sub die consule. Notes formulam* sub die Consule, *qua Bajoarii hucusque in datis omnium Chartarum usi sunt, & quæ etiam in dato Synodi Dingolfingensis extat, ac ibi a Welsero male interpretata est*, sub die Callisti. *Olim enim Bajoarii Romanorum more annos per Consules numerarant; cum vero hi defecissent, formulam tamen* sub die Consule, *hoc est, sub tempore vel regimine Consulis incerti, vel non existentis, retinuerunt.* Eccardus Franciæ Orientalis Tomo I. pag. 727.

(6) *Anno ab incarnatione Dominica.*) Indicatur, hanc esse Concilii appendicem a posteriori manu exaratam, cum numerare annos *ab Incarnatione Domini* in frequenti usu non fuerit ante initia sæculi VIIII. Vide Murat. Annal. ad an. DCCCI. Idipsum probat & Rubrica in fronte hujus articuli posita.

uno ore confirmato [α], ut ſi quis de eadem inſtitutione deviare præſumpſerit, a collegio eorum alienetur, uſque iterato examine, id eſt, publica ſynodo,

## De popularibus legibus.

I. PRænotatus princeps univerſo concordante collegio hic [β] conſtituit, ut nullus a provinciæ ſuæ mancipium limine [γ] venumdare vel proprium vel fugitivum præſumpſerit: & ſi quis hoc decretum non obſervaverit, Weregeldo ſuo culpabilis permaneret.

II. (1) Ut nullus furtivam rem, tam in equis & aliis quadrupedibus, quam in reliqua ſupellectili, extra finem Bajoariorum venumdare, vel machinis diabolicis extra minandi, inſidiis tegi; ut [δ] ſi quis hoc præſumpſerit, XL. ſolidis componat in publicum. Ut ſi quis domum tam liber quam ſervus altius [ε] effoderit, & ibi occiſus fuerit, ſine compoſitione in ſua damnatione permaneat. Si autem ſupellectilia abſtulerit de eadem domo, & eo fugiente in curtem vel extra curtem, hic cui damnum intulit conſequitur & interfecerit, pari ſubjaceat ſententiæ. Similiter qui liberum vel mancipium ſuum furaverit, & eum comprehendere minime quiverit, & ibidem interfecerit reum, ſuperior permaneat ſententia. Sed tamen ea genera trium homicidiorum, debita ſigna [ζ] vicinis ſuis, & his qui aſſiſtunt, inſignet.

III. De pugna duorum, quod Wenda hinc vocetur [η], ut prius inſortientur quam parati ſunt, ne forte carminibus, vel machinis diabolicis, vel magicis artibus (2) inſidiantur.

IV. Qui ſupradictæ [θ] pugnæ, quod Chamfuvic [ι] dicimus peracto judicio, ſe ſimili vindicta erigere contra querentem præſumpſerit, ſacramentum quod Atheja [κ] dicitur, juret in eccleſia, cum tribus nominatis ſacramentalibus.

V. De eo quod Bajoarii Stafsaken [λ] (3) dicunt, in verbis quibus ex vetuſta conſuetudine paganorum idololatriam reperimus, ut deinceps non aliter niſi indicat [μ] qui quærit debitum; *hæc mihi injuſte abſtuliſti, quæ reddere debet* [ν]; Reus vero contradicat; *nec hoc abſtuli, nec componere debeo*, iterata voce requiſito debito dicat: *Extendamus dextras noſtras ad juſtum judicium Dei:* & tunc manus dexteras uterque ad cælum extendat (4).

VI. Ut nullus furtivam rem ſuſcipere vel in-

[α] Lind. *Confirmatum.* [β] *Sic.* [γ] *Limite mancipium.* [δ] Lind. *extra minare inſidiis tentet. Et.* [ε] *Alterius* [ζ] Lind. *deb to ſigno.* [η] Lind. *Vvehadinc vocatur.* [θ] Lind. *ſupra prædicta.* [ι] Lind. *Camfuvic.* [κ] Lind. *Abteid.* [λ] Lind. *Stapſsachen.* [μ] *Ita dicat.* [ν] *Debet.*

(1) *II.*) Articulus hic in tres diſpeſcitur articulos apud Lindenbrogium.

(2) *Vel magicis artibus.*) Ejus generis cautelæ & alibi occurrunt, cum de duellis judicialibus agitur. Ex. gr. Lex Coſtumaria Normannica P. II. cap. 2. art. 10. de pugilibus ad campum convocatis agens, hæc inter cætera præcipit: *Deinde jurabunt ſorcerias, & primus defenſor, quod nec per ſe nec per alium in campo ſorcerias fecit afferre, quæ ei poſſint, vel debeant juvare, vel parti adverſæ nocere. Et appellator conſequenter jurabit ſimiliter.* Animadverte quo munimentorum genere adverſus vim duelli hominem tutari poſſe ſibi perſuaderent, non modo ignara plebecula, ſed & Legislatores, & Judices.

(3) *Stafsaken.*) Compoſitæ vocis poſterius membrum *ſaken* notiſſime ſignificat cauſam; prius vero membrum *ſtaf*, vel *ſtapf*, lubrici adeo ſignificatus eſt, ut in illo explicando ipſi linguarum Germanicarum peritiſſimi abierint in diverſa. Inter eruditorum ſententias liceat & mihi prodere meam. Meminiſſe debemus nos in Francia Orientali verſari, ubi proculdubio quibuſdam in cauſis ritus obſervabatur, qui *Paganorum idololatriam* ſapiebat. Hæc namque habentur in Lege Ripuariorum Tit. LXVII. lege 5. *Si quis pro hereditate, vel pro ingenuitate certare cœperit poſt malo ordine, cum ſex in Eccleſia conjuret, & cum duodecim ad ſtappulum* (Heroldus legit *ſtapfpolum*, Tilius *ſtaffolum*) *Regis in circulo, & in basla, hoc eſt, in ramo, cum verborum contemplatione conjurare ſtudeat.* Hic autem Ethniciſmi reliquias ſuperſtites cernere reor. Fragmentum vetuſtiſſimæ Legis Islandicæ in Ethniciſmo latæ, denominatæ *Ulfliotzlog*, apud Bartholinum de cauſis contemptæ a Danis mortis libro II. cap. 7. hæc promit verba: *Unuſquiſque, cui negotium aliquod forenſe ibidem coram judice peragendum erat, ad hunc annulum jurare tenebatur duobus, pluribuſque teſtibus nominatis hac formula: ad hoc teſtes advoco me ad annulum juramentum præſtare, & quidem juramentum legitimum. Ita Freyus, & Niordus, & omnipotens ille Deus me adjuvent &c.* Quiſnam autem fuerit annulus ille, diſcimus ex Arngrimo Jona Crymogeæ libro I. cap. 7. qui de delubris quondam in Islandia exiſtentibus verba faciens, inter cætera ſcribit: *In ara præterea annulus aſſervabatur argenteus (vel ex orichalco) unciarum XX., quem forenſi aliquo munere fungentes, jusjurandum jam præſtituri, victimarum illinitum cruore, religioſe inter jurandum contrectabant.* Hæc de circulo, ſeu annulo. Huc facit & *basla*, quod corylum deſignare egregie notat Eccardus in citatum locum Legis Ripuariorum. Baculi, ſeu cancelli lignei, quibus olim monomachiæ campus deſcribi conſueverat, *Haſla-voll* appellantur apud Jo. Ihre V. *Haſſel*; *Heſleſtei gur* apud Vormium Monum. Dan. lib. I. cap. 10. profecto non alia de cauſa, niſi quia corylus primitus illorum baculorum materia fuerat. Cur autem præ cæteris lignis corylus ſelecta fuerit, facile conjicient, qui virgulæ ex corylo præclaras virtutes & energias deprædicant, qua in re & ego in adoleſcentia mea plurimum inſanivi. Inde porro innititur, coryli virgam veteribus, ut & recentioribus thaumaturgam creditam fuiſſe; a que in juramento peracto in circulo, ſeu annulo, & in coryli ramo ſuperſtitioſum & paganicum quid facile latere potuiſſe, ſicut & *in contemplatione verborum*, quæ una cum eo ritu proferre moris erat. Atque idipſum interdictum fuiſſe reor hac Taſſilonis decretione.

(4) *Et tunc manus dexteras uterque ad cælum*

intra terminum abſcondere præſumat ; qui hoc fecerit, XL. ſolidis componat.

VII. Ut hi qui ducali manu liberi dimiſſi ſunt, ad eadem cogantur judicia quæ Bajoarii Urtella (1) dicunt.

VIII. (2) Ut hi qui in eccleſia libertatem conquirebant, deinceps tam ipſi quam eorum poſteritas in ſecura libertate permaneant, niſi forte ipſi ſibimet inſolubile damnum inferant, quod componere minime quiverint.

IX. Qui ex eis occidentur, prætium eorum his ſolvatur eccleſiis ubi liberi dimiſſi ſunt. Liberi qui ad eccleſiam (3) dimiſſi ſunt liberi, vel per chartam acceperunt libertatem a rege, ſi occidantur, LXXX. ſolidis componantur eccleſiæ vel filiis eorum, in dominico XL. ſolidis componantur (4). Si ancilla libera (5) dimiſſa fuerit per chartam aut in eccleſia, & poſt hæc ſervo nupſerit, eccleſiæ ancilla permaneat. Si autem libera Bajoaria ſervo eccleſiæ nupſerit, & ſervile opus ancilla contradixerit, abſcedat : ſi autem ibi filios & filias generaverit, ipſi ſervi & ancillæ permaneant, poteſtatem exinde [α] non habeant : illa autem mater eorum quando exire voluerit, ante annos III. liberam habeat poteſtatem ; ſi autem III. annos induraverit opus ancillæ, & parentes ejus non exadoniaverunt eam ut libera fuiſſet, nec ante comitem, nec ante ducem, nec ante regem, nec in publico mallo, tranſactis tribus Kalendis Martis [β], poſt hæc ancilla permaneat in perpetuum, & quicumque ex ea nati fuerint, ſervi & ancillæ ſunt.

X. Qui furtivam, quod Zougenzunt [γ] dicitur, ſuper furem comprobare nequiverit, furtivo componat more.

XI. Qui reſiſterit domum ſuam, quod ſeliſuchen [δ] (6) dicunt, qualem rem quærenti reſiſtebat, talem componat. In publico XL. ſolidis.

XII. Qui manuum immiſſionem reſiſterit, quod hantelod dicunt, XL. ſolidos ſolvat in publico, & ipſam rem quærenti reddat.

XIII. De his qui ſupradictis homiciis [ε] debita morte in furto repertis [ζ], [η] ut ſi quis hujus interfecti parentelæ eum qui ſuo ſcelere captus eſt, vindicare tentaverit, a propria alode alienus efficiatur.

XIV. Et ſi quis ſignum quod eſt ſigillum inhonoraverit, vel hujuſcemodi injuncta minime impleverit, prima vice arguetur; ſecunda XL. ſolidis componat ; III. ſuum Weregeldum ; IV. exterminetur abacto officio.

XV. (7) Ut ſi quis judicium furti [θ] in bina vel terna reprehenſione [ι] non damnaverit, & eum diabolico lucro dimiſerit, ut [κ] per eum quaſi comparticeps, ſpoliis pauperum [λ] ditarentur, tot [μ] ſceleris [ν] quod commiſerit ante oculos Dei & angelorum efficiatur [ξ], nihilominus cui fraudem fecerit, quaſi proprium componat debitum. Ut ſi quis in virtute conjunctus, a conjuge propria adulterina ſeparatus fuerit, ejuſque ex cognatione conjugis propter eamdem dimiſſionem qui [ο] eum perſequi tentaverit, a proprio alienantur [π] patrimonio.

XVI. Ut nullus poſt tonſuram capillos uſu populari nutrire præſumat, nec velata relicto velo ſæcularem habitum ſumat, ut [ρ] ſi quis vel qua in hoc vitio reperti fuerint, aut corripiantur, aut excommunicentur.

[α] *Exeundi.* [β] *Martiis.* [γ] Lind. *Zougenzubt.* [δ] Lind. *ſaliſuchen.* [ε] *Homicidiis.* [ζ] *Repertus.* [η] Lind. *Repetti ſunt.* [θ] Lind. *judicum furem.* [ι] Lind. *deprehenſione.* [κ] Lind. *ac.* [λ] *Ditaretur.* [μ] Lind. *reus ſceleris.* [ν] *Scelerum.* [ξ] *Reus.* [ο] *Quis.* [π] Lind. *alienetur.* [ρ] Lind. *&.*

---

*lum extendat.*) En ſpeciem judicii Crucis, in quo determinando haud modicum deſudavit Cangius. Eſt ſiquidem ſpecies Ordalii, ſeu *Judicii Dei*, quo contendentes brachiis extenſis ſe ſiſterent eo pacto ut qui prior laſſus corrueret, vel brachia dimitteret, cauſa cecidiſſe cenſeretur. Conſule Muratorium Antiquit. Italic. Diſſert. XXXVIII. Cæterum Ordalia Crucis ab Auguſtis ſubinde interdicta fuere. Lex Langobardica XC. Lotharii I. *Statutum eſt, ut nullus deinceps quamlibet examinationem Crucis facere præſumat, ne Chriſti paſſio, quæ glorificata eſt, cujuslibet temeritate contemptui habeatur.*

(1) *Urtella.*) *Ordela* Sveogothica dialecto verbotenus ſignificat *liti finem imponere*. *Ihre Gloſſar. hac voce.* Inde *Ordalium*, vox veteribus notiſſima, qua indigitabantur probationes per aquam, per ignem, per ferrum candens, & cætera, quæ dicta fuere *judicia Dei*; hoc enim judiciorum genere in cauſis implexis, præſertim cum de dubio facti ageretur, *liti finis imponebatur*, utpote quæ ab ipſo ſupremo Numine judicata cenſeretur. Confer dicta in Monito hiſce Legibus Franciæ Orientalis præfixo.

(2) *VIII.*) Caput hoc, & ſequens Caput IX. aliter diſſecantur apud Lindenbrogium, atque in tria Capita dividuntur.

(3) *Liberi qui ad eccleſiam.*) Iiſdem pene verbis deſcripta legitur Lex Alamannorum Tit. XVII.

(4) *In dominico XL. ſolidis componantur.*) Hæc verba deſiderantur in Lege Alamannorum.

(5) *Si ancilla libera.*) Et hæc quoque uſque ad finem Capitis pene ad verbum conveniunt cum Lege Alamannorum Tit. XVIII. Videntur hæc ex ipſa Alamannorum Lege deprompta fuiſſe, & Bajuvariis quoque aptata, imperante Taſſilone.

(6) *Seliſuchen.*) Seu potius *Saliſucben*, verbotenus eſt *ſcrutinium domus facere*, ſcilicet, rem furtivam quærendo. Hujuſce legis intelligentiæ lumen forte affundere poteſt mos hodiedum inter pagenſes noſtros ſuperſtes. Etenim hominibus, qui ſunt de *Vicinia*, ſeu de Conſilio Communitatis, jus eſt quamcumque domum ingredi, ac perſcrutari, ad inquirendum præcipue in furta: quibus obſiſtere nefas eſt. Atque hæc inquiſitio proprie *ſcrutinium* appellatur, noſtratibus *ſcruſugn*.

(7) *XV.* Caput hoc in bina diſpeſcitur in editione Lindenbrogiana.

CA-

# CAPITULA CAROLI MAGNI.

## CAPITULARE BAJUVARIORUM. (1)

*Hæc ſunt Capitula quæ Domnus Karolus ſereniſſimus addere juſſit.*

### INCIPIUNT CAPITULA.



### INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

*De banno regis inrupto componendo.*

I. UT bannum ipſius quilibet irruperit, componere debeat.

*De tuitione Eccleſiæ, viduarum, orphanorum & minus potentum.*

II. Ut Eccleſia, viduæ, orphani, vel minus potentes pacem rectam habeant. Et ubicunque fuerit infracta, ſexaginta ſolidis componatur.

*De raptu & violentia & incendio infra patriam factis.*

III. Ut raptum vel vis per collectam hominum & incendia infra patriam nemo facere præſumat. Et qui hoc commiſerit, ſexaginta ſolidos in bannum noſtrum componat.

*De mannitione in hoſtem.*

IV. Similiter & qui juſſionem regiam in hoſte bannitus inruperit.

*De compoſitione hominis denarialis.*

V. De denarialibus, ut ſi quis eos occiderit, Regi componantur.

*De his qui in Eccleſia manumiſſi ſunt.*

VI. Similiter de his qui per chartam in Eccleſia juxta altare dimiſſi ſunt liberi, cum quadraginta ſolidis Regi componantur.

*De his qui per chartam ingenuitatis dimiſſi ſunt liberi.*

VII. Qui vero per chartam ingenuitatis dimiſſi ſunt liberi, ubi nullum patrocinium & defenſionem non elegerint, ſimiliter Regi componantur quadraginta ſolidis.

*Ut Clericum alienum nemo recipiat ſine conſenſu Epiſcopi ſui.*

VIII. Ut Clericum nemo recipere audeat ſine conſenſu Epiſcopi ſui. Et ſi eum aliquis acceptum habet, quando licentia ipſius Epiſcopi fuerit, aliter non faciat; niſi eum ejus præſentia perſcrutandum, ſi dignus fuerit, deducat. (2)

(1) *Capitulare Bajuvariorum.*) Anno DCCLXXXVIII. e Principatu dejectus fuit, & in monaſterium detruſus Taſſilo Dux et Princeps Bojoariorum: & ſubinde octo hic deſcripta Capitula Carolus Magnus ſervanda tulit Bajuvariis, ut & aliis populis regni ſui. Welſerus ea refert ad eundem annum DCCLXXXVIII., Carolus le Cointe reiicienda arbitratur in annum DCCXCII. Eruditiſſimus Baluzius generatim colligit ea edita fuiſſe ante annum DCCXCVII., cum in Capitulari Saxonum cap. 1. & 2. quod eodem anno editum fuit, horum octo Capitulorum diſerta mentio fiat.

(2) *Deducat.*) Baluzius iterato profert octo hæc Capitula ad an. DCCCVI., in quorum fine hæc habetur adnotatio. *Hæc octo Capitula in aſſiduitate. Reliqua autem reſervata ſunt Regibus, ut ipſi poteſtatem habeant nominative demandare, unde exire debent.* Ex quibus concludit, Capitula ipſa (ut tunc moris erat) repetita fuiſſe, poſtquam Carolus Magnus anno DCCCVI. Regni diviſionem inſtituerat inter filios ſuos Karolum, Pippinum, & Ludovicum.

## Hæc Capitula (1) nostra Missi nostri cognita faciant omnibus in omnes partes.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. *De armis non portandis.*
2. *De latronibus.*
3. *De animalibus vel aliis rebus, a quibus emantur.*
4. *De adventitiis.*
5. *Item de adventitiis & fugitivis.*
6. *De istis capitulis ad Missos transmittendis.*

INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

*De armis non portandis.*

I. Ut nullus ad mallum vel ad placitum infra patriam arma; id est, scutum & lanceam portet.

*De latronibus.*

II. De latronibus, quicunque post Missam sancti Johannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum duodecim similibus Francis juret, quod latronem eum fuisse non scisset, licet pater ejus sit aut frater vel propinquus. Si hoc jurare non potuerit, & ab aliquo convictus fuerit quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro, & infidelis judicetur; quia latro, infidelis est noster & Francorum; & qui illum suscipit, similis est illi. Si autem audivit quod latro fuisset, & tamen nescit profirmiter, aut solus juret quod nunquam eum audisset nec per veritatem nec per mendacium latronem esse; aut sit paratus, si de illo latrocinio postea victus fuerit, ut similiter damnetur.

*De animalibus vel aliis rebus, a quibus emantur.*

III. Ut nullus comparet caballum, bovem, & jumentum, vel alia, nisi illum hominem cognoscat qui eum vendidit, aut de quo pago est, vel ubi manet, aut quis est ejus senior.

*De adventitiis.*

IV. De adventitiis, ut cum Missi nostri ad placitum nostrum venerint, habeant scriptum quanti adventitii sunt in illorum missatico, & de quo pago sunt, & nomina eorum, & qui sunt seniores eorum.

*Item de adventitiis & fugitivis.*

V. Similiter dreximus Missos in Aquitaniam & in Longobardiam, ut omnes fugitivos & adventitios ad nostrum placitum adducant.

*De istis capitulis ad Missos transmittendis.*

VI. Quicunque ista capitula habet, ad alios Missos ea transmittat qui non habent, ut nulla excusatio de ignorantia fiat.

## Et hæc Missi nostri ante nativitatem Domini omnibus cognita faciant.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. *De justitiis ecclesiarum.*
2. *De potestate Episcoporum.*
3. *Ut viduæ, orphani, & minus potentes habeant defensionem Imperatoris.*
4. *De concordia Episcoporum & Comitum.*
5. *De latronibus, homicidis, adulteris, & incestuosis.*
6. *De rebus propriis.*
7. *De eo qui dixerit quod ei juste non judicetur.*
8. *Quas justitias Missi ad præsens faciant. Et de marcha custodienda.*

INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

*De justitiis ecclesiarum.*

I. In primis omnium jubendum est ut habeant ecclesiæ earum justitias, tam in vita illorum qui habitant in ipsis ecclesiis, quamque in pecuniis & substantiis eorum.

*De potestate Episcoporum.*

II. Ut omnes Episcopi potestative secundum regulam canonicam doceant, & regant eorum ministeria, tam in monasteriis virorum quam puellarum, vel in forensibus Presby-

(1) *Hæc Capitula.*) Quatuordecim, quæ sequuntur, Capitula Lindenbrogius Bajuvariorum legi subnexuit, utpote ad Bajuvarios præcipue spectantia; quod & ex Capitulis ipsis probatur. Baluzius ea rejicit in annum DCCCVI.

byteris, seu reliquo populo Dei.

*Ut viduæ, orphani, & minus potentes habeant defensionem Imperatoris.*

III. Ut viduæ & orphani & minus potentes sub Dei defensione & nostro mundeburdo pacem habeant, & eorum justitias adquirant.

*De concordia Episcoporum & Comitum.*

IV. Episcopi cum Comitibus stent, & Comites cum Episcopis, ut uterque pleniter suum ministerium peragere possit.

*De latronibus, homicidis, adulteris, & incestuosis.*

V. Ut latrones, vel homicidæ, seu adulteri, & incestuosi sub magna districtione & correctione sint correpti secundum euuam Bajuvariorum vel legem.

*De rebus proprisis.*

VI. De rebus proprisis, ut ante Missos vel Comites nostros & judices veniant, & ibi accipiant finitivam sententiam. Et antea nullus præsumat alterius res proprindere; nisi magis suam caussam quærat ante judices nostros, ut diximus, & ibi recipiat quod justum est.

*De eo qui dixerit quod ei juste non judicetur.*

VII. Et si aliquis voluerit dicere quod juste ei non judicetur, tunc in præsentiam nostram veniat. Aliter vero non præsumat in præsentiam nostram venire, pro alterius justitia dilatanda.

*Quas justitias Missi ad præsens faciant. Et de marcha custodienda.*

VIII. Quod non amplius de illis justitiis Missi nostri ad præsens modo faciant nisi de temporibus Tassilonis seu Liutpirgæ, exceptis illis qui avi & genitoris nostri vel ad nos venerint. Et marcham nostram secundum quod ordinatum & sancitum habemus, custodiant una cum Missis nostris.

EXPLICIT.

# LEGES PORTORIÆ
# BOJORUM.

BOjariorum cuncti Episcopi, Abbates, Comites, omnesque, qui in Oriente iter habebant, ad Hlodovicum (1) Regem venerunt conquestum de injusto Theloneo, iniqua Muta in illis partibus. Is benigne audiens Arboni Marchioni præcepit, ut cum Judicibus Orientalium rem investigaret, jussitque Legatos illuc ire Rex Theotmarum Archiepiscopum, Burchardum Bathaviensem Episcopum & Otacharium Comitem, ut hæc vice Regis juste corrigerent. Isti jurarunt pro Theloneo in comitatu Arbonis: Walcho Vicarius, Durinc Vicarius, Gundalprecht, Anno, Gerprecht, Pazrich, Diotrich, Aschrich, Arbo, Tunzili, Salucho, Helmwin, Sigimor, Gerolt, Ysac, Salamon, Humprecht, Engelschalh, Azo, Oramvot, Ruotoh, Durinc, Reinolt, Eigel Vicarius, Poto, Eigilo, Elliger, Orlant, Gundpolt, Gerolt, Otpricht, Adalholm, Tenso, Buoto, Wolfker, Rantolf, Kozprecht, Graman, Heimo: isti & cæteri omnes, qui in his tribus comitatibus Nobiles fuerunt post peractum juramentum rogati ab Arbone Marchione in præsentia Theotmari Archiepiscopi, & Burchardi Episcopi Bathaviensis residente cum eis Otochario Comite in ipso Placito in loco Rasfoltestetun, dixere, qui justissime Theloneum exigebatur tempore Hludovici, & Karlomanni Regum, cæteræque naves ab occidentalibus partibus postquam egressæ sylvam Bathaviorum & a Rosdorff, vel ubicumque sedere voluerit, & mercatum habere obvenit pro Theloneo Semidragmam, id est Scoti I.

Si inferius ad Lintzam ire voluerint de una navi reddat tres Semimodios seu tres Scaflos de sale; de mancipiis & cæteris aliis rebus, nihil ibi solvatur, postea libertatem habeant sedendi, mercandi usque ad sylvam Bojemicam ubicumque voluerint.

Si aliquis de Bois sal domum transfert, nil solvat.

Liber mercatum transferens nec professus, naves & res auferantur, servus capiatur, donec dominus veniat.

Boi sive Sclavi, cum bobus caballis ut emant victum, nihil dant.

Carræ Sigmariæ per stratum Anasum transe-



(1) *Hlodovicum.*) Ludovico III. Regi Germaniæ Arnulphi filio leges has tribuit Aventinus. Ego in hæc curiosius non inquisivi.

ſeuntes ad cirulam unum Scafel plenum dent.

Naves de Trungowe nil dent, de Bair pariter.

Sclavi vero de Rugis vel Boemannis mercandi cauſa venientes, de Sogme una de cera, uvas maſſiolas quod utraque Scoti I. valeat.

De onere ſimiliter maſſiola una ejuſdem pretii, ſi mancipia, vel caballos vendere voluerint.

De una ancilla Tremiſamia I. de caballo maſculo ſimiliter.

De ſervo ſaigam unam, ſimiliter de equa.

Boi Sclavi Iſtrii primo ibi omnes vel Venedi nihil ſimiliter.

Naves Salinariæ ut ſylvam P. tranſierunt, nuſquam vendant, donec Eperæſpurch veniant.

De navi Legic xxx. quæ tres homines vehat de ſale Scafel III. nihil amplius.

Si ad mercatum Marharorum vult ire, ſolvat ſolidum unum de navi, tunc tranſeat. Mercatores Judæi undecunque ſint, juſtum ſolvant Theloneum de rebus & mancipiis. (1)

---

(1) Accipe nunc leges ipſas breviatas, & clariorem in lucem poſitas ab Aventino Annal. Bojor. lib. IV. cap. 21. art. 17.

*Merces, naves, improfeſſæ, publicæ ſunto.*

*Navis, quæ ab Occidentali Regno venit, poſteaquam ſylvam Bathavenſem prætergreſſa eſt, ſive Roſdorphii* (fortaſſis Kobelſdorff) *ſive alibi venundandi gratia appellitur, ſemidrachmam, hoc eſt, unum ſcutatum pendat: ſi infra Lintzium tendit, ſemimodios tres, hoc eſt, tres ſcaphulas ſalis ſolvat: copia poſtea ſit cuique, quo libet verſus Bojemiam, diſtrahendi gratia vehi.*

*De mancipiis, cæteriſque rebus nihil penditur. Bojus domum ſalem tranſvehens, nihil pendit. Boii, Sclavi, bobus, caballis, clitellis, ut victum emant, commeantes, immunes ſunto.*

*Naves Tranorum nil præſtant.*

*Carri, clitellarii, qui Anaſſum tranſeunt, ſcaphulam præbent.*

*Venedi, qui de Rugiis, Bojemis, mercandi gratia veniunt, de clitella unum ſcutatum tribuunt: de mancipio, caballis venditis, ſaicam unam. Venedi vero in Bojaria incolentes, ementes, vendentes, nil tribuunt.*

*Naves ſalinariæ ſylvam Bathavenſem egreſſæ, nil pendant, donec ad Eberſperg* (Eberſperg an der Traun) *veniant: ſi quis ad Moraviam navigat, de nave Solidum ſolvat.*

*Mercatores, Judæi, undecunque ſint, de rebus & mancipiis juſtum pendant vectigal.*



FOR-

# FORMULÆ ANTIQUÆ ALSATICÆ

Cum Annotatiunculis Jo. Georgii Eccardi.

## FORMULARUM ARGUMENTA.

1. *Carta traditionis Monasterio in precaria.*
2. *Carta repræstationis a Monasterio in precaria.*
3. *Walafridi Abbatis Augiensis Cœnobii comparatio de Mundanis & Ecclesiasticis dignitatibus.*
4. *Carta Regalis Manumissionis.*
5. *Carta Exemptionis mansi cujusdam a tributis, vectigalibus, operibus & araturis.*
6. *Carta qua Rex concedit Parochiæ jus eligendi Episcopi.*
7. *Carta qua Rex concedit Ecclesiæ curtem seu fiscum juris proprii & regalis.*
8. *Carta qua Rex concedit Monasterio jus eligendi Abbatis.*
9. *Carta institutionis Monasterii a Rege sub ejus & Episcopi jurisdictione.*
10. *Carta Excambii seu permutationis inter Regem & Vasallum bonorum jure hæreditario possidendarum.*
11. *Epistola commendatitia formata Episcopo in favorem Sacerdotis de sua Diœcesi in aliam transeuntis.*
12. *Alia brevior pro Diacono ad Sacerdotium promovendo.*
13. *Epistola Suffraganei ad Metropolitanum, de consecrando Episcopo a Rege designato.*
14. *Epistola Hl. Regis Francorum Hl. Galliarum Aquitaniæ & Hispaniæ Regi, de amicitia & pace servanda, & ut munera grata habeat.*
15. *Epistola de tundendis capillis & cuculla Monachorum.*
16. *Epistola qua Episcopus se erga Regem excusat quod non venerit ad conspectum.*
17. *Epistola qua Suffraganeus Metropolitanum informat de appellatione interposita a sententia separationis lata contra conjuges consanguineos in quarto & quinto gradu.*
18. *Mandatum Episcopi Archipresbytero pagi, de forma observanda in triduano jejunio a Regibus pro multis necessitatibus ordinato.*
19. *Aliud mandatum Episcopi Congregationi Monachorum de triduano jejunio observando.*
20. *Constantiensis Episcopi ad Argentariensem Epistola, qua monet de transitu ad Luxoviense Cœnobium, & petit ut mansionem & cuncta sibi necessaria, & sequentibus suis in vico suæ potestatis præcipiat subministrari & exhiberi.*
21. *Episcopus mandat Vicedomino suo ut Nemidonensem Episcopum Romam proficiscentem honeste excipiat, & necessaria, quæ in mandato exprimuntur, illi subministret.*
22. *Epistola, qua Vicedominus Procuratorem Episcopi in Pollingen monet de adventu alterius Episcopi, ut præparet illi ministerium, & res, quæ in Epistola exprimuntur, quam videre est.*
23. *Mandatum Episcopi Procuratori suo, ut celeriter perferat epistolam.*
24. *Mandatum Metropolitani Suffraganeo ut intersit Concilio Provinciali.*
25. *Epistola qua Excubitor Ecclesiæ Archiepiscopo suo Diœcesis statum exponit.*
26. *Epistola Brixiensis Episcopi alteri Episcopo, qua rogat, ut certiorem faciat, quomodo se habeant res inter Reges filios Hludovici, & consobrinum suum filium K. & de perturbatione Italiæ conqueritur.*
27. *Responsio præcedenti Epistolæ, qua status Regum & Regni exponitur.*

### I.

EGo ille cum manu Advocati illud trado ad Monasterium S. N. cui nunc S. Episcopus Abbatis jure (1) præsidet, quicquid hæreditatis in Arguna (2) possideo, hoc est in illo & illo loco, ea conditione ut ego inde duos denarios singulis annis vitæ meæ ad ipsum Monasterium



(1) *S. N. cui nunc S. Episcopus Abbatis jure.*) Legi posset: *Sancti Nazarii*. Sed cum statim sequatur, huic Monasterio præfuisse jure Abbatis *Salomonem Episcopum Constantiensem*, evidens est, legi debere: *S. G.* sive *S. Galli*.

(2) *Arguna.*) Pagum *Arguna* Paullinius a pago *Argowe* distinguere videtur; sed est unus idemque. Eckehardus *pagum Araris* vocat, & Iso in Vita S. Othmari Lib. II. c. 2. *pagum Arigeve*. Vita S. Wiboradæ Lib II. c. 9. *Erigowe* nominat. *In pago*, inquit, *qui Erigowe nuncupatur, quem Araris fluvius ex uno latere præterfluit, ex altero Rhenus*. Araris hic vulgo *Aar*, Latine vero *Arola* dicitur.

persolvam. Et filius meus, Ille, & ejus legitime procreati easdem res intra sex annos post obitum meum decem libris, in arg. & auro puro, a supra dicto Monasterio redemerant. Quod si pactum quod cum eis placitus sum confirmaverint & impleverint, potest eadem redemptio, etiam me vivente, si ita mihi & amicis meis complacuerit, fieri. Quodsi in aliquo pactionis meæ contrarii fuerint, ego de rebus meis ordinandis potestatem habeam. Sic autem hæc omnia trado, ut cuncta & filio meo, Illi, & ejus procreationi, & Monasterio proficiant, in agris, pratis, sylvis, aquis, aquarumque decursibus, & omnibus ædificiis ac mancipiis atque universa supellectili: nisi tantum quod mancipia quæ jugiter in domo mea consistunt, & mihi specialiter serviunt extra hanc traditionem relinquere decrevi, donec mihi Dominus insinuare dignatus fuerit quod de his, secundum suam voluntatem & utilitatem meam facere debeam. Si quis vero contra hanc cartam potestativa manu peractam venire, aut eam irrumpere conatus fuerit, ad fiscum Regis auri uncias tres, argenti libras octo coactus persolvat, & hæc carta nihilominus firma & stabilis permaneat. Hæc traditio primum placita & facta est in illa feria IIII. VII. Kalend. Octobris coram N. seniore Comite, & subscriptis Proceribus ac Plebejis, atque roborata est in illa VI. die Kalend. earundem Tr. VI. coram Illo Comite juniore & multitudine procerum ac popularium, quorum hic pauci admodum sunt adnotati. Signum N. & Advocatus ejus N. qui hanc traditionem fieri jusserunt & decreverunt. Ego itaque N. notavi supradictos dies, annum N. Regis Piissimi VII. (1) Comitem.

II.

Complacuit mihi S. Episcopo (2) & Abbati Monasterii S. G. (3) ut res quas nobis N. tradidit cum consensu fratrum & manu Advocati nostri N. hoc ei repræstaremus. Tradidit autem nobis eadem N. quicquid hæreditatis in Arguna in Australi parte Aquilonis Argunæ possedit. Idem in isto & isto loco, ea conditione, ut ipsi inde duos denarios singulis annis vitæ suæ ad ipsum S. G. Monasterium persolvat. Et filius illius N. & ejus legitimi procreati, easdem res intra sex annos post obitum ipsius R. X. libris in argento & auro puro a supradicto Monasterio redimant. Quod si pactum quod cum eis idem N. & procreatione ejus placita est, confirmaverint & impleverint, potest eadem redemptio, ipsa vivente, si ita ipsi N. & amicis ejus complacuerit, fieri. Quod si in aliquo pactioni ipsius contrarii fuerint, ipsa de rebus suis ordinandis potestatem habeat. Sic autem hæc cuncta tradidit, ut omnia & filio ipsius N. & ejus procreationi, & prædicto Monasterio in agris, pratis, sylvis, aquis aquarumque decursibus & omnibus ædificiis, ac mancipiis, atque universa supellectili: nisi tantum, quod mancipia quæ jugiter in domo illius consistunt, & ipsi specialiter serviunt, extra hanc traditionem relinquere decrevit, donec Deus illi insinuari dignatus fuerit, quid de istis secundum voluntatem ipsius & utilitatem suam facere debeat. Hæc conditio primum placita & facta est in N. feria IIII. VII. Kalend. Octobris coram N. seniore Comite, & subscriptis Proceribus ac Plebejis, atque roborata est in N. V. die Kalend. earundem, feria III. coram N. Comite Juniore & multitudine Procerum ac Popularium, quorum hic pauci admodum sunt adnotati. Signum S. Episcopi & Abbatis & Advocati ejus N. qui hanc precariam fieri decreverunt. Signum Dec. Sacr. (4) Præpositi Port. Hospit. Cell. Cam. Signum & aliorum testium qui ibi præsentes fuerunt. Signum illud & illud. Ego itaque N. notavi dies supra scriptos. Annum N. Comitem finis cartæ precariæ.

III. (5)

Sicut Augusti Romanorum totius orbis Monarchiam tenuisse ferunt, ita summus Pontifex in Sede Romana vicem beati Petri gerens, totius Ecclesiæ apice sublimatur. De quo Sardicensi Concilio statuitur, cunctorum statuta ad eum referri debere: idque observandum quod ipse statuerit. Sicut vero summus sæculi status aut principatus, non tantum apud Romanos, verum etiam apud aliarum partium gentes fuit, ita & aliæ Ecclesiæ dignitati sedis Apostolicæ & Romanæ consociantur. Idem Antiochensis in Asia, Alexandrinus in Africa. In Concilio enim Nicæno harum trium privilegium Ecclesiarum cæteris omnibus anteferendum ostenditur. Sed potest trium locorum eminentia ad unam dignitatem referri: quia in duobus horum Petrus ipse sedit, & cum nihilominus idem Alexandrinam, per Marcum filium suum, & Evangelium, quod ex ore ejus ipse Marcus descripserat, suam effecerat sedem; similiter intelligendum de Principatibus sæculi; quod quamvis in diversis orbis partibus per tempora sua fulserint, tamen ad jus Romanum, quasi unum apicem postremo omnes relati sunt. Comparetur ergo Papa Romanus Augustis & Cæsaribus; Patriarchæ vero Patriciis, qui primi post Cæsares in Imperiis fuisse videntur; ita & isti, qui satis pauci sunt, primi post trium Se-

(1) *Annum N. Regis Piissimi VII.*) Cum Salomon circa annum 891, Hepidanno teste, Abbas S. Galli factus sit, annus septimus Regis Arnulfi designabitur, qui in annum Christi 894. incidit.

(2) *S. Episcopo.*) Salomoni Episcopo.

(3) *S. G.*) Sancti Galli.

(4) *Dec. Sacr. &c.*) Decani, Sacristæ, Portarii, Hospitalarii, Cellerarii, Camerarii.

(5) *III.*) Ex libro Walafridi Strabonis de Exordiis rerum ecclesiasticarum cap. 31.

Sedium Præsules habentur. Deinde Archiepiscopos, qui ipsis Metropolitanis præminent Regibus conferamus. Hoc est Furiolanum, Lugdunensem, Mogontiacensem. Metropolitanos autem Ducibus comparemus, quia sicut Duces singularum sunt Provinciarum, ita & in singulis Provinciis illi singuli ponuntur. Unde & in Calcedonensi Concilio jubetur ne una Provincia in duos Metropolitanos dividatur. Quod Comites & Præfecti in seculo, hoc Episcopi cæteri in Ecclesia explent. Ferunt enim in Orientis partibus per singulas urbes, & præfecturas singulas esse Episcoporum gubernationes. Sicut Tribuni militibus præerant, ita Abbates Monachis Athletis spiritualibus præesse noscuntur. Quemadmodum sunt in Palatiis Prætores, & Comites Palatii, qui sæcularium causas ventilant, ita sunt & illi, quos summos Capellanos Franci appellant Clericorum causis prælati. Capellani minores ita sunt, sicut hi quos vassos Dominicos Gallica consuetudine nominamus. Dicti sunt autem primitus Capellani a cappa Beati Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis solebant habere secum, quam ferentes & custodientes, cum cæteris Sanctorum reliquiis Clerici Capellani cœperunt vocari. Porro sicut Comites quidam Missos suos præponunt Popularibus, qui minores causas determinent, ipsis majora reservent; ita quidam Episcopi Chorepiscopos habent, qui in rebus sibi congruentibus, quæ injunguntur efficiant. Centenarii, qui & Centuriones, & Vicarii, qui per pagos statuti sunt, Presbyteris Plebeji, qui baptismales Ecclesias tenent, & minoribus præsunt Presbyteris, conferri queunt. Decuriones & Decani, qui sub ipsis Vicariis quædam minora exercent, minoribus Presbyteris titulorum possunt comparari. Sub ipsis Ministris Centenariorum sunt adhuc minores, qui Collectarii, Quaterniones, & Duumviri possunt appellari, quia colligunt populum, & ipso numero ostendunt, se Decanis esse minores. Sunt autem ipsa vocabula ab antiquitate mutuata, in qua officia Prælatorum dicebantur ex numero subjectorum, ut sunt Chiliarchi, Græci, Latini, Millenarii, Centenarii, & Centuriones, Pentepontarchi & Quinquagenarii, Decani & Centuriones, Quaterniones, Duumviri. Ad horum, id est, minorum similitudinem sunt Diaconi, Subdiaconi, Presbyterorum adjutores in verbo, Baptismo & quotidiano officio. Sunt etiam Archipresbyteri in Episcopiis Canonicorum curam gerentes. Habent & potentes sæculi Consiliarios in domesticis, & liberorum Pedagogos suorum, habent ipsi Procuratores rei familiaris. Similiter in quibusdam Ecclesiis ad Archidiaconos familiæ respicit gubernatio. Sunt in sæcularibus Quæstionarii, qui reos examinant; sunt in Ecclesia Exorcistæ Dæmonum exclusores. Habent potentium Janitores, habet & domus Dei Hostiarios. Habet mundus Veredarios, Commentarienses, ludorum exhibitores, carminum pompaticos relatores; habet Ecclesia Accolytos, Lectores, Cantores atque Psalmistas. Cæterum ex utriusque ordinis conjunctione & dilectione una domus Dei construitur, unum corpus Christi efficitur; cunctis membris officiorum suorum fructus mutuæ utilitati conferentibus, quemadmodum oculi in sapientibus, qui veram lucem & percipiant & insinuent: os in Doctoribus, auris in benevolis auditoribus, nasus in discretionis amatoribus, manus in operatoribus, pedes in proficiscentibus, venter in compatientibus, humeri in laborum toleratoribus, & cætera in cæteris, ut non sit schisma in corpore; sed si gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra; tristatur unum, cuncta condoleant. Ista convenientia eo usque tenenda est, donec occurramus omnes in virum perfectum, ut sit Deus omnia in omnibus, Amen.

IIII.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. K. (1) Divina favente gratia Imperator. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelibus, nostrisque, præsentibus scilicet & futuris, qualiter Fideles nostri, illi & illi tradiderunt duo mancipia sua propria N. ad monasterium novum puellarum in Brixia (2) per manus Advocati ejusdem Monasterii N. & concambiaverunt inde quemdam servum N. ut eum ob mercedis nostræ augmentum liberum dimitteremus. Nos vero manu propria nostra excutientes de manu supra dicti N. denarium, & numerum & argentum & aureum & dragmam, & sestertium, & minam, secundum legem Salicam eum liberum dimisimus, & ab omni jugo servitutis absolvimus, ejusque absolutionem per præsentem authoritatem nostram confirmavimus, atque nostris & futuris temporibus firmiter & quam inviolabiliter mansuram esse volumus. Præcipientes ergo præcipimus, ut sicut reliqui manumissi, qui per hujusmodi titulum absolutum a Regibus & Imperatoribus Francorum noscuntur esse ingenui relaxati, ita deinceps memoratus N. per hoc nostræ authoritatis præceptum nullo inquietante, sed Domino auxiliante, perpetuis temporibus debeat permanere ingenuus atque securus. Et ut hæc auctoritas absolutionis nostræ incorruptivam obtineat firmitatem, annuli nostri impressione subsigillari eam jussimus. Data VIII. Kalend. Julii anno

(1) *K.*) Karolus, cognomento Crassus.

(2) *Monast. nov. puellarum in Brixia.*) Quatuordecim Monasteria Sanctimonialium sunt Brixiæ; quodnam ergo intelligatur, dubium. Celeberrimum ex omnibus est, quod B. Juliæ Martyri a Fl. Desiderio Longobardorum Rege pro Ansilperga filia Abbatissa conditum & regiis opibus suffultum fuit.

no quinto. (1) per mortem patris sui Hludvici in Francia, Alamannia, secundo regni ejus in Burgundia, Imperatoriæ vero dignitatis & Apostolicæ benedictionis primo. Ego N. Notarius & exceptor ad vicem N. (*sic*) Archimentariensis (2) recogno. Feci.

V.

In nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi K. Divina ordinante providentia triumphator & Imperator Augustus, omnibus Comitibus partibus Alemanniæ, seu successoribus atque junioribus vestris & omnibus fidelibus nostris, notum sit. Quia placuit nobis pro remedio animæ nostræ & æternæ retributionis fructu, Monasterio & Episcopio N. illi & illi quod situm est in pago N. ubi illi, & ille venerabilis Abbas & Episcopus præest, & Congregationi ipsius Monasterii quemdam censum desuper scriptis Monasteriis, qui partibus Comitum exire solebant, salva tamen functione, quæ tam ex tributo, seu vectigalibus & alia qualibet re partibus Palatii nostri venire debet, per hanc nostram authoritatem concedere, & propterea has nostræ præceptionis litteras prædicto Monasterio ejusque congregationi fieri jussimus, per quas omnibus vobis præcipimus, ut de Monasteriis denominatis, hoc est in Comitia N. indurg. . . . in Centuria illa, in loco qui dicitur N. juxta villam nostram N. de hoba illa & illa in eodem pago in Centuria N. in loco qui & ipse N. nuncupatur, qui est juxta N. baptismalem Ecclesiam, de manso illo & illo, & in eadem Comitia in parte Orientali in Centuria N. in loco qui æque N. vocatur, & est juxta Constantiensem Ecclesiam. De manso illo, & illius nullum tributum, aut vectigal, aut opera, aut araturas, aut alias quaslibet functiones exigere, aut exactare præsumetis, sed sicut in nostra Elemosina concessimus, ita perpetuo maneat. Reliqua ut supra.

VI.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis H. L. Rex Germaniæ (3), si erga loca ab anterioribus nostris Divino cultui mancipata, & servos Dei in eisdem commanentes, liberalitas nostra aliquid beneficiorum contulerit, mercedem nobis ob hoc a Deo credimus rependendam, & prolem nostram post nos feliciter regnaturam. Et idcirco omnes fideles nostri, & filiorum nostrorum præsentes scilicet & futuri cognoscant, quod venerabilis vir N. illius Ecclesiæ Præsul precibus, quibus ausus est, serenitati suggessit, quod Canonici, & familia ipsius Ecclesiæ, sed & alii Clerici & cunctus populus ejusdem Diœceseos, nimium solliciti essent & suspecti, quisnam illis aut cujus gentis per se Episcopus ordinaretur, timentes videlicet, ne si ignotus ignotis, & etiam alterius linguæ, diversorumque morum superponeretur, eis nequaquam convenire potuisset. Cujus suggestioni assensum nostræ pietatis accommodantes, & Christianæ plebis utilitati prospicientes, per authoritatem nostræ potestatis eidem Ecclesiæ hoc pacto in eodem Clero & etiam in ipsa Parrochia jus sibi eligendi Episcopum in Elemosinam nostram concessimus. Ideo si inter ipsos Canonicos Ingenui et Nobiles homines Divinæ authoritatis eloquiis, et Synodalium Decretorum constitutis instructi, et bonis moribus adornati fuerint inventi, per consensum sacrorum ordinum, et natu majorum nobilium Laicorum, qui dignus ex eis electus fuerit, ad nostræ serenitatis deducatur aspectum, ut per nostram comprobationem Clericis et Monachis et omni Populo acceptus et honorabilis habeatur. Quod si inter eos talis inveniri nequiverit, sed Dei gratia Monasteria in eadem Diœcesi Nobilibus et eruditis viris referta, inde dignum et industrium Ecclesiæ Rectorem invenientes, nostro conspectui perducant eligendum, ut per nos Archiepiscopo commendatus, officii sui authoritatem, per nostram obtineat potestatem. Si hoc noluerint, de tota Parrochia unum quemlibet Clericum natalibus et doctrina pollentem cum consensu populi eligentes nobis videndum et comprobandum præsentantes petitionem suam apud clementiam nostram se obtinere confidant. Si vero, quod absit, personam servili jugo notabilem, & publicis exactionibus debitam, aut etiam vitiis suis consentaneam, et ipsi sine populo eligere, et nobis absque idoneis Parrochiæ testibus assignare præsumpserint, liceat nobis potestate Regia uti, et juxta scientiam nobis divinitus concessam, Ecclesiæ Dei dignum constituere Sacerdotem, qui et Ecclesiam Canonice sciat dirigere, et ad nostram obsequelam et obsequium, per ætatis et industriæ commoditatem sufficiat occurrere, quod etiam cæteri, si perveniant ad Episcopium, sibi noverint subeundum. Ut autem hæc concessio nostra firmitatis suæ diuturnum obtinere possit vigorem, placuit nobis eam propria manu roborare, et annuli nostri impressione munire. Signum K. (4) Serenissimi Regis in Orientali Francia data Kalend. Maji anno Imperii ejus V. a-

---

(1) *Anno quinto &c.*) Omnes hi characteres chronologici congruunt in annum Christi 881.

(2) *Archimentariensis.*) Leg. *Archicommentariensis*; quod est *Archinotarius*. *Commentariensis* in Vita Ludovici Pii ad annum 812. pro *notario* adhibetur.

(3) *H.L. Rex Germaniæ.*) Intelligitur sine dubio Hludovicus Ludovici Pii Imp. filius. Sed Datum Diplomatis ad Carolum Crassum pertinet, unde duas Chartas in unam confusas esse suspicor.

(4) *Signum K.* &c.) H. e. *Signum Karoli*, sc. Crassi. Sed verba, *Serenissimi Regis in orienta-*

actum Regino curte publica, in Regno Bajoariorum, anno ab incarnatione Domini qualicunque, indictione quavis.

VII.

In nomine Dei et Domini nostri Jesu Christi K. Divina favente clementia Rex. Quicquid ad loca sancta impendiorum conferre curaverimus, Deum nobis pro hoc remuneratorem promereri confidimus: & ideo fideles nostros scire volumus, quod ille venerabilis Episcopus Ecclesiæ illius per familiares Celsitudinis nostræ Pietatem nostram flagitare confisus est, ut pro Elemosyna nostra, & Augustissimorum Progenitorum nostrorum quemdam Fiscum Regalium possessionum, qui N. dicitur ad eandem Ecclesiam, & ad Clerum sustinendum (1) & peregrinos, & ad peregrinos suscipiendos concedere dignaremur, & eosdem intercessores affabilitati nostræ conquestus ipsius Ecclesiæ reculas valde tenuissimas, esse de quibus & nostræ sublimitatis obsequio & suo ministerio satisfacere nequiret. Rationabili igitur ejus petitioni assensum nostræ largitatis accommodantes, concessimus ad ipsum titulum Pastoralem curtem seu fiscum juris proprii & Regalis in illo & illo loco, tanta nostræ potestatis auctoritate, ut sicut usque nunc eædem possessiones ad nos tantum & nostros Ministeriales aspectabant, ita ex hoc ad Episcopum loci ipsius & ad eos tantum quibus ille curam earundem rerum commiserit pertinere debeant, & nullus Dux aut Comes, nec quilibet superioris aut inferioris Ordinis Judex, sive Missus in eodem loco nec in omnibus ad eum pertinentibus, & mansiones sibi parare aut invadere, aut pastum jumentis suis aut suorum diripere, aut inde veredos aut veredarios exigere, aut ibi Concilium congregare, aut aliquid ex eisdem locis suo juri vindicare, absque tunc temporis Episcopi consensu præsumere audeat, usque ad nostram præsentem audientiam & dijudicationem. Et quisquis de vicinis ex sua hæreditatula ad eumdem sanctum locum tradiderit, hoc ipsum eidem immunitatis tuitioni subjaceat. Et ut hæc largitatis nostræ constitutio firmum a posteris suæ perfectionis tenorem obtinere valeat, manu propria eam insignire voluimus, & nostri imaginis anulo consignari præcepimus. Signum K. Serenissimi Augusti Rectoris Francorum, Sveviorum, Bajoariorum, Turingorum, Saxonum, Domitorisque barbararum nationum. (2) Ego N. ad vicem N. Archicapellani sic recogno fieri. Data Kl. Aug. anno, & ind. ut supra.

VIII.

In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. N. Divina largiente Clementia Imperator (3) Augustus. Notum sit omnibus fidelibus nostris, quod vir Reverentissimus N. Abbas Cœnobii, qui dicitur N. & est constructum in honore sancti Martyris N. detulit nobis quoddam Gloriosissimi Genitoris nostri HL. Imperatoris præceptum, in quo continebatur, qualiter idem Monasterium ab antiquis temporibus a Regibus potestatem ac privilegium haberet, ut ipsi fratres inter se Abbatem eligerent, & nulli hominum subjecti esse deberent, præter in eo solum, Episcopo suo deferrent, quod ad Ecclesiasticam disciplinam pertinet: videlicet ordinationem accipiendi, & si qua forte contra Canonicam authoritatem commissa fuerint, corrigendi, donec quibusdam machinationibus, imo surreptionibus apud avum nostrum N. R. M. Episcopus ipsi Ecclesiæ idem Monasterium subjugaret. Deinde in eodem præcepto Domini & Patris nostri sanctæ recordationis Piissimi hæc continebantur. Qualiter ipse per suæ potestatis authoritatem eidem Monasterio firmius privilegium concessisset, quam prius habere dinoscebatur. Cujus constitutionem nostra etiam authoritate renovare ab ejusdem Abbatis intercessoribus implorati præcipimus atque constituimus, ut idem sacer locus nostræ immunitatis tuitioni subjectus a cæterorum hominum dominatione in perpetuum sit absolutus: & nullus Episcopus, nullus Comes, nec eorum Missus, in ejusdem Monasterii possessionibus absque petitione & consensu Abbatis ipsius Concilium congregare & mansiones sibi parare, & ad ipsum Monasterium, si quando eum rationalis causa sive necessitas itineris pertraxerit, cum multitudine hominum & exercitu venire præsumat, sed modeste & decenter sicut sancta loca decet adire, nec ullus superioris aut inferioris Ordinis Judex aliquid de eisdem cœnobii possessionibus, quas modo legaliter obtinet, & postea conquesierit, & acceperit, suo juri sine publico mallo vindicare audeat: nec inde aliquid auferre, aut homines ejus loci servos aut ingenuos ad justum aliquod Concilium & necessitatem distringere, aut freda & parafreda exigere, aut titulos nostros seu suos aut cujuslibet in omnibus ejus locis imponere præsumat, absque

*entali Francia*, iterum ad patrem Caroli hujus Ludovicum Germanicum pertinent. *Annus* vero *imperii V.* est Caroli Crassi, & convenit in annum Christi 885. Unde iterum confusio duarum Chartarum Ludovici patris & Caroli Crassi filii, manifesta est.

(1) *Sustinendum.*) Leg. *Sustentandum.*

(2) *Saxonum, Domitorisque barbar. nat.*) *Saxonum* se hic Carolus Crassus *rectorem & domitorem barbararum nationum* vocat. Habuit dubio procul is, qui Carolo M. diploma de Scholis Græcis & Latinis Osnabrugensibus affinxit, Caroli Crassi Chartam cum hujusmodi inscriptione, & inde nomen *domitoris* vel *dominatoris* desumsit; sed illud, non ut hic factum, *barbaris nationibus*, verum, quod convenientius videbatur, *Saxonibus* attribuit.

(3) *N. Div. larg. Clem. Imperator.*) Hic iterum est *Carolus Crassus*.

que noſtra ; ſi tamen ita res poſtulaverit, juſſione. Et quandocunque Abbas, qui nunc, & ejus ſucceſſores Divina vocatione ex hoc mundo deceſſerint, quamdiu tales inter eos inventi fuerint, qui ipſum Monaſterium ſecundum Regulam Sancti Benedicti bene regerent, & ad noſtræ ſerenitatis obſequium ſint idonei, cum Dei voluntate & noſtra authoritate unanimo & ſalubri conſenſu eligant ſibi Abbatem, quem nullus propter aliquam cauſam deſpicere & abjicere debeat. Et ſi aliqui de primis, alii de mediis, quidam etiam de extremis, ad noſtram præſentiam ipſum electum adducant, ut per eos cæterorum omnium voluntas addiſcens, eum illis Abbatem præficiant ſub ſpirituali regimine, unanimes habitantes in domo, ſtatum Regni noſtri & pacem totius Eccleſiæ ſemper impetrare precibus devotis inſiſtant; hoc procul dubio ſcientes, qui ſi querelosi aut contradictores inventi fuerint, aliquem de Capellanis aut Epiſcopis, ſeu Vaſſallis meis, talem eis ſuperimponam, qui aut eorum contumeliam edomet, aut ſi etiam ſic corrigi noluerint, quod abſit, ex meo illis præcepto ad exemplum cunctorum in omnem ventum diſpergam & diſpergat. Reliqua ut ſupra.

IX.

Karolus Divina ordinante Clementia Rex. Quia ſicut Regni Patrum noſtrorum ſucceſſores, ita etiam Religionis eorum hæredes eſſe cupimus. Ideo quemdam locum in quo ex multo jam tempore plurimæ Sanctorum Reliquiæ continebantur & laudes Dei a Religioſis hominibus celebrabantur, noſtra Authoritate Monaſterium, imo Cœnobium eſſe decernimus, & Abbatem eidem loco Venerabilem Virum N. præficimus, ut ſecundum Regulam Sancti Benedicti eum debeat ordinare, Nobiles & Religioſos homines illic congregando, orationibus, lectionibus, operi manuum regulariter inſiſtendo, congrua Monachis habitacula conſtruendo, res ejuſdem Eccleſiæ contra manifeſtos & occultos adverſarios per noſtrum & filiorum noſtrorum favorem defenſando, ut ſervi Dei, qui ibidem congregantur, victus & veſtitus abundantia potientes, die noctuque Dei laudibus & precibus pro nobis & pro omni populo Chriſtiano ex tempore in tempus inſiſtere ſufficiant, & nullus in Regno noſtro qui gratia noſtra uti deſiderat, eis aliquam inquietudinem aut oppreſſionem, aut direptionem inferre præſumat, & ſint immunes ab omnium hominum poteſtate, niſi noſtra & Epiſcopi, in cujus Parrochia ſita ſunt, cui tantum Canonice, non autem ſerviliter ſe obtemperare debere noverint. Quæ conſtitutio ut per generationum ſucceſſiones illibata perduret, propria manu eam communire, & anuli noſtri impreſſione libuit roborare. Actum in Caſtrum TRI.

X.

K. ex Dei conſtitutione & antiquorum Regum propagatione Rex Alemanniæ. Scire volo omnes in Regno noſtro degentes, quia cunctis juſte & pie vivere cupientibus paternum affectum exhibere deſidero, & idcirco cuidam N. vaſſallo fidelis noſtri N. petitionibus annuentes concedimus ei in proprietatem quemdam locum proprii juris noſtri, ad quem pertinent Hobæ numero, quia ipſa poſſeſſio paternæ ipſius hæreditati contigua eſt. Et ut hæc conſtitutio firma permaneat, placuit nobis hoc conſcriptum noſtræ authoritatis ei facere, ut per generationum ſucceſſiones ipſe & poſteritas ejus eaſdem res quaſi hæreditarii jure poſſideant, et nullus Miniſterialis et Procurator Rei publicæ eidem homini de ipſis rebus aliquam moleſtiam per qualemcunque machinationem audeat inferre, ne populus noſter per malignorum hominum occulta et nobis incognita molimina abhorreſcat a nobis. Pro qua ſupra dicta poſſeſſione, accepimus ab eodem homine in loco qui dicitur ille et ille, qui eſt juxta villam Regiam quæ dicitur N. Hobas N. ut eadem poſſeſſio ſolis Regibus hæreditario jure ſubjecta ſit in perpetuum, et nullus de pagenſibus ibi aliquid commune habeat, niſi forte precario. Et ne fortaſſis eidem homini timor aliquis & ſuſpicio rerum ſuarum perdendi remaneat, placuit nobis hanc conſcriptionem per nos roborare, & bulla noſtra ſigillare debere. Actum in Rotuvila curte Regali. Signum K. Clementiſſimi R. data die illa. Ego itaque ſignum ad vicem V. Archicapellani recognovi.

XI. (1)

Summæ ſanctitatis, ſcientiæ, pietatis & ordinis culmine ſublimato Domino Y. dignitatis Epiſcopalis, infimus N. Paſtor Eccleſiæ C. ſalutis & proſperitatis augmentum, & futuræ vitæ gaudium ſempiternum. Iſte juvenculus ſectator fidei Π. α. id eſt confeſſor æqualitatis & coæternitatis Π. & Y. a. nomine a. M. CCC. LXII. Ex multo jam præcedente tempore puſillitatem noſtram inquietare non ceſſat, ut ad veſtræ dominationis dulcedinem eum dirigere debeam, quatenus apud veſtram ſapientiam aliquid e multis ediſcere poſſit, quo ad miniſterium cui deputatus eſt quantulumcumque proficiens, vitam ſuam in Ordine Sacerdotali ſeu Levitico tranſigere uſquequaque non exiſtat indignus. Opinio quippe omnimodarum virtutum in vobis redolentium, more redolentium aromatum & flagrantiſſimorum ita omnium animos oblectare dinoſcitur, ut nec proximi ob deſiderii nimietatem ea ſatiari, nec longinqui propter odoris magnitudinem ea poſſint privari. Quapropter & ego hujus pueri voluntatem divinitus exiſtimans inſpiratam, N. nec non ſimul & ejus perpendens indolitiam N. & tantum in tali æta-

(1) XI.) Eſt Epiſtolæ genus, quod *Formatam* vocant.

ætate ingenium insuper & infantiam in optimis studiis tritam, nefas putavi ejus bono desiderio abnuere, & non ad vestram clementiam aliquid pro ejus commendatione scribere. Quod etiam me non rogatum oportuisset facere, præsertim cum Dominationem vestram me & omnes ad me pertinentes indulgentius semper habuisse certissimo experimento probaverim. Nunc ergo Puerum istum, viscera mea, filium consobrinæ meæ, solam & maximam curam meam commendo, quibus estis plenissimi visceribus misericordiæ vestræ, ut vestram vitam & vos primis miretur ab annis, mansuetudinem vigore decoratam, doctrinam operibus commendatam, austeritatem dulcedine temperatam, taciturnitatem modestam, locutionem utilem & necessariam, victus & somni parcitatem, mediocritatem vestitus, jejuniorum & orationum per dies & noctes instantiam, largitionem elemosynarum, susceptionem hospitum, solamen lugentium, peregrinis & egenis, & egentibus plebibus, & Clero, Monachis & virginibus, viduis & orphanis, Comitibus & Regibus, servis & liberis, conjugibus & continentibus, mediocribus & maximis, Judæis & Gentilibus, vos unum omnia perdiscat effectum. Quod si aliquod apud vos, ubi omnes proficiunt, doctrinæ morumque profectus Deo largiente ceperit, debitorem Christum vobis de eo facitis, qui eum talem educaveritis, ut non solum sibi, sed & aliis possit utilitatis fieri. Priorem autem ejus vitam vestræ sapientiæ absque fuco manifestare curamus. A sanctæ recordationis Avunculo meo S. Episcopo detonsus in Clericum: mox apud Monasterium Sancti Galli cuidam Religiosissimo, omnique vigore & industria plenissimo viro commendatus sub arctissima disciplina et custodia, litterarum studiis monasterialibusque insistens rudimentis, vitam suam, ut credo, spero, et confido, adjutus gratia Dei hactenus servavit illæsam. Juxta illud sapientissimi Salomonis, futuræ illius vitæ ignari, commendamus eum Deo et verbo gratiæ ejus, qui potens est ædificare illum, et dare hæreditatem in sanctificationibus, ut sub vestra custodela semen Doctrinæ Christi in eo coalescat, antequam inimicus ei zizania superinspergat, quod heu! proh dolor! quotidie in omni loco dormientibus agricolis agere persistit infestus. Vos autem ad custodiam gregis sui, ad correctionem totius Germaniæ, ad consolationem omnis Ecclesiæ, vigiliis, orationibus, omnique diligentia insistentem, Sancta Trinitas diu conservare, et ad perpetuam remunerationem perducere dignetur. L. XL. VIII. L. Scripta est Epistola hæc anno præsenti, indictione XII. M. CCCC. LXIIII.

XII.

N. Sanctæ N. Ecclesiæ Pastor Dilectissimo et Sanctissimo Fratri, et Consacerdoti N. Florentino (1) Episcopo, in Domino Salutem. Charitas vestra scire dignetur, quod præsens frater noster mediocribus apud nos natalibus ortus, optimis autem moribus et sacris litteris apprime institutus, a quodam cognato suo in vestram Diœcesim venire persuasus, postulavit a pusillitate nostra, ut pro se aliquid ad dulcedinem vestram scribere curaremus; cujus petitioni annuentes, et paupertati consulentes commendamus eum Sanctitati vestræ, ut apud Vos vitam suam in Diaconii gradu ducere debeat; usqueque ejus conversatione vobis & vestris agnita & probata, ad Sacerdotii gradum in Elemosynam vestram promoveri mereatur. Vitam ejus priorem, Deo teste, sine fuco vobis intimavimus. Amator erat jejuniorum & vigiliarum, & idcirco castitatis perpetuus custos, assiduus Ecclesiarum visitator, & charitatis in Deum & proximum indefessus executor. Vale.

XIII.

Domino & Patri S. Visocensis Ecclesiæ Pontifici C. indignus Episcopus Ecclesiæ C. a Deo Π. & Y. & A. per intercessionem beati Π. α. gratiæ & misericordiæ pacisque abundantiam. Sublimitas vestra scire dignetur, quia Domnus noster K. Rex comperto recessu fratris nostri N. Losaniensis Episcopi, cuidam Clerico suo eamdem sedem tradere decrevit, pro quo mihi præcepit, ut ex ministerio meo, & consensu fratrum nostrorum, ad Sanctitatem vestram juxta Canonum Decreta scriberemus. Quod Dei gratia opportune contigit; nam quando nobis eadem Domini Regis Epistola præsentata est, numerosam Synodum collectam habuimus, quibus cum ipsam brevicolam legi fecissemus, maximo sunt omnes gaudio repleti, quod tanti apud illum sumus habiti, ut ex nobis aliquos summo Sacerdotio non existimaret indignos. Commendamus ergo hunc fratrem nostrum, nomine N. Religiositati vestræ nihil extra dicentes, quam quod verum comperimus & scimus. Undique nobiliter genitus, moraliter enutritus, liberaliter instructus, in omni vita sua sine querela conversatus, ab anterioribus meis Archipresbyteratus ministerio suscepto, cum omni diligentia plebem sibi commissam regere curavit; cunctorum vitiorum osorem, & omnium virtutum eum novimus amatorem, pauperum & peregrinorum in eo susceptionem & omnibus hospitalitatem; adeo cuncti scire & laudare consuerunt, ut hanc ipsam dignitatem, quam nunc suscepturus est, non per aliquam ambitionem & machinationem, sive etiam subintroductam, aut subimmissam personam, sed per solum hospitalitatis bonum, Deo benignitati ejus vicem reddente, meruerit. Nam cum quodam in tempore Dominus noster K. adhuc juvenculus per

(1) *N. Florentino*,) Ille debuit fuisse *Andreas*, de quo vid. Ughellus Ital. Sacræ Tom. III. pag. 35.

per flagrantissimum æstum ad nocturnam mansionem sibi præparatam festinaret, & propter angustiam temporum per totam diem non habens, quo diverteret, juxta possessionem ejusdem Presbyteri itineris rectitudine perveniens, devotissime ab eo susceptus & regaliter honoratus est; cui decedens promisit, quia si aliquando sibi facultas suppeteret, hoc ei prandium recompensaret. Nunc ergo ei, quem Deus ut credimus elegit, officii vestri munus impendere dignamini; dulcissimam Paternitatem vestram & Ecclesiam Sanctitati vestræ commissam & omnes suffraganeos vestros cum gregibus suæ curæ commendatis ad laudem & gloriam nominis Domini Deus omnipotens conservare dignetur. Amen. Scripta est autem hæc Epistola anno præsenti, indict. XII. M. CLXXIIII.

XIV.

Dilectissimo fratri & unanimo amico Gloriosissimo Galliarum, Aquitaniæ, & Hispaniæ Regi Hludovico (1) cognominis vestri Hl. Rex (2) Francorum, gratia vobis & pax atque victoria de cœlo vobis subministrentur. Obsecro, frater charissime, sanguis & ossa mea, pars animæ meæ, nomen meum, ut postpositis, vel potius explosis & annulatis simultatibus & inimicitiis, quas inter Patrem vestrum & nostrum cupidi et perversissimi homines seminare gaudebant, Christiano et cognato amore nos invicem diligere et alter alteri domi militiæque fidi et pacati esse curemus, ne quisquam tertius nos duos, nisi unum, se invenire tripudiet; et ita fit, ut nec nostri de nostra dissentione et minoratione glorias et dignitates aucupentur, nec adversarii et extranei de Regni nostri defectu, et casu glorientur. Ut autem fœdus inter nos conditum permaneat firmum, mittimus vobis pro arrabone cavallum viribus et velocitate, non statura et carnibus probabilem, et sellam, qualem nos insidere solemus, ut nos fortitudine et utilitate, non luxu et inanitate delectari noveritis. Mittimus etiam cortinam præstantissimam, qua in palatio vestro tempore consilii pro signo dilectionis nostræ suspensa omnia maledicorum seminaria contabescant, dum et meam apud vos devotionem hoc munere, et vestram erga nos affectionem ipsa viderint, et extimuerint ostentatione. Et ut de vitæ vestræ diuturnitate nos sollicitos esse noveritis, dirigimus vobis aromata, et unguenta, et pigmenta medicabilia, quorum odore, delibatione, et sapore delectati, diu vivere, et nos diligere firmiter et jure debeatis.

XV.

Uterinis fratribus, Adoptulus frater, in Salvatore mundi salutem. Rem miraculo dignam, immo portentuosam mihi præcipitis, ut balbus, edentulus (3), et ideo blesus, et ut verius dicam, semiblaterator surdastris vobis, et potius insensatis cantare, seu ludere, sive lamentari debeam: quod contra possibilitatem et conscientiam meam incipio, qui vobis quicquam denegare nequeo. Vos autem et mihi et vobis in hoc consulite, ut ad invidiam nostram hoc nemini propaletis. Quicquid ab anterioribus nostris accepimus, absque ulla retractatione, et discussione suscipere, et subire debemus; quia ut Cassianus ait, *qui a discussione incipit discere, nunquam ad perfectum perveniet*. Sed quia ita se humanum habet ingenium, ut juxta pessimum et execrabile primorum terrigenarum exemplum, omnia cupiunt experimento probare, non obediendo servare, quantum scientia suppetit, conabor vobis aperire, quam necessario et Clericis tonsura et Monachis sint indicta cuculla. Et quidem de tonsura quæ Clero et Cœnobiis et cunctis altaris Ministris, cismarinis duntaxat, est communis, hoc nobis sufficere debet, quod Patres nostri Petrum Apostolum ob recordationem et imitationem spineæ coronæ, quæ Domino ab illudentibus est imposita, summum sibi capitis denudare, et infra ad similitudinem coronæ capillos sibi relinquere tradiderunt, et exinde cunctos, qui ad Sacerdotium pertingere cuperent, eo modo non solum rebus suis, sed etiam sibi ipsis se abnegare debere. Et quidem hoc nobis magnum est, cum in veteri testimonio et lege præter summum Pontificem et ejus tantum filios, omnes Levitæ non solum capillos, sed et omnes pilos corporis sint radere præcepti, donec Ezechiel Propheta summusque Sacerdos in portentum populi concidendi, cremandi, & dispergendi, capillos & barbam radere, & ex eis partem cremare, partemque concidere, & partem in omnem ventum dispergere jussus est: qui etiam hoc in mandato accepit, ut Sacerdotes capita non raderent, sed tonderent, quia in altero aliquid miseræ delectationis, in altero nihil est, nisi profundæ humilitatis; quod apparet in his qui tondentur ad palum: quamvis Beatissimus Papa Gregorius in explanatione ejusdem sententiæ non ita videatur intellexisse, sed ita solummodo tonderi, ut non impedirentur oculi. Quod si ita est, quid fiet de mandato legis, quæ dicit; *non attondetis vos in rotundum*; & causa ad-

(1) *Hludovico.*) Directa est hæc Epistola ad Ludovicum cognomento Balbum, Caroli Calvi filium.

(2) *Hl. Rex.*) Est Ludovicus junior Ludovici Germanici filius.

(3) *Ut balbus, edentulus.*) Qui se hic *Adoptulum* vocat, idem est cum illo monacho S. Galli, qui vitam Caroli M. jussu Caroli Crassi Romam pergentis, scripsit. Nam & hic author lib. II. cap. 26. scribit; *Hic igitur, quæ ego balbus & edentulus . . . explicare tentavi* &c. Hanc autem Caroli M. Vitam Goldastus Notkero Balbulo attribuit. Erat is certe Monachus S. Galli, vivebat tempore Caroli Crassi, & ipse, quod præprimis notandum, se *balbum* vocat in Hymno de S. Stephano. *Adoptuli* igitur nomine & hic illud *Notkeri* exprimi certum est.

additur; *quia sancti estis Domino*. Quod quem intellectum, juxta historiam, habeat, non litteris commendandum, ne contra consuetudinem nostratum aliquid sentire videamur. Sed forte de Sacerdotibus in Ezechiele ita potest intelligi jussum, ut supra oculos se tantum tonderent, sicut adhuc Græci faciunt Sacerdotes, cum Monachi, & juxta Athanasium, totum caput usque ad barbas radant bis & semel in anno, vel juxta primos ejusdem professionis viros Heliam Prophetam, Joannem Baptistam, Paulum solitarium, Antonium, eundem Anachoretam, Ecclesiarumque Doctorem, & ipsorum Episcoporum Magistrum naturali tegmine delectati pro gratiarum actione Creatori capillis & barba vestiri non graventur, quorum etiam Antonius hoc dicit, quia quicquid naturæ meliorandæ decorandæque subtrahitur, hoc est ad turpitudinem ipsius, & ad injuriam Creatoris redundat. Huc accedit quod novaculæ comparandæ, temperandæ, ipsumque caput ad nimiam in frigore & calore miseriam & calumniam decalvandum sit, ipsæque horæ, quibus hæc præparantur & aguntur pereant, nisi diligenter noveritis & observetis, cur hoc genus tonsuræ, immo rasuræ in his sit Provinciis usurpatum, & potius pro lege susceptum: licet Paulus & Stephanus in sua regula verticem Monachos iterato non radere, sed tondere præcipiant. Porro quam necessario & tonsura sive rasura eadem sit instituta, ex sequentibus liquido perpendite. Licet quidam Petrum & Paulum non attonsos & derasos, sed naturaliter priorem recalvastrum asseverare soleant, sequentem in frontispicio calvum; quod si ita est, quis tam superbus debet esse Christianus, ut non libenter pro Christi nomine contumeliam subeat, qua primos Apostolos insignitos esse non diffidit? quin potius hinc discat, in alia vita honorem inquirere, cum amicos suos in hac vita capillorum didicerit honore privare. Si autem Petrus non naturaliter calvus, sed rasorio creditur decalvatus, ut contumeliæ crucis Christi participaretur? merito quæritur cur sibi coronam, tollendo comam, non torquem imponendo, facere voluerit? Ad quos facilis responsio patet. Primum quia si juxta Dominum spinea Sacerdotibus imponeretur corona, non semper ea possent uti, & præcipue dormientes: si autem viminea & fraxinea & cujuslibet flexibilis ligni seu ceræ, cujuscunque texturæ & metalli, quis nostrum eam pro loco & tempore ut vilem non abjiceret, & pretiosam sibi imponeret? & quid esset, quod nos a Laicis dispararet? quod si dixeritis quia vestes, quid est, in quo indumenta vestra a Laicorum differant vestimentis? nisi quod interdum podere (1) inea, quasi summi Sacerdotes, ad altare processuri soletis indui, & purpureis vestibus quasi tribunal ascensuri consuestis ornari. Sed quam facile hæc indumenta rejicitis & Laica induitis, propter quod calvaria est maxime necessaria, quia hanc celerius capillis obducere non poteritis. Cur autem rasio potius quam tonsio & ipsa frequens a modernis sit Episcopis instituta? hoc videtur in causa, ut videatur & diligatur ipsa corona, quæ hujus temporis Sacerdotibus est concessa, cum in veteri Testamento totum caput Levitarum sit calvaria deturbatum. Quod vero eadem rasura sæpius est indicta, non ideo fit, ut nos imperfecti putamus, ut pro comarum specie hac ornemur innovatione, sed quia si rarius fieret & capilli aliquantum excrescerent, non sine aliquo scrupulo exoletis abscinderentur, vel potius in cincinnos nutrirentur, & plures prævaricatores, immo desertores spiritualis militiæ invenirentur. Et hæc quidem in commune de Clericis. De Monachis, licet ipsi inter se majori flagrent odio quam Clerici & Laici, specialiter de Monachis dicendum, quia nimium indecens est & incongruum, ut qui ita vestitus est aliquid seculare desideret: quia quicquid seculares homines diligunt, cucullis indignum judicant & contrarium; nec immerito, quia qui vestem abrenuntiationis quam in baptismo suscepit jugiter portare consuevit, mundo se mortuum continue meminisse debebit. Delibato ore qualitercunque cantavimus, ludum in ejulatum vertere habemus, quia Clerici & Monachi habitu, quo mundo se renuntiare promittunt, mundi curis & negotiis, immo illecebris omnimodo se implicare contendunt. Lamentationis ignarus mitto te ad libros Hieronymi ad Sabinianum Diaconum, & Joannis Chrysostomi ad Stelechium Monachum,

XVI.

Domino Præcellentissimo & Regi Gloriosissimo N. indignus Episcopus & fidelis famulus vester N. Clementissima dominatio vestra scire dignetur, quia quod ego tantillus homuntio ad conspectum serenitatis vestræ juxta præceptum Dominationis vestræ non veni, maxima infirmitate detentus, jussionem vestram implere non potui. Nunc autem suppliciter obsecro, ut in hoc misericordiam vestram super me recognoscere possim, si per hunc Legatum pusillitati meæ dignamini, quando cum gratia Dei, sanitate recuperata, ad servitium vestrum properare debeam: quia post timorem Conditoris mei, tota intentio mea in hoc laborare debeat, & desiderat, ut serenitatem vestram circa me serenam invenire merear. Sicut autem in diebus istis nihil exterioris operis exercere & negotii secularis aut ecclesiastici procurare potui, ita tota ad Deum mente conversus pro incolumitate vestra & conjugis & filiorum, ac pro statu Regni vestri



(1) *Podere.*) Vestis Sacerdotum. V. Cangium in *Poderis*.

ſtri Dei miſericordiam implorare non ceſſavi. Parva Xeniola, ſed peregrina, ſeu transmarina, quæ modo ad obſequium veſtrum pietatem Divinam mihi credo direxiſſe, Auguſtæ Dominationi veſtræ curavi deſtinare. Pallium coloris Praſini (1), & aliud Polimetum (2), ſpatulas Palmarum (3) cum ſuis fructibus, Cynamomi, Calaugani (4), Cariofili, Maſticis & Piperis faſciculum, Caricas ficorum, Malogranata, Pectinen Elefantinum, Vermiculos (5), Cicadas, Aves Pſitacos, Merulam albam, & longiſſimam ſpinam de piſce marino. Sereniſſimam Celſitudinem veſtram ad munimen Eccleſiæ omnipotentis Dei miſericordia diu conſervare dignetur.

XVII.

Summum gradum in Eccleſia ſumma ſanctitate promerito Patri & Proviſori meo N. humilis Suffraganeus & fidelis obſecrator veſter, ac devotus Servitor N. illius Eccleſiæ Paſtor indignus. Scrutatorem cordium teſtem invoco in animam meam, quam invitus & coactus aliquid ſiniſtri, & quod placiditatem veſtram turbare valeat, auribus dulcedinis veſtræ aliquando ingerere præſumo. Sed quia melius eſt ut errata Populi nos incuſemus, & damnare ſtudeamus, quam ab ipſis pro noſtra negligentia circa illos jure forſitan laceremur; notum ſit Religioſitati veſtræ, quia quoſdam conjuges quos injuſte & contra Chriſtianæ diſciplinæ Regulam conjunctos audimus, ad nos evocari fecimus, & prout Cleri judicium & ipſa juſtitia dictavit, ſeparari præcepimus. Qui, ut erant nobiles, de principibus populi multos ſibi complices adunantes, tyrannico more, contra Eccleſiaſticam normam, jurata bella ſuſceperunt. Sed nos vigore juſtitiæ contumaciæ illorum oppoſito, nequaquam injuſtitiæ cedendum putavimus. At illi in majorem inſaniam verſi propter meæ perſonæ vilitatem, officii noſtri authoritatem pro nihilo reputantes, ad veſtram Celſitudinem appellaverunt. Vos autem ad quem nos omnes ſpectare debemus, nolite inaniloquio eorum credere, quia notitiam civium ſuorum, inter quos degunt, evitantes, ad ignota loca ſe transferre ſatagunt, ut ibi mendacia ſua vitare prævaleant. Porro ego in fide mea omnia vobis vera narrabo. Cum Diœceſim meam circuirem, deveni ad locum ubi memorati homines habitabant, & ibi didici a majoribus vici illius, quia iidem conjuges ita ſibimet conſanguinitate juncti eſſent, ut de uno Parente in quinta, de altero in quarta generatione mutuam ducerent propagationem. Quod inquiſitione facta & fide cum juramento data, ita verum eſſe didici, ut omnes, a minimo uſque ad maximum, id ita ſe habere proclamarent. Quod ſi hæc facultas inprobis hominibus inhibita non fuerit, ut Epiſcopi ſui præceptum contemnere non audeant, ſicut minores mihi, ita majores quique vobis facere incipient, & periclitabitur apud Domnum Apoſtolicum noſtrum Miniſterium. Communibus ergo viribus communes hoſtes Chriſti debellare ſtudeamus. De cætero, Domine Pater, de gratia veſtra ſuper me ſubjectionem meam certiorare dignemini. Religioſitatem veſtram ad regimen Eccleſiæ ſuæ Mediator Dei & hominum roborare dignetur.

XVIII.

Providentia divina N. Eccleſiæ ille Epiſcopus N. Archipresbytero pagi illius ſalutem. Notum ſit dilectioni tuæ, quia Domini noſtri Reges, quando nuperrime in unum congregati ſunt (6), inter multa quæ pie ac ſalubriter obſervanda conſtituerunt, hoc etiam decreverunt, ut pro multis neceſſitatibus triduanum jejunium pariter obſervare deberemus; quod hoc modo fieri debebit, XIIII. Kalend. & XIII. & XII. Kal. Junii, pura confeſſione & pace præmiſſa jejunent omnes uſque ad nonam: exceptis qui præ infirmitate & infantia aut ſenio (non) poſſunt abſtinere; & unanimes contrito & humili corde veniant ad Eccleſiam, ſequantur Crucem cum Litania. Totus populus Kyrie eleiſon clamantes, cinere aſperſi, & ciliciis induti, qui illa poſſunt invenire. Cæteri quicunque habent, laneis veſtibus induantur ad corpus. Pauperibus & non habentibus ipſa ſua penuria pro afflictione ſufficit. Diſcalceati omnes Miſſam in commune auſcultent cum metu & reverentia. Presbyteri ſinguli illis diebus Miſſam cantent. Cæteri Clerici & omnes qui noverint viri ac fœminæ L. Pſalmos impleant, obſecrantes Conditoris noſtri clementiam, ut ab inviſibilium hoſtium inſidiis & gentibus variis & gentilium incurſionibus Eccleſiam ſuam defenſare, & ipſam pace ſua, quæ omnem ſenſum exuperat, interius cuſtodire dignetur, ne in ſua viſcera ipſa conſurgere &

(1) *Praſini.*) H. e. coloris viridis acutiſſimi.

(2) *Polimetum.*) H. e. *multi coloris*, ut Iſidorus lib. XIX. Orig. cap. 22. deſcribit.

(3) *Spatulas palmarum.*) Hoc eſt, ramulos palmarum, qui fructum ferunt. Σπάθη hoc ſenſu apud Theophraſtum extat. Vid. Salmaſii Exercit. Plinian. pag. m. 291.

(4) *Calaugani.*) *Calauganum* eſt quod nos *Galgan* nominamus, radix nota. Diverſum eſt ab eo, quod Latini *Galbanum* vocant, liquor nempe ferulæ in Syria naſcentis, calefaciens & ſtomacho gratus.

(5) *Vermiculos.*) Vermiculi ſunt id, quod hodie *cochenille* nominamus, & quo ſcarlatinus color ſerico & pannis pretioſis datur. V. Cangium.

(6) *In unum congregati ſunt.*) Filii Ludovici Germanici Carolomannus, Ludovicus & Carolus Craſſus menſe Novembri anni DCCCLXXVI. convenerunt in Pago Recienſi, ut Annales Fuldenſes habent. Sed cum a Kalendis Junii hoc temporis ſpatium remotius ſit, puto Chartam noſtram loqui de Ludovici & Carolomanni jam morte vicini conventu, qui anno DCCCLXXIX. contigit.

& ſemet lacerare conetur: diverſas peſtes & morbos ab hominibus & jumentis auferat, aeris temperiem tribuat, terram fœcundet, fruges ad maturitatem perducat, fructus arborum multiplicet, ut exterioribus neceſſariis affluentes cum fide recta, ſpe firma, & charitate ſyncera Deum diligere, & illius mandatis inhærere poſſimus: & his ſubſidiis utentes in via, ad æterna præmia pervenire mereamur in patria. Pane ſicco alantur omnes, & crudis oleribus, & ſale atque pomis; & qui opus habent infuſis veſcantur oleribus, uno vaſculo de pura cerviſa refocillentur. Cunctis omnino a carne & pinguedine & omni quod ex lacte conficitur, Piſces & ova præter infirmitatem nemo præſumat. Similiter vinum & omne, quod melle dulcioratum eſt, & unuſquiſque, in quantum poterit, quod ſibi ſubtrahit, indigenti præbere non differat: quia jejunio innocens acquiritur vita, oratione religioſus animus enutritur, eleemoſyna miſericordia, quæ requiritur, invenitur, & quod nuper in miniſterio tuo ſemi correctum dereliqui, ſicut a te digrediens ſtrenuitati tuæ commendavi. Omnia ad certum finem, prout poteris perducere, curato. Vale.

XIX.

Ille Epiſcopus ſanctiſſimæ Congregationi in honore Sancti N. coadunatæ ſalutem. Dilectio veſtra noverit, quod ſancta Synodus apud urbem N. collecta, finitis quæſtionibus, quæ ex diverſis cauſis emerſerunt, ſaluberrime decrevit, ut omnes Eccleſiarum Clerici & Monachorum catervæ commune jejunium & orationes tribus diebus exequerentur, hoc eſt IIII. & III. & II.

Presbyteri tres miſſas, cæteri Clerici Pſalterium decantarent, circa nonam horam crucem ſequerentur, alimentis vero conſuete uterentur, cætero populo propter æſtum atque opera forinſeca hoc non indixerunt. Vale.

XX.

Dilectiſſimo Patri & omni laude colendo N. Eccleſiæ Argentarinæ & Argentarienſis Pontifici N. humilis oppidi Conſtantienſis Epiſcopus. Paternitas veſtra ſcire dignetur, quod Dominus noſter Rex C. ad Cœnobium Luxovienſe parvitatem meam dirigere voluit. Unde peto largitatem veſtram, ut in vico veſtræ poteſtatis Ruvacha (1), mihi manſionem & neceſſaria cuncta ſubminiſtrari; me vero ſequentibus hoſpitia & aliquas impenſas exhiberi præcipiatis, procul dubio ſcientes, quia quodcunque puſillitati meæ demandare dignamini, abſque omni recraſtinatione perficere curabo. Et ſi quando juxta nos alicubi deveneritis, ſcitote quia ad veſtrum obſequium cum omni feſtinatione occurrere ſtudebo. Sanctitatem veſtram & gregem vobis commiſſum continuis orationibus Domino commendamus. Idipſum autem ut pro Eccleſia fidei noſtræ commiſſa & noſtra fragilitate facere dignemini ſuppliciter imploramus. Vale.

XXI.

Ille N. gratia Dei Epiſcopus N. Vicedomino & fideli ſuo ſalutem. Strenuitas tua ſciat, quia G. Nemidonenſis Epiſcopus Romam profecturus unam manſionem petiit a me in III. Idus Maji, hoc eſt ſecunda die ſequentis Hebdomadæ. Ideoque omni cura provide, ne quicquam tunc ibidem neceſſariorum ei deſuerit, ſed omnia ſufficienter illi ſubminiſtres, id eſt maldra quatuor de pane, de cerviſa carradam unam, triginta ſitulas de Vino, ſitulas, tres (2) friskingas (3), Ovinas quatuor, Porcum unum, de lardo dimidium tergum, Agnellum unum, Porcellum unum, Anſerem unum, Annetas duas, Pullos quatuor, & ipſi aliquem piſcem ſi potueris: ligna ad focum, & vaſa ad miniſterium, plumatia & capitalia ad lectum, de avena trita & venti-



(1) *Ruvacha.*) Hodie *Rufach.*

(2) *Situlas, tres.*) Corruptio hic quædam eſt.

(3) *Friskingas.*) *Friskinga* de porcis & ovibus adhibetur, & denotat anniculum porcum vel ovem. Vadianus: *Noſtri*, ait, *venatores porcum ſylveſtrem anniculum aut adultum Friſchling vocant.* Aurelianenſes, Menagio teſte, porcum nondum plane adultum, porcello tamen lactente fortiorem, *freſangeau* nominant. Capitular. lib. IV. cap. 73. *Abbati . . . unicuique dentur quotidie panes 30. Friskingæ duæ . . . porcellus unus* &c. Canon. XIII. Synod. Ticinenſis Epiſcopi Diœceſ. Rhemorum & Rothomag. ad Hludovicum Regem: Qui illorum pecora *friſcingas aut quæcunque illorum ſunt, non prædentur.* Hincmarus Clero & plebi Tornacenſi: *Exigendo denarios aut verres ſeu friſkingas.* Hincmarus ad Clerum Laudunenſem: *Ne etiam quaſi ad receptionem Regis aut legationum . . . denarios vel caballos aut verres ſeu friſkingas . . . accipiat.* Traditiones Fuldenſes lib. II. Trad. 7. *Et ut mihi per ſingulos annos unum ſagum aut friſgung vel aliquid conſolationis detur.* Apud Browerum lib. VIII. Annal. Trevir. occurrunt *friſcingæ vervecinæ*, & in Diplomate apud Lindenbrogium *friſcingæ ovinæ.* Pro *porco juniore* occurrit frequenter in Breviario Rerum Fiſcal. Caroli M. Vita S. Meinwerci cap. XXXII. §. 14. *Conceſſit . . . I. poledrum ac V. victimas, id eſt, friskinga, fratri vero ejus unum equum dedit.* Pro ove annicula ſæpius apud Notkerum in Pſalterii Paraphraſi Ms. obvium eſt, Pſalm. XLIII. 12. verba: *Dediſti nos tanquam oves eſcarum,* Germanice redduntur: *Du gabe unſih in ze frezzenne, ſamoſo friſginge.* Pſalm. XV. 4. *Daz ſi dehein opfer bringen fone den friſginken*; ut non offerant victimas ex ovibus recentibus. Pſalm. XXXII. 22. *Unde er doh ne lerta die friſginge opferon ſo Aaron teta*; Nec tamen docebat victimas immolare, ut Aaron faciebat. Pſalm. XXVI. 6. *friſginc dero freuui* eſt *hoſtia lætitiæ.* Pſalm. CXV. 8. *Des opferon ih dir lobe friſging*: Ideo ſacrificabo tibi hoſtiam laudis. Alia plura Notkeri loca huc ſpectantia omitto. Vox vero *friſching*, vel, ut nunc pronuntiamus, *friſchling* aut *frœſchling*, a *friſch*, recens, derivata, ſignificat *porcum* vel *ovem recentem*, quæ nondum eſt adultæ ſatis ætatis. Vide exempla vocis plura in Lindenbrogii & Cangii Gloſſariis.

lata ad pastum cavallorum maldra tria & fœnum in pratis & in agris, singulis cavallis vasallorum & servorum illius unum manipulum: & si præ nimia occupatione & gravi damno aliarum rerum poteris, per te ipsum illi servire, curato ita ut ad gratiam fiat quod facimus. Et si quando ad ejus loca nos devenire necessitas coegerit, ita eum benefactis anticipatum habeamus, ut jure se nobis vicem debere noverit. Vale.

XXII.

Vicedominus N. Episcopi N. Procuratori in Polligen. (1) unus Episcopus debet ad Polligen super XII. noctes advenire, & ideo præpara illi ministerium. Vide ubi optimum granum habeas & para VI. maldra de farina lota, & unum modium de simila. Tolle de XII. censariis singulas Ovas, (2) & da illis quotidie sal & ventilamina & commixtum migma, ut tunc bonæ sint. Tolle unum porcum de illo servo, quem hoc anno reddere debet, & da illi quotidie sufficienter de sigila & hordeo, & inebria illum mixtura furfurum seu farinæ, & fac unum Agnellum tota matris ubera sugere, similiter et Porcellum et unam aucam, et duas anetas a cæteris separa, et da illis quotidie abundanter, et sex Gallinas et Pullos commixta hordeacea farina pasce; et sume de servis quibus volueris. Duas fretas de cervisa, et sume sex siclos (3) de vino in cellario Episcopi ad Constantiam, et præcipe quatuor servis, ut una hebdomada diebus quos indomicum (4) debent, ligna fagina, et cætera optima quotidie adducant, et ova congrega, ut quando ego venero omnia parata inveniam, si cutem et capillos habere volueris. Vale.

XXIII.

Episcopus Procuratori suo N. Accipe epistolam istam, et commenda illam alicui tributariorum nostrorum qui cavallum habet, et præcipe illi, ut nec die nec nocte quiescat, donec eam ad Tringonilla Majori deferat. Quod si nullus eorum tibi obedierit, tu ipse eam illuc defer, et præcipe illi, ut diem cum nocte continuando N. eam perferat, et hanc brevicolam apertam illi signatæ coargillæ (5) ut tu et socius tuus et ipse N. noverit, quod qui per cujuscunque vestrum neglectum contigerit, ut ipsa Epistola N. Episcopo ante istam dominicam non veniat, omnibus meis & gratia mea privabitur. Si autem tibi N. venerit, expecta me in loco, et para mihi hospitium, quia in sequenti hebdomada ad te in illum locum, propitia Divinitate, venire debebo, inde ad Stratoburgam perrecturus. Et strenuem Missum dirige, qui ipsam Epistolam N. sub omni celeritate repræsentet. Cæteris etiam Compresbyteris tuis de meo adventu indica, quia spero, quod Augiensis Abbas et Comes N. mecum veniant, ut aliquid illis impendere valeam. Vale.

XXIV.

Sanctæ Moguntiacensis Ecclesiæ Præsul fratri et Sacerdoti N. in Salvatore mundi salutem. Dilectio tua novit, quod a recordatione juventutis tuæ, ut reor, numquam in nostra Diœcesi Episcoporum Concilium est habitum; et idcirco puto, quin potius metuo, quod in Ecclesiis nostræ pusillitati commissis multa grandia et insanabilia, tum propter suimet enormitatem, tum etiam propter incuriæ et occupationis nostræ diuturnitatem adeo concreverint, ut aut vix aut certe nequaquam sine magna authoritate aut vigore corrigi valeant. Quapropter ut dicta Canonum præcipere nosti, ut non dicam quod ad omnia meus semper fuisti, pridie Nonas Aprilis, ad urbem Moguntiam venire ne prætermittas, ita paratus, ut quandiucunque causarum necessitas exposcit, ibi manere pro abundantia sumptuum possis. Et quicunque aliquid gravioris negotii, quod supra vires tuas existimas, et nunc et Antecessorum tuorum temporibus habuerunt, aut tecum pariter venire, aut seorsum tibi occurrere in loco memorato præcipe, ut ibi omnis eorum controversia finiatur. Vale.

XXV.

Domino et in Christo Patri. Illi Archiepiscopo N. indignus Ecclesiæ N. excubitor. Sanitate dulcedinis vestræ comperta, omni gaudio repletus sum. Ad præcepta vestra non solum ea quibus pro authoritate regiminis vestri obtemperare subjectionem meam convenit, sed & omnia quamvis gravia & difficilia, me esse semper paratissimum. Utinam ita probaveritis experimento, sicut ego, memor scilicet beneficiorum & educationis vestræ libentissime vobis ostendere desidero. Obsecro vero ne aures sapientissimi Magisterii vestri forsitan offendat, si pietate vestra confisus unam Apologiam, immo querimoniam vobis insinuare, & potius implorare præsumo. Solertissima vestra novit industria quamdiu Episcopium mihi commissum ab infirmis & senio defessis hominibus retentum est, adeo ut jam nonus annus pene sit exactus, ex quo nullus eorum ipsam Parrochiam circuire potuerit, & ego secundo jam anno illam retinens ob perturbationem Reipubl. causarumque varietates & Domini mei Regis servitium nisi tantum dimidiam pertransire potui. Et licet in illis partibus quas adhuc visitavi, non satis multa prava in-

(1) *Polligen.*) *Polling* hodie est Præpositura Canonicorum Regularium ad Ambram Bavariæ fluvium.

(2) *Ovas.*) *Ova* pro *ovis* positum; unde *ewe*, quod alicubi *ovem* Germanice denotat.

(3) *Siclos.*) Forte legendum: *Situlas*.

(4) *Indomicum.*) Leg. *in dominicum*.

(5) *Signatæ coargillæ.*) Forte: *Signatæ cum argilla*.

inveneri m, metuo ne illis, quas modo adire debeo, plurima distorta & incorrigibilia insipientiam meam deprehendere contingat; quæ tamen cum gratia Dei & adjutorio prudentium virorum aliquantulum eventilare, & discutere necessarium puto, antequam ad notitiam vestram & dignitatis vestræ & tantæ Synodi tam multa hæc & tam gravia ita incorrecta & indiscussa perveniant, ne in mei peccatoris ministerio plus facinorum & flagitiorum reperiatur, quam in cunctis suffraganeorum vestrorum Parrochiis. Ideo supplico mansuetissimæ Religiositati vestræ, ut si vestræ benignitati placuerit, per hunc Missum vilitati meæ remandare dignemini, si me ab hac profectione excusatum habere velitis, donec aliquid eorum quæ minus adhuc correcta sunt ad normam justitiæ dirigere queam. Nihil tamen in voluntate mea ponens, vestræ sanctitatis jussis impigrum me exhibere studebo. Valete.

XXVI. (1)

Dilectissimo & religiosissimo Consacerdoti & firmissimo amico N. Episcopo, ille Brixiensis Ecclesiæ Pastor (2). Obsecro fidelitatem vestram, ut veraciter mihi & diligenter demandare dignemini, quomodo se summa rerum habeat, quam pacati inter se Domini nostri Reges sint, id est filii Hludovici, qualemque pacem ad consobrinum suum filium K. conservent: quia nos habitatores Italiæ, & potius inquilini, seu quod potissimum veritas ipsa testatur, præda nunc horum, nunc illorum, ægre nimis expectamus, donec inter se concorditer adinveniant, cuinam Provinciam istam concedere velint; ut illi, prout oportet, singulariter subjiciamur: cæteris etiam, in quibus possumus, læti serviamus. De sospitate sanctitatis vestræ certum me reddere velitis, & vestris Romam pergentibus, seu reliquis pro sua necessitate Italiam petentibus intimate, ut ad me divertant, & in vestro honore eis aliqua impendam subsidia: & de statu sanitatis vestræ lætificabor; & vos de mea, ut credo. In vestram jucunda & pigmenta ac medicamenta, quæ vobis congrua puto, vestræ dilectioni dirigere curabo. Munuscula, quæ modo fuerunt ad manus, vestræ dignitati direximus, hoc est palliolum diacedrinum (3), & aliud coccineum, tertium saphirini coloris, stragulas duas, duos ramos palmarum virides, & partem amigdalarum, & Thimiama novum. Quod si opportunum vobis est, obsecro, ut unum Admissarium generosissimum, celeritate & forma, quin & animo præstantissimum & alacrem, mihi fideli vestro dirigatis. Simul quodcunque volueritis grandioris pretii mihi injungentes, ut puto, ad vestram voluntatem paratissimo

XXVII.

Nobilitatis & religionis summique Sacerdotii dignitate sublimato N. illi Ecclesiæ Pontifici N. illius Ecclesiæ indignus Episcopus. Comperta sanctitate dulcedinis vestræ multum in Domino gavisus sum, sed & gaudeo & gaudebo. De perturbatione vero Italiæ tum propter vestram & Ecclesiarum Christi inquietudinem et vastationem, tum etiam propter nostra detrimenta nimium contristamur: quia pauperrima et arida Provincia nostra quid amplius habitura est matre divitiarum suarum direpta. Sed Dei misericordia confidimus hanc tempestatem in brevi serenandam; nam sicut demandastis mihi, ut de Regni pace, et statu vobis certi aliquid significarem, & qualem pacem ad invicem conservarent tres fratres filii nostri Domini Hludovici, et utrum nepotem et consobrinum, immo compatruelem suum filium K. in societatem suam asciviſſent? Notum facio dilectioni vestræ, quia tres illi fratres, ita se mutua charitate complectuntur, ut summam Trinitatem mediam inter illos diversari credamus. Adeo omnia, quæ ad illos seu privato, seu publice pertinere videntur, humanas res et vota supergrediuntur: et unusquisque eorum, si posset, et potest fieri, plus alios quam se ipsum diligit, et diligeret. Et Domnus quidem K. cum fratre Hl. Hludovici junioris, id est Galliam Lugdunensem et Treverim cum omni Mosellana regione, nec non Agrippinensem Provinciam, et Burgundioniam inter se dividendas acceperunt. Italiam vero et Tusciam et omnem Campaniam Domno K. regendas commiserunt, qui etiam modo sanitate indulta, et indepta, quandocius vos per gratiam Dei visitabit, et omnem adversarium et prædonem de vestra Provincia fugabit. Ineffabiles vestræ liberalitati gratias de magnis exquisitis muneribus, quæ mihi dirigere curastis. De cavallo, quem me expostulastis, scitote quia præstantissimum vobis mitto, *Illorum* (4) *de gente Patrum, quos Dædala Circe supposita de matre nothos furata creavit*. Quod ne fabulosum existimetis, aerius ei color innatus hoc verum esse comprobat. Qui pernicitate Cillarum, animositate Rhebum, mirabili singularitate Bucephalum antecellat, et generosissimos pullos faciat: qui procul odoretur bellum, et gaudeat ad vocem tubæ, et cum sanguineam pugnam videat, dicat Vah: qui montes oppositos lætus et alacris exsuperet, et fluvios rapaces innatet, et latissimos lacus transvadet. *Belgica* (5) *vel molli melius ferat Essedа collo*, et humano sensu



(1) *XXVI.*) Hanc Epistulam anno aut DCCCLXXVI. aut sequenti scriptam fuisse oportet.

(2) *Brixiensis Eccl. Pastor.*) Debet hic esse *Antonius Episcopus Brixiensis*, ad quem Johannes VIII. Papa plures Epistolas scripsit.

(3) *Diacedrinum.*) H. e. citrini coloris intensioris.

(4) *Illorum &c.*) Virgil. VII. Æneid. vers. 282. 283.

(5) *Belgica &c.*) Virgil. III. Georg. 204.

ſu cognoſcat, quomodo ſub quolibet homine ſe gerere habeat : hoc eſt ſub juvenibus et indiſciplinatis tranſverſus et ſupinus, ſub ſenioribus vero et gravibus humilis et rectus incedere norit. Debetis autem farre paſcere, non ſiliquis fabarum et lupinorum, ſeu frondibus cerrarum, et quercuum. Debetis autem puro amne et liquido fonte potare, non putentibus aquis, ut vos eas nomine dicitis. Si hæc ei facitis, omnia quæ dixi et ampliora in eo invenietis; ſi vero hæc negligitis, et curam illi ſubtrahitis, immunis ero a mendacio, qui vobis bonum eum direxi, et qualiter habere deberetis inſtruxi. Vos autem vobis ipſis, aut miniſtris veſtris de ejus vili.

*Cætera deſunt.*

---

# FORMULÆ GOLDASTINÆ,

*Seu Centuria Chartarum Alamannicarum a Cl. Goldaſto congeſta, cui idem Goldaſtus hæc de Chartarum Scriptoribus præmiſit.*

---

## CHARTARUM SCRIPTORES.

*Ut hos Auctores clarius ac manifeſtius contemplari poſſis, Lector, viſum eſt operæ pretium, allucere faculam, quæ tibi præeat ad ordinem ſingulorum ac ornatum conſpiciundum. Ea eſt ſeries Regum, qui Alamanniam tenuere, & Imperatorum, ſub queis Chartæ ſunt perſcriptæ, per annos ætatis & regni diſtincti in contexta. Et ne ſis neſcius, a cujus filo ducamur, ſecuti ſumus pleraque ex parte accuratiſſimum Hiſtoricum, Guillermum de Nangis, Monachum Sancti Dionyſii apud Pariſios, qui Francorum Regum res geſtas ante hos annos* CCC. *ſumma fide atque induſtria Francice & eleganter inſtituit. Id apud nos Ms. exſtat, de Franciçæ linguæ antiquitate auro contra carius. Interim tamen negare non poſſumus, nec ab ipſo ſemper rem acu tangi. Ea re nonnumquam ab eo diſceſſimus, ſed parce. Eſt quippe perdifficile, certi quid in tanta omnium Chronographorum, quot uſque oculis uſurpavimus, conſtituere. Quam quidem rem aut a nemine, aut Chartarum ope auxilio impetrari poſſe confido. Nobis accurare in ſubitata hac ſcriptione non licuit, nec, ſi otium libuit. Contenti nunc hoc marte. Quid futurum ſit, id eſt, ut Diogenes dicere ſolebat,* ἐν γόνασι τῶ Θεῶ. *Porro in ipſa ſerie obſervandum eſt, notas illas Ch. & An. ſignificare chartæ & anni regnorum numeros. Et quia Legem Alamannicam, cujus ipſæ chartæ ſunt interpretes, præfigendam cenſuimus, quidni pariter præmittamus ejus conditores? quorum primus, cujus memoria ad poſteros ſit delata,*

*Theodoricus I. Clodionis an potius Clodovæi I. (qui contra Alamannos, invocato ſalutari Jeſu Chriſti nomine, pugnans, primus Regum Francorum in Chriſtianos nomen dedit) filius, Franciæ & Alamanniæ Rex, promulgator Legis Alamannicæ, qui defuncto patre regnum ſortitus A. N. C. CCCLXXXXVIIII.*

*Childebertus II. Sigeberti filius, Franciæ & Alamanniæ, quæ tum ad Burgundiam ſpectabat, Rex, Alamannicæ Legis Repetitor primus, regnum acceſſit A. N. C.*

*Chlotharius II. Chilperici I. filius, Franciæ & Alamanniæ Rex, Alamannicæ Legis Repetitor ſecundus, regnum accepit A. N. C. DLXXXVIII.*

*Dagobertus Magnus, ſuperioris Chlotharii filius, Franciæ, Alamanniæ, & Sclavoniæ Rex, cognomento* JUSTUS, *Alamannicæ Legis Repetitor tertius, ſucceſſit in regno paterno A. N. C. DCXXXII. tenuit annos* 14.

*Chlodovæus II. Franciæ & Burgundiæ A. N. C. DCXLVI. regnavit annos* 17. *etiam in Auſtraſia poſt obitum fratris Sigeberti, interfecto Grimoaldo uſurpatore regni.*

*Chlotharius III. A. N. C. DCLXIII. regnavit annos* 3.

*Theodoricus III. A. N. C. DCLXVI. annum* 1. *Quo depoſito & in monaſterium detruſo eligitur*

*Childericus II. A. N. C. DCLXVIII. annos XII. Quo interfecto ex monaſterio repetitur*

*Theodoricus III. A. N. C, DCLXXX, annos* 14.

*Chlodovæus III. A. N. C. DCLXXXXIIII. annos* 4.

*Childebertus III. pater Dagoberti II. A, N,*

*N. C. DCLXXXXVIII. annos* 18.

*Dagobertus II. sive junior, qui in charta* Dacopirtus, *Theodorici IIII. pater, Childeberti superioris filius, A. N. C. DCCXVI.*

*Plerique omnes Chronographi 4. tantum annos ejus Regno tribuunt. Atqui hæc charta anno Regni ejus 30. præscripta est? Quid dicemus? An computabimus annos paternos, quibus ille consors regni fuerit, & continuabimus regnum ejus usque ad successionem Theodorici filii? Sed neque ita constabit numerus, etiamsi excludamus Chlotharium & Chilpericum veluti intrusos, quod Monachos illos fecisse putandum foret, si calculus conveniret. Etenim ab anno primo Childeberti usque ad annum primum Theodorici non reperiuntur quam 29. an. non liquet.*

*Chlotharius IIII. A. N. C. DCXX. annos* 2.

*Chilpericus, qui in charta* Elpericus, *A. N. C. DCCXXII. annos* 5. *Ch.* 41. *sine anno.*

*Theodoricus IIII. Dagoberti junioris filius, sub tutela Caroli Martelli, A. N. C. DCCXXVII. annos* 15. *Ch.* 36. *An.* 15. *quo & obiit.*

*Childericus III. qui chartis* Ildiricus & Hiltrihhus, *cognomento simplex, quum prius David vocaretur, ex monasterio a Carolo Martello Majore domus ad regnum accersitur A. N. C. DCCXLII. regnavitque annos* 10. *ut ex chartis patet, non* 9. *tantum, ut tradunt vulgus Chronographorum Ch.* 58. *An.* 3. *Ch.* 40. *An.* 10.

*Carlomannus, Martelli filius, Majordomus & Alamanniæ Dux, regnavit sub Childerico Rege annos* 4. *qui monachus factus in Castro Cassino Alamanniæ amministrationem fratri Pipino resignavit. Ch.* 61. *An.* 2. *Ch.* 37. *sine an. Ch.* 38. *sine an. Ch.* 39. *sine an. Ch.* 58. *sine an.*

*Pipinus Magnus qui & Grossus Martelli filius, Majordomus & Alamanniæ Dux deturbato & in cœnobium truso Childerico Rege, regnum Francorum usurpat A. N. C. DCCLI. si Childerico* 10. *annos inclusive tribuamus. Rexit annos* 18. *Ch.* 42. *An.* 3. *Ch.* 59. *An.* 8. *Ch.* 69. *An.* 10. *Ch.* 43. *An.* 10. *Ch.* 77. *An.* 15. *Ch.* 44. *sine anno, Ch.* 60. *sine anno.*

*Carlomannus, Pipini filius, Alamanniæ Rex A. N. C. DCCLXIX. annos* 3. *Ch.* 45. *An.* 1. *Ch.* 3. *An.* 1. *Carolus Magnus, Pipini filius, Rex Francorum A. N. C. DCCLXIX. Alamannorum post obitum Carlomanni fratris, DCCLXXII. Romanorum Imperator Augustus, DCCC. Legis Alamannicæ Repetitor quartus & ultimus, rexit & imperavit annos* 46. *Ch.* 62. *An.* 2. *Ch.* 46. *An.* 4. *Ch.* 29. *An.* 4. *Ch.* 87. *An.* 4. *Ch.* 12. *An.* 12. *Ch.* 69. *An.* 12. *Ch.* 48. *An.* 26. *Ch.* 49. *An. regni* 33. *& imperii* 2. *Ch.* 68. *An.* 34. *Ch.* 47. *An. regni* 36. *imperii* 5. *Ch.* 99. *An. regni* 38. *& imperii* 7. *Ch.* 15. *An.* 40. *Ex quibus chartis notandus est insignis Chronographorum error, qui Caroli M. inaugurationem Romanam rejiciunt in annum Regni XXXIII. Nati vero Christi DCCCII. quum hæ chartæ, quæ illo ipso tempore scriptæ sunt, exsertim XXXI. annum exprimant. Quos ubi ad Regni annos contuleris, reperies a Nato Christo, quos apposuimus, ipsissimos annos.*

*Pipinus, Caroli M. filius, Rex Langobardorum, & Rhetiæ Curiensis Dux, A. N. C. DCCCVI. Ch.* 15. *An.* 2.

*Hludovicus Pius, Caroli M. filius, Imperator Augustus, A. N. C. DCCCXIII. imperavit annos* 27. *partim cum patre, partim solus, partim cum filiis. Ch.* 81. *An.* 6. *Ch.* 50. *An.* 12. *Ch.* 51. *An.* 15. *Ch.* 65. *An.* 16. *Ch.* 64. *An.* 24. *Ch.* 30. *sine anno. Sub eodem scriptæ sunt Ch.* 90. *&* 95. *sine anno & Imperatore.*

*Hlotharius, Hludovici Pii F. Augustus, a patre consors imperii factus A. N. C. DCCCXXII. ut clarissime patet ex Ch.* 65. *Nam si pater ad imperium (ut paulo ante memoravimus chartarum auctoritate ac fide freti) anno DCCCXIII. pervenit, Hlotharius autem anno imperii ejus* 9. *ad societatem accitus, belle constabit noster numerus. Imperavit annos* 15.

*Hludovicus junior Germaniæ seu Franciæ Orientalis Rex, Pii filius, cum patre communes regni habenas capessit A. N. C. DCCCXXXII. Id uti esse credam, movet me Theothartus in charta* 64. *Gubernavit annos* 44. *Ch.* 56. *An.* 3. *Ch.* 87. *An.* 4. *Ch.* 64. *An.* 5. *Ch.* 83. *An.* 5. *Ch.* 70. *An.* 10. *Ch.* 71. *An.* 12. *Ch.* 31. *An.* 14. *Ch.* 1. *An.* 15. *Ch.* 26. *An.* 15. *Ch.* 63. *An.* 15. *Ch.* 8. *An.* 17. *Ch.* 22. *An.* 18. *Ch.* 52. *An.* 19. *Ch.* 72. *An.* 19. *Ch.* 5. *An.* 22. *Ch.* 54. *An.* 24. *Ch.* 18. *An.* 28. *Ch.* 55. *An.* 29. *Ch.* 23. *An.* 31. *Ch.* 32. *An.* 31. *Ch.* 57. *An.* 33. *Ch.* 74. *An.* 35. *Ch.* 93. *An.* 35. *Ch.* 7. *sine anno. Sub eodem scriptæ sunt Ch.* 78. *&* 91. *sine an. & Imperatore. Moritur anno DCCCLXXVI. verissime computavit Hepidannus in Annalibus, a quo Pius etiam ab Albrico Presbytero chart.* 74. *similiter ut pater, cognominatur.*

*Carolus II. cognomento Crassus, Hludovici superioris filius, Pii nepos, Caroli M. pronepos, Imperator Augustus, Germaniæ gubernacula suscepit A. N. C. DCCCLXXVII. tenuit annos* 12. *Ab Alamannis sive Germanis Secundus recensetur, quia Calvus, etiamsi nomen Imperii affectavit, impetrata jam a Pontifice Romano benedictione, nihil juris tamen in Alamannia obtinuit, a Carlomanno Crassi fratre victus ac fugatus, quemadmodum præter alios Otto III. Imperator audacter Pontifici Romano objicit in Diplomate Silvestro II. Papæ Rom. dato, anno DCCCCXCVIII. quo illi Comitatus quosdam Italiæ concedit exploso Constantinianæ Donationis (ut illius verbo utar) commento, cujus Johannem Diaconum cognomento Digitorum ostendit esse fictorem. Asservatur id*

Lu-

*Lutetiæ Parisiorum in Archivis Regiis. Hac ergo de caussa Carolus Calvus a Germanis non reponitur in Imperatoribus. Sub eo scriptæ sunt Ch.* 74. *&* 93. *ante adeptum Imperium. Ch.* 19. *An.* 2. *Ch.* 73. *An.* 2. *Ch.* 79. *An.* 3. *Ch.* 24. *An.* 5. *Ch.* 28. *sine anno.*

*Arnolfus Crassi ex fratre Carlomanno nepos, abrogata Patruo corona, fit Imperator Augustus A. N. C. DCCCLXXXIX. Imperavit annos II. Ch.* 85. *sine anno.*

*Hludovicus IIII. Arnolfi filius puerulus etiam regno præficitur & imperio A. N. C. DCCCC. Id liquet ex Hepidanni Annalibus, quibuscum faciunt Ch.* 20. *An.* 3. *Ch.* 6. *An.* 7. *Ch.* 75. *An.* 10. *Ch.* 84. *An.* 13. *Ch.* 76. *est sine anno. Præfuit annos tot, quot pater illius.*

*Chuonradus I. Imperator Augustus, A. N. C. DCCCCXI. Imperavit annos* 7. *Ch.* 21. *An.* 3. *Ch.* 2. *sine anno.*

*Heinricus I. Auceps qui Ms. nostro* Einricus, *Imperator Augustus, A. N. C. DCCCCXVIII. Imperavit annos* 18. *Ch.* 33. *An.* 14. *Ch.* 13. *An.* 15.

*Otto I. Aucupis filius, Imperator Augustus, A. N. C. DCCCCXXXVI. Regnavit annos* 42. *Ch.* 11. *An.* 12. *Sub eodem scriptæ sunt Ch.* 27. *& Ch.* 60. *& Ch.* 89. *sine anno & Imperatore.*

*Otto II. superioris filius post obitum patris solus cepit regni babenas, A. N. C. DCCCCLXXVIII. tenuitque annos* 11. *Chartæ sub eo exaratæ nonnullæ exstant in Bartholomæi Schobingeri p. m. relicta bibliotheca, quarum nullam satis idoneam nancisci potuimus, quæ hic adjiceretur.*

*Otto III. superioris filius Imperio præponitur, A. N. C. DCCCCLXXXIX. ætatis suæ quarto. Regnat cum matre Theophanu annos* 8. *solus* 11. *Hujus nullam chartam vidimus.*

*Heinricus II. Dux Bavariæ, Imperator Augustus, A. N. C. MVIII. annos* 22.

*Chuonradus II. Imperator Augustus A. N. C. MXXX. annos* 15.

*Heinricus III. Chuonradi II. filius, Imperator Augustus, A. N. C. MXLV. annos* 17.

*Heinricus IV. superioris filius, Imperator Augustus, A. N. C. MLXII. Ut quidem babent Hepidanni (quos in his posterioribus secuti sumus) Annales: sed aut vebementer fallor, aut falsi sunt numeri. Nam Nortpertus Abbas in Ch.* 86. *Heinrici hujus annum IIII. refert ad annum Dominicæ incarnationis MLXI. Regnum igitur acceperit oportet A. N. C. MLVII. Ex quo restitui porro velim veros annorum numeros cum apud Hepidannum, tum cæteros Chronographos plerosque omnes. Nos digito monstravimus: & jam ad ipsos Auctores properamus.*

Madalfredus.

*Quin Monachus fuerit Sancti Galli, quamvis professionis suæ nomen (more alioquin solemni) non apposuerit, nibil addubito. Facit ipsemet, quum se ab Rotoco (* Hrotoch *habet exemplar) Præposito Monasterii rogatum testatur chartam conscripsisse. Composuit Ch.* 1. *Anno Dom.* 847.

Sintpertus Monachus Sancti Galli.

*Scripsit Ch.* 2. *circiter annum Domini* 912. *sub Cunrado Imperatore.*

Albuinus Clericus.

*S. Galli ne an alibi, non habeo exploratum, Scripsit Ch.* 3. *An. Dom.* 770.

Willehelmus Abbas Sancti Galli.

*Non est ipsus Ch.* 4. *scriptor, sed alius sub ejus disciplina ac imperio Monachus. Vixit, Charta teste, A. D.* 1288. *Videndus Joachimus Vadianus in Catalogo Abbatum, & Johann. Stumpfius Chronic. lib.* 5.

Nandcrim Monachus.

*Ubi? An S. Galli? Atqui bæc acta sunt trans Rhenum Rotvvilæ in Hegovia. An Cellæ ad lacum inferiorem? Ita videtur. Nam monasterium illud a Ratpoto Episcopo exstructum suberat Abbati S. Galli, ut disertis verbis hic scribitur. Nisi illud me movet, quod in superscriptione hujus chartæ VVolaliuba notitiam istam fecisse dicatur de Nibalgovva. Qui Comitatus est in Rhætia prima inferiore in confinio Veltkirchensis ditionis & Sulcensium Vadutzii Comitum, cui quondam Comites Montfortii, illi qui Lantgraviatum Rancvvilanum nomine Imperatoris an Ducis Sueviæ gubernabant, præsedere. Scripsit Ch.* 5. *An. Dom.* 857. *Richpertus, cujus vicem gessit, videtur fuisse Præpositus Monasterii.*

Ernustus Cancellarius Ludovici IV. Imperatoris.

*Annus in Ch. exprimitur. Theotmarus qui fuerit, Abbas an Episcopus, pariter cum ignarissimis scio.* Archicapellanus *tunc temporis dicebatur, qui nunc* Archicancellarius. *Quod officium Archiepiscopi Moguntini sibi suisque successoribus proprium impetraverunt, auctoritate Caroli IV. in Bulla aurea. Sic Ekkebardus junior de casibus Monast. in Salomone:* Grimaldo Abbate nostro Archicapellano ejus juvante Capellanus fit Ludovici Regis, *sc. III. qui fuit avus bujus nostri Ludovici. Pro* Archicapellano *Notkerus Balbulus scribens Luitvvardo Vercellensi Episcopo maluit alterum illud usurpare, ad bunc modum;* Nec non & Archicancellario gloriosissimi Imperatoris Caroli, *sc. Crassi. Ut ita* Cancellarius et Capellanus, Archicancellarius et Archicapellanus *solo nomine videantur differre, quemadmodum ad Ekkebardum juniorem cap.* 11. *docuimus.* Rotwila *non est Erythropolis, ut imperite reddidit Henr. Glareanus, sed vero Bulevopolis,* Raathstatt, *quasi* βουλευτήριον τῆς βασιλείας. Rota, Raath, *quæ*

*quæ hodie* Camera: Villa, Statt. *Hinc* decisiones Rotæ, *Italis frequentatæ*. *Et* Rotuli, Rodel, *ex quibus sententiæ judicum recitabantur, Ciceroni in Verrem lib.* 3. tabulæ publicæ, periculaque magistratuum. *Legitur etiam pro libello supplice, qui judicibus offerretur, & pro omni cujuscujus generis schedula vel codicillo. Quod quia nemo dum, quod sciam, animadvertit, juvit obiter admonere: simul ut observes antiquitatem Cameræ Rotvvilanæ, quæ Spirensem ipsis* DCC. *annis & amplius superare vel sola hac ex charta deprehenditur.*

Watto Diaconus S. Galli.

*Sub Grimaldo Abbate & Cunrado Duce Suevorum scripsit Ch.* 7. *& Ch.* 70. *A. D.* 842.

Theothardus Præpositus S. Galli.

*Hic per omnes honoris gradus in Monasterio sub Abbate Hartmoto conscendit. Nam adbuc Monachus privatus Notarii officio functus scripsit Ch.* 8. *An. Dom.* 849. *ubi nomen* Thiothart *satis arguit doctrinæ etiamnum infantiam: itemque Ch.* 64. *An. Dom.* 856. *vice Cozzolti Diaconi. Triennio post, id est an. Dom.* 859. *Præpositus factus scripsit Ch.* 17. *vice Remmingii Presbyteri, cujus aliquot chartæ apud Schobingeros exstant. Dein Decanus subscripsit chartæ* 74. *An. Dom.* 867. *& simul Præpositus An. Dom.* 869. *subscripsit Ch.* 18. *Et Portarius denique An. Dom.* 879. *Ch.* 73.

Iso Magister et Monachus S. Galli.

*De hoc vide quæ annotavimus Tomo* I. *Script. Rer. Alaman. part.* 2. *An. Dom.* 909. *functus est officio Cellerarii in Monasterio, quo tempore simul etiam scholis præerat. Scripsit* Formulas scribendi chartas *pro discipulis suis, quas in primo codice Epigrammatum VValafridi Strabi Abbatis Augiensis ipsius Isonis manu scriptas habemus. Sunt vero Ch.* 9. *Ch.* 16. *Ch.* 25. *Ch.* 34. *Ch.* 66. *Anno Domini* 913, *scripsit Ch.* 84.

Bernhardus Subdiaconus S. Galli.

*Scripsit Ch.* 11. *An. Dom.* 948. *vice Waldonis, quo de infra, sub Cralone Abbate.*

Alboinus.

*Monachus, ut mihi videtur, S. Galli, sub Johanne Episcopo Constantiensi & Abbate S. Galli, Carolo M. Imperatore. Scripsit Ch.* 12. *Anno Dom.* 771.

Umbertus Canonicus.

*Ubi? Chartas scriptas esse in Rhætia Curiensi vel ipsa nomina fidem faciunt. An ergo Pugi Collegium Canonicorum? Fere est ut autumem: nam & in vicis antiquitus Collegia exstitisse, qui postea in oppida & civitates excreverint, notius est quam ut exemplis demonstrari debeat. Scripsit Ch.* 33. *An. Dom.* 932. *& Ch.* 13. *An. Dom.* 933.

Mano Diaconus.

*Quo locorum, non habeo compertum. Videtur in Rhætia prima inferiori, cujus fuit Comes, qui Curiæ domicilium habebat, Richuinus sub Pipino Rege Italiæ. Scripsit Ch.* 15. *Anno Dom.* 808.

Risine Subdiaconus S. Galli.

*Scripsit An. Dom.* 869. *Ch.* 18. *vice Folchardi Præpositi, sub Abbate Hartmoto.*

B. Notkerus Balbulus Monachus S. Galli.

*De hoc vide Ekkehardum juniorem in Casibus Monasterii cap.* 1. 2. 3. *& seq. & Ekkehardum Minimum in ejus vita. Composuit libros complures, quos in Tomo Francico commemoramus. Scripsit Ch.* 52. *An. Dom.* 851. *Ch.* 72. *eodem anno, Ch.* 57. *An. Dom.* 865. *vice Winidbardi Monachi, non illius, cujus ope consilio basilica B. Othmari a Gozperto Abbate instituta, ut refert Hepidannus An. D.* DCCCXXVIIII. *Etenim tempora discordant. Ch.* 19. *scripsit anno Dom.* 879. *obiit an. Dom.* 912. *ut Hepidannus in Annalibus & Herimannus Contractus in Chron. scribunt: homo summa senectute, & jam ætate pariter ac multis vigiliis cæcus, ut auctor est Ekkehardus junior. Scripsit & Notkerus Piperisgranum Physicus aliquantas chartas, quæ apud Schobingeros superant: Balbuli quidem coætaneus, sed discipulus peritia scribendi clarus.*

Ratpertus Monachus S. Galli.

*Diximus initio Tomi* I. *Script. Rer. Alaman. Levita etiamnum scripsit Ch.* 24. *Ann. Domini* 882. *Magister Scholæ Ch.* 20. *An. Dom.* 902. *Nec diu post senectute confectus obiit.*

Sigibertus Presbyter S. Galli.

*Scripsit Ch.* 21. *An. Domini* 914. *vice Nordperti, qui & ipse S. Galli Monachus non incelebris fuit.*

Herimotus Monachus S. Galli.

*Scripsit Ch.* 22. *Ann. Domini* 850. *Ex litteris apparet, notarium fuisse non e multis, & scribendi peritissimum.*

Ruadgangus.

*Fuerit ne Monachus, non liquet ex charta. Attamen quando laici non admittebantur ad hæc officia, verisimilius est fuisse. Scripsit Ch.* 23. *anno Domini* 863.

Wolfcozus.

*Et hic professionis nomen nusquam expressit. Quia vero Hartmoti, qui Decanus, & tandem Abbas Monasterii, vicem gessit, causa non est cur ambigamus Monachum & ipsum fuisse. Scripsit Ch.* 83. *an. Dom.* 837. *& Ch.* 26. *an. Dom.* 847.

Et-

Etcho Archipresbyter & Canonicus Constantiensis.

*Ex illustri Turgoviensium quorumdam Comitum familia, auctor atque suasor pacis inter Sangallienses Monachos & Canonicos Constantienses constituendæ. Scripsit Ch.* 28. *Anno Domini* 879.

Waringisus Cancellarius.

*Primus Notarius Monasterii S. Galli, scripsit Ch.* 43. *An. Dom.* 761. *Ch.* 44. *& item* 67. *eodem anno. Postea* Cancellarius, *id est (ut supra docuimus) princeps Scribarum seu notariorum factus; scripsit Ch.* 29. *An. Domini* 773. *Et hic omnium primus fuit Monasterii S. Galli Cancellarius, qui quidem eum sibi titulum arrogaverit. Nec post eum quisquam a me lectus, qui idem, sive nolens sive non ausus, usurpaverit, usque tempora Udalrici Baronis a Saxo, Abbatis magnanimi, qui Principis insignia & appellationem primus a Philippo Imperatore Basileæ impetravit, cunctaque instituit officia, quæ Principis dignitatem sequuntur ac decent.*

Andreas Presbyter.

*Locus non exprimitur. An Vinnonensis, qui vicus est in Rhætia Curiensi, ubi contractus iste confirmatus? Certe videtur. Nam & sermonis horrida barbaries, quæ Romanismum Rhætiæ primæ ad unguem refert, & nomina quoque propria, hominem Rhætum produnt. Sed & Folchuinus emptor Rangwila ortus in Chartæ dicitur superscriptione. Quæ villa fuit & est in Rhætia prima inferiore, e regione Montisfortis, non procul a Rheno in ejus dextero latere, sedes quondam Lantgravii, id est Comitis Provincialis, cujus Comitatus adhuc reliquiæ superant, Judicium Provinciale, quod illic quotannis celebratur, ut in Gloss. ad Tom. I. Script. Rer. Alam. diximus. Scripsit Ch.* 30. *Ann. Dom.* 813.

Laveso Presbyter.

*In vico Quaradives Rhætiæ Curiensis. Prout hæ Chartæ scriptæ sunt, video laicos & homines imperitos, inter se contracturos, fere ad Parochos suos instrumenti conficiendi causa convenisse. Destituebantur enim notariis: cujus artis imperiti tum erant laici: quippe ex qua soli Sacerdotes & Monachi quæstum aucuparentur. Scripsit Ch.* 31. *An. Dom.* 846.

Wilimannus Clericus.

*In vico Vinnona Rhætiæ Curiensis, Andreæ Presbyteri successor. Scripsit Ch.* 32. *An. Dom.* 863.

Audo Clericus.

*Natione Rhætus, suppresso loci nomine. Scripsit Ch.* 35. *De anno nihil certi liquet, nisi quod circiter DCCXX. vixerit.*

Silvester Diaconus S. Galli.

*Scripsit Ch.* 36. *Ann. Dom.* 742. *Ch.* 37. *An. Dom.* 744. *Ch.* 38. *sine anno & Rege.*

Hiringus Monachus et Lector Babinchovensis.

*Scripsit Ch.* 39. *An. Dom.* 744. *& notabilem Ch.* 58. *An. Dom.* 745.

Landarius Presbyter Raudinleimensis.

*In Rhætia Curiensi inferiore, ut ex principio chartæ colligitur. Scripsit Ch.* 40. *Anno Domin.* 752.

Liutfredus Presbyter.

*S. Galli ne an in vico aliquo, non exprimitur. Scripsit Ch.* 42. *An. Dom.* 754.

Moathelmus Clericus.

*Scripsit Ch.* 45. *Anno Domini* 770. *Locus Parochialis non exprimitur.*

Usalto Diaconus S. Galli.

*Natione Thuregiensis, scripsit Ch.* 46. *Anno Domini* 773.

Emicho.

*Quis iste fuerit, aut quinam* pagus (*quæ vox districtum seu territorium notat*) Purihinga, *seu (ut in charta* 87. *scribitur)* Burichincas, *æque cum ignarissimis scio: nisi si in Rhætia Curiensi aliquis sit, quod animus auguratur. Scripsit Ch.* 47. *Ann. Dom.* 805.

Adalhardus Lector S. Galli.

*Scripsit Ch.* 48. *An. Dom.* 795. Argunæ (*quæ nostrati vulgo* Langenargen,) *trans lacum Potamicum.*

Pernegarius Presbyter.

*Neque hujus sive monasterium sive Parochia exprimitur. Scripsit Ch.* 49. *Ann. Dom.* 802.

Atto Clericus Augustanensis.

*Scripsit Ch.* 50. *Anno Dom.* 825. Munciacum *an est* Munchen, *quod imperiti vocant* Monachium? *Divinet, qui favente utitur Apolline, an Monachium in pago Augustoviano situm fuerit.*

Ratbertus Conzl.

*Non queo nec possum divinare, quid sibi velit vocabulum posterius. Ipse Ratbertus Brisgoviensis fuit. Scripsit Ch.* 81. *An. Dom.* 819. *& Ch.* 51. *Anno Dom.* 828. *in quibus chartis constanter scriptum est* Hratbertus, *sicut in aliis vetustis codicibus* Heabanus, Hradulphus, Hratherius, Hrichardus, *& id genus similia.*

Bebo.

*Quia testem se vocat in re, quæ Monaste-*

*sterium non obligat, non videtur Monachus fuisse. Exscripsit tantum Ch. 52. quam Notkerus Balbulus composuit Ann. Dom.* 851.

Dodo Monachus S. Galli.

*Scripsit Ch.* 53. *sine anno & Imperatore. Quæ negligentia haud raro percepit nostros Monachos. Imperitia ne Legis an inscientia annorum, haud facile dixerim. Certe Lex Alamannorum expressis verbis cavet,* ut scriptura non valeat, in qua annus & dies non ostenditur, *cap.* 43. *Quod imitatione Juris Civilis est introductum.*

Albricus Presbyter S. Galli.

*Primum Diaconus scripsit Ch.* 54. *An. Dom.* 864. *Deinde Presbyter Ch.* 74. *An. Dom.* 867. *sub Hartmoto Abbate An. Dom.* 861. *subscripsit Ch.* 55. *officio functus Cellerarii, cum Hartmoto adhuc Decano.*

Eccho Monachus S. Galli.

*Scripsit Ch.* 55. *An. Dom.* 861. *Fuit & alius in Monasterio Eccho, qui An. Dom.* 909. *Æditui, teste Ch.* 75. *& Ann. Dom.* 913. *Decani officio functus, teste Ch.* 21.

Warimbertus Levita S. Galli.

*Scripsit Ch.* 56. *An. Dom.* 835. *cujus etiam aliæ apud nos exstant chartæ.*

Autwingus Lector S. Galli.

*Scripsit Ch.* 59. *An. Domini* 759. *sub Johanne* Pontifice ( *id est Episcopo* ) *Constantiensi & Abbate Monasterii S. Galli.*

Waldo Decanus S. Galli.

*Sub eodem Johanne Episcopo, & Abbate, regnante Pipino Crasso, Martelli filio, Rege Francorum, scripsit Ch.* 60. *Ann. Dom.* 760. *Fuit & alius Waldo, itidem ut ille, Decanus, sub Ottone I. Imperatore, cujus fit mentio in Ch.* 11. *cujusque vitam perstringit Ekkehardus Junior in Casibus Monasterii cap.* 15.

Atto Diaconus S. Galli.

Ato & Atto, *sicut* Wato & Watto, Hato & Hatto, *indiscriminatim reperitur in chartis & vetustis codicibus. Scripsit Ch.* 61. *An. Domini* 771.

Hadupertus Clericus Argunensis.

*Scripsit* 62. *chartam suæ ipsius traditionis, quam de rebus fecit Haddinvillanis & Argunensibus in Algovia ad lacum Brigantinum, ubi videtur Parochum egisse, Ann. Domini* 771.

Marcellus Monachus S. Galli.

*Natione Scotus,* Moengal *initio dictus, ab avunculo Marco Episcopo, qui Roma rediens ad S. Galli conterranei sui Monasterium, illustri ejus fama perductus, intervisere voluit, in Monasterio relictus, & ab ejus nomine* Marcellus *nuncupatus, ut scribit Ekkehardus Junior in Casibus cap.* 1. *& seq. In Schola Claustrali collega fuit Notkeri Balbuli, quum Iso Magister Canonicæ præesset. Scripsit Ch.* 63. *An. Dom.* 847. *exstat penes nos ejusdem Homilia scholastica in Lectionem Evangelicam, quam videtur discipulis suis in schola recitasse.*

Cozpertus Diaconus S. Galli.

*Scripsit Ch.* 65. ( *ubi* ἀγροικῶς *& ex vulgi Alamannico usu legitur* Cozpreht ) *Ann. Dom.* 829. *Fuit & alius Cozpertus Monachus, qui sub Grimaldo Abbate Camerarius subscripsit Ch.* 78. *sine anno, & sub eodem Præpositus Monasterii chart.* 72. *An. Dom.* 851. *itemque Ch.* 73. *An. Dom.* 879. *in qua, similiter in superiori* 78. *scribitur* Cotabertus. *Denique sub Salomone Abbate Portarius subscripsit chartæ* 75. *An. Dom.* 909.

Wenilo.

*Scripsit Ch.* 68. *Ann. Dom.* 803. *sub Æginone Episcopo Constantiensi & Werdone Abbate S. Galli. Professionis suæ nomen non expressit, neque locum contractus. Fuit Bertholdus iste Comes Barensis, qui Comitatus hodie Sulcensium Comitum est possessio.*

Ruoco Laicus Lector S. Galli.

*In Monasterio duum generum* Presbyteros, Diaconos, Lectores, *&c. fuisse, jam olim observavit Vadianus, quem vide lib.* 1. *Eorum alios vocabant* Laicos, *alios* Professos. *Illi extra Monasterium in domo separata, sed tamen contigua, habitabant; ab Alamannis appellati* Leyenpriester: *hi Monachi erant. Ex illo genere fuit Ruodo iste, & quem primo Tomo Script. Rer. Alam. dedimus, Cunradus Presbyter S. Othmari. Scripsit Ch.* 69. *An. Dom.* 784. *sub Johanne Episcopo & Abbate. Qui signavit* Ægino *sive* Agino ( *ut in aliis chartis* ) Presbyter, *postea evectus est in Pontificatum Constantiensem, simul invasor atque incubator Abbatiæ S. Galli eam per vim tenuit, ut scribit Ratpertus de casibus cap.* 4.

Otine.

*Non quidem nomen expressit professionis; fuisse tamen Monachum S. Galli nihil magis ambigo, quam Grimaldum, qui signavit, Abbatem. Numquam enim permisissent Monachi, ut alius messem meteret in suo agro. Scripsit Ch.* 71. *Ann. Dom.* 851.

Purgolfus Monachus & Subdiaconus S. Galli.

*Scripsit Ch.* 73. *anno Dom.* 979. *& Ch.* 79. *anno Dom.* 980. *Cunzo & Eppbricus, qui has chartas conscribi mandaverunt, ex illustri familia Comitum Montisfortis fuere, sub quorum dominio etiamnum Comitatus Tetinangensis, in proprietate Johannis Comitis & S. Cæsareæ Majest. Consiliarii, hereditas trium ejus filiorum, Hugonis, Hermanni*

*ni & Johannis. Unde stemmatis hujus antiquitas debet intelligi, quod ipsos septingentos annos feudatarium fuit Monasterii S. Galli.*

Ripertus Presbyter S. Galli.

*Sive* Richpertus, *scripsit Ch. 75. anno Dom. 909. Fuit ante eum & alius Richpertus in Monasterio, qui Præpositus subscripsit Ch. 71. anno Dom. 851. & Sacramentarius Ch. 18. anno Dom. 869.* Tuotilinus, *qui nostram hanc chartam signavit, Hospitarius, est Tuotilo ille clarissimæ famæ Monachus, cujus res gestas describit Ekkehardus Junior, in de Casibus cap. 3. & Ekkehardus Minimus in vita Notkeri.*

Abo Presbyter & Monachus S. Johannis.

*Apud Sarunetes in Alpium Toggiarum Monasterio, cujus Abbas fuit Emezo istic. Scripsit Ch. 76. anno Domini 900.* Johanneswilare, *vulgo* Jonschwil *in Turgovia superiori situm est, cujus incolæ a nobis Abbatiscellani nominantur. Ex hac autem Charta discimus, Monasterium S. Johannis inde ab initio sub potestate Abbatis S. Galli extitisse, cui hodieque manet subjectum, & Abbatis vicem Monachus S. Galli gerit, quem Præpositum nonnulli, quidam Vicarium appellant.*

Hamedeus Clericus Nibalgavensis.

*Scripsit Ch. 77. anno Domini 766.* ante Gotzpertum Præsidem, *hoc est, Lantgravium, uti supra commemoravimus, qui Ranckwilæ* mallis, *id est judiciis, nomine Imperatoris præsidebat.*

Rimidingus Presbyter S. Galli.

*Scripsit Ch. 78. anno Dom. 850. In charta 17. quæ ipsius vicem scripta est a Theothardo Præposito, anno Domini 859. corrupte (opinor) scribitur* Remmingus; *melius in charta 28. quam anno Domini 879. signavit,* Rimedingus.

Notpertus Abbas S. Galli.

*Scripsit Ch. 86. anno Domini 161. super fundatione Ecclesiæ suæ Abbacellanæ. Hujus vitam perscripsit Ekkehardus Junior in Casibus, & Johannes Stumpfius Chronicor. lib. 5. Videndi Cunradus Fabariensis & Joach. Vadianus in Catalogis Abbatum.*

Hupertus Presbyter S. Galli.

*Scripsit Ch. 87. anno Domini 773. sub Carolo Magno Imperatore, cujus tamen nomen ab oscitante librario fuit omissum.*

Vauco Rhætus Cancellarius

*Umfredi Comitis Rhætiarum, scripsit Ch. 99. anno Domini* 807. in curte ad Campos, *id est,* Maienfeldii *(quod est oppidum in Rhætia Curiensi) ubi quondam singulis annis in mense Majo sub tiliis in campis apertis missi (placet docendi causa vocem illius ætatis usurpare) Regum Francorum & Imperatorum Romanorum mallos publicos celebrabant. Unde & nomen invenit oppidum illud. Nam* Maienfeld *Latinis (quorum lingua populus ille tunc utebatur) est, si interpreteris,* Maiicampus. *Quo nomine ipse quoque conventus annuus* Scabinorum, *sive Judicum, nonnunquam intelligitur, nisi quod eo in significatu, fere* Magicampus *scribatur. Remmingus Præpositus monstrosius adhuc in Excerptis Chronicis pro conventu Imperiali seu Comitiis usurpat, tralatione a more illo petita. Qua de re in Francicarum rerum Scriptoribus.*

*Hucusque Scriptores Chartarum & Instrumentorum exsecuti sumus.*

# CHARTARUM ET INSTRUMENTORUM
## VETERUM ALAMANNICORUM
# CENTURIA UNA
### *IN CERTOS TITULOS DIGESTA.*

DE INGENUITATE. (1)

*Madalfredus.*

I. EGo quidem Haycho filius Vodalberti, devenit mihi ut in conjunctionem quandam fœminam mihi usurpassem nomine Otpirgam, quæ tunc temporis libera fuit, postea vero ab Emichone advocato ad ipsum monasterium S. Galli in servitium adquisita, & ex ea mihi liberi II. procreati fuerant, quorum nomina erant Voluini et Voto. Ideoque propter conpassionem genitorum ne in conditionem servilem cogerentur, talis mihi decrevit voluntas, ut aliquid de rebus meis traderem ad monasterium locis illis aptum; quod et ita feci. Tradidi videlicet ad Hasumwanc ipsa marca adhærentem runcalem I. hobam etiam et amplius continentem, ea conditione, ut ipsi illic resideant et ibi la-

(1) Serva geniti, dum libera habita fuit, ingenui existunt.

laborent tempus vitæ suæ, et annis singulis censum inde persolvant qualicumque pretio potuerint solidum I. insuper et IIII. dies in messe aut ad fœnum colligendum perficiant. Si autem potestas monasterii istam traditionem inrumpere & eos alienigenare conaverit, tunc ego Haycho ipsas res licentiam habeam absque ullius contradictione in meam redigere potestatem. Si autem ipsi denominati per incuriam se inde abstraxerint seu ab alienarum conjunctione fœminarum seu aliqua causa casu accidente, tunc ipsæ præfatæ res ad monasterium revertantur ad perpetim possidendum, sign. ipsius Haychonis, & advocati monasterii Emichonis. sign. Actum ad Hasumwanc præsentibus istis. sign. Engilhelm & Engilpoldi, sig. Hiltipoldi & Scalconis, sign. Cuntardi & Gisalolfi, sign. Cunzoni Presbyteri, & Regimberti, & Hucpoldi. Ego Madalfretus rogatus a Hrotoch Præposito scripsi. Notavi diem Martis V. KAL. Martias, regnante domno Hludowico Rege anno XV. sub Gozberto Comite.

*Sintpertus Monachus.*

II. In Dei nomine, ego Vuarsind evenit mihi ut honesto amore accepissem quandam servam monasterii S. Galluni nomine Richildim, eamque in matrimonium sumpsissem, quæ mihi progenuerat IIII. filios his nominibus. Sintuuart, Fridpert, Vuanwic & Halo, et unam filiam cognominem. Convenit autem Hartmanno venerabili Abbati et mihi Vuarsindo ut sub manu advocati sui Percichonis liberos meos juxta legem Alamannorum (1) partiri haberemus, quod et feci, tradidique ad servitium monasterii duos filios, scilicet Sintuuart et Halo, sicut lex jubet. Filiam autem ne forte in servitutem amitterem, placuit redimere, quod et feci dedique alium mancipium legitimæ ætatis monasterio totaliter et ex integro possidendam et in pretio solidos II. Actum in Constantia, in præsentia testium qui signaverunt sign. Vuarsind qui hanc conventionem scribere voluit, sign. Perichonis advocati monasterii, sign. Ruodgaud, sign. Ratpert, sign. Vuolco, sign. Mangold. Ego Sintpert humilis monachus rogatus a Vuarhind scripsi et subscripsi. Notavi diem Mercurii VIII. KAL. Augusti, regnante Domino nostro Chuonrado Rege.

## De Servitute.

*Albuinus Clericus.*

III. In Dei nomine, Ego Cotawina ancilla Dei dono atque trado ad monasterium S. Galloni; ubi ejus sacrum requiescit corpus, et hoc est quod trado, quod ego in Lutinach visura sum habere, et in alio loco qui dicitur Beffindorf, et in locis, campis, silvis, et omnia quæ inibi visura sum habere, et casatos tres his nominibus, Ragingerius cum infantes suos his nominibus, Rihgero, Vuantilone, Vualtricho et uxore sua Fastrata, et filio eorum Vuolfrido, et servo ejus Isamberto, et alio servo nomine Vuoto, et Haccone qui est in concambio cum Vuichardo redemere se vult; det alium mancipium XI. manuum longum. Hi sunt testes qui præsentes fuerunt et signaverunt. sign. Cotawinæ qui hanc traditionem fieri rogavit, sign. Vuichardi, sign. Tuto, sign. Vuotahar, sign. Amalger, sign. Theotbald, sign. Mairolt, sign. Tuilo, sign. Vuolfberti, sign. Asthari. Ego itaque Albuinus Clericus rogitus ab Cotawina hanc cartam scripsi sub die VII. KL. Octob. in anno I. regnante Carolomanno Rege.

*Anonymus.*

IV. Anno Domini MCCLXXXXVIII. Wilhelmus Abbas monasterii S. Galli hæc conscribi fecit. Noverint universi quod Burchardus dictus Lou residens in Thurego, Adilheidis, Mechthildis, Adilheidis, et Gertrudis, filiastræ ipsius Burchardi pertinent jure proprietatis ad monasterium nostrum prædictum, et quamdiu vixerint, tenentur dare annis singulis I. libram ceræ in recognitionem proprietatis. Post mortem vero eorum Abbas, qui pro tempore fuerit, de singulis mortuarium accipiet. (2)

## De Manumissione. (3)

*Nandcrimus Monachus.*

V. Notum sit omnibus tam præsentibus quam superventuris, quod ego Vuolaliub cum manu advocati mei Engilboldi duo mancipia mea, id est Thiotonem et Vuadindam, in Dei amore libertate donavi, ea tamen ratione, ut annis singulis ad Cellam Ratpoti, quæ ad monasterium S. Galli pertinet, in censu IIII. denarios solvant. Actum in loco qui dicitur Rota publice præsentibus his quorum hic signa continentur. sign. Vuolaliub et advocati ejus Engilboldi, qui hanc notitiam fieri voluerant, et aliorum testium, sig. Engilhelm ✠ Cundhart ✠ Ruadker ✠ Vuano ✠ Oadalwart ✠ Vuolfleip ✠ Reginker ✠ Tagapert ✠ Folcholt ✠ Sinderat ✠ Vto ✠ Vuato. Ego itaque Nandcrim indignus monachus ad vicem Richperti rogatus scripsi et subscripsi. Notavi diem Jovis,



(1) Si liber servum acceperit, quæ sit conditio prolium. Partitio liberorum inter dominum & servam lege Alamannica sic fiebat, ut natu maximum filium dominus, sequentem liber pater, & sic deinceps, acciperet: idem in filiabus. Hæc Lex non reperitur in capitulis Legis: concordat tamen cum Novel. Justiniani Imperat. 151. de prole partienda inter rusticos, & Novel. 162. c. 2. & seq. & l. ultima C. de agricol. Servorum conditio, qui quod acquirunt domino, acquirunt etiam sub servos.

(2) Donari, tradi, permutari, vendi apud Alamannos potuisse servos sub suis titulis exempla evincent.

(3) Manumissio privata de Nibalgowa.

vis, VIII. KL. Majas, anno XXII. regni Hludowici, ſub Gozperto Comite. (1)

*Ernuſtus Cancellarius.*

VI. (2) In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Hludowicus divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet & futuri, quia nos rogatu Purucharti dilecti Comitis noſtri quendam proprium ſervum noſtrum Johan nominatum, in præſentia fidelium noſtrorum, per excuſſionem denarii de manu illius, juxta legem Salicam in elomoſynam noſtram liberum dimiſimus, & ab omni jugo ſervitutis abſolvimus, ejus quoque abſolutionem hoc ſcripto firmavimus, quam in omni tempore firmam inviolabilemque manſuram eſſe volumus. Præcipientes ergo jubemus, ut ſicuti reliqui manumiſſi, qui per hujuſmodi titulum abſolutionis a Regibus vel Imperatoribus noſcuntur eſſe relaxati ingenui, ita deinceps memoratus Johan bene ingenuus atque ſecurus exiſtat, & ut iſta ingenuitatis pagina firma ſtabiliſque conſiſtat, annulo noſtro eam conſignari juſſimus.

Ernuſtus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicapellani recognovi. Data II. Kal. Jun. anno incarnationis Domini DCCCCVI. indict. VIIII. anno regni Domini Hludovici VII. Actum in Rottwila feliciter. Amen.

*Vuato Diaconus.*

VII. (3) Auctoritas Eccleſiaſtica patenter ammonet, inſuper & poteſtas Regia canonicæ religioni adſenſum præbet, ut quemcunque ad ſacros ordines ex familia propria promovere Eccleſia quæque elegerit in præſentia Sacerdotum canonicorum ſimul & Nobilium laicorum, & ejus cui ſubjectus eſt manumiſſione ſub libertatis teſtamento ſollemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine Engildruda quondam meum famulum nomine Sigimarum, ſacris ordinibus dignum, in præſentia nobilium virorum liberum ab omni vinculo ſervitutis dimitto. (4) Cui Romanæ per hoc auctoritatis teſtamentum ſtatuo, ita ut ab hodierno die & tempore bene ingenuus atque ſecurus permaneat, tanquam ſi ab origine fuiſſet parentibus liberis procreatus vel natus: eandem pergat partem quamcunque volens canonice elegerit, habenſque portas apertas ita ut deinceps nec mihi nec ſucceſſoribus meis ullum debeat noxiæ conditionis ſervitium, neque aliquod libertatis obſequium, ſed omnibus diebus vitæ ſuæ ſub certa ingenuitate, ſicut alii cives Romani, per hunc manumiſſionis aut ingenuitatis titulum bene ſemper ingenuus atque ſecurus exiſtat, ſuumque peculiare, quod habet aut quod adhuc adquiri poterit, faciat inde ſecundum canonicam libertatem quidquid voluerit. Et ut hæc teſtamenti ac ingenuitatis auctoritas inviolatam inconvulſamque optineat firmitatem, ego Engildruda & Richolf advocatus meus amborum manibus ſubterfirmavimus, ſacerdotes quoque ita nominati manus ſuas in præſentem ingenuitatis cartulam miſerunt, Pero, Adalman, Hiltiger, Rodpot, Baldolt, Rantolf. Actum in villa Hoſtrahum nuncupata, in præſentia Salomonis & Reginolfi miſſi Domni Hludowici Regis. ſig. Hiltibaldi miſſi Honorati Comitis † Orkit † Liutpreht † Hadpert &c. Ego itaque Vuato Diaconus rogatus ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem Jovis, in VIII. ID. Octobr. regnante Domno Hludowico Rege Alamannorum & Pejoariorum, ſub Chonrato Duce nobiliſſimo, feliciter. Amen.

*Thiothartus.*

VIII. (5) Igitur dum pluribus cognitum eſſe conſtat, qualiter nos Grimaldus Abba & Advocatus noſter Poſſo partibus monaſterii S. Galli quendam hominem Vnderuſt nomine ad ſervitutis jugum attrahere voluimus, & ideo in mallo publico, coram Comite Vodalrico, ſcilic. Ego Grimaldus Abba & prædictus Advocatus noſter Poſſo illum pleniter ad ſervitium præfato monaſterio noſtro quæſivimus, nobiſque & ſucceſſoribus noſtris illum ſubjugare conati ſumus. Ille autem in eo conſilio, prædictus videlicet Vnderuſt, ſtuduit ſe reconciliare, quam ſervituti ſuccumbere ſagacibuſque flagitationibus a nobis & Advocato noſtro, ut ſe nobiſcum pacificare voluiſſet. At nos propter amorem Domini illius rogitationibus ſenſum adcommodantes conſentiebamus, reconciliationem non renuentes. Atque ob id jam dictus homo Underuſt de medio quod habuit territorio inter Hagenbah & Eligauge ac Snetta, juchos quattuor ad reconciliationem nobis dedit, ſcil. ut a die præſenti ita ingenuus conſiſtat, quaſi ſi ab ingenuis parentibus ſit genitus: noſque ea ratione illud accipientes, quatenus ipſe noſtra ex parte ab omni ſervitutis vinculo ſit exutus in perpetuum, totaque ejus agnatio, poſteritas & procreatio ſimiliter ſit abſoluta, ſub ea conditione, quæ modo ab illo genita eſt & deinceps progenita fuerit, tamquam ſi ex liberis fuiſſent parentibus procreati, hocque conſcriptionis vinculo firmari juſſimus. Actum in Vuitarduro coram Vodalrico Comite & cætero populo. ſig. Grimaldi Abbatis & Advocati ſui Poſſonis, ſigna aliorum teſtium. Vodalricus Comes Adalhol, Vuanzo, Adalhelm, Nidger, Landfrid, Aſtheri, Uto, Fridun, Lantolt, Heitar, Vuuinrat, Strello, Adalram, Other, Alpheri, Thiotpert, Cunzo, Hadabert, Vuolfchrig, Huppert,

(1) Aliud exemplum habes infra ſub titulo de traditione rerum, in charta Hiringi monachi. Et aliud ſub titulo de precariis in charta Purgolfi ſubdiaconi.

(2) Manumiſſio coram Rege.

(3) Manumiſſio in Eccleſia.

(4) Cujaci s Obſervat. lib. 14. c. 27.

(5) Manumiſſio coempta proprio peculio.

pert, Auto junior. Ego itaque Thiothart recognovi & subscripsi. Notavi diem Mercurii, II. Idus Febr. an. XVII. Hludowici Regis in Orientali Francia, sub Vodalrico Comite.

## De Dote.

*Formula Isonis.*

IX. Dulcissima conjux mea atque amantissima nomine illo, Ego in Dei nomine N. sumpsit mihi consilium atque conplacuit, ut ego te mihi in conjugium accepissem: quod ita & feci. Propterea dono tibi (1) dotem, sicut nostris utriusque conplacuit amicis tibi donare, in pago illo in illo loco in villa nuncupata, id est rectam curtem cum sepe circumcinctam &c.

*Anonymus.*

X. Nos Comites de Habisburg, videlicet Ruodolfus Lantgravius Alsatiæ, Ruodolfus Canonicus Ecclesiæ Basiliensis, Gothefridus & Eberhardus fratres, ejusdem Lantgravii patrueles, universis &c. Noverint igitur, quos nosse fuerit opportunum, quod cum nos curtes & prædia nostra in Dietigkon & Slieron sita jure proprietatis ad nos & nostros genitores pertinentia, a prædilecta domina & matre mea, videlicet prædicti Lantgravii, Heilwiga Comitissa, cui ipsæ curtes & prædia in recompensationem donationis propter nuptias titulo pignoris fuerant obligata, &c. Quicquid juris habemus in sæpe dictis universis & singulis bonis & hominibus, tam nos quam bonæ recordationis progenitores nostri Comites, videlicet Albertus mihi Lantgravio pater, nobis tribus fratribus patruus, Ruodolfus avus, Albertus proavus, ratione proprietatis vel infeodationis ab imperio usque in præsentiarum divisum vel conjunctum & communiter habuisse & possedisse dignoscuntur, &c. Data an. Dom. MCCLIX. XVI. Kal. Novembr. indict. III.

## De Donationibus.

*Pernhardus Subdiaconus.*

XI. (2) Superventuras igitur contentiones, quæ sæpius etiam causis ex minimis oriri solent, ad devitandas placuit mihi Amalperto traditionem, quam filiis meis feci, conscriptione firmari, & ad memoriam posteris tradere. Dedi itaque tribus filiis meis, Annoni, Amalperto & Reginfredo, qui mihi nati sunt ex ancilla S. Galli, omnem proprietatem meam, quam hodierna die in Vuoleramm-mes wilare visus sum possidere: ea videlicet ratione, ut eadem possessio sine ullius contradictione ab illis perpetualiter possideatur, censusque II. denariorum ab eisdem singulis annis persolvatur. Actum in Zuocewilare in publico mallo Notkeri advocati coram monasterii S. Galli Abbate Cralone, aliisque testibus quorum hic nomina continentur, sig. Amalperti qui hanc traditionem fecit. signa & aliorum testium, qui ibidem præsentes affuerunt, Reiccho, Ruodpert, Vuito, Reginger, Vualthere, Ruodpert, Otachar, Kerbert, Reginbert, Vuineram, Heriman, Vualto. Ego itaque Pernhardus Subdiaconus scripsi & subscripsi in vicem Vualdonis. Notavi diem feriam III. anno XII. Rege Ottone regnante sub Peringario Comite.

*Alboinus.*

XII. (3) Venerabilibus in Christo fratribus seu pro Christo peregrinantibus Johanni Episcopo & Abbati una cum monachis suis sub norma sanctæ regulæ B. Benedicti constitutione degentibus in monasterio S. Galli confessoris seu S. Mariæ Semper-virginis, quæ est in pago Arbonense, Gebalinga filia Maginberti. Canonica scriptura & antiqua legum auctoritas vel Principum decreta sanxerunt, ut unusquisque dum manet in corpore de propria quam possidet facultate voluntatem suam literis inserat, ut perennis temporibus inviolata permaneat, quia nihil valet cuiquam lux fugitiva nisi quantum poterit de præsentia mercari æterna. Ideo ego jam dicta Gebalinda cogitavi æternam retributionem, dono a die præsenti quod in perpetuum esse donatum volo ad ipsa casa Dei jam dicta, id est loca nominata Lolinga omnia quicquid in eodem loco vel ubicumque visa sum habere de meis propriis facultatibus, omnia hæc trado in dominationem Sanct. Galloni Confessoris seu & Rectoribus, ut post hunc diem potestatem habeatis omnia quicquid exinde pro utilitate monasterii ipsius facere volueritis, liberam ac firmissimam habeatis potestatem faciendi: in ea vero ratione, ut ipsa res sub usufructuario mihi habere liceat, & annis singulis censum exsolvam, id est, XII. maldras de prace, & duas maltras de frumento, & duas friskingas tremissas valentes, & post discessum filius meus vult similiter proservire, licentiam habeat usque discessum ejus. Hæc quoque epistula traditionis omni tempore firma & inviolata permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum in ipso monasterio publice, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. sign. Gebalindæ qui fieri rogavit, sign. Maginberti genitoris sui, sign. Vuidberti, sign. Balduini, sign. Gaozberti, sign. Vuaniloni, sign. Gundberti. Hæc omnia, quæ supra scribere rogavimus, sine ulla contradictione habeatis in ea ratione, ut numquam mutetis alium dare, nec minuere, nec vindere, sed sit stabilis ad ipsa loca sancta & si hæc neglegitis, revertat ad heredem proximum. Ego Alboinus rogitus scri-



(1) Ita vocat ἀντιφέρνη, seu donationem propter nuptias.

(2) Donatio facta liberis naturalibus.

(3) Mortis causa donatio.

ſcripſi & ſubſcripſi. Data quod feci menſe Julio, anno XII, regente Karolo.

DE TESTAMENTIS.

*Umbertus Canonicus.*

XIII. (1) ✠ In Chriſti nomine. Quicquid inter conjugatos de propria facultate, manente caritate, pro amore dilectionis unus ad alterum invicem condonare debemus: propterea ego Magnus facio tibi uxori meai Quintillanai, ſi me ſupervixeris, poteſtatem de omnibus, quantum mihi pertinet tibi legibus facere aut dare, antepono Falſiciam & antepono quod pro anima dare cupio, hoc ſunt XXX. ſolidi nominativi inter Presbyteros & inter meos filiolos & inter proprium & inter mobile & qualis de meis parentibus aut tuis aut noſter filiolus tibi melius ſervierit poteſtatem habeas illum ameliorare. Et ſimul facio ego Quintella tibi viro meo Magno omnia, quantum mihi pertinet tibi facere, ſi me ſupervixeris, omnia facio tibi in poteſtatem, antepono Falſiciam & antepono quod pro anima dare cupio, & qui tibi melius ſervierit, poteſtatem habeas illum ameliorare, qualem poteſtatem tu mihi feciſti de tua cauſa talem habeas de mea. Et ſi quis de heredibus noſtris aut quilibet ſuppoſita perſona, qui contra hanc umquam recauſare voluerit, ſolvat duplum quod in carta iſta continetur, & judici auri libras II. Facta carta in vico Pugo, menſe Aprili, anno XV. regnante Domno noſtro Einrico, & ſub præſentia teſtium, ſignaverunt teſtes, Auſtus, Vigilius, Valentianus, Vuikeramnus, Valerius, Præſtantius, Ovilio, Aimo, Aurilianus, Victor, item Victor. Et ego Umbertus Canonicus rogitus ab Auſto, qui fuit vicarius, hanc cartam ſcripſi.

*Anonymus.*

XIV. (2) Iſti ſunt homines qui fuerunt in præſentia, quando Patarich heredem tradidit pro anima ſua ſuum fratrem Ratolte in elemoſyna ſua. Iſti ſunt teſtes, ſign. Ruopreth, ſign. Vuelant, ſign. Ruadachar, ſign. Cundram, ſign. Kadalac, ſign. Richpreth, ſign. Tiffo, ſign. Eborolt, ſign. Buoſo, ſign. Chehart, ſign. Ebores, ſign. Vuacpreth, ſign. Ruadarant, ſign. Sikaheri, ſign. Cundram, ſign. Lanpreth, ſign. Alaman, ſign. Loacham, ſign. Hiltapalt.

DE CODICILLIS.

*Mano Diaconus.*

XV. (3) Ego in Dei nomine Adalhram trado ad monaſterium Sanct. Galli quicquid in die exitus mei de hac luce in pecuniali cauſa non datum & non uſitatum reliquerim, id eſt caballis domalibus cum cætero troppo, caballis cunctis, auro argentoque, ſcuta cum lanceis, veſtibus, vel omnibus utenſilibus, quas in die obitus mei non datas alicui & non uſitatas reliquerim, trado ad jam dictum monaſterium pro animæ meæ ſalute filiique mei Deotonis, ut nullo contradicente quicquid, ut jam diximus, in die obitus mei reliquerim, ad eundem cœnobium permaneat ſtabilitate perpetua ad habendum. Et ſi ullus ſit qui hoc contradicere voluerit, ut prædictæ res ad jam dictum monaſterium ſtare non debeant, de ſuis rebus talia quæ carta continet ad eundem cœnobium reſtituat, & fiſco proximo auri uncias V. & argenti pondera VII. perſolvat, & nihilominus carta firma in æternum permaneat, quocumque modo rite manere & valere poteſt. Actum in villa quæ vocatur Sulaga, præſentibus qui hic ſubnotantur. ſign. Adalrammi, Deotperti, Ruadperti, Vuerinberti, Vuallodi, Puaſonis, Vualonis, Richnandi, Perahtfridi, Tagaberti, Secheri, Neriprehti, Liutprethi, Vuerinbrehti, Hagioni, Vuollonis, Meginoprehti, Ottachari, Vuoſſonis, Adalprehti. Ego Mano Diaconus rogatus ſcripſi. Notavi die Veneris, pridie Kal. Auguſt. anno XL. regnante Domno Karolo, & II. Domni Regis Pippini, ſub Rihwino Comite.

DE PERMUTATIONIBUS ET CONCAMBIIS.

*Formula Iſonis.*

XVI. Omne namque quod inter partes diverſas bonis moribus ſaniſque conſiliis fuerit diffinitum, neceſſe eſt propter jurgia futura ſubjicienda ſuccedentibus temporibus conſcriptionis vinculo conligare. Sic itaque complacuit atque convenit inter illum Abbatem cum ad cœnobii illius vocato ſuo ſeu inter alios ſeculares inter illum & illum, ut ſimillas firmitates parique tenore conſcriptas cambii ſui emitterent, quas & emiſerunt. Ipſum autem cambium in eaſdem firmitatis emiſſiones nominatim viſum eſt nobis inſerendum. Deinde namque memoratus Abbas ſeu alius cum manu advocati ſui jam dicto homini illo in villa nuncupata juchos & de pratis ad carradas ad jus pertinens Sancti illius, & accepit ab illo in villa nuncupata juchos & de pratis ad carradas, ea duntaxat ratione, ut pars utraque acceptæ jus cambitionis deinceps inconvulſum & inviolabile perennibus temporibus abſque ullius inquietudine vel repetitione poſſideat, ſicque pari diffinitione ſanxerunt, ut ſi pars quælibet exin calumniam ingerere, hoc eſt, ſi aut memoratus Abbas ſeu ſucceſſores ipſius ſive jam dictus ille vel illius heredes aliquam repetitionem moliri temptaverint, ſit tunc pars parti tantum culpabilis quantum repetere præſumpſerit & in ærarium Regis auri uncias III. cogatur impendere: ſed nihilo

(1) Teſtamentum inter conjuges.
(2) Teſtamentum nuncupativum.
(3) Traditio Adalremmi de ſua pecunia.

hilo minus præsens emissio cambii hujus perpetim sui vigoris obtineat firmitatem, ita dumtaxat si Imperatoris clementiæ complacuerit. Actum in illo loco præsentibus istis. sign. illius Abbatis & advocati sui illius, sign. illius Decani, sign. præpositi, sign. cellarii, sign. custodis, sign. portarii, sign. camerarii, sign. hospitarii, sign. aliorum testium. Ego itaque immerens Diaconus anno illo Imperatoris scripsi & subscripsi. Notavi diem illum, illam datam, sub illo Comite. Amen.

*Theotardus Præpositus.*

XVII. (1) Omne quod inter diversas partes bonis moribus sanisque consiliis fuerit definitum, necesse est ob utilitatem servandæ pacis atque futura jurgia devitanda spatio temporis succedente conscriptionis vinculo colligare. Quapropter convenit inter quendam virum nomine Totonem, & inter Grimaldum monasterii Sanct. Galli Abbatem & advocatum suum Libonem una cum consensu fratrum quoddam concambium facere in Prisignowe, in loco qui dicitur Vuitinovva, quod & ita fecerunt. Ego igitur Toto ad monasterium Sanct. Galli dedi in præfato loco quattuor in juchos, & unam vineam in avia unius hominis labore procurandam: ea videlicet ratione, ut econtra Rectores ipsius monasterii in concambium mihi donarent, quicquid in saltu Svarzwald juxta fluvium Melia hodierna die extirpatum & cultum haberent. Quod illi quoque meæ potestati concesserunt, ita duntaxat, ut sicut jam supra dixi, quicquid in ipsa cella extirpatum possiderent, in concambium mihimetipsi sine ulla contradictione possiderem: cætera vero, id est, inculta quæque ipsamque silvam & potestatem cædendorum lignorum, nec non adjacentia cuncta, pascuas, marchas, aquarumque decursiones, ipsam quoque viam sibi reservaverunt in perpetuum. Præterea quippe ego Toto ipsos obnixe rogavi, ut mihi unum pratum juxta eundem fluviolum concederent, promittens me partem proprietatis meæ postea illis donaturum. Idipsum vero, ut promissa factis implerem, similiter egerant, & conscriptione stabilitatis firmaverunt. Hæc quoque condictio concambii tali ratione firmata est, ut hæc præsens concambii carta ex utraque parte firma & stabilis permaneat stipulatione subnixa. Actum in Chiricheim in cubiculo Regis publice, præsentibus istis quorum hic signa continentur. sign. Totoni qui hoc concambium cum Grimaldo Abbate & advocato suo Libone perpetravit. sign. Vuitperti † Pero † Vuoluini † Hagano † Libo junior † Uto † Isanhart † Erchanfrid † Ridhard † Meginbert, item † Uto, item † Vuitpert. Ego itaque Theodhardus Præpositus vice Remmingi Presbyteri rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Martis, II. Non. April. ann. XXVII. regni Hludowici in Orientali Francia, sub Karolo principe ejusdem Hludowici Regis filio.

*Risine Subdiaconus.*

XVIII. (2) Omne namque, quod inter partes diversas sanis diffinitum fuerit consiliis, propter jurgia devitanda subsequentia conscriptionis vinculo firmare necessarium est. Convenit igitur Hartmotum Abbatem cœnobii S. Galli suumque advocatum Heitar cum Vuitperto Domni Regis vasallo, cum licentia Domni Regis Hludowici, ut firmitates pari ratione conscriptas sui perpetrarent concambii, sicut & fecerunt. Dedit namque memoratus Abba ex parte monasterii Sanct. Galli in pago qui dicitur Zurrichgauge, & in loco Richanbach nominato V. hobas de terra arabili, & casas cum curtis cæterisque ædificiis, atque cum silvaticis marchis ad easdem pertinentibus, & in alio loco qui dicitur Vaginesvvilare I. hobam plenam de terra culta: & accepit de supradicto Vuitperto vassallo Domni Regis ex parte sui beneficii in eodem pago & in loco Velebach nuncupato II. hobas, & casas cum curtis, cæterisque ædificiis, atque unam silvulam ad eundem locum pertinentem, nec non & piscationis usum illius laci, qui supradicto loco contiguus fore videtur; ea videlicet ratione, ut utraque pars accepti jus concambii perpetuis deinceps temporibus inconvulsum & inviolabile absque ullius inquietudine vel repetitione possideat. Præsens ergo concambii carta ex utraque parte omni tempore firma stabilisque permaneat cum stipulatione subnexa. Actum in curte regia Zurich, præsentibus istis quorum hic signacula continentur. sign. Harmoti Abbatis & advocati sui Heitar., qui hoc concambium fieri voluerunt. sign. Tiotharti Decani, sign. Folchardi Præpositi, sign. Richperti sacratarii, sign. Erchangeri cellerarii, sign. Ortuvini Camerarii, sign. Palderici Portarii, sign. Engilrammi hospitarii, sign. & aliorum testium † Vuitpert. † Vuillichere † Reginbert † Ooazo † Adalbert † Erchanbert † Vuolfhart † Plidker † Paldine † Paldolt † Anno † Azzo † Cozram. Ego itaque Risine indignus monachus atque Subdiaconus ad vicem Folchardi præpositi rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Jovis, III. Non. Dec. anno XXXVII. Hludovici Regis, sub Humfrido Comite.

*Notkerus.*

XIX. (3) Ego Hugpreht providens paupertati & opportunitati meæ trado ad monasterium Sanct. Galli in Zurichgovve, in loco qui dicitur Eskinghoua ad curtem Linto-



(1) Permutatio prædiorum.
(2) Permutatio vasalli cum licentia domini.
(3) Permutatio cum traditione precaria.

tovva pertinente, VIII. juchos de terra statim in jus monasterii redigendos: & accepi inde alios VIII. juchos in Durgovve, in loco qui dicitur Eilickevve: ea ratione, ut dies vitæ meæ terram sub censu unius denarii possideam, similiter & uxor mea post me, & post nostrum obitum in jus monasterii revocetur. Actum in cella, Id. Febr. anno imperii Karoli secundi secundo Adalberto Comite in Durgovve, & hi sunt testes, Othere, Buozo, Zuozo, Maganloh, Cozolt, Erchanolt, Eburhart, Rathere, Vodalhart. Hildibold, Adalung. Ricgovvo. Ego Notker jussus descripsi.

*Ratpertus Monachus.*

XX. (1) Noverit igitur multorum industria, quia ego Vualdthram rogavi Salomonem venerabilem Episcopum & Abbatem monasterii Sanct. Galli, ut mihi cum consensu fratrum quandam terram concederet facere commutationem, quod ita & fecit. Dedi etiam ad monasterium Sanct. Galli jurnales tres in pago Turgevve in villa Stamheim de optima terra: & accepi e contra de rebus ipsius monasterii jugerum unum in duobus locis situm, & ut hoc concambium perpetualiter inconvulsum permaneat, manu propria eum firmavi. sign. Vualdthrami, qui hunc libellum fieri & firmari rogavit. sign. Eskerici advocati, Folchart, Reginger, Horskolf, Vualdhere, Kisalhere, Lantpold, &c. Ego itaque Ratpertus monachus rogatus anno DCCCCII. Dominicæ incarnationis, anno III. Regis Hludovvici, Idus Februarias, die Mercurii scripsi & subscripsi.

*Sigibertus Presbyter.*

XXI. In Christi nomine. Ego itaque Salomon Constantiensis Ecclesiæ Episcopus & Abba monasterii Sanct. Galli, qualiter ego una cum consensu fratrum & advocati nostri Amalungi quoddam concambium facere cum Engillrammo quodam religioso viro decrevi, quod ita & feci, Tradidit enim nobis præfatus homo Engilram silvulam unam bonam in Eilikovvaromarcho & agrum unum ad eam pertingentem alium in Rammelinchouan, tertium in Pipineshouestetin cum prato, quartum in Aadoruaromarcho: & ipse econtra a nobis accepit hobam unam in Tanninchouaromarcho, in loco qui dicitur Meistereshusa ea videlicet ratione, ut ea quæ nobis dederat, inconvulsa perpetualiter habeamus, & illa quæ nos illi dedimus, similiter habeat & legitima ejus procreatio absque ullius contradictione perpetualiter possidenda. Actum in Eilikovve præsentibus quorum hic signa continentur, Signum Salomonis, qui hoc concambium fieri voluit, signum Ecchonis Decani † Ruodkeri æditui † Peronis Portarii, † Witonis hospitarii † Engilberti præpositi. Signum & aliorum ibidem præsentium, † Amalunch † Arolf † Perihker † Ruodhoo † Liutine † Adalho † Heitar † Hadamar † Ratire † Hugimar † Vuihart † Petrus † Kerrat † Edilloz, &c. Ego itaque Sigibert indignus presbyter ad vicem Nordperti scripsi & subscripsi. Notavi diem Lunis, X. Kal. Jun. annum III. Chuanradi Regis, Udalricum Comitem.

*Herimotus Monachus.*

XXII. (2) Inter duales igitur partes quicquid sanis aptisque consiliis diffinitur, ob futura devitanda jurgia conscriptionis titulo necesse est, ut confirmetur. Quapropter complacuit mihi Grimaldo Abbati, Podalolto advocato nostro, omnibusque fratribus cœnobii Sanct. Galli consentientibus, uti concambii communi sensu cum Vualdrammo (3) perpetrati conscriptiones pari ratione depictæ perpetrarentur. Dedit namque nobis idem Vualdrammus duo mancipia, quorum nomina sunt Suablind & Cozrud, acceptque e contrario a nobis tria mancipia, quorum unum vocatur Adalsind, aliud Hiltisind, tertium Cuata, eo videlicet pacto, ut utraque pars eorumdem mancipiorum concambii ratione utrimque contraditorum liberam in omnibus habeat potestatem, nullamque ulterius ob illa molestiam pars parti audeat inferre. Actum in Liubilaha publice, præsentibus istis, quorum nomina hic scripta tenentur. Sig. Grimaldi Abbatis, & advocati sui Podalolti † Folcharati, Ruadinc † Machelm † Thiothere Chunibreth † Selbo &c. Ego itaque Herimot indignus Monachus scripsi & subscripsi. Notavi diem Martis, anno XVIII. regni Hludowici, sub Vuelfone Comite.

*Ruadgangus.*

XXIII. Notum esse plurimis desideramus, qualiter ego (4) Sigibertus concambium feci cum Grimalto venerabili Abbate & ipsius advocato Hildibranto. Dedi ergo eis in dominium domus Sanct. Galli Christi Confessoris servos, nominibus his Gaudentium & Herigerum. Ipse vero consilio cum fratribus ejusdem monasterii Sanct. Galli inito, una cum manu advocati sui prædicti Hildibranti econtra dedit mihi alios servos nominibus Rato & Selihger, simili recompensatione probatos. Si quis sit qui libellum hujus concambii inrumpere temptet, inchoatum suum nullo peragat ingenio, sed firma permaneat. Actum in villa Ruadgozzesvvilare coram istis testibus. Sig. Sigiberti qui hoc concambium fecit. Sig. ceterorum testium, Thiethere, Erlinc, Eskerihc, Madalpret, Sigzro, Vuerimpret, Isinpret, Vuitpot, Altine, Folcholt, Edilleoz, Vuenito. Anno, regnante Hlu-

(1) Permutatio fundorum.
(2) Permutatio servorum.
(3) De Argungowe.
(4) De Aragangewe.

Hludovvico sereniſſimo Rege, XXXI. Ego itaque Ruadganc ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem Veneris, XVIII. Kalend. Mai, ſub Vodalrico Comite.

*Radpertus Levita*,

XXIV. Notum ſit omnibus præſentibus atque futuris, quod ego Bernhardus Abba monaſterii Sanct. Galli rogatus ſum pro concambio cujuſdam ancillæ monaſterii noſtri, cui nomen eſt Paldſind, a quodam homine cui nomen eſt Tiſi. Convenit ergo atque conplacuit ex utraque parte, ut nos illi traderemus prædictam Paldſindam, & nos econtra in concambium reciperemus ancillam proprii juris ipſius nomine Adalhiltam, quod cum conſenſu fratrum noſtrorum, & cum manu Advocati noſtri Vuitonis firmavimus atque peregimus. Actum in Vuintatura publice, in præſentia legatorum Imperatoris, Salomonis Epiſcopi, Kotzperti Comitis, Ruadhari Abbatis, Hilleboldi Comitis, in præſentia Adalberti Comitis. Sig. Bernhardi Abbatis & Advocati ejus Vuitonis, qui hoc patraverunt. Sig. Landfrid, Rochfrid, Andreas, Ichere, Reginger, Pato, Kunderoch, item Landfrid. Ego itaque Ratpert indignus Levita ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem VI. feriam III. Idus Novembr. annum Karoli Imperatoris V.

## De Transactionibus et Pactionibus.

*Formulæ Iſonis*.

XXV. Dum conſtet plurimis, quod a quodam homine nomine illo advocatus cœnobii Sancti illius, pro rebus quas ille in illo loco ſitas ad partem jam dicti monaſterii contradidit, frequenter pro illis rebus interpellatus eſt. Qua ex re utrimque complacuit atque convenit, ut devitandæ deinceps cauſa contentionis præfatæ res, pro quibus nos & advocatum noſtrum interpellat, ad nos pleniter, id eſt, ad poteſtatem monaſterii redeant perpetim poſſidendæ; accipiatque a parte ejuſdem monaſterii aliquo territorium in confinio villæ illius nomine nuncupata, hoc eſt totidem juchos ſub tali conventione, ut etiam deinceps neutra ullam inquietudinem ſeu repetitionem moliatur. Quod ſi inchoatum fuerit, ſit tunc pars alteri tantum culpabilis quantum expetit, & quod malo ingenio repetit evindicare non valeat, ſed præſens conventionis cartula perennem obtineat vigorem ſtipulatione ſubnexa. Actum in illo loco publice. Sig. illius Abbatis & advocati ſui illius, qui hanc conventionis cartulam perpetraverunt. ſ. Decani, Cuſtodis, Præpoſiti, Cellerarii, Portarii, Camerarii, Hoſpitarii. ſ. aliorum teſtium. Ego itaque ille rogatus ſcripſi. Notavi diem illum, in illa data, anno illo illius Imperatoris, ſub illo Comite.

*Vuolſcozus*.

XXVI. Ob amorem itaque omnipotentis Domini unicuique eſt ſummopere penſandum qualiter ubique pax & concordia conſtruatur ac ſolidetur, & jurgia atque diſcordia quomodo devitentur & deſtruantur omnimodis eſt ſatagendum. Pluribus ſcilicet notum eſſe non dubitamus, qualis contentio facta eſt inter Grimaldum Abbatem ex rebus monaſterii Sanct. Galli & quendam hominem nomine Notgerum, in loco qui propter fontium ubertatem vocatur Prunnon. Nos itaque id eſt Grimaldus Abba & advocatus ejus Poſſo prædictum locum cum omnibus adjacentiis ejus, ſicut ſitum eſt inter duos rivulos, id eſt Cunzenpahc & Muaſilenpach, dominationi Sanct. Galli jure pertinere cum totius populi teſtificatione dicebant: Ipſe vero Notger nequaquam conſentire voluit, ſed præfatas res ſuæ proprietati vindicabat. Sed poſtquam ſeipſum recognovit, quandam pacificationem accipere non renuimus, ſed accipere decrevimus. Dedit itaque nobis ipſe præfatus homo Notger juchos XCII. inter Maſinang & Adalgozzeshuſon, & in loco qui vocatur Loupmeiſſo: nos ex noſtra parte debuimus illi jugera VIII. illa etiam ad ſupradictum numerum complendum nobis dimiſit, ea tamen conditione, ut in præfato ſaltu, qui adjacet jam dicto loco id eſt Prunnon, inter illos rivulos qui nominantur Cunzenpach & Muaſilenpach, omnem utilitatem id eſt in paſcuis, in ædificationibus, in lignis cædendis, & in omnibus quibus homo in communi ſaltu uti poteſt utendi poteſtatem habeamus: & ſi quid in eodem ſaltu adhuc minime ſit comprehenſum, abſque ullius infeſtatione comprehendi poteſtatem habeamus. Inſuper eo condictu, ut & illa anterior pax & concordia firma ac ſtabilis permaneat. Hanc itaque concordiam præfatus Notger ea ratione ſolidavit, ut ſi quid in ipſo die, quando hæc concordia eſt condicta, ex parte monaſterii malli vel conqueſtus ad ipſum haberet, funditus ex noſtra parte omitteretur. Poſt iſtius vero concordiæ condictionem placuit utrimque ob ſtabilitatem pacis & firmitatem conventionis coram Comite & cuncto populo cartas concordiæ emittere, ut ultra neutra pars partem inquietare præſumat; ſed hæc concordiæ carta per temporum curricula permaneat inconvulſa. Actum in Loupmeiſſo publice, præſentibus iſtis. Sig. Grimaldi Abbatis & advocati ſui Poſſonis, qui hanc concordiæ cartam fieri conceſſerunt. Sig. Oaldrici Comitis. Adalpert, Rihini, Vuanzzo, Nidger, Blidger, Lantfrid, Ruadger, Hartpert, Hagano, Aſcheri, Rohfrid, Lantolt, Mahtarat, Adalho, Tagabert, Alpheri, Hadabert, Erimbert, Itheri, Vuolfger, Vualtfrid, Muning, Hungoz, Iſanheri, Puato, Huato, Strello, Ekho, &c. Ego itaque Vuolfcoz anno XV. Hludovvici Regis regno

in

in Orientali Francia ſcripſi & ſubſcripſi die Veneris, XIIII. Kalend. Mart. ſub Oadalricho Comite.

*Anonymus.*

XXVII. Quoniam igitur more fluminum humana tempora defluunt, & præſentium modo vita modo memoria intercidit, neceſſe eſt geſta ſeu dicta priorum ſcriptis transmittere notitiæ futurorum. Ideo complacuit nobis, Abbati videlicet monaſterii S. Galli Craloni cum fratribus cœnobii noſtri & Notgero advocato noſtro, ut conventionem quæ inter nos & illum facta eſt adnotatione præſentis cartulæ roboremus. Cujus negotium pactionis ita ſe habet. Ex traditione Otharii quondam tribuni, ejuſque neptis Kerchildæ quoddam prædium, quod Johannis villa dicitur, inveſtitura monaſterii erat, quod præfatus Notgerus omni genere ſtudii quaſi hæres Otharii repetere, publicaque mallatione monaſterio abſtrahere conabatur. Adverſus quem cum diu multumque ex parte cœnobii fuiſſet decertatum, nec certum contentio finem inveniſſet, convenientibus crebro pro hac re utriuſque partis plurimis, noviſſime conſilium incidit, ut quia idem Notgerus vaſſus noſter & advocatus monaſterii erat, III. hobas in Uzzinvvilare, & alpem paſcuam, quam ab Vodalrico Chadalohi filio acquiſierat, ad monaſterium contraderet, & quod repetebat prædium a nobis ad tempus vitæ ſuæ reciperet, quod & factum eſt. Reſtituimus enim ei ſub eadem conditione locum quem diu flagitaverat, ut deleta altercationis diſcordia fideliorem eum deinceps ac devotiorem habere poſſemus. Quam ille proprietatem cum poteſtative poſſediſſet, ad monaſterium multis teſtibus adhibitis reddidit atque reveſtivit, inſuperque prænotatas hobas in Uzzinvvilare cum alpe jam dicta S. Gallo nobiſque contradidit. Ea dumtaxat ratione, ut ipſe hæc omnia ad tempus vitæ ſuæ poſſideat, redemptione omnino denegata: poſt mortem vero ejus ipſa loca cum XV. mancipiis & omnibus mobilibus, & immobilibus quæ illo tempore ibi fuerint inventa, ad monaſterium ex integro revertantur, excepta uxoris pecunia, & domeſticorum illius ſervitorum ſupellectilibus, & ut eædem poſſeſſiones nulli ulterius ſecularium in beneficium dentur, ſed ad uſus fratrum in monaſterio Deo famulantium annuatim proficiant . . . . .

*Etcho Archipresbyter.*

XXVIII. Notum ſit omnibus, videlicet præſentibus & futuris, quod ego Salomon Junior Conſtantienſis ſedis Epiſcopus, & Hartmotus cœnobii Sanct. Galli Abba, una cum convenientia & conſilio utroque loco fratrum, ceterorumque fidelium noſtrorum, omnem malitioſæ artis litem atque diſſenſionis contentionem de ſubſcripta re ipſis in locis in futurum præcavendum, ſtatuimus inter nos, ut venerabili Abbati & fratribus prædicti monaſterii decimam in ſubnotatis locis, ſicut illius temporis in illorum erat veſtitura, concederemus, hoc eſt in Mechingen ſimul cum Salica terra & hobis, quæ Canonicis pertinebant; & in Heminhoſun cum Salica terra & hobis: & in Goldahun cum Salica terra, ſimul cum illa hoba, quæ illi adjacet, cujus decima tunc in mea veſtitura erat: quod & ita feci, ea ſcilicet ratione, ut mihi contra donarent, quicquid in Lienzevvilare habuiſſent, & in villa Buoch hobam unam & in Syrnaha curtilem unam ſimul cum adjacente prato, & quicquid habuiſſent in ſilvicola, quæ dicitur Tegeramos inter Syrnaha & Gloten: quod & ita fecere. Et ut firmior & credibilior omnibus in futurum maneret, placuit inter nos chartam pacationis ex utraque parte allevari, quod Tuitiſcè Suonbuoch nominamus, cum manibus Advocatorum noſtrorum Iſamberti & Lantolfi, ſucceſſores noſtros ammonendo, ut abſque ullius inquietudinis ſcrupulo inconvulſa & ſtabilis omni tempore in ævum permaneat. Sig. Salomonis Epiſcopi & Hartmoti Abbatis, qui hanc cartam pacationis fieri decreverunt. Sig. Fratrum monachorum, Perenhard, Rimeding, Job, Erfolt. Signa fratrum Canonicorum, Henno, Etcho, Tageman, Hartpreht. Signa ceterorum teſtium, Hartpert, Engilbold, Gano, Vritto, Vuetti, Starcafrid, Ruohbert, Thietbold, Ruohtpert, Vuerdo, Herebrant, Otto, Vuolfram, Miloh, Hugoz. Actum in villa Romaniſhorn, anno regnante, Imperatore Karolo II. ſub Comite Adalberto, menſe Junio, die Veneris, indicione XV. Ego itaque Etcho indignus Archipresbyter juſſus ſcripſi.

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

*Vuaringilus Cancellarius.*

XXIX. Dominis in Chriſto fratribus congregationis Sanct. Galli, ubi Johannes Epiſcopus vel Abbas præeſſe videtur, cum Hartrico Degano & Bilifrido Præpoſito, & aliis quamvis plurimis. Ego itaque Rihbertus filius Cozberti vinditor: conſtat me vobis vindidiſſe, hoc eſt in pago Durgauinſe in villa, quæ dicitur Bettinovva, quicquid ego ab Adalſuinda cum eo pretio adqueſivi, hoc eſt jurnales XXV. cum omnia quicquid ad ipſam terram conſpicit vel continet, hoc eſt campis, ſilvis, pratis, paſcuis, viis, aquis, aquarumque decurſibus cum omni adjacentia vel appendicia a die præſenti de meo jure in veſtram trado dominationem, habendi, commutandi, vindendi, vel quicquid exinde facere volueritis liberam ac firmiſſimam habeatis poteſtatem faciendi. Et accipio a vobis ſervum nomine Rhadoinum ad taxatum pretium coram teſtibus, quorum hic nomina continentur. Sig. Rihbertus vinditor. Sig. Vuanzo. Sig. Iſo teſt. Sig.

Sig. Erchanbert test. Sig. Theotbaldo test. Sig. Haribaldo test. Sig. Rehinbert test. Sig. Vuolfram notarius. Ego enim Varingisus Cancellarius rogitus & petitus a Rihberto scripsi & subscripsi anno IIII. regnante Carolo gloriosissimo Rege. Notavi sub die quod feci, mense Junio die octavo, sub Vuarino Comite.

*Andreas Presbyter.*

XXX. In Christi nomine. Dulcissime mihi atque amatissime & unica adflictione colende. Ego itaque Andreas Presbyter escripsi rogitus a Baldilane, Folheriguer & Honilenda hanc cartulam. Constat eos vindere & vindiderunt tibi (1) Folhuino agrum ad postes modiorum III. Confinit da una parte Majonem & da alia parte terram de Constanti Nigri. Precium placitum adque finitum valiente in ferro liberas XX. quod precium vinditor ab emtore de præsente accepit, & ipsum agrum tradidit emtori ad possidendum, ut ab hac die habeas, teneas, possedeas, tuo jure vindicis adque defendas, & quicquid exinde facere volueris habeas potestatem. Et si quis quod fieri non credimus, si aliquis aliquando contra hanc vinditionem ire, temtare vel inrumpere voluerit, solvat judici publico dublam terram, & cartula ista firma permaneat legis stipulatione subnixa, qui omnium cartarum adcommodat firmitatem. Facta cartula vinditionis in vico Vinnona, XII. Kalend. Januarias, sub regnum Imperatoris Loduigi, sub præsentia plurimorum testium, qui ab eos rogiti venerunt vel signa fecerunt. Notavi diem & regnum. Sign. Baldilanes, & Folherici, & Honilendas vintores, qui hanc cartulam fieri voluerunt. Sign. Flavini, Honorati, Sulvanus, Sejanus, Estarculfus, Berarius, Vuihramnus, &c.

*Laveso Presbyter.*

XXXI. In Christi nomine. Annu XIIII. regn. Lodovicu Rege de Bajovaria filiu Lodovici Imperatoris scripsi ego Laveso Presbyter rogitus & peditus a filios Pociani, Vigilium, & Orficinum, & Valerium, & Autropiane, & Veneranda, & filios Fotejas, ipsos præsentes mihi adque dictantes & manus suas proprias subterfirmantes. Constat eos vindere & vindidere sub legitimu jure strumentorum Alderamno, qui commanet in forasta numcupante Salectum, hoc est solum cum casas de comparatione in fundo Quaradeves, confinit duas partes in Passivi & de una in via publica, & precium placitum adque finitum valientem solid. XV. & ipsum venditores ad emptorem, & de præsente receperunt, & ipsum solum vel casas tradiderunt emtori ad possedendum, ut ab hac die habeat, teneat, possedeat, suo jure vindicet adque defendat, & quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem. Et si quis, quod fieri non credimus, si aliquis aliquando contra hunc strumentum ire, temtare, aut inrumpere voluerit, persolvat duplum solum cum casas, et judici culpabilis auri uncias VI. & quod repetit, nihil valeat vindicare, Aquiliæ & Archadiæ legis stibulatione subnixa, qui omnium cartarum adcommodat firmitatem. Factum strumentum in vico Quaradives, IIII. Non. Januar. sub præsentia bonorum virorum qui ab eos rogiti venerunt vel signa fecerunt. Notavi diem, & regnum superscripsi. Sig. Vigilii & Orficini & Valerii & Autropianes & Venerandas & filios Fonteias, venditores qui hunc strumentum fieri rogaverunt, testes. sign. Folcarini, Ebutionis, Ursi, alii Folcarini, Vuidonis, Basili, Magni, Aginonis, Adalciani, Dominici, Constantini, Latini, Jeroncius, alius Jeroncius. Ego Laveso Presbyter rogitus scripsi.

*Vuilimannus Clericus.*

XXXII. In Christi nomine. Annu XXXI. regnante Domnu nostru Luduvvicu Rege scripsi ego Vuilimannus Clericus rogitus ad Valeriu, qui dedit ad vicem Magnanes. Constat eum vendere, & vendidit tibi sanctoque Gallone agrum in Gisimu Modiorum III. Da una parte confinit infantes Magnanes, & ex alia parte ipsos emptores, & in contra recepit pretium venditor ab emptore cum vocato suo Honorato & cum majore suo Abraam, dederunt illi IIII. tremenses in ferro valientes, & tradidit ipsa terra emtores suos in perpetuum ad possidendum, ut abeant, possedeant, & faciendi exinde quicquid voluerint potestatem. Si quis vero, quod fieri non credimus, si aliquis aliquando de nos vel de heredibus nostris aut quidlibet persona, qui contra hanc cartulam vindicionis ire, temptare, vel inrumpere voluerit, solvat dubla carta cui comutare voluerit, & judici auri liberas II. Facta carta vindicionis in vico Vinnona, Idus Madii sub præsentia bonorum testium, qui ab eum rogiti venerunt vel signa fecerunt. Notavi diem & regnum. Sig. Valerii qui fuit ad vicem Magnanes, qui hanc cartam fieri rogavit. Testes, Honoratus, Abraam, Balfredus, Ursus, Petto, item Ursus, Rapertus, Albuinus.

*Umbertus Canonicus.*

XXXIII. ✠ In Christi nomine. Anno XIIII. regnante Domino nostro Einrico scripsi ego Umbertus Canonicus rogitus a Mannone, qui fuit a vice Johannentes & uxoris suæ Dominiganes. Constat eos vendere & vendiderunt tibi Magno et uxori tuæ Quintellanai cortinum aroncale, quem habuerunt de sui patris et quem adquesivit de Lovanes,

(1) Rangwil.

nes, cum pomifera ex integro quantum ibidem habuit. Confinit in via ex alia parte in coltura et II. mediorum de terra ibi fec. confinit ipso cortino de capite de latus in Magnanes, de alium in via et II. melarios, in ipso loco in ipso agro et I. sestairale in roncale confinit in Leones ex alia parte ipso Magno. Et Falsicia exinde in alia nostra terra in roncale, et Falsicia de illum Cortinum aut de illa pomifera in alio nostro cortino qui non aforella. Et tradiderunt venditores emptori sine emptore, sine omne censu, et ab omne homine per mundum; precium in contra solidi x. Et si quis ire, temptare, vel inrumpere voluerit, solvat duplum, quod in carta ista continet, et judici aurum libr. II. Facta carta in vico Pugo, mense Aprili, et sub præsentia testium. Sig. test. Manno, Austus, Magnus, Præstantius, Victor, Solvanus, Valentianus, Valerius.

## De Rerum Traditione.

### *Formula Isonis.*

XXXIV. Ego in Dei nomine illa cum manu Advocati mei nomine illo trado ad monasterium sancti illius mancipia totidem, quorum hæc sunt nomina. Sed extra hos unum servum emptitium nomine illo. In ea videlicet ratione, ut ea habeam tempus vitæ meæ censumque annis singulis solvam, id est, tantum: & si redimere voluero, cum tanto redimam. Illum vero supra nominatum servum nomine illo in eundem censum habeam tempus vitæ meæ; & si redimere voluero, cum tanto precio redimam. Post obitum vero meum, si ante non redimero, omnia ad jam dictum monasterium redeant perpetim possidenda. Si quis vero contra hanc cartulam traditionis venire atque inrumpere temtaverit, illa multa componat, sicut in lege Alamannorum continetur. Actum in illo loco publice, &c.

### *Audo Clericus.*

XXXV. In Christi nomine. Nos vero Cauzoinus costa me dare adque donare Audemaro Appati de parvola terrola mia pro mircede anime mee, vil pro sirvitium sum, vil pro nodricamintum que intir vivo servia Audemaro, & ille me notricet & avead podistade quantu ad me adpertenit, casa, sola, orta, agra, prada, in pomifferis, in silvis fructefferis, in pascuis, & aquis, & accesso suis, omnia ex onibus ex entegru quantum ad ipsum adpertenit. Et si quis, cot non credimus, aliquis aliquando de heredis meus contra hunc factuque eo pro mercede vil pro nodrimintu que me Audemaros notricat, ire, temtare, a inronpere voluerit, ad escomunicados da sancta eclesia, & salva judiciari liveras II. & cartula donationis sua optenia firmitatem. Aquilianis Arcatianis leges estibulationis, qui a omnium cartarum adcommoda firmitatem. Facta cartola donationis anno XXX. post regnu Domini nostri Dacopirti Reies, die tertiu Calandas Settenbris, sup presentia tistium ab eo roiedi sunt suscripturi vil segna facturi. Nodavi die, & regnum, & testis qui suscrivere conrogaverunt. Signum Cauzoini, qui hanc cartola fieri rocavit, signum Baldoaldi testis, signum Ascari testis, signum Quolpoaldi testis, signum Lantcotti testis. signum Landonis testis. signum Trudolfii testis. signum Fritronis testis. Ego Quolfuinus fui intir, ubi hunc cartola facta est. Ego Audo Clericus roietus ad Cauzoinu hunc cartola escripsi & in testimonio suscripsi cartola donationis Audemari Apatis frunifcat con cratia Dei & sancti Petri.

### *Silvester Diaconus.*

XXXVI. In Christi nomine. Ego Rinulfus cogitavi Dei intuitum, vel divinam retributionem, vel peccatorum meorum veniam promerere. Propterea vernaculam juris mei terram eam in loco nuncopanti quod dicitur (1) Petinvillare, quantum mihi Deus donavit, & parentis mei in hereditate dimiserunt, trado, servum Allidulfum cum omnia mea, cum agris, cum pradis, cum canpis, cum aquis, cum silvis, cum pumiferis, trado de meo jure Sanct. Galloni ad possedendum, & postea quidquid exinde facere volueris vendendi, donandi, possedendi, liberam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel ulla opposita persona, qui contra hanc donationem venire aut agere temptaverit, in primis Dei iram incorrat: & a communione corporis vel sacerdotum extranius sit, & in fisco solvat auri libras duas & argenti pondera quinque: & quod petit, vendicare non valeat, sed præsens hæc carta omni tempore firma permaneat, cum extipulatione subnixa. Actum præsentibus, quorum signacula continentur. sign. Rinolfi qui hanc donationem fieri rogavit, sign. Ruodolfi, sign. Ascari, sign. Audonis, sign. Fredualdi, sign. Ariberti, sign. Suabonis, sign. Ludualdi, sign. Suzcini, sign. Odpadi, sign. Estegi, sign. Acconis, sign. Zilonis, sign. Ruodcoz. Notavi quod feci in mense Junio, V. id. Julias, in anno XV, regnante Domno nostro Teoderico Rege supra Carulum Majorem Domus. Ego quanquam peccator Silvester escripsi in Dei nomine, Amen.

### *Idem.*

XXXVII. In Dei nomine ego Lantbertus filius Landoaldi condam; talis mihi sumpsit consilius pro animæ meæ salutem, ut res meas ad aliqua loca sanctorum condonare

(1) Pettinuuisou.

re deberem. Quod & ita feci. Dono adque trado ad monasterium Sanct. Gallonis qui est constructus in pago Arbonense, ubi ejus sacrus requiescit corpus; & hoc est quod dono in pago Durgauginse, set in sito Zurihgawia, in his locis quorum hic nomina denuntiantur, hoc est in villa quæ dicitur Illenawia, & in Erpfratinchova, & in Makisinchova, & in Vzinaha, & in Hunichinwilare, & in Tunriude, & in Madalaireswilare, & in Perolfeswilare, omnia quicquid pater meus Landoaldus & mater mea Pieta in his locis denominatis supra habuerunt; hæc omnia & ex integro manu potestativa ad ipsum supra nominatum monasterium trado adque transfundo, ibidem a die præsenti perpetualiter possedendum. Et si ego ipse aut ullus heredum vel postheredum meorum, aut quislibet ulla opposita persona cartulam istam irritam facere conaverit, aut eum infrangere voluerid, tantum, quantum cartola ista contenit adscriptum, ad ipsum monasterium restituat, sed & sociante fisco multa conponat, id est auri uncias III. & argenti ponduos V. coactus exsolvat, & quod reppetit non prævaleat evindicare, & nihilominus præsens cartula ista omni tempore firma & stabilis permaneat, stibulatione subnixa. Actum in Craolfestale in mallo publice, sub Carlomanno Majoredomus. Et hii sont testes, qui in præsenti fuerunt & firmaverunt † signum Lantberti, qui hanc cartulam traditionis fieri rogavit † Herigaer patruus ejus † sign. Amalrich. † Signum Aortuni † Hroadgaer † Albrich. &c. Ego itaque Silvester Diaconus rogitus ab Lantberto scripsi & subscripsi. Notavi diem, hoc est IIII. Id. Septembris, sub Chancorone Comite.

*Idem.*

XXXVIII. ✠ In Christi nomine. Ego quidam Petto cogitavi Dei intuitum, vel divinam retributionem, vel peccatis meis veniam promerere, & ut mihi in futuro merces boni operis adcrescat: Propterea vernacula terræ juris mei in loco noncupante quod dicitur Data, cum servis & ancellis, hæc nomina eorum, Gondaharancum, & omnia quæ possidet cum uxorem suam & filios & filias, & Rihfredum, sic similiter Vuinifredum, sic similiter Liuddulfum, sic similiter Causulfum, sic similiter Vuitonem cum sociis suis vic nomina eorum escripta sunt, quod ego Petto donavi ad sacrum S. Gallonis pro remedio animæ meæ & a sociis ipsius, cum agris, cum pradis, cum silvis, cum aquis, cum omnia accessibus, cum omne mobile aut immobile, cum filiis & filias, cum oves & bovis, cum iis quæ ad opus vivendum pertinerent. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, vel ulla supposita persona, qui contra hanc donationem venere aut agere temtaverit, solvat in fisco aurum libras duas & argentum pondera V. & quod petit vendicare non valeat, sed præsens hæc epistola omni tempore firma & inlisa permaneat cum extipulatione subnixa. Actum in signe quod dicitur Glata villa publice. Notavi quod feci diem Jovis, X. Kalen. Decembris eorum insignacula continuntur. Sign. Petonis qui hanc donationem fieri præcepit. Sign. Airici Comitis Germani ejus, sign. Berterici Comitis germani ejus, sign. Peponis testis germani ejus, sign. Lantfreti testis, sign. Vultperti testis, sign. Ungari testis. Ego Sylvester Diaconus scripsi & in testimonio subscripsi.

*Hiringus Monachus.*

XXXIX. Sacrosancta Ecclesia S. Mariæ, S. Petri, S. Martini, S. Leudagarii, S. Petronellæ, cæterorumque Sanctorum, qui est constructa in insola minore quæ juxta Hupinavia est, ubi Hata & Beata cum reliquas ancillas Dei degere videntur. Ego Beata namque filia Rachiberti cogitans pro remedio animæ meæ, vel pro æterna retributione, volo omnes res meas vel omnia peculia mea, quicquid habeo, ad locum illum condonare, hoc est in villa quæ dicitur Altorf & Cella cum omnibus adjacentiis vel adpendiciis eorum in arcas vel silvas. Et in Reutinchova terras & silvas, suetqua, vel alias æcencias (1), quicquid ibi habere videor. Et in villa quæ dicitur Huzinaa homines VIII. & terras et siluas, vel alias æcencias sive in Uzinaa sive in Smarinchoua sive in Nancinchovasive in Tattinchoua quicquid genitor meus Racinbertus de quolibet adtracto in loca illa habuit, sive ego ipse & Landoldus postea conquisivimus sive comparavimus totum ad integrum duas partes de omnia damus. Et in villa quæ dicitur Centoprato casatos duos cum omnibus adjacentiis vel adpendiciis eorum; sed unum infantem inde ingenuum taxavimus, reliqui vero sicut superius diximus ita sint. Et in Berofovilare mancipium unum nomine Contleuba. Et in insola ipsa mancipios tres, & parones quattuor. Ista omnia ad ipsum monasterium superius nominatum tradimus adque transfundimus, quicquid exinde facere voluerint liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri non credo, si aut ego ipsa, aut ullus de hæredibus meis, vel quælibet ulla opposita persona, qui contra hanc donationem meam venire, aut agere, vel qua ulla calomnia generare voluerit, in primis si se emendare noluerit, iram Dei & pœnas inferni experire pertimiscat, & duplum tantum quantum ipsa res meliorata valuerit eis coactus exsolvat, & in fisco auri libram I. argenti libras II. & hæc præsens donatio mea

(1) F. *attentias*; vel potius *ajacentias*, i. e. adjacentias, ut in Charta 50.

mea firma permaneat stipulatione subnexa. Actum in monasterio quod dicitur Babinchoua, quod fecit mensis November dies XXIX. regnante Carlomanno Duce, & Pebone Comite. Signum † Beatanæ quæ hanc donationem fieri & firmari rogavit. sign. † Bebonis Comitis. sign. † Maninc. † Ainefridus Abba subscripsi † Erchamberti † Rihberti † Num † Batanc. † Hesindo † Roberto.

Breve de illos homines quod Beata fecit hoc est, Vuintrolf, Radbega, Gerlind, Anna, Ingaberta, Goderamnus, Herolf, Johannis, Rachintrudis, Hiciga, Villof, Froatilin, Volfarda, Baltimda, Tetaclinda, Verdicho, Sigitrudis, Odalchius, Radleuba, Teutgerus, Hagileuba, Vitilinus, Randuinus, Arnoluara, Richuinus, Leudisca, Bacilla, Tradmundus, Teudhara, Anno, Volfildis, Sigurmarus, Concila, Volfidrus. Sic quomodo mihi serv erunt, sic in antea serviant, Folritus, Cunth ld, Otolf, Tallo, T..calind, Hagustolt, Aldini, Teudila, Fraido, Richbertus, Matuas, Verrleuba, Butta, Rearila, Haladara, Maatdanc, Munifrid, Volfila, Valisan, Farifeus, Varnfrid, Higilind. Pro anima Atanæ serviant ibi Altolf, Hettila. Sic quomodo mihi servierunt, sic inantea serviant Tetta, Totta. Pro anima Otunlis & Zon serviant ad illam casam Dei Vinidisca, Rathari, Voluinc. Ego Hirinchus Monacus hanc donationem rogitus scripsi & subscripsi.

*Landarius Presbyter.*

XL. Partem ecclesiæ nostræ quæ dicitur Raudinleim, ubi Landarius Presbyter esse præsens videtur, Ebo & conjugis mea Odalsinda & Alodoes aliqua de rebus suis adfirmaverunt & tam tradiderunt ad S. Gallum, terris, casis, casalis, mancipiis cum casatis, campis, pratis, vineis, silvis, pascuis, aquis vel decursibus, mobilis & immobilis, quidquid in Vahcinchova, & in Laidolninchova, Bodinchova icagimus omnibus & ex omnibus ad ipsum S. Gallum tradimus, a die præsente habeat, teniat, qui exinde faciri voluerit ad possidendum habiat potestatem. Si quis vero ego aut nos ipsi aut heredes nostri aut ulla opposita persona, qui contra hanc firmitatem ita veniri timtaverit, infera cuntra ipso sancto auri libram unam, argenti pondos duos, & nihilominus donatio ista omni tempore firma & stabilis permaniat stipulatione subnexa. Actum in Vahcinchova villa publici. Sign. Ebonis & Cojugis meæ Odalsindæ qui fieri rogavit. sign. Valffiro † Bertario † Aimoni † Vuaninco † Teutmaro † Berno Comitis † Cunleusotes † Auttini † Dodoni. Ego Landarius Presbyter roitus scripsi. Data VII. Idus Sept. anno X. rigni Domini nostri Ildirici Riis.

*Anonymus.*

XLI. In Christi nomine. Ego Erfroinus, & filii mei Teotarius, atque Rotarius, cogitavimus Dei intuitum, vel divinam retributionem vel peccatis nostris veniam promereri: propterea vernacula terra juris mei in loco qui dicitur Openwilare tradimus S. Galloni viginti jochos, & in Eberingen unum juchum de vinea, & de colonis meis Erfoinum cum uxore sua & cum omni appertinentia sua, cum casa & cum terra, & cum omnibus suis: & alium servum nomine Vualdolfum cum casa, cum terra, & cum omnibus ad eum pertinentibus, ut dum adhuc vivimus ego & filii mei, in nostra permaneant potestate, & in anno reddamus carram de vino, & carram de siligine, & carram de fœno, & friskingam, Et si filiis meis infantes nati fuerint, sicut superius dixi, ita solvant censum, & habeant potestatem. si noluerint censum inde reddere, omnia, sicut superius diximus, sint concessa ad ecclesiam S. Gallonis. Et si quis, quod non credimus, aliquis de heredibus nostris contra hanc factum nostrum ire vel inrumpere voluerit, in primis incurrat judicium Dei, & solvat auri libras II. & hunc factum nostrum inlæsum permaneat stipulatione subnixa. Facta hæc carra est in loco qui dicitur Anninchova, XVII. Kalend. Febr. sub regno Domini nostri Elperici Regis. sign. Teotarii & Rotarii, qui hanc cartam fieri rogaverunt † siguini testis; sign. Regandozi testis, sign. Vulperti testis sign. . . . . . . . .

*Liutfretus Presbyter.*

XLII. Domino sancto in Christo venerabili viro patri Otmaro Abbati Durgauginsi seu de monasterio S. Galloni. Ego Rothpaldus donamus ad monasterium vestrum pro mercede animæ meæ facultaticulam meam, recipere deberetis post discessum meum. Dono vobis donatumque in perpetuum ut permaneat esse volo, hoc est in pago Duregauginsi in villa qui dicitur Richinbach, & in Vuilla, & in Zibroneswanga, & in Vuangas, & in Tuzzinwang, & in Sclatte, & in Puzzinberch, & in Vuanzincovo, quicquid in istas villas visus sum habere, pecuniis, mancipiis, casis, casalis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, ad integrum a die præsente trado vobis, & servum meum nomine Nhideng & uxorem ejus Bruna, & cum oba sua, & cum omnia quo vestiti sunt: & alium servum meum nomine Vuolfharium cum uxore sua Atane, cum oba sua & cum omnia quo vestitus est. Et pro istas res proservire volo annis singulis, hoc est XXX. seglas cervesæ, XL. panis, frischengam tremessem valientem, & XXX. Mannas, & arare duos jochos in anno, et recollegere, et intus ducere, et angaria ubi opus est. Et si infans meus simul proservire voluerit, faciat sicut superius: et si proservire noluerit, nullam habeat potestatem. ipsam facultatulam meam trado vobis

bis ad monasterium vestrum post discessum meum atque transfundo dominationi, ut quidquid exinde pars monasterii facere voluerit, liberam ac firmissimam in Dei nomine in omnibus habeat potestatem. Si quis, ego aut heredes mei, aut ulla opposita persona, qui contra hanc donationem istam venire temptaverit, tunc inferat parti custodienti dublam repetitionem, et fisco auri liberas II. et argenti pondera III. et nihilominus præsens donatio istæc omni tempore firma et stabilis permaneat stipulatione subnexa. Actum in villa Aninawa publice. sign. Rothaldi qui hanc donationem istam fieri rogavit. sign. Sicharii testis. † Bertcauzi test. † Puopo test. † Vuodolgarii test. † Aribaldi test. † Rathcauzi testis. Ego Liutfretus presbyter scripsi et subscripsi. Notavi diem Martis, VIII. Id. Augustas, anno III. regnante Domno nostro Pippino Rege, sub Vuarino Comite.

*Vuaringisus.*

XLIII. Sacrosancta ecclesia S. Galluni, qui est constructa in pago Durgavia, ubi ipsus in corpore requiescit, et Johannes Abbas ad præsens Rector ecclesiæ esse videtur. Ego in Dei nomine Vuinibertus cogitans Dei ut aliquid rei meæ ad ipsum sacrum locum pro remedio animi mei condonare deberem: quod et ita feci hoc est in pago Durgavia, in loco qui dicitur Parmacunavia, quicquid ibidem visus sum habere, mancipiis, pecuniis, casas, casalis, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, omnia ex integro de meo jure ad ipsum monasterium S. Galluni post obitum meum trado atque transfundo, ut quicquid exinde Rector monasterii vel monachi ibidem deservientes facere voluerint, liberam ac firmissimam habeant in Dei nomine in omnibus potestatem. Si quis ego aut heredes mei aut ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem istam venire temptaverit aut agere præsumpserit, inferat parti custodienti dublam repetitionem, et fisco auri uncias v. et argenti pondoras II. et nihilo minus præsens traditio istæc firma et stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum in villa Vuila publice, præsentibus quorum hic signacula continentur. Sign. † Vuniberti auctoris qui hanc traditionem istam fieri rogavit. † Sig. Vuanzo test. † Sig. Ascharii. † Sig. Sickeri. † sig. Teutbold. test. † sig. Rihger test. † sig. Rihperat test. etc. Ego Vuarinkis rogitus scripsi et subscripsi. Notavi die Dominico, VI. Id. Octubris, anno X. regnante Domno Pippino Rege Francorum, sub Vuarino Comite.

*Vuaringisus.*

XLIV. Sacrosancta ecclesia in honore S. Galli Confessoris constructa, ubi ipse in corpore requiescit, et præsenti tempore Johannes Episcopus esse videtur Rector Monachorum. Ego in Dei nomine Theoda, sumpsi mihi consilium ut aliquid de re mea ad ipsum monasterium condonare deberem, quod et ita feci. Hoc est in pago Durgavia, in vico qui dicitur Ailihccauge, quicquid ibidem visa sum habere, et mihi in hereditate contingit, mancipiis, pecuniis, casas, casales, campis, pratis, silvis, aquis, aquarumque decursibus ad integrum post decessum meum ad ipsum monasterium trado atque transfundo dominationi, ut quicquid exinde fratres ipsius monasterii facere voluerint, liberam ac firmissimam habeant in Dei nomine in omnibus potestatem. Et si quis ego aut heredes mei aut ulla opposita persona, qui contra traditionem istam venire temptaverit aut cogitare præsumpserit, tunc inferat parti custodienti duplam redibitionem, et fisco auri unzias II. et argenti pondera V. et nihilominus præsens traditio ista omni tempore firma et stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum in villa Ailihccaugia publice. sig. Teodanæ (1) auctricis quæ traditionem istam fieri rogavit. sig. Vuanzonis † Friduini † Puasonis † Erimberti Presbyteri. Ego itaque Vuaringis scripsi et subscripsi. Notavi diem Dominicum, V. Non. Majas, regnante Domno nostro Pippino Rege Francorum, sub Vuarino Comite.

*Moathelmus Clericus.*

XLV. Perpetrandum est unicuique quod Evangelica vox admonet dicens; *Date & dabitur vobis*. Ego in Dei nomine Scalcomannus cogitans de animæ meæ remedio vel de æterna retributione, talis mihi decrevit voluntas, ut res meas ad aliqua venerabilia loca sanctorum dare deberem: quod ita et feci. Dono atque trado omnes res meas, quas ex paternico mihi de alode legitima contingit, ad monasterium S. Gallonis ubi ejus sacrus requiescit corpus, qui est constructus in pago Arbonense, hoc est quod dono in loca denominata, id est in Laimawia & in Apsalaga, & in Entinesburugo, & in Operindoraf, & in Oborostindoraphe prata, & in Piparrori prata, & in Liutrateswilare, in his locis super nominatis trado atque transfundo ad ipsum superius nominatum monasterium, donatumque in perpetuum esse volo, & me ipsum ad ipsum monasterium ad monachum trado, & rogo, & testifico coram Deo & sanctis ejus, ut nec me nec post obitum meum nullus ex succedentibus Abbatibus vel Episcopis ad nullum unquam hominem nullum concambium aut commutationem faciant, sed ipsas res ipse monasterius & rectores ipsius monasterii perennis temporibus in sua dominatione possedeant. Et si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de he-



(1) Theotanæ.

redibus meis, vel proheredibus meis, aut quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc cartulam traditionis, quam ego spontanea voluntate fieri rogavi, veniret aut eam infrangere voluerit, non solum quod ei non liceat, sed damnum incurrat, id est tantum & alium tantum quantum cartula ista contenit ad ipsum superius nominatum monasterium restituat, & in discutiente fisco multa conponat, id est auri uncias duas & argenti pondus quattuor coactus exsolvat, & qui repetit nihil evindicet, & præsens cartula ista omni tempore firma & stabilis permaneat cum omni stipulatione subnexa. Actum Laimaugawilare, in quo cartula ista scripta est, quod fecit mensis Martius dies xv. in anno primo regni Carlomanni Regis, sub Roadharto Comite. Sign. Scalcomanni qui hanc cartulam traditionis fieri rogavit. sign. Taltoni patris ejus. sign. Vuelimanni fratris ejus. sign. Fateri fratris ejus. sign. Selparati fratris ejus. sign. Takarichi. sign. Huodelrich. sign. Lantulfi. sign. Uffoni. sign. Boffonis. sign. Gramanni. Ego Moathelmus Clericus scripsi & subscripsi.

*Usalto Diaconus.*

XLVI. In Christi nomine. Ego Unforahtus filius Otgari condam, talis mihi decrevit voluntas pro animæ meæ remedio seu pro æterna retributione, ut omnes res meas, quas mihi genitor meus moriens dereliquit, vel ego ipse mihi adquisivi, ad monasterium S. Galli, ubi ejus sacrus in Christo requiescit corpus, condonare deberem: quod ita & feci. Et hoc est quod dono, in pago Durgaugingse in sito Zurihgauuia in villa quæ dicitur Tunriude, quæ & Hadaleihinchova vocatur, id est casam, curtem clausam cum domibus, ædificiis, mancipiis, pecuniis, terris, campis, silvis, pratis, pascuis, viis, aquarumque decursibus, omnia ex integro nihil prætermittendo ad ipsum monasterium trado atque transfundo, ut quicquid rectores ipsius monasterii facere exinde voluerint, liberam ac firmissimam habeant potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis, aut ulla opposita persona, qui hanc cartam irritam facere conaverit, partibus fisci multa conponat, id est auri uncias IV. argenti ponduos VI. coactus exsolvat, & ad ipsum monasterium duplam repetitionem restituat, & quod repetit non prævaleat evindicare, sed hæc præsens epistola omni tempore firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Actum Ustra villa publice, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. † Unforathi qui hanc cartam fieri rogavit † Raginbaldi test. † Salucho test. † Gaerhohi test. † Friduberti test. &c. Ego itaque Usalto Diaconus rogitus ab Unforahto anno IV. regnante Carolo Rege Francorum scripsi & subscripsi. Notavi die Veneris, VI. Kal. Feb.

*Emicho.*

XLVII. In Dei nomine. Ego Harioldus recordatus innumerabilia peccatorum meorum, propterea trado atque transfundo ad monasterium S. Galloni, donumque post discessum meum in perpetuum esse donatum volo, pro remedio animæ meæ vel pro æterna retributione: hoc est, quicquid in villa Undinga vel in villa Genchinga habeo sine illa ecclesia in illum censum solidum unum in cera aut in quicquid esse potuerit annis singulis solvam. hoc quod diximus a die præsenti de meo jure ad monasterium S. Galloni vel ejus rectoribus trado dominationi, habeant, teneant, atque possedeant, quicquid exinde facere voluerint, liberam atque firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi cum stipulatione subnixa, in ea vero ratione ut ibi semper stabilis sit: & si hoc non est, tunc heredes meus legitimus potestatem habeat ad requirendum. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus heredum vel proheredum meorum, qui contra hanc donationem a me factam venire præsumpserit, sociante fisco multa repetitionem conponat, id est auri libras II. argenti pondera V. coactus exsolvat, & duplum ad ipsum monasterium restituat, & quod repeti pernullisque ingeniis evindicare non valeat. Actum in pago Purihinga, in villa quæ vocatur Untinga publice, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. signi. Harioldi qui hanc cartam fieri atque firmari rogavit. sign. Ercanperti Comitis. sign. Trudpert. sign. Pertfrid. sign. Cadaloh. sign. Thruant. sign. Hiltirih. sign. Puabo, sign. Alpker. &c. Facta traditio hæc in IV. Kal. Jun. VI. feria, anno V. regnante Domino nostro Carolo Magno Imperatore. Ego Emicho rogitus scripsi & subscripsi.

*Adalhardus Lector.*

XLVIII. In Dei nomine. Perpetrandum est unicuique quod Evangelica vox admonet dicens, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Item ego Vualfridus cogitans Dei intuitum vel animæ meæ remedium vel etiam pro æterna retributione, talis mihi decrevit voluntas, ut omnes res meas ad aliqua venerabilia loca sanctorum dare deberem: quod ita feci. Dono atque trado (1) ad ecclesiam S. Georgii, quæ est constructa in pago Argunensium in insola vel loco qui dicitur Vuazzarburc, & hoc est quod dono in pago ipso qui dicitur Mittinbah, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursoribus, cultum & incultum, hortiferis, pomiferis, mobilibus at-

(1) Ms. superponit, sed alia manu: *incenso ex muldio grani, aut talem Friskingam ipso grano valentem*,

atque immobilibus, omnia ex integro de meo jure S. Georgius vel Rectores ejus ibidem manentes habeant, teneant atque possedeant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam in omnibus ac firmissimam habeant potestatem faciendi absque ulla contradictione. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse quod absit, aut ullus de heredibus meis vel proheredibus aut ulla opposita persona, qui contra hanc cartam traditionis, quam ego spontanea voluntate fieri rogavi, venire aut eam infrangere voluerit, iram Trinitatis incurrat, & non solum quod ei non liceat, sed damnum incurrat, id est tantum & alium tantum quantum cartula ista contenit de rebus suis ad ipsam ecclesiam restituat, & sociante fisco multa conponat, id est auri uncias III. argenti pondera V. coactus exsolvat, & quod repetit nihil evindicet, sed hæc præsens cartula ista omni tempore firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Actum in villa Arguna publice, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. sign. manu Vualtfridi qui hanc cartam fieri atque firmari rogavit. sign. Fater. sign. Vuifirih. sign. Vuolfregin. sign. Alto. sign. Hunolt. &c. Ego itaque Adalhardus Lector anno XXVI. regnante Domno Karolo Rege Francorum, notavi sub die V. Id. Jun. & in præsente Ruodperto Comite.

*Bernegarius Presbyter.*

XLIX. Sacrosancto monasterio in honore S. Mariæ & S. Gallonis constructo, ubi vir venerabilis Vuerdo Abbas cum congregatione monachorum serviens esse videtur. Ego in Dei nomine Vuillahelmus cedo ad ipsum monasterium cessumque quod in perpetuum esse volo, hoc est in pago Turgowe in loco qui vocatur Eskinbach medietatem de ipsa hoba Fruachanolui, hoc est casis, casalis, pumariis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, ex omnibus & in omnibus totum & ad integrum, ad ipsum monasterium trado atque transfundo. In ea vero ratione dum ego vixero ut liceat mihi ipsam terram & aliam hobam vestram, id est in Bauconfivilare in censum habere, hoc est annis singulis de cervisa siglas XV. & unam maldram de pane, & friskingam trimissem valentem, usque dum ego ipsum censum solvam, nullus habeat potestatem ipsam terram de me vel de filio meo abstrahere. Et si de illo censo negligens fuero per III. annos, tunc id quod hic superius dictum est, partes ipsius monasterii vel agentes ejus ipsam terram melioratam in suam dominationem revocare faciant perpetualiter ad possedendum, vel quicquid exinde facere voluerint liberam habeant potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, ego ipse aut aliquis de heredibus meis, seu quislibet ulla opposita persona, vel qui contra hanc traditionem venire temptaverit, aut eam infrangere voluerit, tunc sit culpabilis ad ipsum monasterium duplum quantum traditio ista contenit, & in fisco auri uncias III. & argenti libras V. coactus exsolvat, & quod repetit nihil vindicare non valeat, sed præsens traditio ista omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum in Eskinbah sign. † Vuilahelmi qui hanc traditionem fieri rogavit. sign. † Markeri. sign. † Vuino. sign. † Ruatto. sign. † Zollin. † sign. Albchis. sign. † Sallo. sign. † Sicco, testium. Ego in Dei nomine Bernegarius peccator vocatus Presbyter rogitus scripsi et subscripsi. Notavi die XVII. Kal. Jul. anno secundo Domno nostro Carolo Imperatore, & XXXIII. Rege Francorum & Langobardorum, et gubernator Romanorum, et inluminatio Saxanorum.

*Atto Clericus.*

L. Idcirco ego quidem in Dei nomine Uppertus cogitavi pro animæ meæ remedio seu & pro æterna retributione, ut veniam pro peccatis meis in futurum adepisci merear, & in die tremendi judicii ante tribunal Christi securus adsistam. Per hanc paginam quam ad vicem traditionis scribendam rogavi, dono a præsente die peculiaris mei ad ecclesiam S. Galloni quæ est constructa in pago Durgauginse, ubi domnus et in Christo Gauzpertus Abba præesse videtur, donatumque in perpetuum esse volo, et prutissima voluntate confirmo, hoc est omnem tertiam partem proprietatis meæ in pago Auguscauginse, et in villis denominatis in Firinisvilla et in Munciaco, et in Firinisvilla manso I. campis, pratis, silvis, ajacentiis, et appendiciis, quultis et inquultis, aquis aquarumve decursibus, quantumque mihi in jam dicto pago Augusgauginse (1) advenit tam de paternico quam de maternico, seu de comparato, vel de qualicunque adtractu noscitur ad me pervenisse, et ego modierno tempore visus sum tenuisse omnem tertiam partem, sicut superius dixi ad ipsam sacram ecclesiam S. Galloni dono, trado atque transfundo in Dei nomine perpetualiter ad possedendum. In ea vero ratione, ut dum ego advixero, ipsas res habere debeam et censui me pro hoc annis singulis de festivitate S. Galloni in alia soccum I. aut IV. denarios. Et si infans ex me procreatus fuerit, simili modo habeat absque in eum discessum in ipso censo. Et post nostrorum discessum quandoquidem Deus voluerit, ipsi custores Ecclesiæ ipsius ipsas res ad eorum opus habeant, et nunquam hoc in beneficium alio præstent. Si quis vero, quod futurum esse non credo, quod si ego ipse, quod absit, aut aliqui de heredibus vel



(1) Augustianensi.

vel proheredibus vel adheredibus meis seu qualibet extranea, vel omissa persona, qui contra traditionem venire temptaverit, aut eam infrangere voluerit, non solum ei non liceat, sed inferat partibus ipsius ecclesiæ duplum tantum quantum traditio ista contenit, et in fisco auri uncias duas et in argento pondera v. coactus exsolvat, et quod repetit, evindicare non valeat, sed præsens traditio ista omni tempore firma et stabilis permaneat stipulatione subnixa. Actum in Augusta civitate publice. sign. † Upperti auctoris qui hanc traditionem istam fieri ac firmari rogavit. sign. Aimeric. sign. † Deutcher. sig. † Helidulfi, etc. Ego Atto clericus rogitus et petitus hanc traditionem istam scripsi et subscripsi. Notavi quod fecit v. Id. Maji, anno XII. imperii Hludowici, feliciter.

*Hratbertus Conzl.*

LI. In Dei nomine perpetrandum est unicuique, quod sapientia Dei per Salomonem dixit, *Redemptio animæ propria divitia ejus*. Redemptoris quoque verba dicentis, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Ideoque Pertcardis his ammonitionibus conpuncta simul et confisa, dono, donatumque pro animæ meæ remedio quod in perpetuum ut permaneat esse volo ad monasterium situm in pago Thurcauhinse constructum in honore S. Gallonis, ubi ipse domnus preciosus in corpore requiescit, ubi Cozbertus Abba præesse videtur, hoc est quod dono, in pago Prisicauhinse in villa Lollinga quicquid ibi visa sum habere tam terris, domibus desuper positis, campis, pratis, vineis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, cultis et incultis, mobilis et immobilis, quicquid dici aut nominari potest totum et ad integrum una cum manu Ratpotoni ad jam dictum locum sanctum trado, transfero atque transfundo, ut hodierna die Rectores ejusdem monasterii vel successores eorum quicquid exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus in Dei nomine habeant potestatem faciendi, jure perpetualiter possidendi. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipsa aut ullus de heredibus ac proheredibus vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc cartolam voluntate mea factam invenire aut inrumpere conaverit, duplum vobis vel successoribus vestris restituat, quantum præsens carta contenit, et insuper hoc coagente fisci multa conponat, id est auri uncias III. argenti pondus v. coactus exsolvat, et quod repetit nihil evindicet, sed præsens carta cum omnibus in ea continentibus omnique tempore firma permaneat cum stipulatione subnexa. Actum Huninga villa publice. sign. † Pertcart quæ hanc cartam una cum manu Ratpotoni pariter fieri vel adfirmare rogaverunt. † sig. Brunihoni. sig. † Liboni. sig. † Vuitoldi. sig. † Sigkaurici, &c.

Ego in Dei nomine Hratbertus Conzl. scripsi & subscripsi. Notavi IV. Kal. Madii, anno XV. regnante.

Et sub Erchangario Comite.

*Notger & Bebo.*

LII. Berefrid tradidit quidquid in Bichlinchovun habuit, excepto uno prato juxta casam Adalfridi, & uno agro juxta casam Selbonis ubi ejus piscatio est, & alio prato inter Paracsterim & Heremintinchovum: reliqua omnia tradidit cum omni integritate. Census denarii II. suæ matri & sibi si redimere voluerit, cum VI. denariis facerent: si non redimerit, post amborum decessum ad monasterium redeat. testes, Selbo, Adalfrid, Adalene, Vuitolt, Suidker, Houto, Vuiniman, Mekinhere. Notger scripsit, IV. Kal. Sept. anno XIX. Regis Hludowici: & ego Bebo testis jussu Grimaldi Abbatis ad precariam exnotavi.

*Dodo.*

LIII. Sacrosancto a sci Galloni. Ego Rudulfus dono in villa quæ dicitur Hohunstati quicquid in ipsa curte visus sum habere tam in terris quam in pratis, silvis, aquis, aquarum, campis, mancipiis, omnia quicquid ipsa curte habemus, & fratres qui serviunt ad ipsa loca sancta teneant atque possedeant omni tempore, perfirmata sit ista donatio a sc. Galloni. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus de heredis meis aut ulla opposita persona, quicunque contra hanc donationem istam agerit aut infrangere voluerit, in primis iram Dei incurrat & tublum conponat. & hæc donatio omni tempore firma permaneat. sig. Helmricus, sig. Theotbertus. † sign. Odone. sig. Sichirico. † sig. Huadoni. † sign. Theodo. sig. Rudberto. Ego Dodo qui scripsi & subscripsi.

*Albricus Diaconus.*

LIV. Ego in Dei nomine Vuolfhart divino admonitus instinctu ut terrenis facultatibus mercarer æternas, & bonis transitoriis mansura conquirerem. Memor itaque illius salutaris præcepti, *Date, & dabitur vobis*, &, *Non est qui relinquat domum aut agros propter me, qui non recipiat centies tantum*, trado ad monasterium S. Galli, cui modo venerabilis Abba Grimaldus præesse dinoscitur, pro remedio animæ meæ conjugisque meæ, quicquid in Centipratis marcha conquisitionis vel concambii regia fultus auctoritate & firmitate litterisque ab eo acceptis præsenti die visus sum habere, id est aquis, silvis, agris, pratis, cultis & incultis, omnia ex integro accepto uno curtili, quod conjunx mea legitimis ab heredibus conquisivit: ea tamen condictione ut ego ipse præfatas res dies vitæ meæ possideam, annisque singulis censum inde duos denarios solvam, & post obitum meum statim ad mo-

monasterium præfatum in omnibus melioratæ redeant in ævum possidendæ, addito ut nulli unquam in beneficium dentur, quod si datæ fuerint, ad succedentes proximos meos revertantur. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut cognatorum meorum vel heredum aliquis hanc cartulam a me potestativa manu factam corrumpere voluerit, & voluntatis corruptæ machinationem publicaverit auri uncias III. argenti pondera V. ad ærarium Regis coactus persolvat, hæcque epistula firma & stabilis permaneat cum stipulatione subnixa. Actum in ipso loco, id est Centiprata nuncupato, præsentibus quorum hic signacula continentur. sign. ipsius Vuolfharti qui hanc traditionem fecit. sign. Kerolti Comitis. † Vuolfheri † Perhtger † Oazo † Unnid. † Perhtbart † Andreas † Uto &c. Ego itaque Albrih indignus Diaconus rogatus scripsi & subscripsi. Notavi tertiam feriam, XV. Kal. Jun. anno XXIV. regni Hludovici Regis, sub Kerolto Comite.

*Eccho Monachus.*

LV. (1) Notum sit omnibus præsentibus atque futuris, quod quidam homo Chadolt nomine de pago Albekewe, pro remedio animæ suæ parentumque suorum hæreditatis suæ jura ad monasterium S. Galli contradere disposuit, sed cum interveniente molestia corporis voti sui compos existere non potuisset, necessitate ductus rogavit Reginhelmum Presbyterum, integra illi potestate concessa ut ipsas hereditatis suæ res ad præfatum monasterium potestativa manu contraderet.

Ego itaque Reginhelmus licet indignus Presbyter ejus precibus adquiescens cum manu advocati mei Erfinrinchi trado ad monasterium S. Galli, cui modo Crimaldus Abba præest, quicquid præfatus Chadolt de parte hereditatis ac adquisitionis suæ & duorum filiorum suorum, qui defuncti sunt, habere ac possidere visus est in loco qui dicitur Stoufun id est unam curtem sepe circumdatam cum ædificiis, mancipiis, jumentis, pecudibus, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, nec non cuncta suo juri pertinentia, ut statim sine ullius contradictione ad præfatum monasterium firmiter perpetualiterque pertineant possidendæ. Si quis vero, quod fieri non credo, hanc traditionis cartulam infringere temptaverit, ad ærarium Regis auri uncias III. et argenti pondera V. coactus persolvat, et nihilo minus hæc traditio firma stabilisque permaneat cum stipulatione subnixa. Actum in monasterio S. Galli publice, præsentibus istis quorum hic signacula subnotantur. sig. Reginhelmi Presbyteri & Advocati Erfinrichi. sign. Hartmoti Decani. † Cotaberti Præpositi † Vualtherii sacratarii † Albrici Cellarii † Paldrici Portarii † Irfinki hospitarii † Hartmanni Camerarii, & aliorum testium, &c. Ego itaque indignus monachus Eccho rogatus scripsi et subscripsi. Notavi diem Lunæ, XIII. Kal. Jan. annum XXIX. regni Hludowici Imperatoris, et sub Hudolricho Comite.

*Vuarimbertus Levita.*

LVI. Unicuique enim convenit opere adimplere, quantum ei vires suppetunt, quod Domini jussione constat esse traditum, *Date & dabitur vobis*. Quapropter ego Cozolt hac voce Dominica corde compunctus trado ad monasterium S. Galli quinque mancipia, quorum illa sunt nomina, Theotmunt, Otmunt, Vuillimunt, Vuolafrid, Vuannida. eadem videlicet ratione, ut eadem mancipia ad me recipiam tempus vitæ meæ. Post obitum vero meum absque ulla marricione ad jam dictum monasterium firmiter permaneant perpetualiter possidenda. Si quis vero contra hanc traditionis cartulam venire temptavit, aut frater meus Adalbertus, aut aliquis nepotum meorum aut qualiscunque persona, in ærarium Regis multa conponat, et conatus sui privetur effectu, firmaque et stabilis cartula hujus traditionis permaneat, stipulatione subnexa. Actum in Oninwanc publice præsentibus istis, quorum hic signacula continentur. Signum Cozolti qui hanc cartulam fieri rogavit. sign. Vuarinheri, Heitari, Alpheri, Adalpreht, Stritgrim, item Alpheri, Othind Vuolfpreht, Naudkor, Strello. Ego itaque Vuarimbertus indignus Levita scripsi rogatus et subscripsi. Notavi diem Lunis, prid. Kal. April. annum III. Hludowici Regis Alamannorum.

*Notkerus.*

LVII. Ego Vuildebold senio meo providens, et ei quæ illud comitari solet penuriæ, trado ad monasterium S. Galli, cui modo venerabilis Abba Hartmutus præest, terrulam meam quam habeo in Uzonwilare, hoc est XX. jugera: eo pacto ut ipsa terrula ad domum peregrinorum serviat, et ego ibi in domo hospitum suscipiar, et usque ad finem vitæ meæ ibi victum et vestitum habeam, sicut primus illorum juniorum, hoc est omnibus annis vestimentum lineum et aliud laneum, et tertio anno pallium, si vetus ita attritum est, & calciamenta & alias impensas accipiam, sicut cæteri in ipso ministerio. Et hoc volo ut ipsa possessiuncula nulli umquam in beneficium præstetur: quod si factum fuerit, ut ille ager ab hospitali tollatur, & ego ibi victualia mea habeam, meaque mihi absque ullius contradictione vindicem. Actum in ipso monasterio, præsentibus quorum hic signa continentur. sig. Engillarmi hospitarii, sig. Hertarii, centurionis, & aliorum testium. sig. Vuilheri, sig. Vualdpert, sig. Hartman, sig.



(1) Litteræ mandatoriæ. *Gewaltsbrieff*.

sig. Richpert, sig. Thancpert, sig. Ruodpert. Ego itaque Notker ad vicem Vuinidharti monachi scripsi & subscripsi. Notavi diem Dominicum XVI. Kal. Jun. annum XXXIII. regni Hludowici Junioris.

### De Traditione Precaria.

*Hiringus Lector.*

LVIII. Sacrasancta Ecclesia S. Galloni confessoris quod in Arbonense pago constructa videtur, ubi corpus ejus in Christo requiescit, & Otmarus Abba cum monachis S. Gallonis ibidem deservire videntur. Ego in Dei nomine Pieta filia Rekinberti condam & Atanai uxoris sui, talis mihi decrevit voluntas conpuncto corde Dei timoris & animæ meæ remedium vel patris adque genitricis meai ad ecclesiam S. Galloni Confessoris condonare deberem: quod & ita feci, in locellas præstestinatas in pago Durgauginse sito qui dicitur Zurihgauuia. Hæc sunt nomina locorum, Cella Nuzperech, & in loco Luzilunowa qui est juxta Ubirrauuia, & in loco qui dicitur Centoprata, & in loco qui dicitur Vtanaha, & in villa qui dicitur Altdorf, & in loco qui dicitur Hreotinchova, & in loco qui dicitur Smarinchova, & in loco qui dicitur Nancinchova, & in loco qui dicitur Perolvinchova, quicquid ego vel pater meus ibidem habere videntur, hæc omnia & ex integro tam de paternico meo quam de maternico vel mea adquesitione & viro meo Landoaldo in his locis supernominatis, per cujus consensum hoc facio, omnia, & ex integro a die præsenti de juris mei in denominatione S. Galloni confessoris vel Ormaro Abbate & monachis ibidem deservientes, in vestram trado dominationem habendi, vindendi, commutandi, cum domibus, ædificiis, casis, casalibus, mancipiis, servis, ancillis, acolabis, campis, pratis, pascuis, silvis, pecoribus, ortiferis, puniferis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus adque immobilibus cum omnia adjacentia earum hæc supernomina Ecclesia & rectores ejus habeant ad possidendum: & accipimus ab hac Ecclesia & Abbate Otmaro vel ejus monachis precium adtaxatum, hoc est auro & argento solidos LXX. & cavallos v. cum saumas & rufias & filtros, cum stradura sua ad nostrum iter ad Romam ambulandum. Et si Dominus voluerit, quod ad propriam revertissem, hoc quod dedi supernominata loca per eorum beneficia, qui ad illum monasterium deserviant, ut mihi in præstitum illas res concedant. Post meum vero discessum ipsas res ad monasterium Sanct. Galloni ad melioratas revertant absque ulla contradictione, vel minuatione, manu vestita partibus meis vel heredum meorum cum Dei gratia & nostram successionem possedeant. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipsa aut ullus heredum meorum vel postheredum vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc cartam a me factam temptare præsumpserit, sociante fisco multa conponat, id est, auri libras v. & argenti pondura v. coactus exsolvat, & ad ipsam casam Dei repetitionem duplam restituat, & quod reperit pernullisque ingeniis evindicare non valeat, sed hæc præsens epistola firma & stabilis debeat perdurare omni tempore cum stipulatione subnixa. Actum Bainchova monasterio, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. † sign. Bietanai filiæ Rekinberti condam, qui hanc traditionem fieri atque firmare rogavit. † sign. Bebonis Comitis. † sign. Buta test. † sign. Arnefridi Abbatis. sign. Maningi test. † sign. Erchanberti test. sign. Ottonis test. sign. Rihberti test. † sign. Buta test. sig. Rohberti test. sig. Blidgaeri test. sig. Vualoni test. sign. Amarici test. Ego in Dei nomine Hiringus Lector rogitus a Biatane, anno III. regnante Hilrihho Rege sub Carlomanno Majoredomo, & Bebone Comite, scripsi & subscripsi. Notavi sub die quod fecit Novem. dies 9.

*Autuuingus Lector.*

LIX. Unicuique perpetrandum est quod Evangelica vox adque Apostolica doctrina nobis cotidie docet, ut unusquisque suis propriis viribus æternam præmiam consequere: sic & ego in Dei nomine Hruothardus filius Bainoni condam, talis mihi decrevit voluntas, ut omnes facultates meas quas mihi bene memoratus genitor meus dereliquit, vel quidquic ego ipse postea adquesivi, omnia & ex integro in dominationem Sanct. Galliani Confessoris, cujus ecclesia Arboninsi pago fulgit in optima ejusque rectore Johanne Pontifice, trado in dominationem domibus, ædificiis, viniis, mancipiis, hortiferis, pumiferis, pratis, campis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus atque immobilibus, cultis & incultis, quod superius diximus, a die præsente in vestram trado dominationem, in meam vero rationem, ut per precariam de vobis hoc recipiam, & annis singulis per conventum vestrum censum solvam & filius meus post obitum meum, hoc est cervisa siglas XXX. panes XL. frisginga trimissem valente unius hominis, anni vertente operas tres. Et si ego ipse aut filius meus de ipsum censum per festivitates Sanct. Martini annis tribus negligentes fuerimus ecclesiæ Sanct. Galliani Confessoris, & ejus Monachi ibidem deservientes sine ullam contradictionem quidquid vobis dedimus recipiatis. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis vel postheredis aut quislibet ulla opposita persona qui contra hanc cartulam a me factam venire temptaverit, partibus fisci multa conponat, id est auri liberas tres, argenti pondera quinque coactus exsolvat, & quod reppedit pernullisque ingeniis evindicare

care non valeat, sed hæc præsens epistola firma & stabilis omni tempore debeat perdurare. Actum Constantiæ Civitate publice, præsentibus quorum hic signacula contenuntur. sig. Hrothardi qui hanc cartulam fieri rogavit. sig. † Hacunit. sign. Thassuni test. sign. Betuni test. sig. † Vualafridi &c. Ego enim Autuuing Lector, anno VIII. Pippino Rege scripsi & subscripsi. Data sub diem quod fecit mensis Januarius dies XV. in Constantia, feliciter,

*Vualdo Decanus.*

LX. Sacrasancta Ecclesia Sanct. Galli Confessoris, qui est constructa in situ Durgoie vel in pago Arbonensis castri, ubi speciosus corpus ejus in Christo requiescit, ubi nunc præest Johannes Abba. Ego itaque Christo opitulante Vualhar nomine filius Teotgeri condam, talis mihi sumpsit consilius, ut res mea in villa qui dicitur Boasinheim, in pago qui dicitur Bertoltisbara, & in sito Vildira, quicquid ibidem visus sum habere, vel mihi genitor meus dereliquit, aut quid ego ipse postea adquesivi vel laboravi, excepte tudem uxoris meai Vualdradanai quid ego illi dedi, & unum jornalem de campo arativo, aliud quidquid ibi habeo in ipsum supra dictum locum omnia ex integro in dominationem Sanct. Galli & ejus monachis ibidem Deo servientis trado in dominationem, hoc est casa cum casalibus, curte clausa cum omnis officinis ejus, cum servis & ancillis vernaculis mancipiis his nominibus, Vuilloffus cum uxore sua Otilane & infantes suos tres & ancilla mea Tiurlinda cum filio suo Liudrato, & alio servo Mercado, & servo meo Dugilino, & alio servo meo Teotherto, & ancilla mea nomine Beresinda, & alia ancilla Cuatlinda, et tertia ancilla Madala, et alia ancilla Truthlinda cum infantes duos. Hæc omnia et ex integro cum campis et pratis, silvis, ortiferis, pumiferis, pascuis, pecuniis, mobilibus, atque immobilibviis, ingressis et regressis, quid plura? ut superius diximus pro animæ meæ salutem ad illam sanctam Ecclesiam trado in dominationem: in ea vero ratione, ut iterum per precariam post me accipiam, et exinde annis singulis censum solvam, hoc est de annona spelda modias x. et de avina xx. et frisginga seigit valenti. Si quis vero, quod fieri non credo, si ego ipse aut ullus heredum meorum vel postheredum ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem a me factam venire temptaverit, partibus fisci multa conponat, id est auri uncias VI. argenti pondora XII. coactus exsolvat, et quod reppedit pernullisque ingeniis evindicare non valeat, sed hæc præsens epistola omni tempore firma et stabilis debeat perdurare. Actum in villa Heidinhova publice, præsentibus corum hic signacula contenuntur. sign. Vuachar qui hanc traditionem fieri atque formare rogavit. sig. Ernusti test. sig. Deoto. sign. Ghato. sign. Gliuto. sign. Timo. sign. Hagino. sign. Fruachanolf. sign. Trasinc. sig. Abbo. sig. Frihcho. sig. Romanc. etc. Ego in Dei nomine Vualdo Decanus adque Monachus, Dei servus, scripsi et subscripsi.

*Ato Diaconus.*

LXI. In Dei nomine. Ego itaque Gundachar dono atque trado ad monasterium Sanct. Gallonis quicquid in villa qui dicitur Agineshaim ab hac die præsenti visus sum habere, exceptis duo mancipia, reliqua vero omnia ex integro ad ipsum superius nominatum monasterium trado atque transfundo, in ea ratione, ut ipsas res per beneficium ipsorum monachorum ad me recipiam tempus vitæ meæ et censum eis exinde persolvam, id est per singulos annos xxx. siclas de cervisa, et xxx. panes, et frisginga tremisso valente, et quando opus fuerit aut ad messem vel pratum colligendum vel ad reliqua in passiato faciam: et si filius meus aut frater meus id ipsud facere voluerint, faciant: sin autem, ipsas res sine ulla marritione ad ipsum monasterium revertantur, Et si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse aut ullus de heredibus meis vel proheredibus, qui contra hanc cartulam venire aut eam infrangere voluerit, non solum quod ei non liceat, sed damnum incurrat, id est tantum et alium tantum quantum cartula ista contenit ad ipsum monasterium ferat et in discutiente fisco multa conponat, id est auri uncias duas et argenti ponduos quattuor coactus exsolvat, et si reppetit nihil evindicet, sed præsens cartula ista omni tempore firma et stabilis permaneat cum omni stipulatione subnexa. Actum in ipso monasterio. cartula ista scripta est in anno secundo regni Carlomanno Rege, III. Kal. Jul. et Pirahtilone Comite, Ego itaque Ato Diaconus rogitus ab Gundachro scripsi et subscripsi. sig. Gundachri qui hanc cartulam fieri rogavit. sign. Verei † Votmar. † Rucimire † Eholt † Poto † Tuhuto † Cirico † Vciolf † Filomar † Frehhol † Thuato † Linco † Pito † Ackiolt. etc.

*Hadupertus Clericus.*

LXII. ✠ In Dei nomine. Ego Hadupertus et genitrix mea Teotrada, talis nobis communis decrevit voluntas, ut res nostras ad aliqua loca venerabilia Sanctorum dare deberemus: quod ita fecimus. Donamus ad monasterium Sanct. Gallonis, qui est constructus in pago Arboninse, ubi ejus sacrus requiescit corpus, et hoc est quod donamus in pago Argoninse in vilari quod dicitur Haddinwilare et in villa qui dicitur Argona, quicquid in his locibus visuri sumus habere in hac die præsente, id est casas, curtiles, cum omnibus ædificiis, quæ ibidem esse videntur, et servos et ancillas et omnia pe-

pecuniana, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis, viis, aquarumque decursibus. Hæc omnia ex integro tradimus ad ipsum superius nominatum monasterium: in ea ratione, ut ipsas res per beneficium ipsorum monachorum tempus vitæ nostræ per cartulam precariam post nos recipiamus, & censum eis exinde solvamus, & hoc est census quod nobis cum illis convenit, per singulos an. II. carradas de grano bono non scusso, I. de spelda & alterum de avina, & quando esca est porcum solido valentem I. & quando esca non est arietem bonum. Et post nostram vero discessionem ipsas res pro animas nostras ad ipsum monasterium sine ulla marritione revertantur, ibique in perpetuum donatas permaneant. Et si quis vero, quod futurum esse non credimus, si nos ipsi aut aliquis de heredibus nostris vel proheredibus, qui contra hanc cartulam traditionis venire aut eam infrangere voluerit, non solum quod ei non liceat, sed damnum incurrat, id est tantum & alium tantum quantum cartula ista contenit ad ipsum monasterium restituat, & in discutiente fisco multa conponat, id est auri uncias II. argenti ponduos IV. coactus exsolvat, & si repetit nihil evindicet, sed præsens cartula ista omni tempore firma & stabilis permaneat cum omni stipulatione subnixa. Actum Arguna villa publice. Hii sunt testes qui in præsenti fuerunt & firmaverunt. sign. Haduperti qui tradidit & scripsit. sign. Teotradæ genetricis ejus qui cum ipso fieri rogavit & tradidit. sign. Moathelmo test. sig. Osia test. sign. Buosot test. sig. Haimo. test. sig. Diothario test. sign. Bodololdo test. sign. Erloino test. sig. Diholfo test. Ego Hadupertus Clericus tradidi & scripsi in anno secundo regnante Carolo Rege Francorum, sub die Non. Septembr. feliciter.

*Marcellus Monachus.*

LXIII. In Dei igitur nomine. Ego Gerhart sacris prædicationibus frequenter ammonitus præ animæ meæ remedio trado atque transfundo ad monasterium Sanct. Galli, cui Grimaldus Abba præesse dinoscitur, quicquid in villa nuncupata Lutaraha adquisitum habeo tam domibus quam ædificiis, silvis, pratis, viis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, mobilibus et immobilibus, omnia ex integro ad jam dictum cœnobium trado, in ea videlicet ratione, ut cultores præfati monasterii supra dictas res ad se statim recipiant in perpetuum possidendas: & unam hobam, quam in villa nominata Altsteti habere videntur, diebus vitæ meæ mihi præstent, & censum inde annis singulis in die Natali S. Galli solvam, id est solidum I. Post obitum vero meum sine ullius contradictione ad jam dictum monasterium redeat in ævum possidenda. Si quis vero, quod fieri non æstimo, si ego ipse quod absit, vel ulla alia persona hanc traditionis cartulam inrumpere temptaverit, auri uncias III. argenti pondera VI coactus ad ærarium Regis persolvat, & conatus sui privetur effectu, & nihilo minus hæc traditio firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum in ipso monasterio publice, præsentibus istis quorum hic signa continentur. sig. Gerharti qui hanc traditionem fieri rogavit. † Isgeri † Hato † Buozzo † Nandger † Otger † Zeizzo † Haddo † Arthelm † Edileoz † Meginhart † Theginhart † Sigihart † Ekcolf. Ego itaque Marcellus monachus rogatus scripsi et subscripsi. Notavi diem Dominicum, VIII. Kal. Octob. anno XV. Hludovvici Regis Alamannorum, sub Cuanrato Comite.

*Theothartus.*

LXIV. Si aliquid de rebus nostris in substantias pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in æterna retributione retribuere confidimus. Ideoque ego in Dei nomine Vuitram Presbyter trado cum manu advocati mei Cundberti ad monasterium Sanct. Galli, ubi Bernwigus Abbas præesse videtur, quicquid a Starcholfo filio fratris mei eodem appellato nomine in Rimolteswilare vel in eadem marcha cum mea pecunia, id est pretio attaxato, proprietatis adquirere visus sum, seu ubicumque aliquo ingenio in eadem marcha aliquid adquisitum habere dinoscor cum præfata adquisitione, id est partem ecclesiæ quæ illum adtingebat mihique ad redimitionem concessit, curte clausa, aliisque ædificiis, campis, pratis, pascuis, silvis, viis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus atque immobilibus, cultis et incultis, quicquid dici aut nominari potest, volo esse traditum ad jam dictum locum: sub ea ratione, ut easdem res ad me recipiam, annisque singulis exinde vobis censum persolvam, id est IV. denarios, hocque faciam tempus vitæ meæ. Ita tamen volo habere apud vos plagitatum, sicut et in priori mea traditione sonat, ut nulli umquam in beneficium concedantur. Quod si actum fuerit tunc proximus meus licentiam habeat easdem res ad se vindicare: nullusque hanc cartam violare audeat quod si quis fecerit, multa conponat, id est auri uncias III. et argenti pondera V. coactus persolvat, et hæc carta nihilominus firma et stabilis permaneat stipulatione subnixa. Actum in præfata villa intra ecclesiam publice. sign. Vuitramni Presbyteri atque advocati sui Cundberti qui hanc traditionem fieri rogaverunt. † Certili. † Vualtilin † Nanzo † Rualdi etc. Ego itaque Theothart ad vicem Cozzolti Diaconi scripsi et subscripsi. Notavi diem Veneris, IX. Kal. Decembr. anno XXIV. Hludowici Imperatoris, et Hludowici Junioris Regis Alamannorum V. sub Geroldo Comite.

Coz-

*Cozpertus Diaconus.*

LXV. Ego in Dei nomine Altirih trado ad cœnobium Sanct. Galli pro animæ meæ remedio et æterna retributione, quicquid in pago Turgawe in locis nuncupatis, videlicet Seheim et Turbatun, vel in eadem marca in quibuslibet rebus videor habere, quod in perpetuum traditum ac delegatum esse volo, sub ea condictione, ut ipsæ res in Turbatun cum omni integritate ad jus monasterii possideantur, et illud quod in Seheim tradidi ad me recipiam, nec non et vuilare a partibus monasterii Scottinchova nuncupatum, sed et illud in Rumaninchouun, atque exinde annis singulis censum solvam, id est v. solidos tempus vitæ meæ. Si autem de legitima conjuge filias mihi Deus donaverit, ipse qui longius vixerit, in eundem censum habeat. Post illius quoque obitum hoc quod tradidi et quod a parte monasterii accepi cum omni integritate ad jus cœnobii redeat perpetim possidendum. Si quis vero hanc traditionis cartam quolibet ingenio inrumpere conatus fuerit, inchoatus sui privetur affectu, et in ærarium Regis auri uncias III. et argenti pondera v. coactus persolvat, sed nihilo minus hæc traditio suum obtineat vigorem, stipulatione subnexa. Actum Vuormatiæ palatio Regio, præsentibus istis. sig. Altirichi auctoris. sig. Vualdberti. Svvidgeri. Ruuadberti, Othart, Landpreht, Reginhart, Reginboto, Adalbold. Ego itaque Cozpreht. ànmerens Diaconus, anno XVI. Hludowici Imperatoris, et Hlotharii Augusti VII. rogatus scripsi et subscripsi. Notavi diem Mercurii, xv. Kalend. Septembris, sub Erchanbaldo Comite feliciter.

DE PRECARIIS, (1)

*Formula Isonis.*

LXVI. Christi enim favente clementia ille Abbas monasterii illius sancti. Convenit una cum consensu fratrum nostrorum, ut illa mancipia, quæ nobis ille de illo loco tradidit, ei iterum per præstarium repræstaremus, quorum hæc sunt nomina, illum et ejus sobolem his nominibus. Sed extra hos unum servum empticium. in ea videlicet ratione, ut ea habeat tempus vitæ suæ, censumque annis singulis inde solvat, et si redimere voluerit, cum illo pretio redimat. Illum vero supranominatum servum N. in eundem censum habeat tempus vitæ suæ, et si redimere voluerit, cum illo pretio redimat. Post obitum vero ejus omnia ad supra dictum monasterium redeant perpetim possidenda, si ante non redemerit. Actum in ipso monasterio publice, præsentibus istis, quorum hic signacula continentur. sign. Decani, Præpositi, Cellarii, sacratarii, portarii, hospitarii, Camerarii, sign. aliorum testium. Ego itaque ille scripsi et subscripsi. Notavi diem illum, illa data, anno illo illius Imperatoris, sub illo Comite.

*Vuaringisus.*

LXVII. In Christo fratri Erinperto et Amalperto nos fratres vel Monachi Sanct. Galluni Confessoris, qui ad cellam suam sub usu seculari deservimus, Marcus et Stephanus et Vuolfiamnus Præpositus. Cognitum est villam Sanct. Galluni noncupantem Zozinuilare sitam in pago Durgavia, quicquid ibidem tu ipsic et frater tuus per cartam traditionis ad monasterium Sanct. Galluni fecistis ipsas res sub usufructuario tibi præstavimus. Præterea sic nobis conplacuit, ut annis singolis de festivitate in festivitatem natalis Domini, quod est in mense Decembri, censum ad ipsam ecclesiam Sanct. Galloni vel Rectores ejus exsolvere debeas, id est triginta siclas cervisa et quaranta panis, friscincam tremissalem, et pullos duos in quisquasitione saigatam unam ares et hoc metas et intus ducas et jurno secare facias et alic colias et intus ducas, sicut superius diximus absque ulla contradictione ad ecclesiam Sanct. Galloni vel Rectores ejus annis singolis dare facias, quamdiu ipsas res habere voles, et quamdiu hoc feceris, et nostra fuerit voluntas, absque præjudicio Sanct. Galluni ipsam villam tenere et usare facias, et nullum Pontificium habeas de ipsa villa nec vendere, nec donare, nec alienare, nec minuare, sed in quo possumus semper meliorare faciamus. Et si de ipso censo negligentes fuerit, tunc potestatem habeamus et successoresque nostri de ipsa villa ejiciendi et partibus Sanct. Galloni revocandi. Facta precaria sub die Lunis, v. Id. Majas, anno X. regnante Domno nostro Pipino Rege Francorum, sub Vuarino Comite. Hii sunt monachi quod præsentes fuerunt. sig. Vualderamni Monachi. sig. Vuacolfi monachi. sig. Ratonis monachi. sig. Tassilonis monachi. sig. Cunderamni monachi. Ego Vuaringisus scripsi.

*Vuenilo.*

LXVIII. Venerabile in Christo Aginone Episcopo sive Vuerdone Abbate de monasterio Sanct. Galloni de pago Arbonense precator connuscatis dum et omnib. Non habetur incognitum qualiter Bertoldus Comis et mater mea nomine Raginsind trado et donamus pro animabis nostris et requiem genitori patri meo donamus vobis a die præsente in pago nuncupanti Bertoltibata et in villa denominata Asolwingas, hoc est casa dominicata, casticiis, terris, campis, pratis, pasculis, silvis, mancipiis, pumiferis, pecuniis, ædificiis, aquis, aquarumque decursibus, quicquid in ipsa marca vel in ipsa vil-

(1) In q. Ms. Præstaria vocantur.

villa nobis obtingit totum et ad integrum, quicquid dici aut nominari potest. Et in alio loco donamus vobis in villa denominata Munoluingas, quicquid mater mea ibi habuit, similiter tradidit. Postea mea fuit petitio et nostra vel fratrorum decrevit voluntas, ut ipsam rem valeas excolere vel usare et nihil exinde minuare non debeas, nisi quicquid ibidem addere aut inmeliorare vel attrahere potuimus. Post quoque tuum discessum sive matris tuæ nomine Raginsind ipsas res inmelioratas cum omni superposito adque atitamento pro animas nostras ad ipsom locom Dei S. Gallonis in pago Arbonense omnimodis revertatur, et in censum annis singulis ipsam rem habeat Bertoldus Comis et mater sua ad festivitatem S. Martini cum solidis VIII. in unum censum habeat ipsam rem. Et precamur vobis in Dei amore post nostrum obitum, ut nullus secularius homo non habeat in beneficio, nisi ipsas res debet servire pro animas nostras, ubi nos concessimus ad soli Deo ad habendum, tenendi, dominandi, vel quicquid exinde vos successoresque vestri facere volueritis liberam in omnib. atque firmissimam habeatis potestatem. sign. Aginone Episcopo sive Vuerdone Abbate qui hanc præstariam fieri et firmare rogaverunt. Agentes monasterio per semetipsam in Dei nomen recipere et revocare debeant. Facta præstaria per quinquennio renovata fuisset. sign. Hacconi. sign. Habberti. sign. Ribhart. sign. Zazil. sign. Theodolt. sign. Heimo. sign. Hagustolt. sign. Fridurat. Notavi die Sabbato, XI. Kalend. Novembr. anno XXXIV. regnante Domno nostro Carolo Rege Francorum ac Patricio Romanorum & Alamannorum, & sub Rothario Comite. Ego Vuenilo qui hanc præstariam scripsi & subscripsi.

*Ruodo Lector.*

LXIX. In Dei nomine Johannes Episcopus gratia Dei Abbas vocatus una cum fratribus, qui in monasterio S. Galli degunt, ubi & sacrum requiescit corpus. Igitur quod non est incognitum quod Managoldus pro remedio animæ fratris sui Hugiberti casatum unum cum hoba sua ad supra dictam ecclesiam tradidisset in villa quæ dicitur Sutiningas, his nominibus Dheotinc, Hiltimunt, Adalhilt, petivit ut per precariam ei præstare deberemus, quod una cum consensu fratrum nostrorum ita fecimus: in ea vero ratione, ut per annis singulis censum exinde solvat, hoc est XV. siclas de cervisa & maldram de chernone & friskingam trimisse valentem, & in omni Zelga jornale unum arare, & III. dies asecare & III. amadere. Et si ei aliquando voluntas evenerit, aut necessitas exegerit, ut ipsas res ad usum proprium recipere voluerit, solvat eas cum XXX. solidis, & quicquid inde voluerit postea agere nostris partibus liberam habeat potestatem. Et hoc ei concedimus, ut si ipsos solidos infra unius anni spatium exsolvere non valuerit, vel infra trium annorum curricula eos nobis exsolvat. Interea autem census quod nos cum illo convenit, sicut supra memoravimus, nobis exinde currat. A die autem quando supra dictum pretium nobis habuerit expensum, & nos nostris partibus eum visi fuerimus possedere, sic cesset ab ipso censo, & si filio ejus conventio ista placuerit, & id ipsud facere voluerit, ipsas res possedeat. Facta precaria in monasterio S. Galloni Confessoris. sign. Johannis Episcopi. sign. Iohannis Diaconi. sign. Æginonis Presbyteri. sign. Stephani Presbyteri. sign. Adalrih Presbyteri. sign. Hugiberti, &c. Ego Ruodo laicus Lector scripsi anno XII. regnante Domno nostro Carolo gloriosissimo Rege Franchorum.

*Vuatto Diaconus.*

LXX. Divina largiente clementia Crimaldus cœnobii Sanct. Galli Abba. Convenit nos una cum consensu fratrum & monachorum nostrorum, ut illas res quas nobis Lantpreht Presbyter suæ adquisitionis tam in terris quam in ædificiis vel cultis aut incultis, manu potestativa una cum manu advocati sui nomine Engilbold tradidit pro animæ suæ remedio in pago Nibalgauge, quicquid ibidem ad Chanchonem & ad vuitricum & ad Vuolaliuba conparavit justo conquisitu cum propria pecunia Deo & Sanct. Gallo & ibidem Deo famulantibus tradidit atque condonavit, nosque iterum illas res prædictas represtare per præsentem precariam deberemus: quod ita & fecimus, atque inde nobis annis singulis in censum persolvat unum denarium: & ut nos quattuor electa mancipia, mares duos & fœminas totidem ex nostra potestate donare debeamus, quod omnino non omittimus. Post ejus vero obitum tunc Diotpirt nepta illius eandem traditionem sub usufructuario possideat tempus vitæ suæ, & annis singulis abinde nobis unum solidum in censum prosolvat. Et si illa Diotpirt illam traditionem sibi placitatam dimittere voluerit, tunc ad cellam Ratpoti locum & præbendam quasi unus monachus juxta facultates loci illius habeat tempus vitæ suæ, & traditionem præfatam sibique placitatam nobis & successoribus nostris dimittat perpetualiter possidendum. Et hoc animo firmissima mente adhuc vivens nos rogavit ut nullo laico post ejus obitum in beneficium præstitum fuisset: tamen si hoc factum fuerit nostra jussione tunc proximus heres ejus potestatem habeat auferendi ipsas res de præfato monasterio. sign. Crimaldi Abbatis & Emichonis Advocati, qui præsentem precariam scribere rogaverant. sign. Hartmoti Decani. sign. Engilramni Præpositi. sign. Birihtilonis Præpositi. sign. Diotharti hospitalarii. sign. Cozberti Portarii. sign. Crimberti Portarii. Actum in ipso loco, quo idem Lantpertus Presbyter domum &

& capellum tunc tempore habere videbatur coram testibus, quorum hic signacula continentur. signum Liutharii qui hoc consensit † Gisalolt † Folrat † Vuano † Cundhart † Ruadger † Huadalwart † Engilhelm † Folchini. Ego itaque Vuatto Diaconus rogatus scripsi & subscripsi. Notavi in x. Kalend. Jun. diem Jovis in Ascensione Domini, regnante Domno Hludowico Rege in Orientali Francia anno decimo, sub Pabone Comite, & sub Hunoldo Centenario, indictione quinta.

*Otine.*

LXXI. Christi disponente providentia Grimaldus Abba cœnobii Sanct. Galli. Convenit nos una cum consensu fratrum nostrorum & advocati Emichonis, ut in concaptione, quæ sita est in marcho Vuangon prope Argunam Aquiloniorem in utraque parte aquæ Reodolti filio, id est Purchardo, & omni posteritati ejus, hobas III. dari deberemus: quod ita & fecimus, ea videlicet ratione, ut dominum non habeat nisi Abbatem, qui præest monasterio S. Galli, & ad illos fratres, annisque singulis censum inde persolvant, id est solidum I. in quocunque pretio potuerint. Et si iterum alibi Dominum elegerint, tunc præfata res ad præfatum monasterium redeat perpetualiter possidenda. Actum in ipso monasterio publice, præsentibus quorum hic signacula continentur. sign. Grimaldi Abbatis, qui hanc confirmationis cartam fieri decrevit. sign. Hartmoti Decani. sign. Richperti Præpositi. sign. Ruadhoi. signa & aliorum testium &c. Ego itaque Otine rogatus scripsi & subscripsi, die Dominica VII. Id. April. regnante Hludowico Rege nostro anno XII. sub Pabone Comite.

*Notgerus.*

LXXII. Christi igitur favente clementia, placuit mihi Grimaldo Abbati cæterisque fratribus, consentiente etiam Ruadberto Advocato nostro, ut res quas Pereurid ad Sanct. Gallum tradidit per hanc precariam juxta traditionem legitime ab ipso peractam possidere. Idem namque Pereurid tradidit quicquid proprietatis habuit in pago Zurichuaense, villa nomine Pichilinchova, excepto uno prato inter Parachstetin & Heremuntinchovun: alia omnia tradidit cum omni integritate ad jam dictum monasterium, ea videlicet ratione, ut ille ipse easdem res possideret annisque singulis censum inde persolveret, id est duos denarios, similiter & mater illius, si eum supervixisset, eas res sub eodem censu possideret. Ipse vero Pereurid si easdem res redimere voluisset, cum sex denariis id faceret. Si autem ipse non perfecta redemptione obiret, legitimi heredes illius ex legitimo procurati conjugio easdem res possiderent, & supra dicti rationem census annis singulis inde persolverent. Ipsi etiam heredes legitimi si eas res vellent redimere, cum VI. denariis id facerent. Actum in villa Pichilinchova publice, præsentibus istis quorum hic signacula continentur. † sig. Grimaldi Abbatis † sig. Hartmoti Decani. sign. Engilrammi Portarii. sign. Cozberti præpositi. sign. Selbonis, &c. Ego itaque Notger scripsi & subscripsi. Notavi diem II. Fer. IV. Kal. Septembr. anno XIX. regni Hludowici Regis, sub Karolto Comite.

*Purgolfus Monachus & Subdiaconus.*

LXXIII. In Christi nomine Hartmotus Abbas cœnobii Sanct. Galli. Complacuit nobis una cum consensu fratrum & Advocati nostri Hildibrandi, ut res quas nobis tradidit Cunzo ei iterum per hanc precariam repræstaremus. Tradidit namque nobis memoratus vir quicquid proprietatis in Arghangauge, videlicet in Tetinanc & in Hasalaha hodierna die visus est possidere tam in domibus quam in ceteris ædificiis, campis, pratis, pascuis, silvis, viis, aquis aquarumque decursibus, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, omnia videlicet ex integro tradidit ad prædictum cœnobium S. Galli, exceptis duabus hobis in Tetinanc sitis quas ad Lintovam tradidit, & excepta una hoba quam Hildipert possidet. Sed & hoc memorato, quod curtile unum, & quandam partem territorii sui quibusdam feminis quondam sui juris modo ab illo libertate donatis concessit, quarum ista sunt nomina, Lantrud, Eita, Ruaddrud, ita tamen, ut post obitum prædictarum feminarum ipsæ res in jus præfati cœnobii redeant in ævum possidendæ, ea scil. pactione, ut ipse Cunzo easdem res ad se recipiat, & annis singulis censum inde persolvat, id est I. denarium. Et si redimere voluerit, cum uno solido redimat ad Vuazzarburc. Quod si ipse non redemerit & conjunx sua Hildiburc illi superstes fuerit, tunc ipsa præfatas res in eodem censu possideat tempus vitæ suæ, redemptione illi earundem rerum penitus denegata. Post obitum vero prædictæ conjugis suæ, nepos ejus, videlicet filius filii sui, nomine Cunzo præfatas res teneat, in prædicto censu, usque dum ad virilem ætatem pervenerit. Et si ad virilem ætatem pervenerit, & ei Deo concedente legitimus heres procreatus fuerit, tunc demum easdem res licentiam habeat redimendi cum XXX. solidis ad Vuazzarburc. Non tamen ante easdem res redimat, quam ei legitimus heres provenerit. Similiter & legitimus heres ejus prædictas res in prædicto censu & in prædicta redemptione possideat, si ante redemptæ non fuerint. Si autem supra nominatus Cunzo sine legitimo herede obierit, & aut ipse aut legitimus heres ejus præfatas res non redemerint, tunc absque ullius contradictione ipsæ res in jus prædicti cœnobii redeant in ævum possidendæ. Actum in

Vuaz-

Vuazzarburc publice, præsentibus quorum hic nomina subponuntur. Signum Hartmoti Abbatis & Advocati sui Hildibrandi, qui hanc precariam perpetraverunt. Sig. Folchardi Decani. s. Cotaberti præpositi. s. Vuerimberti æditui. sig. Thiotharti portarii. s. Ruodini hospitarii. sig. Kerberti cellararii. sig. Ottuuini Camerarii, sig. & aliorum testium † Vuolfpert, Hiltine, Asprant, Vuichere, Keboroh. Ego itaque Purgolf monachus & subdiaconus cum jussione Domini mei Abbatis scripsi & subscripsi. Notavi mensem Junium, annum II. Domni Karoli Imperatoris Augusti, Vodalricum Comitem.

*Albricus Presbyter.*

LXXIV. (1) Christi favente gratia Hartmotus Abba monasterii Sanct. Galli. Dum plurimis cognitum sit qualiter Erlebaldus de Prisicauge omnes res proprietatis suæ, quas habebat in Ushusun, & in Merishusa Marcha, & in Vuitrachomarcha, & in Vuitunovya marcha, tam marchis quam ædificiis, (excepta domo Salica) curtiilibus, terris, pratis, vineis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, omnia ex integro pro remedio animæ suæ nobis tradidit, in ea ratione, ut nos easdem res statim habeamus, & ex illis faciamus quicquid voluerimus; & ille a nobis accipiat in beneficium tempus vitæ suæ quod habemus in Maingas, excepta Salica terra nisi IV. jugera ex ipsa. Post illius vero obitum easdem res cum omni laboratu, qui in illis tunc paret, redeant ad nos in ævum possidendæ. Actum in villa Vuoluinvvilare nuncupata publice, præsentibus multis. Sign. Hartmoti Abbatis & Advocati sui Totonis qui hanc precariam fieri jussit. Sign. Theotharti Decani. Sign. Albrici Præpositi. Sign. Paldrici portarii. Sign. Richperti sacratarii. sign. Hartmanni Cellerarii. sign. aliorum testium, &c. Ego itaque Albrih indignus Presbyter rogatus scripsi & subscripsi. Notavi diem Lunæ, XVI. Kalend. Decembr. anno XXXV. Hludowici piissimi Regis, sub Karolo Principe.

*Ripertus Presbyter.*

LXXV. Christi igitur favente clementia Salomon Abba monasterii Sanct. Galli. Complacuit nobis atque convenit una cum consensu fratrum nostrorum, ut res quas nobis tradidit Engilboldus per hanc precariam ei præstaremus: quod & ita fecimus. Tradidit nobis præfatus homo in pago Prisigaugense in marcha seu in villa nuncupata Vuiteresvwilare duas hobas cum toto ædificio & opportunitatibus ad hoc pertinentibus: ea videlicet ratione, ut ipse & conjux sua habeant usque dum vivant, & censum in missa Sanct. Galli, hoc est I. denarium, persolvant, & post obitum illorum Theganhart Præpositus habeat quousque vivat, atque discessum ipsius ad præfatum monasterium revertantur. Has itaque præfatas res, sicut ibidem canitur, illi concessimus, cartam precarii scribere postulavimus. Si quis vero contra hanc cartam precarii aliquam fraudem temptaverit agere, iram Dei sentiat, & ad ærarium Regis multa persolvat, id est auri uncias III. argenti pondera V. & hæc carta precarii firma & stabilis permaneat stipulatione subnixa. Sublevata in villa Vuitiresvwilare. sign. Domini Salomonis Abbatis. sign. Theganharti Præpositi. sig. Egilperti Decani. sig. Alberici Præpositi. sign. Cozperti portarii. sig. Tuotiloni hospitarii. sig. Ecchonis æditui. sig. Isonis Cellararii. S. Ruodperti Præpositi † Thietoni Præpositi Albker † Hartrih † Ekehart † Eto † Chonzo † Hanfrid † Libo † Alaker † Puriching † Ruman. Ego itaque Ripertus indignus Presbyter scripsi die Lunis, Id. Octobr. luna XXVI. anno incarnationis Domini CMIX. regnante Ludovvico Rege anno X. sub Comite Adalberone.

*Abo Presbyter.*

LXXVI. Sic itaque complacuit nobis una cum consensu fratrum, & cum manu Advocati nostri Arolfi, ut res, quas nobis Othere in Betenowomarcho tradidit, ei iterum repræstaremus: quod & ita fecimus. Tradidit enim nobis dictus Othere quicquid proprietatis vel adquisitionis in Betenowomarcho hodierno die visus est habere, id est in ædificiis, agris, pratis, pascuis, viis, aquis, aquarumque decursibus, cæsuris lignorum, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, & quicquid dici vel nominari potest, mancipia quorum hic sunt nomina scripta, Heio & uxor ejus, Vuolfram & uxor ejus & filii ejus: ea videlicet ratione, ut ille ipse easdem res ad se recipiens tempus vitæ suæ possideat, & inde singulis annis fratribus nostræ congregationis convenientibus ad ecclesiam Sanct. Martini in Johanneswilare statutam temporis autumni, id est mense Octobri, tribus diebus victum de pane & de cervisa, & alia necessaria ad usum nostrum pertinentia impendat. Similiter & cognata ejus Kerhilt, si illum supervixerit, sub eadem constitutione tempus vitæ suæ res ipsas habeat: & quisquis post obitum amborum illorum ejusdem Ecclesiæ dominaverit, similiter faciat. Et si contigerit, ut ille, qui ejusdem loci potens est, hoc servitium facere noluerit, tunc ipsa res ad nostram redeat potestatem, & nos ipsi nostris ministris eundem locum commendare licentiam habeamus, qui nostrum servitium studeant adimplere. Et si evenerit, ut aliquis de cognatis vel de coheredibus suis aut ulla obposita persona hanc potestatem nobis violenter tollere aut ipsas res invadere præsum-

(1) Precarium Erlebaldi.

sumpserit, & nostra congregatio ob hanc causam ab eodem loco dispersa fuerit, & ad alium locum subtracta erit, tunc ipsa traditio ad monasterium S. Galli revertatur, & nos ipsi talem potestatem habeamus, sicut ille ipse habuit, qui nobis eandem rem tradidit pro commemoratione animæ suæ ad hospitium præfati monasterii dare peregrinis & pauperibus pro Christi nomine proxima hebdomada die sancto Paschæ ad serviendum. Actum in loco qui dicitur Johanneswilare publice, præsentibus istis quorum hic signacula scripta adesse videntur. Sign. Emezo Abbatis & Arolf Advocati nostri qui hanc precariam firmaverunt. Sign. Perethro Decani, Abo Custodis, Hiltepold portarii, Starcolf camerarii, Perethram cellerarii, Junchram sacratarii, Hilterich hospitarii, & alii copii Presbyteri. Signa laicorum &c. Ego itaque indignus presbyter Abo scripsi & subscripsi. Notavi diem Martis, IV. Non. Octob. sub potestativa manu Hludowici Regis & pueri, & sub Adalberto Comite.

### De Beneficiis et Feudis.

*Harmedeus Clericus.*

LXXVII. (1) Perpetrandum est unicuique quod Evangelica vox admonet dicens; *Date & dabitur vobis*. In Dei nomine Liutulfus & Merolfus & Zaozzo & Piscolfus filii Marulfi confessi sumus ante Cozpertum Præsidem & ante pagensis nostros, quod genitor noster Marulfus omnem hereditatem & substantiam suam tradidit ad monasterium Sanct. Gallonis, qui constructus est in pago Arbonense, ubi ejus sacrus requiescit corpus, & nos posthac exuti de omni re paterna nostra revestivimus Vuolframmum monachum & missum ipsorum monachorum per tribus diebus & per tribus noctibus, & per beneficium ipsorum monachorum reintravimus. Et posthæc conventione facta nos fratres filii Marulfi, consentiente Cozperto Comite ante pagensis nostros omnem rem nostram & hereditatem paternam communis manibus tradidimus ad ipsum superius nominatum monasterium in manus Vuinidharii Decani & monachi, & in ea ratione tradimus, ut sicut debuemus Regi & Comiti servire, ita ipsam terram ad ipsum monasterium proserviamus, & per beneficium ipsorum monachorum per cartulam precariam post nos reciperemus. Et si filii nostri & agnitio-eorum hoc facere voluerint, ipsas res proserviant atque possedeant in beneficio ipsorum monachorum: sin autem, reddant. Et hoc est quod genitor Marulfus tradidit, & nos quattuor filii ejus superius nominati, quicquid in pago Nibalgavvensi in ea die habuimus, id est campis, silvis, curtis, curtilibus, casis, salibus, pratis, pascuis, viis, aquis aquarumque decursibus, & omnia quicquid in ipsa marcha Nibalgauge omnia & ex integro tradimus adque transfundimus, in ea ratione quod superius scriptum est, & ipsum censum in silvaticas feras, quantum possimus consequi, solvamus: & quantum non possimus, quod cæteri pagenses nostri faciunt Regi aut Comiti, ita & nos ad ipsum monasterium faciamus. Et si quis vero, quod futurum esse non credimus, si nos ipsi aut aliquis de heredibus nostris aut ulla opposita persona, qui contra hanc cartulam traditionis veniret aut eam infrangere voluerit, non solum quod ei non liceat, sed tantum & alium tantum quantum cartula ista continet ad ipsum monasterium restituat, & in discutienti fisco multa conponat, id est auri uncias duas & argenti pondos IV, coactus exsolvat, & si repetit nihil evindicet, sed præsens cartula ista omni tempore firma et stabilis permaneat cum omni stipulatione subnexa. Actum Nibalgavia villa publica ubi cartula ista scripta est coram multis testibus, in anno XVI regni Domni nostri Pippini Regis Francorum. Datum fecit mensis Junius dies VII. Ego Hamedus Clericus et Lector rogitus a fratribus scripsi et subscripsi. † Liutulfi qui hanc traditionem fieri rogavit † Merulfi fratris ejus qui hanc traditionem fieri rogavit † Zeizzonis fratris eorum qui hanc traditionem fieri rogavit † Piscolfi fratris eorum etc. Scrutolfi † Truogoni † Ratboti Presbyteri, Ratbaldi † Heimanni † Heio † Ribaldi † Strocgoni † Patarih † Vuapincki † Baldmuoti.

*Rimidingus Presbyter.*

LXXVIII. Pluribus cognitum esse speramus, qualiter duo germani fratres Arnolt et Altini filii Herimoti ex Vttenwilare proprietatem suam quicquid ex paternica hereditate vel ex conquisitione eorum habuerunt totum et integrum nobis Grimaldo Abbati et Hartmoto vel Advocato nostro Tagaberto in manus nostras condonaverunt, nihil econtra postulantes nisi tantum ut easdem res illis et legitimæ posteritati eorum in beneficium concederemus vel in censum. Quapropter ego Grimaldus petitionibus præfatorum hominum et ceterorum populorum precationibus aurem pietatis accommodans, cum manu Advocati mei Tagaberti post vestituram et confessum easdem res illis in beneficium et in censum concessimus ipsis et cunctæ legitimæ procreationi eorum, id est ut annis singulis inde censum persolvant, id est aut sex denarios vel tres maldras de grano, ipsi et universa legitima posteritas eorum sub eodem monasterii dominio deinceps firmiter consistant, & equitent ubicumque eis præceptum fuerit. Si autem contigerit, ut legitimi heredes defecerint, tunc præfatæ res ad nos revertantur absque ullius contradictio-



(1) Ritus investiendi.

ctione in ævum possidendæ. Actum in monasterio Sanct. Galli coram nobis, videlicet Grimaldo venerabili Abbate et Hartmoto Decano, nec non et Tagabert. Advocato, Vuolfcozzo Præposito, ...... thario Sacratario, Managoldo Cellerario, Erlebaldo portario, Cotaberto Camerario, Yrfingo hospitario, Vtone Bibliothecario, Cauzario, et ceteris multis. Ego Romidingus Presbyter scripsi .............

*Purgolfus Monachus.*

LXXIX. Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod quidam homo nempe Erphrich quandam hereditatem in Eigantefwilare de traditione Ratmundi, Thingmundi, Gemmundi ad Sanct. Gallum pertinentem injuste invasam quasi hereditario jure sibi vindicavit, donec Advocatus Sanct. Galli nomine Hildibrant temporibus Hartmoti Abbtis in publico mallo easdem res ab eo justicia dictante coacto recepit, et in jus Sanct. Galli redegit. Sed cum idem Erphorich clementiam Domni Hartmoti adisset, impetravit ab eo, ut eandem possessionem sub censu unius hircinæ pellis solidum valentis diebus vitæ suæ possideret, redemptione sibi earundem rerum penitus sibi denegata. Progenies autem ejus supra dictas res sub censu duarum pellium hircinarum, quarum singulæ unum solidum valeant, a sæculo in sæculum possideant, nulla sibi earundem rerum redemptione concessa. Actum in Liubilinanc publice præsentibus quorum hic signa continentur, sign. Erpherichi qui hanc conscriptionem fieri postulavit † Vinino † Froolf † Vodal † Petto † Ellinwart &c. Ego Purgolf monachus indignus scripsi & subscripsi. Notavi mensem Octobrem, annum III. Karoli Regis post mortem patris sui Hludowici, Vodalricum Comitem,

*Anonymus,*

LXXX. Omnibus Christi fidelibus præsentium inspectoribus Heinricus natus quondam nobilis viri Domini Heinrici de Tengen fidem adhibere subscriptis. Ut quævis tollatur litis materia cautum est quæ geruntur scripturarum indiciis memoriæ commendari. Noverint ergo universi tam præsentes quam futuri, quos nosse fuerit opportunum, quod ego sana & diuturna deliberatione præhabita sponte & voluntarie prædium meum in Kussenach situm prope lacum Turicinum cum jure patronatus Ecclesiæ parrochialis ibidem & præbendarum dictæ ecclesiæ & prædio annexarum, hominibus, feodis, quæ vulgariter dicuntur anslehin vel erbelehin, agris, pratis, pascuis, piscinis, molendinis, nemoribus, aquis aquarumque decursibus, virgultis, viis, & inviis, cultis & incultis, & generaliter omnibus pertinentiis suis dono monasterio Sanct. Galli per manus venerabilis domini mei Beat. (1) Abbatis ejusdem monasterii jure proprietatis eidem perpetualiter attinendum: receptis ab ipso Domino Abbate in gratificationem dictæ donationis meæ sexaginta marcis argenti, de quibus confiteor sufficienter præsentibus me pagatum. Verum quoniam idem Dominus Abbas de affectu sincero, quem sibi & monasterio suo in donatione hujusmodi ostendi, non ingratus me de prædio ante dicto infeudavit. .........

*Hratbertus Conzl.*

LXXXI. In Dei nomine. Perpetrandum est unicuique quod Evangelica vox admonet dicens; *Date elemosynam & ecce omnia munda sunt vobis.* Ego Sigifridus cogitavi vitam futuram & æternam retributionem, ut aliquid de mancipiis meis, his nominibus Pechildis & Liubwar & Zeizaloh ad ecclesiam, quæ est constructa in villa Fishingas in honore S. Petri ceterorumque sanctorum, ubi vir venerabilis Vuolfphoto Presbyter esse cognoscitur, tradere volo: quod ita & feci, in ea videlicet ratione; quamdiu ego vixero, eadem mancipia habeam, censum prosolvam denarios VI. in quisque anno XI. Kalen. Octobris, id est ad dedicationem præfatæ ecclesiæ, et filius noster Hratpoto similiter faciat, ejusque posteritas legitima. Post discessum legitimæ posteritatis ad jam dictam ecclesiam revertant perpetualiter possidendæ. Si quis vero, quod fieri minime credo, si ego ipse aut ullus de heredibus ac proheredibus meis, vel quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem venire aut inrumpere conaverit, coagente fisci multa conponat auri uncias III. argenti pondus V. coactus exsolvat: et quod repetit nihil evindicet, sed præsens traditio omnique tempore firma permaneat cum stipulatione subnexa. Actum Chirihaim villa publice. sig. † Sighifridi qui hanc traditionem fieri vel adfirmare rogavit. sig. † Palduino. sign. † Crissoni. sig. † Gheirberti. sig. Gheirleih. etc. Ego in Dei nomine Hratbertus Conzl. scripsi et subscripsi. Notavi VIII. Idus April. anno VI. regnante Domno Hludvico Imperatore, et sub Erchangario Comite.

*Anonymus.*

LXXXII. Notificamus omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Ruodolfus (2) Præpositus ac Decanus, annuente Domino venerabili Abbate Udalrico, totoque conventu hujus ecclesiæ data manu confirmante constituit, ut conversio S. Pauli, quæ prius tribus tantum celebrabatur lectionibus, festive celebretur, & ipsis de beneficiis quibusdam Decano censualibus ad Hacon & ad Bruc-

(1) Bertholdi, ex familia Valkensteinia, qui præfuit A. C. 1244.
(2) De Montfort, post ibi Abbas.

Bruecon & Chrazarun ipso die ministretur in pane minore & vino, in piscibus & caseo, de censu xxx. solidorum, qui exinde persolvuntur annuatim a Camerario Chuon suisque heredibus, sicut jam dictus instituit Præpositus atque Decanus: quoniam prius x. tantum solidi de ipsis persolvebantur beneficiis. Ista vero census augmentatio exinde provenit, ut filiæ ipsius Chuon, quibus (1) abjudicata fuit hereditas, istorum beneficiorum hereditate sibi succederent, censumque xxx. solidorum persolverent. Ordinavit etiam dictus Præpositus ut in festo S. Spiritus die secundo stoupum Decanus daret, & chorus festivaret ut in die Dominico S. Spiritus. Actum in monasterio anno incarnationis Domini MCCXIX.

*Vuolfcozus.*

LXXXIII. (2) In nomine Domini nostri. Unicuique perpetrandum est, quod divina vox ammonet dicens: *Date & dabitur vobis*. Et: *Date elemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Hac igitur ammonitione conpunctus ego Vuolvarat pro remedio animæ meæ & parentum meorum Altilini & Puasini trado atque transfundo ad monasterium S. Galli quicquid proprietatis in Vuilihdorf præsenti die visus sum habere, domibus, ædificiis, terris, campis, pratis, pascuis, silvis, viis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, quicquid dici aut nominari potest, exceptis tribus juchis & una curticula, & de pratis ad unam carradam, cætera vero omnia, sicut supra dictum est, trado. in ea videlicet ratione, ut easdem res ad me recipiam tempus vitæ meæ perfruenda, censumque annis singulis inde persolvam, id est, ut ad proximam curtem S. Galli unum juchum arem, & cum semine meo seminem annis singulis in unaquaque celga. Et si redimere illud velim, cum duobus solidis id agam. Si autem uxor mea me supervixerit, easdem res habeat censumque annis singulis persolvat, id est VI. maldras de avena, & I. maldram de kernone. Si autem ex legitima uxore heres mihi procreatus fuerit, tunc ipse easdem res in eundem censum, sicut & uxor mea habeat. Similiter & tota recta procreatio ejus in eundem censum, sicut & filius. Et si redimere voluerint, cum una libra redimant. Post obitum vero meum sive uxoris, si mihi heres deest, tunc ad jus Præpositi & Advocati seu Populorum pertineat, quem ipsi elegerint, mihi proximum fuisse, qui easdem res in eundem censum habeat, sicut & uxor & filii. Si autem neglectum fuerit censum, tunc præfatæ res integriter revertantur ad jus monasterii perpetualiter possidendæ. Si autem ego aut ulla opposita persona hanc traditionem inrumpere voluerit, socianti fisco multa conponat, id est, auri uncias III. argenti pondera V. Actum in Pazmuntingun præsentibus istis, sign. auctoris hujus cartulæ Vuolvarati. sig. Swidgarii. † Vuinidheri. † Heimolt † Vuolfho † Chaldalo † Vuenilo † Otger † Meginbert † Liutpold † Vuolfram, &c. Ego itaque Vuolfcoz in vice Hartmoti scripsi & subscripsi. Notavi diem Jovis VIII. Kalend. April. anno quinto Ludowici super Austriam, sub Oadalricho Comite.

*Iso Monachus.*

LXXXIV. Humano genere peccatorum maculis sauciato atque ob culpam inobedientiæ a Paradysi gaudiis dejecto, inter cætera curationum medicamenta etiam & hoc Deus mundo remedium contulit, ut propriis divitiis homines suas animas ab inferni Tartaris redimere potuissent, sicut per Salomonem dicitur: *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ ejus*. Hinc & per semetipsam divina clementia in Evangelio hortatur dicens: *Date & dabitur vobis*. Et iterum: *Date elemosynam, & omnia munda sunt vobis*. His igitur atque aliis scripturarum ammonitionibus ego Vuolfhugi conpunctus trado atque transfundo ad cœnobium S. Galli, ubi Grimaldus Abbas præesse dinoscitur, quicquid in Pago Turgawensi in loco Rammisperage nominato proprio sudore Staricholfus adquisivit & cum manu advocati sui Richmari ad prædictum cœnobium contradidit, mihique & legitimæ meæ procreationi sub ea ratione possidendum dereliquit, ut censum exinde annis singulis persolvamus, id est II. denarios vel II. maldros de grano. Si autem ego illas redimere velim, cum I. solido id agam. Si vero ego illas non redimam, legitimi heredes mei sub prædicto censu eas possideant. Si autem hoc evenerit, ut legitimi heredes mei deficiant, atque in sua ingenuitate non permaneant integerrime, statim ad prædictum redeant cœnobium perpetualiter possidendum, nullusque eas ulterius licentiam abstrahendi habeat, sed pro remedio animæ meæ, nec non & Staricholfi, semper illuc sint deligatæ cum pratis, pascuis, silvis, marchis, viis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, quicquid dici vel nominari potest. Hanc autem traditionem ideo ego facere volui, quia illa prior traditio, quam Staricholfus fecit, non perfecta nec litteris fuit mandata. Quod si ego ipse vel ulla opposita persona contra hanc traditionis cartulam venire temptaverit, auri uncias III. argenti pondera V. ad ærarium Regis coactus persolvat, & effectum, quem inchoavit, non perficiat, sed hæc carta stabilis & firma permaneat cum stipulatione subnixa. Actum in ipso cœnobio S. Galli præsen-



(1) Quoniam filiæ non succedunt in beneficio patris.

(2) Beneficium precarium, cujus pariles species supra quamplures vidimus.

ſentibus iſtis, quorum hic ſignacula continentur. Sig. Vuolfhugi, qui hanc traditionem fecit. ſig. Heitar. † Amalunc † Vaitigowo † Tagibreht † Richman † Enno, etc. Ego igitur Yſo inmerens Monachus rogatus ſcripſi et ſubſcripſi. Notavi diem Dominicum, IV. Kal. Jun. anno XIII. regni Lodoici, ſub Odalrico Comite.

De Ecclesiis et Jure Patronatus.

*Anonymus.*

LXXXV. (1) Notum ſit tam præſentibus quam futuris, quod anno ſecundo Domni Arnolfi Regis factum eſt placitum in pago, qui dicitur Para, in villa nuncupata Durroheim coram Burghardo Comite, filio Adalberti illuſtris, de eccleſia in Leſſingon, qui eſſent a progenitoribus ſuis in rebus ejuſdem eccleſiæ poſſidendis aut ordinandis potentiſſimi. Et ſacramento in ſanctorum reliquiis præmiſſo, ſicut & nuper factum eſt in diebus Karoli Imperatoris ſecundi, teſtificati ſunt primores populi Ruodpert, Richkis, Vualthere, Engelbert, Cundbert, Reginhart, Ruodhoh, Kerbert, Richpert, Vualdhere, Vodalhart, Liuppo, Roholf, Theoterich, Pollo, Ruodhart, Adalrich, Engelbreht, Vualthere, Irimbreht. Teſtimonium ergo hi omnes juxta ſacramentum ſuum perhibuerunt, quod ſolummodo parentes ſubtus ſcriptorum hominum, & hi ipſi poteſtatem haberent ordinandi eccleſiam in Leſſingon abſque ullius inferioris aut ſuppoſitæ perſonæ contradictione, Erchanbert, Emrit, Hunolt, Liutpert, Cozbert. Et his ita patratis, cum adhuc quidam de illis, qui ſe in illa eccleſia heredes ac diſpoſitores haberi voluerunt, alii garriendo, alii muſitando contradicerent, optimates ejuſdem concilii apprehenſis ſpatis ſuis devotaverunt, ſe hæc ita affirmaturos eſſe coram Regibus & cunctis Principibus uſque ad ſanguinis effuſionem.

*Notpertus Abbas.*

LXXXVI. Quoniam ex varietate rerum mortalium & temporum continuata prolixitate, & humani generis debilitate, memoria rerum geſtarum oblivionis irreptione extruditur: ideo prudens induſtria hominum id, quod poſteritati volunt eſſe certum, ſæpiſſime reliquit ſucceſſoribus ſuis, teſtamentis confirmatum. In nomine ergo ſanctæ & individuæ Trinitatis notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus, quod ego Notpertus Monachorum S. Galli eccleſiæ Abbas in novali loco, qui Abbacella nuncupatur, in convalle circumpoſitorum montium ſito, baſilicam ad ſervitutem Dei condidi, quam & ædificatam a Thietmaro Curienſi Epiſcopo cum licentia & rogatu Rumaldi Conſtantienſis Eccleſiæ Præſulis per legitimam conſecrationem loci illius incolis ad oratorium ſtabilivi. Denique hanc eandem eccleſiam præbenda pueri unius de clauſtro noſtro, & una Watſpenda, & beneficio unius manſus & omni poſt ſubſcriptæ decimationis determinatione dotavi: a monte Hersberch, ab alpe Solmi, a Meggelis alpa, a Barental, a Portaris alpa, a Chranperch, a rivulo Buchenbach, ab oſtio fluvioli Rota uſque dum fluit in Sitterum, uſque ad originem, ita ut proclivitas circumpoſitorum montium ad eandem cellam ſecundum liquentiam nivis imminet, apertiſſime determinavi. Hanc etiam dotationem ſacerdoti ibidem Deo ſervienti, banno Rumaldi Conſtantienſis Epiſcopi conſenſu fratrum noſtrorum perpetuo jure ſtabilivi. Facta ſunt hæc anno ab incarnatione Domini MLXI. indicione IX. regnante Rege noſtro Hainrico Romanorum Imperatore anno IV. Signa teſtium, Vuittone Advocato, Opreht, Atzo, Tietpreht, Vodalrich, Liebo, Regenolt, Eppo, Heilman. Vuolſpreht, & cæteri complures.

*Hupertus Presbyter.*

LXXXVII. In Dei nomine Ego Ruothaus complacuit mihi, ut aliquam baſilicam ædificarem in honorem Dei & S. Galloni, quod eſt conſtructa in pago Burichincas in villa Vuillimundincas, quod ita & feci, & dotavi eam caſatibus VIII. & ſimiliter hobas XII. & mancipia denominata Arichiſo & uxore ſua Adtane: Teuttulfo & uxore ſua Ratbergane & filio ſuo Ruodulfo, Aricarno & Ruodnig: Leutnig, Blitilde, Trudulfo, & Moterane, Amulfrede, Ricario, Teutrude, Vuolmaro, Teutcario, Uttono, & Ahicono, Trudlinde, Volflinde, Autmanno, Leupagde, Uraldo, Lollane, Altmanno, Volcamanno, Vuolfagde, Routmanno, Leubo, Hinolobe, Agde, Ahalagde: hoc ſunt XXXI. & ipſis teneatis & poſſedeatis hac die præſente, & quia ſupra diximus ſuperius nomina ad ipſum monaſterium firmiter omnia hæc tradita ſint. Et ſi me vivente ipſi Monachi S. Galloni poſſedeant pro animæ meæ, firmiter hæc omnia tradita ſint. † ſign. Ruotahi, qui hunc teſtamentum fieri rogavit † Bleon † Iſſinberti † Vuelandi † Vuarilandi, &c. Ego enim Hupertus Presbyter ſcripſi & ſubſcripſi, anno IV. regnante Domno noſtro Rege. Data ſub die, quod fecit Menſis Julius dies X.

De Colonis censitis.

*Anonymus.*

LXXXVIII. Cenſores. De Vaninctale Ruadinc vomeres II. Kerloh. denar. IV. Vuillihere de Sickingun denar. XVI. Othere de Daſſarum denar. IV. Hato de eodem loco denar. IV. Adalſind de ſuo capite denar. II. aut dua libra de cera. Ruadger & En-

(1) Notitia de Eccleſia.

Engilbold de Tellinchovun inter utrosque den. * Hiuto de Daffaha denar. IV. Filii Vuielanti de Afaltraha solid. v. Crifo de Vuiningun den. IV. Engilger de Otenvilare solid. I. & Altman in simul Vuinirat de Husinbah servus S. Galli solid. I. Sigibert haber servum S. Galli, pro illo censum dat solid. I. Scerum servum nostrum idem Sigibert haber ** Uto & fratres ejus pro uno agro vomerem I, aut IV. den. annis singulis.

### De Furtis.

*Ruodepertus Magister.*

LXXXIX. Domino & Abbati nostro P. (1) nos fratres vestri discipuli debitas orationes. De his, quæ erga vos sunt, lætificasti nos scripto, quia gratia Dei recte aguntur. Contigit etiam vestris orationibus aput nos, quod ad communem lætitiam pertinet, de ecclesiastico censu, qui furto raptus est, partem nos non minimam recepisse, & ipsum furem captum in vinculis nos tenere. Est enim servus Kerolti de Pettenhusen filii Alberici, & nomen ejus Ganzo, & nomen patris ejus Richolf, qui nunc in comitatu militantis sui Domini est. Reddidit ergo coronam, & auream capsulam absque operculo, & aureæ crucis quasi tertiam partem. Majoris quoque capsæ quædam fragmenta, quamvis de gemmis paucæ admodum redditæ sunt. Spes autem de residuis manet, quia venundata sunt in manum cujusdam mercatoris de Buchowa, qui Pero dicitur, & quondam ibi monetarius erat, multa quoque in manus Constantiensium mercatorum, quorum nomina sunt Eccho, Chomuli, Vuoveli, Albeli, Engezo, Tegenhart. Deus vero quendam extraneum hominem ad nos mittere dignatus est, qui occulte sibi pactum fieri petiit de pretio duarum librarum pro delatura, ut hæc patefaceret. Ipse vero accepto pacto sine mora fratrem Annonem ad Constantiam duxit, ubi particulas auri fabrefactas, quas cognovit, a Tegenhardo fecit præsentari sibi. Sed ille a Perone de Puochowa se emisse eos testatus est. Inde frater idem ad Peronem veniens per Hugonem vestrum militem furem sibi in domo sua latitantem monstrari fecit, qui statim captus sub terra occultatum thesaurum, quantum sibi remansit, reddidit. Nunc vobis agendum est cum Rege, ut Advocati utriusque ecclesiæ tantæ rei exactores fiant, & in suum locum restituant. Nec illud minus intimandum est vobis, quia longe minora & pauciora sunt, quam putastis, quæ a vestris ministralibus in usum nostrum exhiberi jussistis, & quanta grassatur in nostra terra boum omniumque pecodum mortalitas, ut Rex per nos reditum ceperit decernere ipsi habeatis de hac quasi Ægypti plaga suggerere. Qui est autem altissimus vobis Domino nostro prospera cuncta concedat.

### De Noticiis Testium.

*Anonymus.*

XC. Hæc est inquisitio de curtis, qui fuerunt traditi ad monasterium S. Galli in Fine Clasina a Berchanboldo Alamanno, qualiterque nuper misso nostro præsenti requisierunt Nordpertus Episcopus & Folhroh Comes missi Domini Regis, & qualiter isti qui hic subterscripti testificaverunt. Rotfridus prædictæ civitatis Archipresbyter & Petrus Langobardus dixerunt, quod vidissent Erchanbaldum cartulam perpetrantem partibus S. Galli de curte Granario & de Pontiano, & manus suas in ipsam cartulam posuissent, & residere vidissent Mavonem & Pettonem Monachos S. Galli, & nullus eis contradicebat. Barbentius & Domnosus, & Andreas, & Nordpertus dixerunt, quod vidissent Monachos S. Galli ibidem residere & clandaticum tollere. Lantoloh similiter dixit, & hoc dixit, quod frater suus Reginhartus super ipsas res ad partibus S. Galli fuisset Advocatus. Adalolfus & Ansheri dixerunt, quod vidissent ibi Pettonem Monachum residere pro parte S. Galli. Saxo dixit, quod pavisset illum ibidem Petto Monachus, & dixit ei, quod tunc ibidem fuissent reliquiæ S. Galli. Cundpertus dixit, quod sciret Monachos S. Galli ipsas res tenere & dominare & laborare. Folchartus dixit, quod vidissent Pettonem Monachum mansionaticum facere Vuolfleozo Episcopo, quando Romam pergebat, & deinceps ipsis rebus imperabat. Agilinus dixit, quod audisset Adalolfum, qui erat gustaldius ipsius civitatis, ante Helmiricho Episcopo atque misso Odalhartum, qui nunc ipsas res tenet negare, quod nihil ibi habuisset proprietatis, pro quo heribannum reddere debuisset, nisi res S. Galli, quas pater suus illuc ad prædictum monasterium tradiderat. Ansprandus & Egilolfus & Andreas & Pruno & Barbentius & Theothardus & Cundpertus & Catervius Presbyter dixerunt, quod vidissent ipsas res illos Monachos S. Galli vivente Erchanboldo jure proprietatis possidere: adhuc etiam ipsum Odalhartum ante Helmirico misso audissent enarrantem, quod proprium non habuisset, & ideo haribannum dare non debuisset. Post hoc testimonium dedit Odalhartus wadium Folcroho misso, ut esset paratus in præsentia Domini Imperatoris in placito generali justiciam faciendi: & Folchartus & Adalolfus ejus fidejussores sunt in mancosos mille.

*Anonymus.*

XCI. Notitia testium, qui cum juramento & fide data coram regalibus missis, videlicet



(1) Purkhardo.

cet Crimaldo Abb. & Atone Comite aliisque Comitibus Vuillihelmo & Alboino testificati sunt, quod ex traditione Peratholdi Comitis medietas omnis marchæ, quæ ad villam Filisininga nuncupatam aspicit, tam in silvis quam in aquis, sive pascuis vel aliis quibuslibet rebus ad monasterium S. Galli juste & legaliter pertinere debeat, excepto uno monticulo, qui dicitur Festilinperc, qui ad hereditarios Pettonis & Caromanni aspiciat: itemque silva quadam, quæ dicitur Sieginholz: quæ excepta altera silva specialiter ad jam dictum monasterium pertinere debeat: reliqua omnia in quibuslibet rebus media, ut jam dictum est, absque ullius contradictione ad præfatum cœnobium pertinere debeant. Isti sunt testes, Alawic, Amalbert, Erminolt, Vuitigowo, Ernipert, Gerhart, Anno, Valtat, Vuospot, Nuti, Vuicheri, Vuolauridi, Ruadger, Thietpert, Ruodpert, Engilpert, idem Vuitigowo, Vuolfger, Vualto, Ebrini, item Anno, Thiotini, Hizo, Hadabert, Icho, Gericho, Hildi. Actum in villa Pertinwilari nuncupata publice, coram præfatis missis & frequentia populari.

*Anonymus.*

XCII. Commemoratio testium, qui in placito coram missis potentibus, videlicet Erchangario & Liuthario, in loco & in villa, quæ dicitur Stamheim, cum juramento testificaverunt, quod quidam homo nomine Roadhartus proprias res suas ad monasterium S. Galli tradidisset, ac per hoc jure & legibus sine ullius contradictione illuc pertinere debuissent. Isti sunt illi testes nominati, videlicet Liutpreht, Vuerimpreht, Adalpreht Sieger, Volo, Vuolfo, item Liutpreht, Gerhoh, Hacco, Nidpreht, Vuillipreht, Vualaihho, Vuolfpreht, Hugibert, Foclheri, Vuanine, Reginolt, idem Hacco, Isanpreht, Hiltipold, Amalpreht, Adalhoh.

Isti sunt Judices, qui hoc judicaverunt, videlicet Vuitpreht, Vuilliheri, Rihhart, Elih, Vuerimpreht, Cundicho, Cozpreht, Rihger, Arolf, Hilttini, Noti, Svvidger, Heitar, Vuolfram.

Isti autem sunt, qui illud iterum judicaverunt ad Zurih, videlicet Rihcoinus Comes, Theodolt, Vuitpreht, Rihpold, Vuinidheri, Moatheri, item Rihpold, Gerwic, Horscuni. Talibus vero hominibus testificantibus, quod legibus ipsa traditio ad præfatum monasterium pertinere debuisset.

*Anonymus.*

XCIII. Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Kebahartus venerabilis Episcopus rogatus ab heredibus Ecclesiæ, quæ est in Pirithorf in pago Alpicauge misit Archipresbyterum suum Rihfridum, ut diligenter investigaret, de quibus locis vel villis decima ad ipsam ecclesiam persolvi deberet. At ipse placito habito in præfata villa Pirithorf, populoque circumquaque congregato, cum sacramento & fide data vicinos quosque interrogans rei veritatem invenit ab istis villis, id est ab ipsa Pirithorf & Pirihchinga & Chuchilipach, nec non & Puach, Ezilivvilare & Haivvilare ad ipsam ecclesiam decimam pertinere debere. Et hæc nomina testium, Adalo, Zuppo, Vualdger, Antger, Podal, Lantpert, Managolt, Tuato, Cudhart, Ruadpert, Uto, Hartarat, Hugihart, Vuicheri, Kerini, Snato, Adalpert, Vuito, Theotoloh, Starafrid, item Engilger, qui omnes cum juramento & fide data testificati sunt, quod temporibus Karoli Imperatoris & Eginonis Episcopi a præfatis villis ad ipsam ecclesiam decima singulis annis reddita sit usque in annum præsentem, qui est XXXV. Hludowici piissimi Regis, patris Karlomanni, Hludowici, & Karoli Principis nostri.

*Anonymus.*

XCIV. Breve comm. de illis hominibus, qui in ministerio Liuderici cum sacramento testificati sunt tribus vicibus de causa S. Gallonis ante missos Domini Regis inprimis ante Sigebertum & Friuntonem, postea ante Hilteratum & Gerhardum, & tertia vice ante Liudericum, id est de Uzinacha, quod Lantolt & Piera habuerunt, & Luzilunavia tota, & Perolveswilare, id sunt Vuitpreht, Amalrih, Cundhad, Reginbold, Nandolf, Marhheri, Perahtolt, Liubolf, Matheri, Fridubreht, Pabo, Peratfrid, Vurmheri, Eckihart, Ortheri, &c. Et hoc isti cum sacramento testificati sunt, quod supradictas res ad S. Gallonem legibus pertinere deberent.

*Anonymus.*

XCV. Notitia testium de rebus in Sconjunbirih sitis, quas Albaricus ad S. Gallum tradidit, quasque Rachilt soror ejusdem Albarici & filius ejus Heripreht de vestitura S. Galli per vim abstulerunt. Nam cum pro eisdem Cozpertus Abba ad Domnum Hludowicum Regem reclamasset, jussum est Vuaningo Comiti & Ruaddperto vasallo Regis inquisitionem de hac re fieri. At illi generali contribulium circumquaque conventu facto, inquisitionem fecerunt, qualiter eædem res ad partem S. Galli pertinere debuissent. Tunc ipsi testes cum juramento & fide data testificati sunt, quod verum esse scirent Albaricum easdem res ad S. Gallum tradidisse, eosdemque Monachos legaliter consedisse, & in eadem vestitura per XX. annos temporibus Caroli Regis sub censu ad partes ejusdem monasterii aspicere: sicque post mortem Albarici iterum legaliter Monachos consedisse usque dum ejus soror nomine Rachilt & filius ejus Heripreht, eorumque potestas de vestitura S. Galli per vim rapuissent. Isti sunt testes, Theotolt, Scrutolt, Gerheim, Vuolahmunt, Anthad, Eba-

Ebarachar, Suabilo, Selbger, Hisger, Vualtirih, Vuihpold, Engilhelm, Vuolfchiger, Folcharat, Hiltirat, Helfolt, &c. Quod enim idem teftes legaliter adducti fuiffent, eadem Rachilt & Heripreht filius ejus eidem teftificationi confentire nolentes de placito evaferunt. Qua ex caufa dijudicatum eft, ut eædem res in interdictu banni juffæ fierent, ufque dum de hoc regalis fententia decerneret. Et ifti funt, qui hoc dijudicaverunt. Kirafrid, Salacho Theoman, Tagapreht, Vuolfram, Tuoni, Erhart, Alto.

*Anonymus.*

XCVI. Teftes auditi fuper controverfia, an monafterium S. Galli fub ditione Epifcopi Conftantienfis effe deberet, an vero fui magis juris effet. Pars Epifcopi Hattonis dixit, quod noftrum monafterium temporibus Pipini & Karoli Epifcopis Conftantienfibus fuiffet fubjectum. Noftri vero jurati dixerunt, quod noftrum monafterium in loco libero, non in fifco, non in terra ecclefiaftica effet, non per ullius hominis traditionem, fed in folo Imperatorum arbitrio ftare; quem eii loco præficiat &c. Auditi funt amplius viris ducentis.

*Anonymus.*

XCVII. Ifti funt qui de illa veftitura de caufa Ifanhardi ad S. Gallonem teftimonia ferunt in primis Buazzo, Lantolt, Vuerinbret, Milo, Vuolfuni, Hifanhard, Vuicram, Baldo Vuolfgær, Hadeger, Lantpreht, Vuolfhad.

*Anonymus.*

XCVIII. (1) . . . . . . . . . . Requifitus, utrum domino G. de Durrehain Clerico ante fuam electionem veftes dederit, & eum in familiam receperit? refpondit, quod fic, quia hoc viderit. Requifitus, . . . eligant in Abbatem & quod ipfe E. eos ad hoc inducere attemptavit. Requif. utrum creditoribus ipfius E. aliquam pecuniam pro ipfo folverit? ℞. . . Clerico fratri prædictorum veftes dederit, ut jam dictos fratres fuos Hainricum & Hugonem induceret, ut eum eligerent in Abbatem, & utrum propter hoc idem . . . t ad hoc inducere attemptaverit? ℞. quod fic Requif. utrum Ru qui dicitur Decanus, vocem habuerit in electione Abbatis S. Galli? ℞. quod ignorat. Requif. utrum in monafterio Augienfi habitum monachalem affumpferit, & ibidem in eodem habitu per aliquos annos permanferit? ℞. quod fic. Requif. utrum in dicto monafterio profeffionem fecerit, & in monafterium S. Galli tranfierit ad tempus, donec ftatus fui monafterii effet emendatus? R. quod tranfivit: fed utrum ad tempus vel non ignorat. Dixit etiam quod monafterium Augienfe in antiquo follempnius fuit, & quod utrum poftquam tranfivit aliquos redditus receperit a monafterio Augienfi ignorat. Requif. utrum F. de Gundolvingen injecerit manus in * ad fanguinis effufionem, ac etiam in Bertholdum Subdiaconem, notarium quondam Abbatis Bertholdi, & utrum poft hujufmodi injectionem in divinis officiis miniftraverit? ℞. . . præfati electi in Volricum de Sneggenburg Monachum & facerdotem ad effufionem fanguinis, & in Gerwicum de Scolis tunc Subdiaconem & Clericum . . . in fubdiaconatus ordine miniftraverit? ℞. fe ignorare. Requifit. utrum idem H. junior fit bonæ vel malæ famæ? ℞. quod malæ famæ, & quod aliquando fuit in furto deprehenfus, quondam Dominus Bertholdus Abbas propter furtum & alios exceffus ipfum per plures annos tenuit incarceratum & incorrigibilis fuit & errabundus fuit in fæculo per plures annos monachali habitu derelicto, & quod famæ fuæ prodigus vixit luxuriofe cum quadam Judæa, & quod den. F. de Vuildenftain Johanni Clerico Magiftro Scolarum manus injecerit temere violentas? ℞. quod ita percepit ab ipfo electo: utrum autem dominus F. de Gundelvingen juraverit & alia fecerit quæ fecuntur, dixit quod ignorat . . . . Sacerdos Capellæ S. Johannis apud S. Gallum, juratus requifitus de Po. IIo. IIIo. IIIIo. articulis concordat cum fuperiori tefte Comite . . . de fuis electoribus follicitaffe precibus Requif. utrum dominum Ruod. qui dicitur Decanus Volricus de Sneggenburg follicitaverit precibus? ℞. quod fic, . . . confpiravit ad Regimen Abbatiæ unde credit quod rogatus ipfi electo adhæferit. Requif. utrum R. de Rætershouen, F. de Gundolvingen & F. de . . ℞. quod ita intellexit per famam. Requif. utrum Domino Abbate Bertholdo ad Hifpaniam proficifcente aliquos de conventu follicitaverit, ut eum in Abbatem . . . de Gundolvingen follicitaverit? ℞. quod ignorat. Dixit tamen quod ficut intellexit ex fama publica idem electus Hainr. & Hugon. de Durrehain follicitavit. Requif. utrum is in minoribus officiis fibi commiffis bene vel male adminiftraverit? ℞. quod ficut fibi videbatur male adminiftravit & negligenter . . . m̄ Abbatiæ prædictæ, & utrum Regulam B. Benedicti intelligat, & eam exponere fciat? ℞. quod ficut credit infufficientis fit fcientiæ, & quod vix fciat litteraliter loqui. Requif. utrum ante electionem fuerit bonæ vel malæ vitæ, & levis opinionis, & utrum vitam duxerit diffolutam, & regulam B. Benedicti non obfervaverit? in eo concordat cum Comite fupradicto, adiciens quod de his eft publica vox & fama. Requif. utrum idem electus ipfe electionis fuerit perjurus & fuper aliis ab . . . arum ante electio-

(1) De electione Hainrici de Vuatenberg poft obitum Bertholdi de Falkenftain, anno 1272.

ctionem & sanguinis effusionem manus injecerit violentas, & utrum post talem injectionem in divinis officiis ministraverit ... pecuniam de consensu & voluntate ipsius illis, qui vocem habent in electione, videlicet Hainrico & Hugoni fratribus de Durrehain, ut eum in Abbatem eligerent ... uz frater ipsius electi aliquid dederit vel promiserit pro sua electione? ℞. quod ignorat. Requis. si dictus electus ante suam electionem suis electoribus aliquid dederit vel promiserit? ℞. quod dominum B. & F. de Vuildenstain in familiam recepit ante suam electionem, & intellexit eum pecuniam & alia promisisse pro sua electione. Requis. utrum ... Concubinæ ipsius R. datum fuerit pallium ante electionem pro sua electione. De articulo vero immediate sequenti dixit se nihil scire. Requis. utrum ... crediderit, & utrum eum in familiam receperit, & utrum creditoribus ipsius solverit pro ipso XL. ℔. monetæ Brisaugensis, & utrum hoc fecerit ... & utrum hoc promiserit, & ad hoc faciendum fratres suos inducere attemptaverit: item utrum Vualther. de Durrehain laico vestes dederit, ut ... sollicitaret, & propter hoc ad monasterium S. Galli venerit, et ipsos fratres suos ad eligendum præfatum H. inducere attemptaverit? ℞. ... similes vestibus fratruelis electi, et quod hoc non solum ab ipso E. verum etiam a dominis Hainrico et Hugone fratribus ipsius E. et aliis fide dignis ... de his est publica vox et fama. Requis. utrum R. qui dicitur Decanus vocem electionis habuerit, et de aliis articulis dependentibus ab eodem concordat cum supradicto Comite ...., qui est sacerdos et clericus secularis, ad sanguinis effusionem manus injecerit temere violentas? ℞. quod sic, et hoc scit quod injuriam ... de hoc est publica vox et fama. Dixit etiam quod ignorat, utrum in Bertholdum notarium subdiaconem manus injecerit violentas. Requis. utrum H. de Vuartenberg junior frater ... ad effusionem sanguinis manus injecerit violentas, et utrum post talem injectionem etc. et utrum de iis sit publica vox et fama? ℞. se nescire. Requis. utrum ... sacerdotem et clericum secularem ad effusionem sanguinis manus injecerit temere violentas, et utrum post talem injectionem in subdiaconatus ordine ministraverit .... utrum idem H. junior fuerit infamis, et sacrilegium commiserit, et an malæ vitæ et levis opinionis extiterit, et furtum fecerit, et utrum per plures annos detentus fuerit in carcere tanquam incorrigibilis; et postquam liberatus fuerit a carcere iterum furtum commiserit, et utrum ante electionem ... et famæ suæ prodigus vixerit luxuriose cum quadam Judæa? ℞. quod sic, et quod de hiis est publica vox et fama. Requis. utrum F. de Vuildenstain ante electionem ... inicientes, et post talem injectionem in subdiaconatus ordine ministraverit? Dixit quod hoc percepit ex auditu. De sequentibus autem articulis dixit ... ante electionem, sicut ipse intellexit, conspiraverant. C. Dominus Bertholdus de Druhpurg Canonicus Augustensis, testis ... a pluribus ita esse intellexit. (1)

### De Sententiis Judicum.

*Vauco.*

XCIX. (2) In Dei nomine. Cum resederet Unfredus vir inluster Retiarum Comes in curte ad Campos in mallo publico ad universorum causas audiendas vel recta judicia terminanda: ibique veniens homo aliquis nomine Hrothelmus, proclamavit, eo quod in contradrutum suum mansum ei tollutum fuisset, quod ei advenit a parte uxoris suæ simul & Flavino, & proprie (3) suum fuisset, & legibus suum esse deberet, quia jam de tradavio uxoris suæ fuisset, idcirco suum esse deberet. Tunc prædictus Comes convocatis illa testimonia, qui de ipso pago erant, interrogavit eos per ipsam fidem, & sacramentum, quam nostro Domno datam haberent, quicquid exinde scirent, veritatem dicerent. At illi dixerunt; per ipsum sacramentum, quod Domno nostro datum habemus, scimus quia fuit homo quidam nomine Mado, qui ibi habuit suum solum proprium, cujus confinium nos scimus, qui adjacet & confinat ad ipsom mansom, unde iste proclamat, in quo illi arbore durem & de uno lature aqua cingit: & inter eos terminum est in petris & in arboris. ipse est Dominus. Nam sicut illa ædificia desursum conjungunt, istorum hominum proprium est & illorum legibus esse debet de parte avii illorum Quinti. Tunc prædictus Comes jussit ut ipsa testimonia supra irent, & ipsos terminos ostenderent quod dicebant, quod ita & fecerunt, & ipsos terminos firmaverunt, qui inter illa dua mansa cernebant. Sed & plurimi ibidem adfuerunt nobiles, quos ipse Comes cum eis direxerat. quod & omnia pleniter factum fuit. Ut autem hæc finita sunt, interrogavit ipse Comes illos scabinos, quid illi de hac causa judicare voluissent. At illi dixerunt, secundum istorum hominum testimonium & secundum vestram inquisitionem judicamus, ut sicut divisum & finitum est & terminis positis inter ipsos mansos, ut isti homines illorum proprium habeant absque ullius contradictione in perpetuum: & quod in Dominico dictum & terminis divisum coram testibus fuit, receptum sit ad partem Domini nostri. Propterea opportunum fuit Hrothelmo & Flavino cum heredibus eorum, ut

(1) Aliam insignem notitiam testium apposuimus supra in titulo de Ecclesiis.

(2) Forma Processus in judicio.

(3) Ms. propreum.

ut exinde ab ipso Comite vel scabinis tale scriptum acciperent, qualiter in postmodum ipsom mansom absque ullius contrarietate omni tempore valeant possedere. Actum curte ad campos mallo publico, anno VII. imperii Caroli Augusti, & XXXVII. regni ejus in Francia, & XXXIV. in Italia. Datum VII. Id. Febrs. sub Unfredo Comite, feliciter Amen.

Hæc nomina testium; Valeriano, Burgolfo, Ursone, Stefano, Majorino, Valerio, Leontio, Victore, Maurestone, Fonteiano, Florentio, Sipsone, Valentiano, Quintello, Stradario.

Et hæc nomina Scabiniorum; Flavino, Orsicino, Odmaro, Alexandro, Eusebio, Maurentio, quam etiam & aliis plurimis.

Ego itaque Vauco rogitus scripsi & subscripsi.

*Anonymus,*

C. Hæc est Carta judicii, quod dedit B. de Andusia & E. Vicecomitissa, assidentibus B. & G. inter G. & R. de querimoniis quas inter se faciebant. Et quia per sacramentum V. testium probavit amicabile pactum vel judicium vel transactionem esse factam, rata maneat transactio vel judicium, in his videlicet de quibus transactum vel judicatum esse intelligitur: hoc est de omnibus maleficiis propter gerram commissis, salva querela si aliquid exceptum fuerit, & illud quod juretur se vidisse & audisse testes in tali loco, ubi auditis querimoniis utrimque præsente R. & G. judicatum fuit hoc aut illud. Et hoc pacifice audito, et recepto ab utraque parte, convenit R. et G. præsentibus prædictis testibus, se facturos sicut judicatum fuerat; et finem fecerunt in hoc et in aliis controversiis, de quibus judicatum fuerat, et osculum ad invicem fecerunt. Item judicatum est, ne aliquis injustas exactiones contra veterem consuetudinem R. in honorem illum faciat, et alia plura capitula judicata fuere.

---

# FORMULÆ RITUALES.

# ORDO

## Probandi homines, de crimine suspectos, per ignitos Vomeres, candens Ferrum, Aquam ferventem, vel frigidam, olim usitatus;

*Erutus ex Ms. Cod. inclyti Monasterii Vvessobrunensis in Bavaria Ord. S. Benedicti ab adm. Rev. & Clar. D. P. Bernardo Leonhard, ejusdem loci Cœnobita.*

---

### Incipit Ordo ad Frigidam Aquam, et ad Caldarium, et ad Ferrum, et ad Vomeres.

INquisitus aliquis de furto, vel adulterio, vel de quocumque alio crimine, si nolit confiteri: pergat Sacerdos ad Ecclesiam, & induat se vestimentis sacris excepta casula, portans in læva sacrum Evangelium cum Chrismario, & Reliquiis Sanctorum, calicemque cum patina, expectante plebe cum illo, qui criminis reus esse deputatur, in atrio Ecclesiæ; & dicit plebi:

*Videte Fratres Christianæ Religionis officium! Ecce lex, in qua est spes, & remissio omnium peccatorum! Hic Chrismatis unctio. Hic Corporis, & Sanguinis Domini consecratio. Videte ne tantæ beatitudinis consortio privemini implicantes vos sceleri alieno, quia scriptum est: Non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, damnabuntur.*

Deinde vertens se ad sceleratum, tam ipsi, quam plebi dicit:

*Interdico tam tibi o Homo, quam & omnibus astantibus, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per tremendum diem Judicii, & per ministerium Baptismatis, & per venerationem omnium Sanctorum, ut, si de hac re culpabilis es, vel aliquis vestrum, qui hic adest, aut per consensum, aut per actum, aut per conscientiam, aut per aliquam participationem, ne introeas Ecclesiam, & Christianæ Societati ne commiscearis, si reatum nolueris* con-

*confiteri, antequam judicio examineris publico.*

D[illegible] locum signet in atrio Ecclesiæ, ubi ignis fieri possit, ad caldarium suspendendum, vel ad vomeres. Prius tamen locus ille, & aqua, quæ in caldario est, vel ferrum, vel vomer, aqua benedicta aspergatur propter illusiones diabolicas. Deinde is, qui discutiendus est, intret Ecclesiam; & imprimis omnibus qui in se delinquerint peccata dimittat, ut sua ei dimittantur. Tunc faciat puram confessionem Deo, & Sacerdotibus; & veram pro qualitate delictorum pœnitentiam accipiat. Tunc dicantur super eum orationes pœnitentiales in capite jejunii quærendæ. Deinde si aliqua infidelitatis suspicio in eo habeatur; juret in Altari, vel in Cruce, vel in Evangelio, sive in Capsa, his verbis:

*Quod pro illa discussione, & securitate, quam hodie ad calidum ferrum, sive ad frigidam aquam, vel ad ferventem aquam facere debeo, magis Credo in Deum Patrem Omnipotentem, quod ipse potens est pro hac re, pro qua criminatus sum, justitiam, & veritatem in me ostendere, quam in diabolum, & ejus magicas artes credam, illam justitiam, & veritatem irritare.*

His factis cantetur Missa.

Antiphona.

*Justus es Domine.*

Psalmus.

*Beati Immaculati, &c.*

Oratio.

*Da quæsumus Omnipotens Deus, sic nos gratiam tuam promereri, ut nostros corrigamus excessus; sic confitentibus relaxare delictum, ut coerceamus in suis pravitatibus obstinatos. Per Dominum* &c.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

*In diebus illis locutus est Isaias Propheta dicens: Quærite Dominum dum inveniri potest* &c. usque: *ad ignoscendum, dicit Dominus omnipotens.*

Graduale.

*Custodi me.*

Versus.

*De vultu tuo.*

Alleluja.

*Deus Judex.*

Evang. Sancti Matthæi.

*In illo tempore respiciens Jesus ait: Habete fidem Dei.*

Offertorium.

*De profundis clamavi.*

Secreta.

*Ab omni reatu nos Domine Sancta, quæ tractamus, absolvant, & eadem nos muniant a totius pravitatis, & Diabolicæ illusionis incursu. Per* &c.

Cum autem ad Communionem venerint; antequam communicent, interroget eos Sacerdos per istam conjurationem, dicens:

*Adjuro vos homines N. per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per vestram Christianitatem, quam accepistis in baptismo, & per Sanctum Evangelium, & per Reliquias Sanctorum, quæ hic habentur; ut non præsumatis ullo modo communicare, neque accedere ad Altare, si hæc fecistis, aut consensistis, aut scistis, quis hoc fecerit.*

Si autem omnes tacuerint, accedat Sacerdos ad Altare, & communicet eos, quos vult in Aquam mittere. Cum autem communicantur, dicat Sacerdos per singulos.

*Corpus, & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sint vobis ad comprobationem:*

Deinde pergatur Missa.

Communio.

*Amen dico vobis.*

Ad Complendam.

*Conspirantes Domine contra tuæ plenitudinis firmamentum dexteræ tuæ virtute prosterne; ut Justitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati. Per* &c.

Post Missam pergat Sacerdos cum plebe ad locum, ubi probatio fieri debet, cum textu Evangeliorum, & Reliquiis Sanctorum, & dicat Orationem:

*Domine Deus Pater Omnipotens, lux indeficiens, exaudi nos, qui es conditor omnium, benedic Domine hoc lumen a te sanctificatum, & benedictum; qui illuminasti mundum, & Moysen famulum tuum; tu, quæsumus, illumina corda, & sensus nostros ad cognoscendum verum judicium tuum, Salvator Mundi.*

Postea benedicatur eadem Domus hac Oratione:

*Exaudi nos Domine Sancte Pater, Omnipotens æterne Deus, & mittere dignare Sanctum Angelum tuum de Cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, & defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per* &c.

Benedictio ignis atrii ✠.

*Domine Deus noster Pater Omnipotens, lumen indeficiens, exaudi nos, quia tu es conditor omnium luminum; benedic Domine hoc lumen, quod a te sanctificatum est, qui illuminasti omnem mundum; ut ab eo lumine accendamur, & illuminemur igne claritatis tuæ; & sicut igne illuminasti Moysen, ita illumina corda, & sensus nostros, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per* &c.

Hic ponatur ferrum in ignem.

Sequitur Lytania,

*Veni Sancte Spiritus*

*Kyrie. Christe. Kyrie.*

*Pater noster.*

*Emitte.*

*Oratio Sancti Spiritus.*

*Deus in adjutorium meum &c.*

*Gloria Patri.*

*Kyrie eleyson.*

*Peccatores.*

*Ut pacem nobis &c.*

*Ut sanitatem nobis dones. Te rog.*

*Ut indulgentiam, & remissionem peccatorum*

*rum nostrorum nobis dones. Te rogamus.*
*Ut cunctum populum Christianum.*
*Ut hanc frigidam aquam ad discernendum rectum judicium tua sancta dextera benedicere, & consacrare digneris.*
*Ut in hac aqua rectum judicium nobis ostendere digneris. Te rog.*
*Ut hoc calidum ferrum ad discernendum rectum judicium ordinatum tua sancta dextera benedicere, & consecrare digneris. Te rog.*
*Ut non dominetur justitiæ iniquitas, sed subdatur falsitas veritati. Te rog.*
*Pro hujus negotii, quod inter nos ventilamus, qualitate. Te rog.*
*Ut nobis miseris misereri digneris.*
*Christe audi nos.*
*Pater noster.*
*Credo.*
*Miserere nostri Domine. Fiat misericordia tua.*
Deinde cantentur Psalmi.
*Domine Dominus noster* usque in finem, cum *Gloria*.
*Exaudi Domine justitiam* usque in finem cum *Gloria*.
*Exurgat Deus* usque in finem cum *Gloria*.
*Benedicite*. Usque in *lætitia*.
*Benedicite*. Usque in finem.
*Laudate Dominum in Sanctis*. Usque in finem.
Trium Puerorum.
Et Gloria. Amen.

Preces.

*Exurge Domine.*
*Domine Deus Virtutum.*
*Fiat Misericordia tua.*
*Ostende nobis Domine.*
*Ne intres in judicium.*
*Domine ne memineris.*
*Propitius esto peccatoribus.*
*Domine exaudi.*

Oratio.

*Omnipotens sempiterne Deus, qui tua judicia incommutabili dispositione justus ubique Judex decernis, tu clemens in hoc tuo judicio ad invocationem Sancti tui Nominis, quod a te fidelium intentio deplorat, tua justissima examinatione declara.* Per &c.

Benedictio Ferri vel Vomerum.

*Deus Judex Justus, qui Auctor pacis es, & judicas æquitatem, te supplices deprecamur, ut hoc ferrum (vel hos vomeres) ordinatum ad justam examinationem cujuslibet dubietatis faciendam, ita benedicere, & consecrare digneris, ut si hic homo innocens est de prænominata, & sibi imputata causa, unde nunc probatio quærenda est, cum hoc ignitum ferrum in manum acceperit, illæsus appareat, si autem reus, atque culpabilis est, justissima sit ad hoc virtus tua, in eo cum veritate declaranda, quatenus justitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati. Per te Christe &c.*

Alia.

*Benedic Domine Sancte Pater per invocationem Sanctissimi Nominis tui, & per Adventum Filii tui Domini Nostri Jesu Christi, atque per Donum Spiritus Sancti Paraclyti, ad manifestandum verum judicium tuum hoc genus metalli, ut sit a te sanctificatum, & a nobis consecratum; ut omni falsitate dæmonum procul remota veritas judicii tui fidelibus tuis fiat manifesta. Per eund.* &c.

Alia.

*Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus omnium bene viventium, Deus origo, & manifestatio omnis justitiæ, qui es solus justus Judex, Fortis, & Patiens; dignare exaudire nos famulos tuos orantes ad te pro benedictione hujus Ferri. Unde rogamus te, Domine, judicem universorum, ut mittere digneris sanctam, & veram benedictionem tuam super hoc Ferrum, ut sit refrigerium illud portantibus, & habentibus justitiam, & fortitudinem; ut sit ignis ardens iniquis, & facientibus iniqua, & credentibus in injustitiam suam, & injustam pompam diabolicam. Converte Domine incredulitatem injustorum, per virtutem, & benedictionem tuam, & per invocationem Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & mitte in hoc ferrum vim virtutis, ac veritatis tuæ, & in eo semper per misericordiam, & virtutem tuam verissima Justitia, quæ tibi sola congenita est, fidelibus tuis ad emendationem iniquorum manifestissime declaretur, de quacumque quæstione ratio fuerit agitata, & nullam potestatem habeat diabolica virtus veritatem tuam, aut occultare, aut depravare; sed sit servis tuis in monumentum Fidei, ad credulitatem divinæ Maiestatis tuæ, & ad certifi ationem manifestissimæ misericordiæ, ac veritatis tuæ verissimæ.*

Postea legatur Evangelium.
*In principio erat Verbum. Per istos Sermones Sancti Evangelii Filii sui, indulgeat nobis Dominus universa delicta nostra.*
Sequitur Benedictio.
*Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti descendere dignetur super hoc calidum ferrum ad discernendum rectum judicium Dei. Amen.*
Tunc pro ipso, cui, vel quibus, crimen imputatur, cantetur Psalmus:
*Domine exaudi orationem meam: auribus percipe* &c.

Preces.

*Salvum fac servum &c.*
*Mitte ei.*
*Nihil proficiat inimicus in eo.*
Tunc exorcizetur his verbis:
*Adjuro te o Homo per Patrem Omnipotentem, qui creavit Cœlum, & Terram, Mare, & omnia, quæ in eis sunt; & per Jesum Christum Filium ejus, qui pro nobis natus est, & passus; & per Spiritum Sanctum, qui igne divino super Apostolos venit, atque per Sanctam Mariam Dei Geni-*

*nitricem, & per omnes Angelorum choros, & per Apostolos, & per Martyres, & Confessores, ac Virgines, atque per omnes Sanctos, & Electos Dei, si te culpabilem de prænominato, imputatoque crimine scias, hoc ferrum in manum tuam non præsumas accipere. Si autem tam temerarius sis, ut eodem crimine pollutus præsumas accipere, per virtutem Domini nostri Jesu Christi victus, & confusus hodie abscedas; si vero securus, & innocens sis, per Nomen Domini, & per triumphum Sanctæ Crucis, ad rectum judicium damus tibi licentiam, ut accedas cum fiducia ad suscipiendum hoc ferrum, & liberet te Deus justus Judex, sicut liberavit tres pueros de camino ignis, & Susannam de falso crimine, quatenus sanus, & securus appareas, & virtus Domini in te declaretur.*

Post hoc levetur ferrum de igne, & ponatur in loco, ubi accipiendum est, ponatque Sacerdos super ferrum granum veri incensi, & dicat ter:

*Sancte Laurenti ora pro nobis, ut nulla falsitas dominetur hic.*

Postea solito juramento facto portetur.

Benedictio Aquæ Ferventis.

*Deus Judex Justus, Fortis, & Patiens, qui auctor es pacis, & judicas æquitatem, respice ad deprecationem nostram, & dirige judicium nostrum, qui justus es, & rectum judicium tuum, qui respicis terram, & facis eam tremere, & qui per Adventum Unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi, seu per Passionem Mundum salvasti, genusque humanum redemisti; tu hanc aquam igne ferventem sanctifica, & sicut pueros Sidrach, Misach, & Abdenago jussu Regis Babylonici in succensam fornacem missos, illæsos salvasti, Angelumque tuum mittens, exinde eduxisti, & Susannam de falso crimine liberasti: ita, clementissime Pater, oramus & petimus, ut, si iste Homo (vel hæc Mulier) innocens sit, de re prænominata, sibimet modo objecta, in hanc aquam igne ferventem, manum miserit sanam, & illæsam eam educat; si autem culpabilis est Homo iste, & incrassante diabolo cor induratum habuerit, & per maleficium peccata sua tegere voluerit, & manum suam in hanc ferventem aquam miserit, justissima veritas tua Domine Deus Omnipotens in corpore suo declaretur, ut animam per pœnitentiam salvare digneris.*

Exorcismus Aquæ calidæ, in quam manus ad judicium mittitur.

*Exorcizo te Creatura Aquæ in Nomine Dei Patris Omnipotentis, & in Nomine Jesu Christi Filii ejus, Domini nostri, ut fias Aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & omne phantasma Satanæ, ut si hic Homo manum suam in te missurus est innocens, unde reputatur, pietas Dei Omnipotentis liberet eum; & si, quod absit, culpabilis est, & præsumptuose manum in te mittere ausus fuerit, ejusdem Dei Omnipotentis virtus hoc declarare dignetur, ut omnis homo timeat, & tremiscat Nomen sanctum gloriæ Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est.*

Benedictio.

*Domine Jesu Christe, qui es Judex Justus, Fortis, & Patiens, multum Misericors, per quem facta sunt omnia; Deus Deorum, & Dominus Dominantium, qui propter nos de sinu Patris descendisti, & ex Virgine Maria carnem assumere dignatus es, & per Passionem Mundum redemisti, & ad inferos descendisti, & Diabolum ad tenebras exteriores colligasti, & omnes justos, qui originali peccato ibidem detinebantur, magna potentia exinde liberasti; tu Domine, quæsumus, mittere digneris Spiritum tuum Sanctum, ex summa Cœli arce super hanc creaturam Aquæ, quæ ab igne fervescere, atque calescere videtur; quæ per eum rectum judicium super hominem istum comprobet, ac manifestet. Te Domine Deus supplices deprecamur, qui in Chana Galileæ tua virtute ex Aqua vinum fecisti, & tres pueros Sidrach, Misach, Abdenago, de camino ignis ardentis illæsos eduxisti, & Susannam de falso crimine liberasti, & cœco nato oculos aperuisti, Lazarumque quatriduanum a monumento suscitasti, & Petro mergenti manum porrexisti, ne respicias peccata nostra in hac oratione, sed tuum sanctum, & verum judicium coram omnibus in hoc manifestare digneris, ut si hic Homo pro hac reputationis causa, furti, vel homicidii, vel adulterii, vel maleficii, aut pro qualibet culpa, modo ad præsens manum suam in hanc aquam igne ferventem miserit, & culpabilis ex hac causa non est, hoc ei præstare digneris, ut nulla læsio, vel macula in eadem manu appareat, per quam sine culpa calumniam incurrat. Iterum te Deus Omnipotens, nos indigni, & peccatores, famuli tui suppliciter exoramus, ut sanctum, & verum, ac rectum judicium tuum nobis in hoc etiam manifestare digneris, quatenus hic Homo ex hac reputatus culpa, si per aliquod maleficium diabolo instigante, aut cupiditate, vel superbia culpabilis est, in facto, vel consensu, & hoc comprobationis judicium subvertere, aut violare voluerit, malo confisus ingenio manum suam in hanc aquam præsumptuose immittere ausus fuerit, tua pietas taliter hoc declarescere dignetur, ut in ejus manu dignosci queat, quod injuste egit, ut ipse deinceps per veram confessionem pœnitentiam agens, ad emendationem perveniat, & judicium tuum sanctum, & verum declaretur in gentibus, & glorificent Nomen sanctum tuum quod est gloriosum in sæcula sæculorum. Amen.*

Incipit Ordo ad consecrandam Frigidam Aquam.

Cum hominem mittere vis in aquam ad com-

comprobationem, ita debes facere: accipe illos homines, & duc eos in Ecclesiam, et cantet coram omnibus Presbyter Missam, et eos, quos reos esse putas, fac ibi offerre Sacrificium. Cum autem ad Communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos per istam conjurationem dicens:

*Adjuro vos homines per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*, ut supra.

Si autem omnes tacuerint, accedat Sacerdos ad altare, et communicet eos, quos vult in aquam mittere; cum autem communicantur, dicat Sacerdos per singulos:

*Corpus, & Sanguis Domini nostri Jesu, sit vobis ad comprobationem.*

Expleta Missa Lytaniam cantet, et faciat aquam benedictam, et vadat ad illum locum, ubi judicium debet fieri. Et cum illuc pervenerit, det omnibus bibere ex aqua benedicta. Cum vero dederit, dicat ad unumquemque:

*Hæc aqua fiat tibi hodie ad comprobationem.*

Deinde intrent ad consecrationem aquæ frigidæ ita:

✠ *Deus in adjutorium meum*, etc. cum *Gloria*. Sequitur deinde *Pater noster*, et *Credo*; deinde cantentur

Psalmi: *Exurgat Deus* usque *in Lætitia*.
Psalmus: *In Exitu Israel*. *Benedicite*.
Psalmus: *Laudate Dominum in Sanctis*.
Canticum trium Puerorum. Psalmus: *Exurge Domine*. Deinde preces: *Fiat misericordia tua*. *Ostende nobis Domine*. *Propitius esto peccatis*. *Domine exaudi orationem meam*.

Consecratio Aquæ.

*Domine Deus Omnipotens, qui aquarum substantiam arcanis tuis subter esse jussisti, nobisque Spiritu Sancto cooperante per eam ablutionem omnium peccatorum dedisti; tu præsta per opera Justitiæ tuæ, ut hæc aqua per virtutem Sanctæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quamvis fluens, tamen sit sanctificata, & omnium errorum, atque phantasmatum adinventiones expellat, detque justis, & innocentibus de prænominata causa pro qua discutiendi sunt, securitatem, reis quidem culparum manifestationem, ut uterque in ea probatione, qua inventus est, iste probatione justitiæ, ille per correctionem obdurationis laudent Nomen sanctum tuum in ea claritate, qua permanes in sæcula sæculorum. Amen.*

Alia.

*Benedico te Creatura aquæ in Nomine Patris, ex quo cuncta procedunt, & Filii, per quem facta sunt omnia, & Spiritus Sancti, in quo universa sanctiuntur; & adjuro per eum, qui te ex quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit, & te de petra produxit, & te in vinum mutavit, & in te baptizatus est; ut nullæ insidiæ diaboli, neque maleficia hominis inimici te a veritate judicii separare possint, sed punias noxium, & purifices innocentem, per eum, quem nulla latent occulta, & qui misit te per universum mundum, ut peccatores deleres, & qui adhuc venturus est judicare vivos, & mortuos.*

Alia.

*Omnipotens sempiterne Deus, te suppliciter rogamus pro hujus negotii examinatione, quam modo inter nos ventilamus, ut justitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur falsitas veritati; & si quis hanc præsentem examinationem per aliqua maleficia, aut per herbas tangere vel impedire voluerit, tua sancta dextera, justissime Judex, evacuare dignetur. Per &c.*

Alia.

*Omnipotens sempiterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum omnia visibilia, & invisibilia creasti, & in virtute Sancti Spiritus tui formasti, respice ad preces humilitatis nostræ; ut, sicut in primordio creaturarum aquam ab arida separasti, & in effusione diluvii terram a sordibus mundasti, & populum tuum per Mare rubrum ab Ægyptiis liberasti, & eis de petra in solitudine sitientibus aquam produxisti, qui initio signorum dilecti Filii tui unici Domini Nostri Jesu Christi in Chana Galileæ aquam in vinum vertere dignatus es, & in membris ejus in Jordanicis fluctibus omnibus gentibus aquas baptismatis consecrare; ita digneris Domine nunc eam talem facere in tua virtute, & fortitudine, ut discernat vera a falsis, æqua ab iniquis, Divina a diabolicis, ut in ea revelentur rei, & conserventur innoxii. Per eumdem &c.*

Alia.

*Omnipotens sempiterne Deus adesto invocationibus nostris, & in hanc aquam, huic purificationi præparatam, virtutem tuæ benedictionis infunde; ut salubritas per tui Sancti Nominis invocationem expedita sit, & ab omni impugnatione antiqui hostis defensa. Per &c.*

Alia.

*Domine Deus Omnipotens, qui Baptismum in aqua fieri jussisti, & per lavacrum humano generi remissionem peccatorum donare dignatus es, sanctifica, quæsumus, Domine, hanc aquam, & justum in ea discerne judicium, qui solus es justus Judex & fortis; ita, ut si reus sit homo iste (vel rei sint homines isti) de prænominata re (vel prænominatis rebus) aqua, quæ in Baptismo eum (vel eos) suscepit, nunc non recipiat; si autem inculpabilis, & innocens sit (vel inculpabiles, & innocentes sint) aqua, quæ in Baptismo eum (vel eos) accepit, nunc in se recipiat, & mundus, & innocens (vel mundi, & innocentes) inde de imo profundo hujus aquæ abstrahatur (vel abstrahantur). Per &c.*

Alia super hominem dicenda.

*Deus Omnipotens, qui Baptismum in aqua*

*qua fieri jussit, & remissionem peccatorum hominibus in Baptismo concessit, ille per misericordiam suam rectum judicium in ista aqua discernat, videlicet: si culpabilis sis (vel culpabiles sitis) de ista causa, aqua, quæ in Baptismo te (vel vos) suscepit, nunc non recipiat; si autem innocens es (vel innocentes estis) aqua, quæ in Baptismo te (vel vos) suscepit, nunc recipiat. Per &c.*

Postea exorcizet aquam ita:

*Adjuro te Aqua, in Nomine Dei Patris Omnipotentis, qui te in principio creavit, qui etiam te jussit segregari ab aquis superioribus; adjuro te etiam per ineffabilem potentiam Christi Filii Dei Omnipotentis, sub cujus pedibus te calcabilem præbuisti, qui etiam in te baptizari voluit; adjuro te etiam per Spiritum Sanctum, qui super Dominum baptizatum descendit; adjuro te etiam & per individuam Trinitatem, cujus voluntate aquarum elementum divisum est, & Populus Israel per illud siccis vestigiis transivit: ad cujus etiam invocationem Helias ferrum, quod de manibus exierat, super aquam natare fecit, ut nullo modo hunc hominem (vel hos homines) suscipias, si in aliquo culpabilis sit (vel culpabiles sint) ex hoc, quod illi (vel illis) objicitur, scilicet aut in opere, aut consensu, aut conscientia, aut ullo ingenio; sed fac eum (vel eos) natare super te, & nulla possit esse causa contra te facta, aut ullum præstigium, quod illud possit occultare. Adjuratæ etiam per Nomen Christi præcipimus tibi, ut nobis per Nomen ejus obedias, cui omnis creatura servit, quem Cherubim & Seraphim laudant dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, qui etiam regnat, & dominatur per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

Super hominem, vel homines.

*Adjuro te (vel vos) per invocationem Domini Nostri Jesu Christi, & per judicium aquæ frigidæ; adjuro te (vel vos) per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per incarnationem Domini Nostri Jesu Christi, & per omnes Angelos, & Arch-Angelos, & per omnes Sanctos, & Electos Dei, & per Diem tremendi Judicii, & per viginti quatuor Seniores, qui quotidie Deum laudant; & per quatuor Evangelia Christi, & per duodecim Apostolos, & Prophetas, & per omnes Sanctos Martyres Christi, & per Sanctos Sacerdotes, & Confessores, & per omnes Sanctos Monachos, & Heremitas, & per omnes Sanctas Virgines; per Thronos, Cherubim, & Seraphim, & per omnia Secreta Cælestia; & per tres Pueros, qui quotidie Deum laudant, Sidrach, Misach, & Abdenago, & per centum quadraginta quatuor millia Martyrum Innocentum, qui pro Christo passi sunt; & per Matrem Domini Nostri Jesu Christi, semper Virginem Mariam; & per eundem Populum Sanctum Dei, & per illum Baptismum, in quo regeneratus es (vel regenerati estis), te (vel vos) adjuro, ut si de hac re culpabilis es (vel culpabiles estis) facto, vel consensu; aut conscientia, vel alio quolibet modo, evanescat cor tuum (vel evanescant corda vestra) & non suscipiat te (vel vos) aqua ista, neque ullo maleficio ad irritandum Dei judicium prævalere possis (vel possitis). Propterea obnixe te Domine deprecamur, fac signum tale, ut si culpabilis sit homo hic (vel culpabiles sint hi homines) nullatenus suscipiatur puer iste ab aqua. Hoc autem Domine Jesu Christe, fac ad laudem & gloriam, & ad invocationem Nominis tui, ut omnes agnoscant, quia tu es Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.*

Postea legatur Evangelium ut supra cum benedictione. *In Principio.*

*Per istos Sermones Sancti Evangelii Domini Nostri Jesu Christi, sit hæc Aqua benedicta ad manifestandum rectum judicium Dei. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Gratia Domini Nostri Jesu Christi descendere dignetur super hanc Aquam ad discernendum rectum judicium Dei.*

Postea facto juramento solito, ligetur, & ponatur in Aquam.

FINIS.

*AD DUO PRIORA*

HUJUS COLLECTIONIS VOLUMINA

# APPENDIX.

## FORMULÆ ANTIQUÆ

IN USUM REGNI ITALICI

*Ex MS. Codice Bibliothecæ S. Eufemiæ Veronensis*

Nunc primum prodeunt cura & ſtudio


D. LUCII DOLLEONII

*CANONICI BELLUNENSIS*


DISSERTATIONE EPISTOLARI PRÆMISSA.

# *MONITUM COLLECTORIS.*

PRimum Collectionis noſtræ Volumen prodierat, cum Nobilis & Reverendiſſimus Dominus Lucius Dolleonius Sanctæ Bellunenſis Eccleſiæ Canonicus, exquiſitæ eruditionis Vir, & præſtantiſſimi ingenii, ſtudiis meis favens, & publicæ utilitati conſulens, humaniſſime ditavit me antiquis Formulis ab ipſo accurate exſcriptis ex veteri Codice Legum Langobardicarum, qui Veronæ aſſervatur in Bibliotheca S. Euſemiæ PP. Eremitarum Auguſtinenſium. Hunc Codicem profecto pretioſum ab eodem Cl. Viro commonitus & ego elapſo autumno, paucis, quibus in ea Civitate moram feci, diebus maxima cum animi mei voluptate haud ſemel inviſens, animadverti ejus Codicis beneficio Leges Langobardicas non modo illuſtrari, ſed etiam a pluribus mendis poſſe expurgari. Exempla præbet ipſe Dolleonius Diſſertatione Epiſtolari præmiſſa haud vulgari eruditione referta; ex qua quoque inter cætera edocemur, quod Muratorio ceteroquin oculatiſſimo incompertum fuit, ſcilicet adhuc ſæculo XIV. non defuiſſe in Italia, qui propriam, puta *Langobardorum*, Legem profiterentur.

Ceterum Formulas, de quibus agimus, hic opportunam ſedem nanciſci viſum eſt, cum ex eis plures conditas fuiſſe conſtet, in gratiam non modo eorum qui Langobardorum Lege vivebant, ſed & aliorum, qui Francicis aliiſque Legibus in Regno noſtro utebantur. Eas autem maximo huic Collectioni futuras eſſe ornamento indubius ſpero, vel ex eo quod plurimum lumen afflant dignoſcendæ Juriſprudentiæ Italicæ, civilibuſque moribus Medii Ævi. Quapropter æquiſſimum eſt, ut eruditus quiſque, qui hujuſmodi ſtudiis oblectatur, grates mecum rependat Viro antiquitatis amico, qui præclara hæc monumenta hucuſque latitantia e tenebris evocavit.

# DE CODICE
# LEGUM LANGOBARDICARUM
*Bibliothecæ Euphemianæ Veronensis*
# EPISTOLA
Cui adjectæ sunt quamplures veteres Formulæ ex eodem Codice desumtæ.

---

*ERUDITISSIMO ATQUE ORNATISSIMO VIRO*
## PATRI PAULO CANCIANI
*Ord. Servorum B. M. Virg. Sacræ Theologiæ Doctori*

LUCIUS DOLLEONIUS CANONICUS BELLUNEN. S. P. D.

*Quantum præsidii, atque utilitatis veterum Barbaricarum legum studium conferat ad perfectam sequioris ævi eruditionem assequendam, unusquisque fatebitur æquo animo, qui ab omni eruditione prorsus alienus non sit, & vere barbarus. Ipsarum enim legum subsidio facile intelligimus, quæ tunc temporis fuerit imperandi ratio, quæ hominum conditio, quæ judiciorum forma, qui nuptiarum, funerumque ritus; religionis denique cultum, & totius humanæ vitæ instituta cognoscimus, quodque maximo nobis usui esse potest, plurimarum legum, & consuetudinum, quæ adhuc vigent, quippe quæ ex illarum Barbaricarum gentium Codicibus, quarum imperio non brevi sane tempore Italia paruit, in nostras municipales constitutiones transierunt, originem, ac vim perdiscimus. Hinc est, Vir Ornatissime, quod ii omnes, qui bonas litteras amant, & Italicam Medii Ævi eruditionem colunt, tantum debere tibi profitentur pro egregia solertia, quam in nova, & ea quidem ampliore illarum omnium, quas hactenus habuimus, Barbaricarum legum collectione procuranda, contulisti, quantum uberiores cognitionum fructus inde capere se posse apertissime intelligunt. Equidem quamquam pro ingenii mei tenuitate ad judicandum de tanto negotio me imparem esse non inficiar, nihilo secius ob hanc tuam præclaram operam non solum te omni laude dignissimum puto, verum etiam admiratione, & magno erga te amore affectum me sentio. Cujus quidem devoti mei animi cum aliquam tibi significationem exhibere cuperem, nihil aptius ad hanc rem mihi visum est, quam si ea, quæ olim in meis adversariis de Langobardicis legibus collegeram, tibi offerrem, ut si quid ad editionem tuam exornandam, perficiendamque in eis reperires, iisdem tuo arbitrio atereris. Quid enim mihi jucundius, quam hanc meam voluntatem tibi declarare? quid optabilius, quam aliquo modo posse me tuis commodis inservire? At, ne te pluribus immorer, ad rem veniam, quæ mihi argumentum ad te scribendi præbuit.*

*Quindecim fere abhinc annis cum præstantissimo Viro, nunc Divi Marci Equiti, Marco Zeno Præfecto, ac Proprætori Veronæ, unus ex IV. Viris Juri dicundo adsiderem, atque illud, quod a publicis curis supererat, tempus in præclarissimæ illius urbis Bibliothecis perlustrandis libentissime insumerem, forte obtigit, ut in Bibliotheca Cœnobii D. Euphemiæ Heremitarum Augustinensium Codicem Membranaceum in quarto, ut vocant, invenirem; cujus antiquitatem, & præstantiam admiratus, cum diligentius lectitarem, statim deprehendi, plurima in eo inesse, quæ alibi desiderarentur, quæque ad easdem leges recte intelligendas conducere possent. Antiquitatem si spectes, XI. Sæculo profecto non est Codex inferior, & superior fortasse, quod & ipsa litterarum forma satis indicat, ideoque coævus Codicibus Mutinensi, Estensi, & Ambrosiano, quibus in sua Langobardarum legum editione Vir Clarissimus Ludovicus Antonius Muratorius usus est. Ætatem certe Lotharii II. Augusti præcedere videtur, cum nullas ab eodem conditas leges noster exhibeat. Si vero præstantiam consideres, plurima insunt, quæ & ipsum commendant, & notatu digna sunt. Complectitur enim Langobardicas leges cum judicialibus Formulis, eodem ferme ordine digestas, quo Basilius Heroldus, & Muratorius vulgarunt: quas sequitur Capitulare Caroli Magni, una cum legibus Pippini, Ludovici Pii, Lotharii, Ludovici II., Gui-*

*donis*, *Ottonis II.*, *Ottonis III.*, *Henrici I.*, *Conradi*, *&* *Henrici II.*, *ita tamen*, *ut cum leges Langobardicis additæ in septem libros distributæ sint*, *liber primus Capitulare Caroli Magni*, *secundus Pippini*, *tertius Ludovici Pii*, *quartus Lotharii*, *quintus Ludovici II.*, *sextus Guidonis*, *septimus tandem ceteras leges scilicet Ottonum II. & III. Henrici I. Conradi*, *&* *Henrici II. contineant*. *In fine libri septimi leguntur verba:* Explicit lex Lombarda deo gratia. amen. *ex quibus intelligimus*, *ex iis legibus*, *quas Veronensis complectitur Codex*, *constare Corpus Juris*, *quo utebantur Itali homines*, *qui Langobardica lege vivebant*. *Sequuntur præterea aliæ complures Formulæ Judiciales*, *ac Notariales ad leges Romanam*, *Langobardicam*, *&* *Salicam æque pertinentes*, *quas frustra in editis libris requiras*, *quæque etiam nos docent*, *quantum inter se discreparent in contractibus perficiendis*, *&* *chartis conscribendis*, *quæ varias hasce leges profiterentur*. *Qua de re non pigeat animadvertere*, *non satis recte a Scriptoribus præfinitum fuisse tempus*, *quo consuetudo*, *quæ penes Notarios ætatis Barbaræ invaluerat*, *declarandi professionem legum*, *qua inter se contrahentes viverent*, *desierit*. *Cum enim Cl. Muratorius affirmet*, *usque ad finem Sæculi XII. consuevisse Notarios in contractuum*, *&* *testamentorum hucu-tis stipulantium nationem declarare*, *&* *legis professionem*, *qua unusquisque viveret*, *deinde post Pacem Constantiæ Italicas Civitates*, *jam libertatem adeptas*, *Municipales sibi leges sancire*, *&* *Statuta condere cœpisse*, *facilè unicuique tanti viri auctoritate persuasum erit*, *ex eo tempore legis professionem a Notariis in publicis chartis omissam fuisse*, *&* *legum etiam Longobardorum usum exolevisse*. *At contra evenisse veteres ipsæ chartæ demonstrant*. *Plurimas enim ego ipse membranas evolvi in Archivio Cremensi S. Benedicti Sæculis XIII. & XIIII. exaratas*, *in quibus Langobardorum*, *&* *Romanarum legum mentio fit*, *&* *ipsarum legum professio declaratur*; *quarum quidem chartarum postrema ad an. 1334. diem 6. Novemb. Indict. 2. pertinet*; *eaque* in Crema sub Pallacio comunis Creme . . . Cremascolus q. Domini Albertoni Cuiti qui confessus fuit se lege vivere Longobardorum . . . fecit venditionem & datam ad proprium in allodium . . . Simonino q. Perri q. Alberti Gatti . . . de perticis XXX. terre jacentibus in curte Castelli novi. *Claudit denique Codicem* Pactus Salicus, *cujus lectionem*, *post jam exactam molestissimo labore Langobardicarum legum collationem*, *cum ad alia studia revocarer*, *&* *Codicem in hac parte injuria temporis sæpissime depravatum*, *lectuque difficillimum conspicerem*, *libenter prætermisi*. *Ceterum & ipse* Pactus Salicus, *quantum legendo passim assequi licuit*, *admodum differt a* Pacto Salico, *quem eruditissimus illustravit Eccardus*, *ita ut*, *quæ in Veronensi Codice continetur*, *compendiosa potius collectio*, *quam integra Salicarum legum series mihi visa fuerit*.

*Quid vero*, *quod pertinet ad Langobardicas leges*, *præcipuum*, *atque ad eas intelligendas aptum*, *Euphemianus Codex legentibus offerat*, *qua potero*, *brevitate explicabo*. *Et primo quidem innumeræ prope sunt variantes lectiones*, *ex quibus rejectis etiam*, *quæ sola verborum mutatione constant*, *aut nullius momenti sunt*, *non paucas invenire possumus*, *quarum auxilio vulgatus legum textus emendaretur*, *&* *rectius intelligeretur*. *Longum nimis esset hasce varias lectiones omnes exscribere*, *&* *frustraneum quoque*, *cum Langobardicas leges complectens Volumen jam vulgatum sit*. *Fastidium quippe lectoribus afferretur*, *qui eisdem uti vellent*, *si intermissa textus lectione*, *Volumen alterum præ manibus habere*, *&* *assidue versare conarentur*. *Ex iis igitur nonnullas tantummodo seligam*, *quæ non inutiles*, *ni fallor*, *videri possunt*. *Hujusmodi sunt*.

*In Prologo Rotharis*, *ubi textus editi habent*, priores omnes ( *id. leges* ) removet, & emendet, *in Veronensi legitur*, renovet, & emendet.

*In leg. III. Edicti pro* Si quis in inimicum publicum, *habetur* Si quis inimicos Regis.

*In leg. XLVIII. in qua textus affert*, qui oculum percusserit, *scribitur* qui oculum excusserit.

*In leg. CLVII. pro* quod est threus, *invenitur* qui filius est threus.

*In leg. CLXXIII. ubi legunt editi* in ipso Thinx lidolaip, *noster habet* in ipsum Thinx, quod est laib: *& ibidem* res istas conservabo, *non, ut in editis*, res ipsas conservo; *pariterque in leg. CLXXXIV. non* accepto xenio, *sed* accepto exenio, *cujus vocis etiam significationem exhibet Glossa*.

*His adduntur optimæ duæ lectiones ejusdem Codicis*, *quarum altera est in Prologo Regis Rachis*, *altera in lege unica Ottonis III. Sic legitur prima:* quia dum pravi homines ea, quæ ad Deum pertinent, non considerant; *ex qua rectus profecto sensus elicitur*, *quod minime licet ex editis*, *in quibus scriptum est*; ea, quæ ab inde pertinent, non considerant. *Altera respicit* Natalimbum Sancti Stephani, *quæ vox negotium facessere videbatur Muratorio*, *dum legendum putabat* Natale, *sive* Natalitium Sancti Stephani; *vitiatum tamen esse Codicem & recte suspicabatur*. *In Veronensi enim apertissime legitur:* Natale Dni, Sancti Stephani. *En duæ festivitates*, *in quibus tenere placita prohibebat Otto*. *Si* Natalitium Sancti Stephani *legendum esset*, Nativitas Domini, *quæ inter dies festos præcipue colitur*, *desideraretur*. *Hinc manifeste patet recta Euphemiani Codicis lectio*.

*Sed neque silentio prætereunda est Pero-*

*ratio, sive Conclusio memorati Regis Rotharis Edicto suo apposita, quæ non solum verbis, verum etiam ordine a Muratoriana maxime discrepat. Quæ enim ipsius Conclusionis pars apud Muratorium priorem locum obtinet, in Euphemiano Codice secundo loco legitur, & e contra additio illa, quam ex Codice Cathedralis Mutinensis Muratorius in fine attulit, prior est in Euphemiano.*

*Prologum quoque in primum Liutprandi librum non acephalum, ac mutilum, uti ex Sigonii lib. III. de Regn. Ital. ad an.* 713. *desumptum Muratorius edidit, sed uberiorem, & integrum juxta Heroldi editionem Veronensis continet Codex. Plures etiam in eodem Prologo variæ lectiones occurrunt, eæque non contemnendæ. Videlicet in editis:* Post hanc enim gloriosissimus Grimoald Rex, quæ illi secundum Dominum placita fuerunt, minuit et ampliavit. *At in Veronensi:* Post quem una enim gloriosissimus Grimoaldus Rex, quæ illi superflua visa sunt, minuit, et, quæ secundum Deum placita fuerunt, ampliavit. *Item in editis:* quæ nobis congrua apparuerunt subtrahere, et addere decrevimus. *In Veronensi autem:* quæ nobis incongrua apparuerunt, subtrahere, et, quæ recta videntur, addere providemus. *In fine quoque habent editi;* hæc nobis juxta Dei timorem, atque amorem sancta comparuerunt, & placuerunt. *At fusius Veronensis:* hæc, quæ nobis communi consilio statuenda juxta Dei legem, timorem, atque amorem, apta, et sancta comparuerunt, et placuerunt, addere decrevimus. Primum omnium.

*Ceterum Liutprandi leges, quas in septem tributas libros Heroldus, in sex Muratorius protulit, nulla librorum divisione in Euphemiano descriptæ sunt, & unico libro complectuntur; ideoque reliqui Liutprandi Prologi, ab Heroldo, & Muratorio vulgati, illic desiderantur.*

*Antequam de variantibus scribendi finem faciam, nonnulla mihi placet subjicere de versibus, qui præmittuntur legibus singulorum Regum, tam Langobardorum, quam Italorum, & in editis libris, & in Codice Veronensi. Illos verum tantum proferam, qui aliquam continent varietatem. Legibus igitur Grimoaldi præpositum in Codice Veronensi versum legimus, cum nullum exhibeant editi:*

Attulit hic magnus legis bona rex Grimoaldus.

*Leges item Liutprandi versiculo carent apud Muratorium: habet Codex Euphemianus, nempe:*

Legibus armatus splendet rex hic Liuprandus.

*Ante leges Rachis in editione Muratoriana legitur:*

Displicet hic pravis Rex leges nectere Rachis;

*at rectius, ni fallor, in Veronensi:*

Displicet hic pravis Rex legis nectare Rachis.

*Aistulphi legibus apud Muratorium præmittitur:*

Jus gerit Aistulphus residens in margine cusus;

*Codex autem Euphemianus legit:* in margine cursus.

*Quid enim vero hoc loco cusus significet? At* in margine cursus *explicari posset pro initio Regni ipsius Aistulphi. Nam omnes fere Codices, quibus adstipulantur Estensis, & Veronensis, habent in eodem Prologo:* anno primo felicissimi Regni nostri, *non,* anno quinto, *ut scribit Sigonius, cujus lectionem amplectitur Muratorius, ut Indictio septima paullo inde memorata, quæ vere in quintum annum incidit Regni Aistulphi, retineri possit. A viri doctissimi sententia non abhorreo; at neque a verisimili abhorret, illius versiculi scriptorem, aliquo corrupto Codice fortasse usum, nulla Indictionis ratione habita, primordia Regni ipsius Aistulphi indicare voluisse.*

*Ottonis III. leges editæ habent,*

Romæ Sindonico Rex tertius invidet Otto.

" Quid sibi velit versus iste, quis Oedipus mihi edisserat? ,, *exclamat Muratorius. Corrigit Codex Veronensis, & satis rem, judicio meo, explicat:*

Festorum placito Rex tertius invidet Otto.

*Otto namque lege illa unica, cui laudatus præfigitur versiculus, prohibet, ne sacris, festisque diebus teneantur placita, eademque lege statuit, ut tempore etiam messis & vindemiarum, quod olim vel legibus, vel consuetudine vetitum erat, liceat civiles, & criminales quæstiones Placitis agere, & definire.*

*Hæc de variantibus lectionibus notanda mihi visa sunt; nunc aliquid etiam de Glossis dicendum esse censeo. Eæ vero duplicis sunt generis; aliæ interlineares, & marginales, ut vocant; aliæ aut legibus immixtæ, aut legibus additæ. Nonnullæ quoque a legibus penitus sejunctæ Explanationes potius, quam Glossæ alicujus obscurioris legis videri possunt, uti Glossa præsertim ad legem CLIII. Edicti Rotharis, ubi tota de successionibus ab intestato doctrina, & praxis declarantur; quam integram huic Epistolæ, una cum Judicialibus Formulis antehac nunquam editis, adjiciam. Interim prioris generis Glossarum aliquot exempla dabo.*

*Ad leg. XXI. Edicti;* in sculca: *Glos. in marg.* idest, custodire rem aliquam.

*Ad leg. XXIII.* Gastaldius: *glos. interlinear.* idest, Comes.

*Ad leg. CLXV.* Mundium: *glos. in marg.* hic videri potest, quod mundium ingenuæ est XX. solidorum saltem, minus non.

*Ad leg. CLXXII.* gisiles: *glos. interlin.* testes.

*Ad leg. CLXXXIV.* accepto exenio, *non* xenio, *ut in editis, quod supra notavi:* glos.

*glos. interlin.* ideſt ſervitio.

*Ad leg. CCXI.* aldiam alienam: *gloſ. interl.* ideſt majorem. -- Aut ancillam: *gloſ. interlin.* id. minorem aldiam.

*Ad leg. CGLIII.* Si quis greges: *gloſſ. in marg.* Grex dicitur decem capita, & a decem in antea.

*Ad leg. CCCXX.* cervum domeſticum, qui rugire ſolet: *gloſ. in marg.* qui integer eſt.

*Ad leg. CCCXXIV.* in gajo Regis: *gloſ. interl.* ideſt, in ſylva.

*Ad leg. CCCLXXV.* non ſit ſengangi: *gloſ. in marg.* ideſt, non ſit culpabilis, ut privatus ſit.

*Ad leg. CCCLXXVI.* oberos: *gloſ. in marg.* id. curtis ruptura. -- Vuecorim: id. inanteſtituræ. -- Meravorphin: id. aliquem de caballo jactaverit.

*Ad leg. XXIII. Lib. VI. Liutprandi.* Cadarfreda, *ſeu* Cadarfia, *ut legit Codex Veronenſis*: ideſt, mos.

*Ad leg. XIII. Capitular. Caroli M.* pro gildonea: *gloſ. interl.* id. adunanciam.

*Ad leg. XCI.* excepta freda: *in margin.* ideſt, compoſitio, quæ datur Regi pro puella nata, quæ trahitur in mundio in verbo ipſius Regis.

*Ad leg. XCVI.* conductor: *gloſ. interl.* ideſt Maſnerius.

*Ad leg. XCVII.* conjectum: *gloſ. interl.* id. Gaforium.

*Ad leg. CVI.* domui (*non* domi, *ut in editis*): *gloſ. interl.* ideſt Majori Eccleſiæ tradi ionem faciat.

*Ad leg. Pippini XLVI.* communi lege vivamus: *gloſ. interl.* ideſt, nos Franci & Longobardi.

*Ad leg. Ludovici Pii XVI.* quæ in lege continentur: *gloſ. interl.* id. Robuaria.

*Ad leg. I. Lotharii in margine legitur*: K. (*id. Capitula*) in Olonna compoſita, & ideo videntur L. (*id. Langobardorum*) tantum.

*Ad leg. XCIV.* ſi nobiles: *in marg.* Nobiles ſunt, quorum majorum parentum ſuorum nemo ſervituti ſubjectus ſit.

*Alterius generis Gloſſæ & copioſiores numero, & uberiores ſunt. Nulla vix in Codice Veronenſi lex eſt, quæ vel textui immixtam, ut jam innuimus, vel additam in fine ipſius legis Gloſſam non exhibeat. In his nonnullæ etiam ſunt, quæ non ita facile dignoſcuntur, utrum leges, vel Gloſſæ ſint. Talis eſt, quam hic ſubjicio, neſcio, utrum lex, ſive Gloſſa, quæ legitur in Edicto Rotharis inter leges XIV. & XV. Quid de ipſa mihi cenſendum ſit, tuam expectabo ſententiam.*

„*Si quis unus, vel duo liberi, homicidium* „*in abſconſo in barone libero perpetrave-* „*rint, omnem ſubſtantiam ſuam amittant.* „*Si vero in ſervo, vel ancilla, & unus fue-* „*rit, aut duo tantum, qui ipſum homicidium* „*fecerint DCCCC. ſolidos componant. Ita ta-* „*men quod ſi unus ſervus privati hominis* „*fuerit, qui ſervum, vel ancillam in abſcon-* „*ſo interfecerit tradatur ad occidendum &* „*dominus ejus pro illicita cauſa LX. ſolidos* „*componat. Si vero duo fuerint, det domi-* „*nus illorum ſecundum hanc legem ſolidos D-* „*CCCC. Quoniam ſi ſervi, vel ſervus liberum* „*hominem interfecerit in abſconſo cum volunta-* „*te domini ſui perdat dominus ſuus omnem* „*ſubſtantiam ſuam. Si vero abſque volunta-* „*te purificet ſe dominus inde, & componat* „*ipſum mortuum, & inſuper ipſum ſervum* „*tradat in manus parentum defuncti. Si ve-* „*ro ſervus Regis hoc malum fecerit compona-* „*tur ex parte publica perſona mortua, prout* „*appreciata fuerit & ſervus ſuſpendatur ſuper* „*foſſam. Si vero plures duobus liberi fuerint,* „*ſi ingenuus, qui occiditur, aut libertus* (1) „*fuerit omnem ſubſtantiam ſuam amittant. Si* „*ſervus, qui occiditur, aut libertus fuerit,* „*componant ipſum, ut appreciatus fuerit. Si* „*vero plures fuerint, ſi ſervus, vel ſerva* „*fuerit, qui, quæve occiditur, componat, ut* „*appreciatus appreciataque fuerit, & ſi ſpo-* „*lia de ipſo mortuo quis tulerit ideſt plude-* „*rap, componat in atagild.* „

*Quod tamen notandum maxime ac peculiare iſtius Codicis mihi videtur, illud eſt, textum ſcilicet legum ita deſcriptum eſſe, ut quamvis innumeræ pene Gloſſæ in ipſum irrepſerint, nihilominus manifeſte appareat, quid vel Gloſſatoris opera, vel arbitrio antiquarii in textum inductum ſit. Id probe dignoſcitur ex quodam punctorum ordine inter lineas ſignatorum, quæ diligenter inſpecta demonſtrant, verba, quæ punctis clauduntur, minime ad textum pertinere; atque inde fit, ut ſi verba ipſa demas, integer tamen ſenſus legis habeatur. In calce quoque illarum legum, quæ Gloſſis ornantur, ſignum aliquod appoſitum cernitur, a quo lectores, ut ita dicam, monentur, ne Gloſſam cum textu confundant. Hinc Euphemiani Codicis ope intelligimus, quid ſentiendum ſit de additionibus illis, quas profert Muratorius ex Codicibus ſuis, qui ſæpiſſime cum Euphemiano concordant, de quibus ſane & ipſe vir doctiſſimus aliquando dubitare viſus eſt, aliquando tamen Gloſſam pro lege accipit, ea forte cauſſa, quod illi, quibus uſus eſt, Codices interpunctionibus, & ſignis careant. Duobus exemplis nunc rem declarabo. Primum ſumam ex lege XV. Rotharis, quæ ita legitur in Codice Veronenſi.*

„*Si quis*: liber: *ſepulturam*: ab emunita- „te Epiſcopatus, vel abbaciæ prophanam.: *hominis mortui*: liberi, vel liberti: *ruperit* „*& corpus expoliaverit, aut foras jactaverit* „*DCCCC. ſolid. ſit culpabilis parentibus de-* „*functi. Et ſi parentes proximi non fuerint* „*tunc Gaſtaldius Regis vel Sculdais Regis* „*cul-*

(1) Legendum fort. *liber*.

*„ culpam ipsam & ad Curtem Regis exigat.*
„ (Si sepulturam in emunitate Episcopatus,
„ vel Abbaciæ fregerit DCCCC. solidos pa-
„ rentibus, vel Corti Regis componat; DC.
„ ad Ecclesiam tribuat. „

*Alterum exemplum sit ex lege XVI. Caroli Magni.*

*„ Ut nemo præsumat hominem aliquem ven-*
*„ dere, aut comparare nisi in præsentia Co-*
*„ mitum, aut Missorum illorum* :. aut Epi-
„ scopi aut Archidiaconi, vel Centenarii,
„ aut Vicedomini, aut Judicis ante bene no-
„ ta testimonia :. ( Foras Marcham nemo
„ mancipia vendat. „

*In hisce igitur duabus relatis legibus, uti in Veronensi Codice leguntur, & videntur interpunctiones modo binis, modo ternis punctis distinctæ, quæ textum a Glossis discriminant, & signo notatæ conspiciuntur additiones, quas Glossatores, vel antiquarii legibus apposuere.*

*Pluribus fortasse, quam par erat, Vir eruditissime, descriptionem hujus Codicis persequutus sum; quod eo dumtaxat consilio me fecisse scias, ne quid te lateret, quominus tuam de ejusdem præstantia non dubitanter sententiam ferre posses :. Tu interim, quod quam maxime te rogo obtestorque, pro summa illa, qua præditus es, humanitate, leve hoc licet, nec satis singulari tua dignum eruditione, devotæ meæ voluntatis argumentum fac ut benevolo excipias animo, tibique persuadeas, majora me daturum, quandocunque se occasio tulerit, nullumque officiorum genus prætermissurum, quibus sincerum meum erga te cultum palam testatum faciam. Vale. Belluni Nonis Januariis MDCCLXXXIII.*

# FORMULÆ ANTIQUÆ JUDICIALES

## Ex Codice Euphemiano Veronensi desumtæ.

*Ad Legem II. Edicti Regis Rotharis.*

I. PEtre, te appellat Martinus, quia tu consiliatus es de morte sua, aut, occidisti patrem suum. De torto me appellasti. Si dixerit, quod consiliatus esset cum Rege, aut occidisset per jussionem Regis, aut approbet, aut emendet secundum quosdam. Secundum quosdam aliter est; in anima jurare debet. Sed melius est secundum alios, quod dicat, non consiliatus sum, nec occidi, quod per legem emendare debeam pro usu.

*Ad Legem XXI.*

II. Petre, te appellat Martinus advocatus de parte publica, quod tu fuisti contemptor ambulare in sculcam, aut in exercitum. Non placeat Deo.

*Ad Legem XXXI.*

III. Petre, te appellat Martinus, quod pro animo de involando uno suo caballo te vestisti de veste furtiva. De torto me appelli.

*Ad Legem CXLIII.*

IV. Petre, Martinus interfecit patrem tuum, & vult, ut sibi juret ita de hac hora in antea. Per ipsum homicidium, quod de patre meo fecisti, unde mihi compositionem dedisti, per me, nec per meam submissam personam non faciam furtum, nec scachum, nec incendium, nec homicidium, nec plagas, néc prehensionem de personis tibi, nec hominibus de tua parte, nec aliquod malum. Si dicis. Modo jura Petre, quod de hac hora in antea per ipsam compositionem, quam tu fecisti Martino de patre suo, quem tu interfecisti, nec per te, nec per tuam submissam personam facias scachum, furtum, homicidium, nec incendium, nec plagas, nec comprehensiones de personis Martini, nec hominibus de sua parte, nec aliquod malum. Si dicis. Martine, perdona Petro per istum fustem omnes causas, & calumnias, querelas, & querimonias, compositu-ram, & sacramenta, seu de ceteris causis, quæ per ipsum advenerint, quod tu inde permaneas tacitus, & contentus, & Petrus permaneat securus, solutus, & indemnis. Qua lege vivis? Ad legem Langobardam. Modo responde, Martine, ut si unquam in tempore tu, aut tui filii, vel heredes contra Petrum, vel contra suos heredes, de hac re habueritis agere, aut causare, aut apparuerit datum, aut factum, aut scriptum, aut securitas, quæ in alia parte facta habueritis, & clare facta fuerint, quod composueritis in duplo querimoniam, unde agetur, & insuper pœnam argenti libras X. Spondes ita? Sic facio. Da ei launechild. Rogatis inde fieri breve; vel ita. Seniores judices, mittite judicium. Juxta vestram professionem, & manifestationem, Martinus permaneat tacitus, & contentus, & Petrus permaneat securus, solutus, & indemnis. Senior Comes, rogatis facere unam noticiam. Rogo.

Ad

*Ad Legem CL.*

V. Petre Gomes, te appellat Martinus advocatus de parte puplica, quod Paulus se reclamavit tibi de Marco, quod habebat ei ecapellatum unum suum molinum, aut, quod habebat ruptam unam suam clausuram, & tu dilatasti causam deliberare, aut licentiam dedisti adversæ parti perpetrandum illud malum. Non placeat Domino; vel, reclamavit, sed non dilatavit, vel non dedit licentiam; & ita juret.

*Ad Legem CLIII.*

*Inter Formulas placuit locum dare sequenti Glossæ, nisi potius Explanatio de successionibus ab intestato dicenda sit, tum quia casus omnes succedendi complectitur, tum quia satis obscuro argumento plurimum lucis affert.*

VI. Si quis Longobardus intestatus moriens reliquerit filium, vel filios legitimos, ipse vel ipsi in omnem substantiam succedant. Si in sacris patris, & filii familias alter filius familias erant. At si unus emancipatus erat, & filius familias alter, filius familias tantum succedat; secundum quosdam utrique succedant. Si vero nepotes tantum, vel neptes, vel deinceps aliquid ex parte filiorum defunctorum superstites fuerint, similiter succedant. At si filium, vel filios, et nepotes, vel neptes, vel deinceps aliquem ex parte alterii filii olim defuncti, pro virili portione, vel in stirpem omnes succedant. Quod si filium vel filios, et filiam, vel filias reliquerit, filii tantum succedant. Si vero filiam, et nepotes, vel neptes, vel deinceps aliquem ex parte filii defuncti reliquerit, æqualiter succedant. Sed, ut alii dicunt, nepotes, vel neptes ex parte filii tantum succedant. Quod si filiam, vel nepotem, vel neptem ex parte filiæ olim defunctæ reliquerit, filia tantum succedat; sed ut alii dicunt æqualiter succedant. Sed si nepotes, vel nepotes, vel deinceps aliquis ex parte filii jam defuncti, et nepotes, vel neptis, vel deinceps aliquis ex parte filiæ jam defunctæ superstites fuerint, nepotes, vel neptis tantum ex parte filii avo suo succedant. Si vero nepotes, vel neptes, nepotes tantum succedant. At si tantum filiam, vel filias, vel tantum nepotes, vel neptes ex parte filiarum dimiserit, ut filii masculini, vel descendentes ab illis succedant. Sed si filiam et sororem in capillo reliquerit, æqualiter succedant. At si sororem, et abiaticam ex parte filiæ reliquerit, abiatica tantum succedat. Sed, ut alii dicunt, æqualiter succedant. Si vero filiam, et sororem non in capillo, filia tantum succedat. Si vero nepotes, vel neptes tantum, aut ex parte, vel filiæ ipsi succedant. Sed si filiam, et sororem in capillo, et nepotes, vel neptes ex parte filii, æqualiter succedant. Sed, ut alii dicunt, tantum filia, et nepotes ex parte filii, æqualiter vel in stirpem succedant, &, ut alii dicunt, tantum nepotes, vel neptes ex parte filii succedant. Ita in descendentes semper ceteris præferantur, et si proximioribus; at si ascendentibus emancipatus reliquerit, nullo descendentium, nec ullo fratre superstite, veluti patrem, aut avum, vel aliquem superiorem agnatorum, ipsi ei succedant. Sed, si matrem quoque reliquerit, vel aliquem cognatorum superiorum, semper agnati, matre quoque excepta, præferantur cognatis, et si patrem, et matrem, et non fratrem, sed sororem, pater ascendens non his præferatur; mater vero simul non vocetur, sed sola soror. Sed si avum paternum, et maternum, et fratres, sorores reliquerit consanguineos, non avus, sed soror, non frater, quia sunt ejusdem gradus, æqualiter succedant, etiam materno expulso avo. Ita enim non semper fieri debet, ut plures agnatorum in uno gradu manentium, vel proximior agnatus, nisi, quia hac lege excipitur, præferantur. Si vero solam matrem, vel solos cognatos nihil habeant, sed Curia succedat. At si in sacris patris est, pæne nulla, ut servus, est successio. At si migravit, qui fuit, dum vixit, pater in potestate ejus patris relinquens tantum fratrem, et sororem consanguineos, soror fratri præferatur, etiam si superstes fuerit aliquis cognatorum, nec non excepta matre. Si vero fratrem consanguineum, et sororem uteritiam, frater sorori excelleat. Si vero sororem consanguineam, et amitam in capillo, æqualiter succedant. Sed, si amita non fuerit in capillo, soror ipsa succedat. At si fratres alios tantum uterinos, alios tantum consanguineos, aliquos sibi utroque jure conjunctos, tantum consanguinei, et utroque jure decorati ceteris præferantur. Sed si fratrem consanguineum, et fratrem uterinum, frater consanguineus uterinis excelleat. Si fratrem vero legitimum, et fratrem naturalem, legitimus ei succedat. Quod, si, facto testamento, quisque decesserit, et hæres non existit, hæres aliquo casu, et interim proximiore mortuo, proximus esse incipiat, qui, moriente testatore, non erat proximus, occiso naturali, tantum legitimus succedat. Si vero soror fuerit tantum, non succedat naturalis. Si vero aliquis, matre superstite, et fratre, vel sororibus tantum uterinis, decesserit, omnes succedant. Secundum quosdam, non, sed Curia succedat, quod est melius, et in omni ordine, scilicet ascendentium, et descendentium, et ex latere venientium semper agnatus præferatur, nisi excipiatur. Si vero nullus agnatorum fuerit, tunc proximior cognatus veniat. Secundum quosdam nullus his, sed Curia succedat. In muliebri quidem sexu talis teneatur observatio. Si quidem mulier in capillo mortua fuerit, quæ parentibus utrisque, vel uni successit, et sorores, vel in capillo, vel nuptui traditas consangui-

gui-

guineas, vel utrasque habuerit, ipsæ ejus bona percipiant. Si vero ullis parentibus non successerit, et fratrem consanguineum, et sorores dimiserit, frater tantum succedat, quia Mundualdus est. Si vero filia patris nihil parentis, qui habuit, posse, ut eum succederet, et post ejus mortem aliquid ei aliquo modo evenerit, et fratres, et sorores reliquerit, quamvis patri, et matri non successerit, pro paupertate tamen sorores ei succedant. Sed si sorores aliæ in capillo, aliæ nuptui traditæ, fratri successerint, et aliqua in capillo postea mortua fuerit, Mundualdus ei succedat; quod, si sorores non habuerit, similiter Mundualdus succedat. De vidua quidem ita. Si mortua quidem fuerit absque filiis legitimis, et filiam reliquerit, ipsa ei succedat. Si vero filium, et solum abiaticum ex parte filii, æqualiter succedant; sed, ut alii, solus filius. Si vero sola filiam, et abiaticam, vel abiaticum solum ex parte filii, æqualiter succedant. Sed, ut alii, filia tantum succedat, et, ut alii, solus abiaticus, vel sola abiatica succedat. Si vero filium, & abiaticum, vel abiaticam ex parte filiæ, solus filius succedat. Si vero filiam, et solam abiaticam, vel solum abiaticum ex parte filiæ, filia tantum succedat; sed, ut alii, æqualiter succedant. Sed nuptæ legaliter vir suus fiat hæres, vel, ut quidam dicunt, Mundualdus, qui est, vel futurus est. His omnibus defunctis, vel vivis, successionem nolentibus, ut quidam dicunt, ex parte publica successio capiatur.

*Ad Legem CLXXXII.*

VII. Domne Comes, date huic mulieri tutorem. Dato, dic. Domne Comes, hoc dicit Mulier cum Petro suo tutore, quod plures vices reclamavit se ad vos de A. suo cognato, & suo mundualdo, quod negat suam voluntatem, & maritum, quem habet electum, non vult sibi dare; unde vos plures vices illi mandastis missos, & epistolas, ut ad vestrum placitum veniret, & sibi justitiam faceret, & ille venire noluit. Dicis tu ita Mulier? Sic dico. Et tu suus tutor dicis ita? sic dico. Et vos, Domne Comes, recordamini sic? sic recordor. Et vos Judices? sic recordamur. Dicite, vos judices, quid comandat lex? Tunc debent dicere: Si quis filiam suam aut quamlibet parentem in conjugio alii dederit usque ad parentes proximos, qui prius eam ad maritum dederint. Cum dicta fuerit lex, interroga eum, qui vult ipsam feminam. Vis accipere ad conjugium legitimam eam? Volo Deo volente. Et tu, Mulier, vis eum accipere ad legitimum conjugium? Volo volente. Et tunc dic: Es tu paratus ad dandum medietatem de meta hæredis prioris mariti? Sum. Centum solidos dedit. Ecce L. Post dic: Si adeo est factum pro hoc venit M., quod vult sponsare D. filiam P. Venisti tu propter hoc? Veni. Da vadiam, quod facies ei quartam portionem de quanto tu habes, aut in antea adquirere potueris, tam de re mobili, quamque immobili, seu familiis, & si te subtraxeris componas libras C. Et per istam spatam & istum vuantonem sponso tibi M. meam filiam, & tu accipe eam sponsario nomine? & comanda eam nusquam ad terminum talem. Tu Pater fœminæ da vadia ei, quod tu des eam ad uxorem, & mittas eam sub mundio. & tu da, quod eam accipias; & qualis se subtraxerit componat solidos mille. Cum venerint ad terminum fiant cartulæ lectæ, & fiat fœmina tradita per manum. Propter hoc dat Petrus hanc grosnam, ut mittas eam sub mundio cum omnibus rebus mobilibus, & immobilibus, seu familiis, quæ ad eam per legem pertinent. & mundium & grosnam tradas sibi ad proprium. Da ei lonechild. Præcipite fieri notitiam, Donne Comes.

*Ad Legem CLXXXIV.*

VIII. P. te appellat M. quod, quando tu dedisti sibi ad conjugium Mariam tuam filiam P. dedit centum solidos per acceptum servitium ipsius fœminæ, quos sibi debes. P. te appellat M. quando D. dedit tibi filiam suam ad conjugium, quod ipse dedit ei solidos centum per acceptum servitium ipsius fœminæ, & vult, ut facias sibi vuiderdonem.

*Ad Legem CXCVI.*

IX. Donne Comes, date huic Mulieri tutorem. Dato, dic. Donne Comes, ita dicit Mulier cum Petro suo tutore, quod jam per plures vices est ipsa vobis lamentata de Paulo de tali loco suo Mundualdo, quod misit ei crimen, quod adulterasset, aut insidiatus est in animam ipsius, aut voluit eam invitam ad maritum tradere, unde vos jam per plures vices ei mandasti per Brevem, aut per Epistolam, quod ad Placitum vestrum venisset, & ei justitiam fecisset, & ipse noluit venire. Mulier, dicis tu ita? Dico. & Petre, qui es suus tutor, dicis tu ita? Sic dico. Donne Comes, recordamini vos ita? Sic facio. & vos Judices, dicitis sic? Sic dicimus. Tunc debet interrogare Comes Judices. Dicite, quod præcipit lex. Tunc Judices debent dicere legem. Tunc postea Comes debet interrogare ipsam mulierem, & debet ei ita dicere. In cujus Mundio vis esse? an in ejus, qui tibi offendit, an in Mundio Palatii? Ipsa mulier, si non habeat parentes, si vult respondere in Mundio Palatii. Tunc debet dicere unus Judicum pro eo, qui vult eam accipere uxorem. Senior Comes, si adeo est factum per hoc venit Martinus, quod ipse vult sponsare Mariam Mundualdam de Palatio. Venis propter hoc? Sic facio. Dona Comiti vadia, quod tu facias ei Mulieri quartam portionem de quanto nunc habes, & in antea adquirere potueris, tam de re mobili, quam-

quamque immobili, ſeu de familia, & ſi te ſubtraxeris, ut componas ſolidos mille. Per iſtam ſpatam, & iſtum vuantonem ego ſponſo tibi Mariam Mundualdam de Palatio. Et ego vobis comendo eam uſque modo. Donne Comes dona ei vadia, quod tu des ei ad legitimum conjugium Mariam Mundualdam de Palatio, & mittas ſub mundio cum omnibus rebus mobilibus, & immobilibus, ſeu familiis. Et tu, Martine, dona ei vadia, quod tu accipias eam, & qualis ſe ſubtraxerit componat ſolidos mille. Fiat ſcripta quarta ( *leg.* charta ) & fiat tradita ad feminam. Senior Comes, accipite illam Mundualdam de Palatio, & donate Martino ad legitimam uxorem ad habendum. Senior Comes, propter hoc donat Martinus iſtam crosinam, & iſtam lanceam, & iſtum ſcutum ad habendum a Domino Imperatore per mundium Mariæ Mundualdæ de Palatio, ut mittas eam ſub mundio cum omnibus rebus mobilibus, & immobilibus, ſeu familiis, quæ ad eam per legem pertinent. Et tento ſcuto, & lancea tradas ei hanc croſna, & mundium ad proprium. Retinentur enim illa duo a Comite. Donne Comes præcipite fieri noticiam.

*Ad Legem CCV.*

X. Petre, te appellat Maria cum Joanne ſuo Mundualdo, quod tu tenes ſibi malo ordine terram in loco tali. Ecce carta, quam mihi feciſti de ipſa terra. Si carta manifeſtat, quod feciſſet ſola, & manifeſtat, quod eſt Longobarda, fiat taliata. Si manifeſtat unum Mundualdum, aut probet, quomodo alii Mundoaldi partem ſuam de Mundio fecerit ipſi Mundualdo, aut perdat terram. Si carta manifeſtaverit, quod femina vivat ſecundum legem Romanam, aut probet, quod vivat ſecundum legem Longobardorum, aut det pœnam de cartula.

*Ad Legem CCXVII.*

XI. Martinus cum Donato ſuo tutore te appellat, Maria, quod tu es ſua aldia, & malo ordine te ſubtrahis de ſua aldiæritia. Libera femina ſum naſcendo, & tibi quid pertinet? Aldius meus ſociavit te in conjugio, & fecit mundium de te. Aut probet quod feciſſet mundium, aut taceat.

Petre, te appellat Martinus, quod tu es ſuus Aldius, & malo ordine te ſubtrahis de ſua aldiaricia. Liber ſum naſcendo, & tibi quid pertinet? Aldius meus ſociavit matrem tuam in conjugium, & fecit mundium. Aut probet mundium, aut taceat. Sed ita ſit. Vere es liber naſcendo, ſed eſſe debes aldius, quia aldius meus &c.

*Ad Legem CCLXXXIV.*

XII. Petre, te appellat Martinus, quod ſervi de Aquino per concilium intraverunt ſuper eum in vico de Paleſtino ad malum faciendum, & tu fuiſti in capite in vico tali cum illis.

Petre, te appellat Martinus, quod ſervi de Gabiis per concilium intraverunt ſuper eum ad malum faciendum & Donatus fuit in capite, & Paulus tuus ſervus fuit cum illis, aut fuit in capite.

*Ad Lgem CCCXLVIII.*

XIII. Petre, te appellat Martinus, quod tu inveniſti unum ſuum caballum facientem damnum, & minaſti ad clauſuram. De torto. Si dixerit ecce caballus; dicat: ego te appello, quod tu non minaſti ante judicem, aut ante conventum; aut probet, quod minavit, aut emendet ſibi nonum. Si dixerit, ego minavi ipſum caballum ante Comitem, & mortuus eſt, aut oſtendat ſignum de corio, aut juret, quod non miſit negligentiam ad cuſtodiendum, aut emendet ſibi nonum. Si monſtravit ſignum de corio, & qui appellavit dixerit; non eſt hoc ſignum de meo caballo; juret, quod non alium caballum invenit niſi ipſum, unde hoc ſignum eſt. Si dixerit, qui appellavit, tu feciſti in ipſum caballum pluſquam in tuum proprium, juret qui appellatus eſt, quod plus non fecit, quam in ſuum proprium.

*Ad Legem CCCLXXIII.*

XIV. T. advocate de parte publica, te appellat M. quod I. ſervus de parte publica, unde tu es advocatus, occidit patrem ſuum in abſconſo. De torto.

*Ad Legem VII. Libri II. Liutprandi Regis.*

XV. Petre, te appellat Martinus, quod tu occidiſti Donatum ſuum fratrem. De torto. Si dixerit, ipſe fuit Romanus, non reſpondebo tibi; aut probet, aut reſpondeat.

*Ad Legem I. Lib. IV. Liutprandi.*

XVI. Petre, te appellat Martinus, quod pars Monaſterii Sancti Apollinaris, unde tu es advocatus, tenet ſibi malo ordine terram in tali loco. Ipſa terra propria eſt de Monaſterio Sancti Apollenaris. Quid tibi pertinet? Ecce carta, quam pater tuus, qui erat infra ætatem, fecit ad Monaſterium, dum vidit ſe ambulare ad periculum mortis. Probet qui appellat, quod pater ſuus convaluit de ipſa infirmitate, & fiat carta taliata.

*Ad Legem IV. ejuſdem Libri.*

XVII. Petre, te appellat Maria cum Donato ſuo Mundualdo, quod tu tenes ſibi malo ordine terram in tali loco. Ipſa terra mea propria eſt per cartam, quam mihi feciſti, & ecce carta. Si carta manifeſtat, quod fuiſſet Longobarda, neque manifeſtat, maritum conſenſiſſe, neque Mundualdum, fiat taliata. Si carta manifeſtat maritum, neque manifeſtat parentes propinquiores, aut Comitem, fiat vacua. Si carta manifeſtat pro-

propinquiores parentes, & Romana vult dicere, quod propinquiores habuisset, aut probet, aut emendet pœnam. Si carta dicit, quod ipsa fuisset Romana, aut probet, quod fuisset Longobarda, aut emendet pœnam de carta ipsa vendicionis.

*Ad Legem IX. ejusdem Libri.*

XVIII. Petre Comes, te appellat Martinus, quod ipse venit cum Misso, aut epistola de suo Comite ad te, quod faceres sibi justiciam de Donato qui habitat infra tuum Comitatum & tu non fecisti sibi justiciam infra octo dies.

*Ad Legem V. Libri V. Liutprandi.*

XIX. Petre, te appellat Martinus tuus frater, quod tu habes ad conjugium Mariam tuam matrineam, aut Mariam relictam de tuo consobrino, aut Mariam tuam comatrem; de torto. Probet ipse, qui appellat. Si non potuerit ipse, qui appellatus est, juret cum suis Sacramentalibus, & si parentes noluerint facere appellationem, advocatus de parte publica faciat pro separare conjugium.

*Ad Legem VI. ejusdem Libri.*

XX. Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod D. levavit sedicionem contra tuum Comitem & occidit unum suum caballum cum ipsa sedictione, & tu fuisti consentiens in ipso malo. Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod homines de Civitate Roma levaverunt sedicionem contra homines de Civitate Cremona, vel contra Comitem de Mediolano, & tu fuisti in capite cum illis. Petre, te appellat Martinus, quod homines de Civitate Ravenna levaverunt adunaciones contra homines de Civitate Roma, & tu fuisti consentiens in isto malo. Petre, te appellat Martinus, quod ipse tenebat cum Rege, & tu spoliasti casam suam de tanto mobili qui valebat solid. C.

*Ad Legem XIV. ejusdem Libri.*

XXI. Petre, hic te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine unum suum caballum, qui valet solid. C. Ipse caballus meus proprius est. Quid tibi pertinet? Donatus mihi donavit. Juret quod ad certum vuarentem eum conducat. Donasti mihi ipsum caballum. Sic feci; sed nolo tibi stare in auctoritate, quia non fecisti mihi vuiderdonem. Juret, quod habeat factum vuiderdonem. Si dixerit; ego donavi tibi ipsum caballum, sed non possum stare in auctoritatem, quod nichil mihi pertinet, faciat ut lex est.

*Ad Legem XV. Lib. cit.*

XXII. Petre Decane, vel Saltarie, te appellat Martinus, quod tu prehendisti unum suum servum fugacem, & non minasti ad tuum Sculdascium. Petre Sculdascius, te appellat Martinus, quod Donatus tuus Decanus consignavit tibi unum servum fugacem, & tu non consignasti ad tuum Comitem. Petre Comes, te appellat Martinus qui est advocatus de parte publica, quod Donatus tuus Sculdais consignavit tibi hominem advenam & tu distulisti mandare ad Comitem de cujus Comitatu ipse fugerat. Petre Comes, te appellat Martinus qui est advocatus de parte publica, quod tibi venit mandatum de Comite Placentino, quod tu recolligeres unum hominem advenam de tuo Comitatu, quem habebat comprehensum de in tuo Comitatu, & tu habuisti negligentiam ad recolligendum ipsum hominem, aut faciendum mandatum arimanno tuo, qui in tali loco homo suus erat comprehensus.

*Ad Legem VI. Libri VI. Liutprandi.*

XXIII. Petre Comes, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod tu habebas ad gubernandum Cortem de Marinco, & de ipsa Corte dedisti sine jussione Regis unam casam tributariam. aut Rex tibi commendavit dare duo jugera de ipsa Corte, & tu dedisti quatuor. Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Donatus Comes tuus pater habebat Cortem de Marinco ad gubernandum, & misit negligentiam adquirendum duo jugera de Silva, quæ per fraudem erant ablata de ipsa Corte.

*Ad Legem X. ejusdem Libri.*

XXIV. Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine D. suum ministerialem, Ipsum servum de quo tu dicis? ego habeo possessum per XXX. annos ad proprium. Potes probare tuam possessionem? Sic possum. Da vadia de probare. & tu da vadia de placito. & de contra. Donne Comes, hoc dicit Martinus, quod in medio Mense Augusti appellavit eum Petrus, quod ipse tenebat sibi malo D. suum ministerialem, & ipse dixit, quod per XXX. annos habebat possessum ad proprium, & fuit interrogatus si posset probare suam possessionem, & ipse dixit, quod sic potuerit, & dedit vadia de probare, & modo est paratus cum suis testibus ad probandum, sicut dedit vadium. Martine, dicis tu ita? Sic dico; & tu recepisti ita vadia? Sic recepi.

Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per cartam quam mihi fecit pater tuus. Falsa est ipsa carta. Vis ei ardire? Volo. Vadiate pugnam. Petre, te appellat Martinus, quod tu te sciente misisti manum in ipsam cartam falsam, quam Marcus ostendit contra eum, aut reddidisti falsum testimonium contra eum, aut rogasti alium falsum testimonium dicere adversus eum, aut imponere alium in carta falsa, quæ erat adversus eum.

 *Ad*

*Ad Legem XII. ejusd. Libri.*

XXV. Petre, te appellat Martinus, quod tu es servus suus, & malo ordine subtrahis te de suo servicio. Liber sum, quia M. *meus* (*sic*) pater me libertavit. Hoc dico, non te potuit libertare, quia habuit te de uxore servi sui, vel aldii sui, vivente illo servo, vel aldio. Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi unam peciam de terra in tali loco malo ordine. Illa terra mea propria est per successionem M. patris mei. Non potes tu ei succedere, quia habuit te de uxore servi sui, vel aldii, viventibus ipsis.

*Ad Legem XIX. ejusdem Libri.*

XXVI. Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per cartam donacionis, quam tu mihi fecisti; & ecce carta. Si carta manifestat lauchenild, aut dicat falsam, aut det pœnam de carta. Si non manifestat lauchenild, fiat taliata. Petre, te appellat Martinus, quod pater suus donavit tibi, aut ad tuum patrem tanta mobilia, quæ valebant solidos L., & non fecisti vuiderdonem. Petre, te appellat Martinus, quod pars Monasterii Sancti Petri, unde tu es advocatus, tenet sibi terram in tali loco malo ordine. Ecce carta, quam pater tuus fecit ad Monasterium; pars Monasterii non fecit mihi vuiderdonem; hoc non potest dicere, quia nec launechild, nec thinx impedit Ecclesiæ.

*Ad Legem XXIV. ejusd. Libri.*

XXVII. Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes malo ordine terram in tali loco ad partem publicam, unde ipse est advocatus. Ipsa terra mea propria est. Quid tibi pertinet? Ego habeo possessam per XXX. annos. Tunc advocatus probet, quod fuisset de publico, & dicat ipse possessionem per LX. annos. Si dixerit, Imperator Otto dedit ipsam terram ad patrem meum, & quid ego, quod meus pater per XL. annos habemus possessam. Interroga advocatum, si potest probare, quod pars publica fuit investita infra ipsos LX. annos. Si non potest probare, juret suam possessionem. Si dixerit, mea propria est per præceptum, aut ostendat præceptum, aut perdat.

*Ad Legem XXXVII. ejusd. Libri.*

XXVIII. Petre, te appellat Maria cum Martino suo tutore, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco. Mea propria est. Quid tibi pertinet? Ecce carta, quam tu mihi fecisti. Si carta manifestat de parente, vel de Mundualdo, & consensu mariti, quando fecit cum parentibus, dicat falsam, aut taceat. Si carta non manifestavit, hoc est, sit vacua, si Longobarda fuerit. Et si dixerit appellatus, quod non fuisset Longobarda, approbet femina, se esse Longobardam, & si non potuerit det duplum.

*Ad Legem XLIII. ejusd. Libri.*

XXIX. Petre, te appellat Martinus, quod habet certam suspectionem, quod Marcus tuus servus tulit sibi furto tantas res, quæ valuerant solid. VI. & unum denarium, aut M. suum patrem, aut fecit unam plagam sibi. Si dixerit, de torto me appellas: Si est, defendat se per bellum si voluerit appellator. De ceteris vero causis per sacramenta. Et si dixerit appellatus, non tibi respondeo, quia non appellasti me tamdiu, quam ipse vixerit, probet appellator, quod sic fecit, aut compellaciones fecit per homines, si non potuerit, exdicat se appellator, et si non potuerit exdicere, componat sicut lex est.

*Ad Legem XLV. ejusd. Libri.*

XXX. Petre, te appellat Martinus, quod pars publica, unde tu es advocatus, tenet sibi malo ordine terram in tali loco. Propria est de parte publica. Quid pertinet parti publicæ? Ecce carta quam ad partem publicam fecisti. Ipsa carta contra legem est, quia ego eram infra ætatem. Approbet appellator sic esse, &, si non potuerit, componat duplum.

*Ad Legem XLVIII. ejusd. Libri.*

XXXI. Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est de muliere mea. Quid sibi pertinet? Ecce carta, quam pater suus, & tuus fecit sibi de quarta parte substantiæ, quando venit ad mortem. Si carta manifestat plus de quarta portione, quod plus est, reddat.

*Ad Legem LII. ejusd. Libri.*

XXXII. Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per successionem mei patris, & tui; vel ita. Petre, te appellat Martinus, quia terra, quæ in tali loco est, sua est & tu sibi eam detines. Quid tibi pertinet? per successionem mei patris. Vere ei successisti, sed mecum debes ei succedere. Non debes tu eum succedere, quia tu es natus de illicito matrimonio, aut ipse juret usum, & exemplo L. R., ut filius legitimus sit, Si dixerit, dedisti mihi ipsam terram voluntarie in parte, aut probet per scriptum, aut per testes, aut perdat. Si ostendit cartam, quod pater illicitus fecisset in aliam personam, & ostendit cartam, quam ipsa persona fecisset sibi, tunc legitimus frater probet, quod pater suus propter hoc fecit ipsam cartam, quia vo-

voluit, quod ille illicitus haberet ipsam cartam. Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Quid tibi pertinet? possessam habeo per XXX. annos. Hoc non potest dici contra fratres.

*Ad Legem LIV. ejusd. Libri.*

XXXIII. Petre, te appellat Martinus, quod tu fecisti cartam convenientiæ cum illo in simul de elevatione unius castri, aut ire in tale locum secum, vel de alia re, & misisti pœnam solid. C. & te subtraxisti, vel pœnam rupisti. Approbet, & si non exdicat se appellatus, & si non fuerit ausus exdicere, mendet pœnam, quam inter se composuerint, aut hæredes eorum.

*Ad Legem LX. ejusdem Libri.*

XXXIV. Petre, te appellat tuus Frater, quod tu tenes sibi malo ordine medietatem de pecia una de terra, quæ jacet in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Quid tibi pertinet? Ego melius servivi ad patrem meum, & ipsam terram donavit mihi, & ecce carta. Aut probet, quod melius servisset, aut det partem suo fratri, qui appellat. Vel: pater noster non potuit tibi dare ipsam terram, quia tua mater erat viva. Probet.

*Ad Legem LXII. ejusd. Libri.*

XXXV. Petre, te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Mea propria est terra quam dicis. Quid tibi pertinet? Ecce carta, quam tu mihi fecisti. Falsa est illa carta. Vis ei adardire? Volo. Vadiate pugnam. & si non voluerit pugnam facere appellator, tunc appellatus, postquam bellum factum est, quod possederit terram illam per XXX. annos, non audiatur. Secundum quosdam ita agitur.

*Ad Legem LXVI. ejusd. Libri.*

XXXVI. Petre, te appellat Martinus, quod ipse sponsavit Aldam tuam filiam puellam, & tu dedisti eam alteri ad conjugium ante duos annos. Non sponsasti meam filiam. Tunc ille, qui appellat, probet. Si dixerit, sponsasti tu meam filiam, sed non erat puella; tunc ille, qui appellat, probet, quod erat puella, & si non potuerit, juret ipse, qui appellatus est, quia non erat puella.

Petre, te appellat Martinus, quod tu rapuisti Aldam suam sponsam. Alda cum Donato tuo tutore P. te appellat M., quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. mea propria est per suceessionem mei patris. Non debes tu ei succedere, quia tu fuisti sponsata ad Martinum, & vivente patre tuo sine voluntate ambulasti ad Petrum ad maritum. Aut probet, aut taceat.

*Ad Legem LXXII. ejusd. Libri.*

XXXVII. Petre, te appellat Martinus, qui est advocatus de parte publica, quod Donatus, qui est in tua tutela, habet ad conjugium unam feminam adultam. Petre, te appellat Martinus, quod, quando ipse erat infra ætatem, sociavit sibi unam feminam, & fuit separatus ab ea, & tu accepisti eam ad conjugium, antequam veniret in tercium decimum annum. Si dixerit; de torto me appellat, exdicat. Sin autem, dividetur ab ea, & sustineat pœnam adulterii, si parentes adversum eum egerint. Petre, te appellat Martinus, quod tu adhortatus es eum, quando erat infra ætatem, quod acciperet unam feminam adulteratam ad conjugium, & accepit.

*Ad Legem LXXVII. ejusd. Libri.*

XXXVIII. Donne Comes, hoc dicit Martinus, quod postquam sociavit sibi ad conjugium Aldam, quæ est in vestra præsentia, quod ipsa se adulteravit. Dicis tu ita? Sic dico. & tu femina quid dicis? Non sum sua mulier. Tunc maritus probet, quod est sua mulier. Si dixerit, feci per suam licentiam, moriatur.

*Ad Legem XCV. ejusd. Libri.*

XXXIX. Petre, te appellat Martinus, quod tu vuifasti unam suam terram dicendo, quod tua esset sine comodato publico. De torto. Si vero dixerit vuifavi; si, mea est. approbet suam esse, &, si non probaverit, emendet, sicut lex est.

# ALIÆ
# FORMULÆ ANTIQUÆ (1)
## *EX EODEM VERONENSI CODICE*
### DESCRIPTÆ.

*Qualiter carta ostendatur.*

Domine Comes, propter hoc ostendit Petrus hanc cartam venditionis, qui non sit silens, & abet, & tenet res illas, quæ leguntur in hac carta a suam proprietatem. Et, si aliquis homo est, qui inde aliquid vult dicere, paratus est cum eo stare ad rationem, &, quod plus est, querit, & hoc vult, ut dicat Joannes, qui est hic ad presens, si carta illa venditionis bona & vera est; vel si ille rogavit eam fieri & firmari; vel si res, que leguntur in carta illa venditionis proprie sint sue Petri, aut, & si sibi Joanni pertinent ad habendum, & requirendum, aut non, & si abet scriptum, vel firmitate aliquam, quod inde parabolare possit aut non. Dicis ita Petre? Sic facio. Et tu Joannes quid dicis? Quid debeo dicere? Hoc dic, quod carta illa venditionis bona, & vera est. Sic est. Et tu rogasti eam fieri & firmari. Et sic feci. Et ille res que leguntur in illa carta venditionis sue proprie sunt. Sic sunt, & esse debent. Cum lege. Sic debent. Nec tibi pertinent ad habendum, & requirendum. Non faciunt. Nec firmitatem habes, quod inde parabolare possis. Non abeo. Sed, sicut dictum habes, sue proprie sunt, & esse debent cum lege. Sic sunt. Qua lege vivis? Longobarda. Modo exponde te. Si unquam in tempore tu, aut filii, vel filie, & heredes contra Petrum, aut suos heredes contra Petrum, aut suos heredes, aut cui ipsi dederint, habebis agere, aut causare, & si apparuerit ullum datum, aut factum, aut scriptum aut firmitas, que in alia parte facte habeatis, et clare facta fuerit, et omni tempore non permanseritis taciti, et contenpti, ut componatis dupla querimonia, et insuper pena argenti x. librarum. Spondes ita? Spondeo. Seniores judices, mittote judicium. ✠ Justa illorum professionem et manifestationem P. habeat ad proprium res, que leguntur in illa carta, et Joannes, & sui heredes permaneant inde taciti, et contenpti. Domne Comes, precipite fieri noticiam. Et similiter est de Romana. In lege Salicha dic, et vuarpite (2) et pro heredibus (3) et insuper.

*Qualiter sit finis status.*

Domne Comes, hoc dicit Joannes, qui est liber homo de sua persona, et abet, et tenet suum conquisitum ad suam proprietatem, et si aliquis homo est, qui idem aliquid vult dicere, inde paratus est stare ad rationem, et quod plus est, querit, et vult, ut dicat Petrus, qui est hic ad presens, si est Joannes liber homo de sua persona, aut non. et si debet retinere ad suam proprietatem suum conquisitum, aut si pertinet sibi jus aliquid ad habendum, et requirendum, aut non, et si abet scriptum, vel aliquam firmitatem, quod inde parabolare possit, aut non. Dicis ita Joannes? dico. et tu quid dicis, Petre? quid debeo dicere? Hoc dic, quod Joannes liber homo est de sua persona. Sic est. et suum conquisitum debet retinere ad suam proprietatem. Sicut debet. nec tibi aliquid pertinet ad habendum, aut requirendum. Non facit. nec scriptum nec firmitatem babes, quod inde parabolare posses ab eo. Sed sicut habes dictum est liber homo de sua persona sicut est. Qua lege vivis? Salicha. Modo vuarpis te, et obligas te, et si unquam in tempore tu, aut tui filii, vel filie, heredes, ac proheredes contra Petrum, aut suos heredes, aut cui ipsi dederint suum conquisitum habes agere, aut causare; et si apparuerit ullum datum, aut factum, aut scriptum, aut firmitas, que in alia parte facta habeatis, & clare factum fuerit, et omni tempore non permanseritis taciti, et contenpti, ut componatis duplam illam querimoniam, et insuper pena stipulationis nomine, que est mulcta auri opti-

---

(1) Formulas, quas hic exhibemus, ætate posteriores illis esse, quas supra retulimus, manus recentior, & orthographia, quibus descriptæ sunt, ipsa quoque corruptissima, & depravata Latinitas, aperte declarant.

(2) *Vuarpite.*) *Verpire* idem est ac festucam jactare, sive rem aliquam hoc actu a se removere; quo signo traditio designabatur, & dominii alicujus rei in alium translatio. Fuse rem agit Eccardus ad leg. unic. Tit. XLIX. Pact. Salici.

(3) *Pro heredibus.*) Consule Bignonium in Notis ad Formulas Marculphi. At vir doctissimus satis fortasse non animadvertit, hoc peculiare fuisse legis Salicæ.

optimi uncias quatuor et argenti pondera octo. Obligas te ita. Obligo. Seniores judices mittite judicium. Juxta illorum professionem, et manifestationem Joannes liber homo est de sua persona, et abet, et tenet ad proprium suum conquisitum, et Petrus, et sui heredes, ac proheredes permaneant inde taciti, et contenpti. Domne Comes, precipite fieri noticiam.

*Qualiter sit finis intentionis terre.*

Domne Comes, hoc dicit Petrus, quod terra, que in tali loco est sua propria est; et cetera que supra legitur.

*Qualiter sit noticia salve querele.*

Senior Comes, hoc dicit Petrus jam per plures vices lamentatus ad vos de Joanne, quod sibi contendit malo ordine, et contra legem unam pecia de terra, que jacet in tali loco, unde vos sibi pluribus vicibus mandastis vestros missos, et epistolas, ut ad placitum vestrum veniret, et de illa terra ei justiciam faceret, et ille noluit venire. Senior Comes, recordamini vos. ita recordor. et vos Judices? Sic facimus, et propter hoc querit vobis mercedem, ut pro Deo et anima Domni Imperatoris investiatis eum de illa pecia de terra ad salvam querelam. Requiris tu ita Petre? sic facio. Tunc Comes investiat eum per fustem, quem in manu detinet, donec ille veniat, et justiciam faciat. Et super hoc querit, ut mittatis bannum super eum, et super rem, ut non sit aliquis homo, qui audeat eum de illa re devistire sine legali judicio, et si quis ausus fuerit hoc facere componat duo mille mancusios aureos, medietatem camere Domni Imperatoris, et medietatem Petro, et suis heredibus. Precipite fieri noticiam.

*Qualiter fit contraria.*

Senior Comes, hoc dicit Joannes, quod audivit dicere, quod vos investistis Petrum ad salvam querelam de una sua pecia de terra, propter quod ipse Petrus pluribus vicibus lamentatus est ad vos, quod ipse Joannes sibi teneret ipsam peciam de terra, unde vos per plures vices mandastis sibi missos, et epistolas, ut ad vestrum placitum veniret, et illi justiciam faceret, et ille non venit. Sed postea in judicio ante vestram presentiam paratus fuit standi ad racionem cum eo unde per vestros missos ei ammonitionem fecistis, ut ad vestrum placitum venisset, et cum eo exinde ad racionem stetisset, sed minime venit. Senior Comes, et vos Judices recordamini? Ita, recordamur. Modo similiter venit in vestra presentia, et vult facere justicia. Vis ita? volo. Modo da vadimonium Comiti, ut facias ei justiciam de ipsa terra, et per hoc querit mercedem, ut investiatis eum de ipsa pecia de terra sicut hactenus fuit. Tunc per fustem Comes investiat eum. et super hoc querit vobis mercedem, ut mittatis bannum super eum, et super res, ut non sit aliquis homo, qui eum audeat de ipsa pecia de terra disvestire sine legali judicio, et quicumque ausus fuerit facere hoc componat duo mille mancusios aureos, medietatem Camere Domni Imperatoris, et medietatem Joanni et suis heredibus. Precipite fieri noticiam. Que noticia non potest fieri, postquam fuerit completus unus annus, ut legitur in VIII. libro Codicis.

*Qualiter filius emancipetur.*

Domne Comes hoc dicit Petrus quod vult emancipare Joannem suum filium de se, ut de hac hora in antea abeat licentiam, & potestatem ire ad placitum, & stare, & appellationem faciendi, & recipiendi, & cartas venditionis, & donationis, & omnem scriptionem, & obligationem faciendi, & quod fecerit sic sit firmum, tamquam si communiter, aut consentiente eodem genitore suo fecisset. Vis ita emancipare. volo. Comandate fieri noticia.

*Noticia sufferentis.*

Domne Comes, hoc dicit Petrus, qui hic est, quod postquam sociavit Aldam, que hic est ad presens, sibi ad legitimum conjugium, quod ipsa consiliata est, & tractavit de morte sua, & cum illo homine se adulteravit. Et dicis ita Petre? Dico. & tu quid dicis Alda? quid debeo dicere? Responde, si hoc verum est. Vere diabolo suadente, postquam me ille sibi in legiptimo conjugio copulavit, consiliata sum, & tractavi de morte sua, & cum alio homine me adulteravi. Tunc Judices interrogent eam: an dicis hoc timore alicujus hominis, aut suasione? Non dico. Sed ita verum est, ut dixi. Tunc Comes interroget Judices, ut dicant legem & cum dicta fuerit lex, accipiad eam per manum desteram, & tradat suferenti viro suo ad faciendum & ad habendum eam, ut lex est. Senior Comes, precipite fieri noticia.

*Traditio Donationis propter Nuptias.*

Martine, trade per hanc pergamena carta de Morgincap ad Aldam de quarta portionem de omnium rerum, que nunc abes, aut

aut in antea aquiſtare potueris tunc rerum mobilium, quam immobilium, ſeu familia, ut ipſa faciat heredes noſtri ſecundum legem, quod facere velint. Dicis ita Martine? Dico ita. trade ei huic ad ſcribendum. Dic omnes vos rogo. Si eſt Romanus, vel Salichus, dic carta dotis & de tercia portione. Et dic in Salicha, per heredes. & dic, & inſuper pena ſtipulationis nomine, que eſt multa auri optimi untias quatuor, & argenti pondera octo; & ſi hanc cartam volueris rumpere aut infrangere. Et hoc adde in fine tradicionis Saliche & cetera omnia ſimiliter ſuperiori, & mitte attramentum ſuper cartulam.

*Traditio vinditionis cum defenſione.*

Martine trade per hanc pergamena carta vinditionis ſub dupla defenſione de una pecia de terra, que eſt tui juris, que eſt in tali loco pro menſura tantum, & habet coherentias tales ad Joannem, quod de hinc in antea a preſenti die proprietario nomine faciat ipſe, aut ſui heredes, aut cui ipſi dederint, quidquid voluerint, ſine omni contradicione tua, & tuorum heredum, & inſuper eſpondete vos ab omni homine defenſare, quod ſi defendere non potueritis, aut ſi vos aliquid per quodvis ingenium ſubtrahere queſieritis, tunc illi in duplum eamdem cartam vinditionis reſtituatis, ſicut pro tempore meliorata fuerit, aut valuerit ſub eſtimatione in conſimili loco Joanni. Dicis ita? dico. Sic trade ei ad proprium, & huic notario ad ſcribendum. Habes pretium juſta cartam? Habeo. dic totos vos rogo tangere. Si eſt Romanus, ſimiliter dic. Si eſt Robuarius, ſi eſt Francus, ſi eſt Gothus, vel Alemannus venditor pone cartam in terra, & ſuper cartam mitte cultellum, feſtucam nodata, vuantonem, vuaſonem terre, et ramum arboris, & atramentarium & Alamanni Vuandelabc, & levet de terra. &, eo cartam tenente, dic tradictionem, ut ſupra diximus, & adde in iſtorum carta & Bajoariorum & Gundebaldorum, nam in Gundebalda, & Bajoaria non ponitur inſuper cultellum per heredes, & repetitione, & tolle, & ſpondite, & mitte, & obligate & omnium fine traditionis adde, & ſuper mitte pena ſtipulationis nomine, que eſt mulcta auri optimi uncias quattuor & argenti pondera octo, quam inferatis ad illam partem, contra quam exinde litem intuleritis, &, quod repetieritis, vindicare non valeatis. Et adde vuarpite: cetera ſunt ſecundum ſit promiſſum. Dic tantum in fine, & ita trade ei per hoc miſſum, & huic Notario ad ſcribendum.

*Traditio vinditionis ſine defenſionis.*

Martine, trade per hanc pergamenam cartam venditionis ſine tua defenſione, et abſque reſtauratione de petia una de terra, que eſt tui juris, et que eſt poſita in tali loco, que eſt pro menſura tantum, que habet coherentias tales, ad Joannem, quod de hinc in antea a preſenti die proprietario nomine faciat ipſe, et ſui heredes, aut cui ipſi dederint, quidquid voluerint ſine contradicione ſua, et ſuorum heredum. Et ſi apparuerit ullum datum, aut factum aut ſcriptum, aut aliqua firmitas, quod in alia parte facta abeatis, et clare factum fuerit, tunc de illa parte, unde hoc apparuerit, promittatis ab omni homine defenſare, & ſi defendere non potueritis, aut ſi vos ex inde per quovis ingenium ſubtraere queſieritis, tunc in duplum illi eamdem venditionem reſtituatis, ſicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit ſub eſtimatione in conſimili loco. Et ſi non apparuerit ullum datum, aut factum, aut ſcriptum, aut aliqua firmitas, quod in alia parte facta, abeatis, nec promittatis illi defendere nec reſtaurare antepoſito, ſicut ſupra diximus. Dicis ita? dico. ſic trade ſibi cartam venditionis ſine tua defenſione, & abſque reſtauratione ad proprium, et huic Notario ad ſcribendum. Dic, habes precium juſta cartam ab eo? Dic totos vos rogo. De Romana vero ſimiliter et de ceteris ſimiliter, ſed cum adituris. Si vero ſunt parentes ante parentes, vel Comitem, antequam dicant, omnes vos rogo, interrogetur mulier. ſic facit velle. nam in his dicitur habes launechild? dato launechild.

*De Donationibus.*

De donationum cartis omnium ſimiliter preter precium habes.

*De promiſſionibus refutationum.*

Petre, promitte, et ſic te eſponde, et tuos heredes contra Joannem et ſuos heredes nominative de una petia de terra que eſt tui juris, que eſt in tali loco, que habet coherentias tales, ſi amodo unquam in tempore habeas agere, & cauſare tu, aut tui heredes contra illum, aut ſui heredes, aut cui ipſi dederint, et ſi apparuerit ullum datum, aut factum, quod in alia parte factum habeatis, & clare factum fuerit, et omni tempore non permanſeritis taciti, et contenpti, ut componatis duplam querimoniam, & inſuper penam argenti librarum X. Dicis ita? dico ſicut de huic carte promiſſio-

ſionis refutationis, et huic notario ad ſcribendum. Habes launechild? habeo. dic, totos vos rogo. Si Romanus eſt ſimiliter. Si Salichus, & cetera, ut dixi, pone attramentarium ſuper carta, ita levet de terra, et adde per heredes, et penam ſtipulationis, que eſt multa auri obtimi III. argenti pondera VI. & dic promittite et ſic obligas te.

*Traditio venditionis infantibus pro fame & debito.*

Domne Comes, hoc dicit Petrus infantulus cum Donato ſuo tutore quod patitur neceſſitatem famis, & quod pater ſuus Aldus dimiſit ſibi debitum X. librarum, & non habet de mobilibus rebus, unde iſtud tempus neceſſitatem famis evadere poſſit, & debitum ſanare poſſit, pro qua cauſa querit vobis, ut pro Deo, & anime Domni Imperatoris, ac veſtre mercedis, ut tribuatis ei licentiam, & auctoritatem publicam ad venundandum unam peciam de terra juris ſui, que eſt in tali loco. Et cum ipſe talia dixiſſet, tunc Comes ex ſubgeſtione legali judicio mittat miſſum ſuum ad domum ejus, qui prevideat rem ita eſſe, ut dixit, quamvis modo non ſit niſi ficticie; vadit enim tantum foras; qui cum reverſus fuerit, tunc tres eſtimatores juſſu preſidis vadant ſuper terram, et eſtiment eam, quamvis modo ſit ficticie. his reverſis, tunc Comes dicat, habeas licentiam, et auctoritatem publicam ad venumdandum illa pecia de terra C. et poſtea fiat carta venditionis, ut cetere, et Comes firmet illam cartam.

*Traditio libellorum.*

Domne Abbas, trade per hanc pergamena libellario nomine ad Joannem unam petia de terra, que eſt juris de Monaſterio Sancti Petri, unde tu es Abbas, que eſt in tali loco, que eſt pro menſura tantum, que abet coherentias tales, ut abeat ipſe Joannes ad fictum ſub centum reddendo libellario nomine uſque ad annos XXVIIII. ea racione, ut faciat ipſe, et ſui heredes uſque ad prefatos annos de fruge, et de reditu ipſius terre, quidquid voluerint, ſine omni contraditione tua tuorumque ſucceſſorum, et parti ipſius monaſterii, ita ut per eum ſit meliorata, et non pegiorata, et perſolvere ex inde debeant ipſe, et ſui heredes ſingulis annis per omnem Miſſam Sancti Martini, aut infra tres dies ante, aut tres poſtea X. denarios ſicut ipſi denarii in predicto monaſterio conſignentur ipſi abbati, aut ſuis ſucceſſoribus vel veſtro Miſſo, aut ſuper altare ipſius Monaſterii ponantur per ſe, aut per ſuos heredes, aut per ſuos Miſſos, ita ut alia ſuper impoſita non faciatis. Et inſuper penam mittite inter vos ſi vos ante prefatum tempus tollere volueritis, aut ipſi laxare voluerit, ut componat pars parti fidem ſervandi penam argenti libras X. & poſt penam ſolutam libellus permaneat in ſuo vigore. Dicis ita Abbas? dico. & dicis tu ita Petre? dico. ita tradite pars alteri inter vos duos libellos in uno tenore & huic ad ſcribendum; dicite vos ambo, omnes vos rogo.

*Traditio libertatis.*

Martine, trade per hanc pergamena carta libertatis, & abſolutionis ad Marcum, qualiter ſervus tui juris, ut amodo a preſenti die ſit liber, & abſolutus ab omni vinculo ſervitutis juſta legem per anime tue mercedem, & abead licentiam, & poteſtatem de quatuor viis ambulare, & abitare, ubi voluerit, & neque a te, neque a tuis heredibus, ullam abead reprenſionem, nec ullam conditionem ſervitutis, ſed in perpetuum permaneat in ſua poteſtatis, & congruam libertatem, ſicut illi, qui in quadruvio in quarta manus traditi, & amont facti ſunt, & ſicut illi qui per manum Sacerdotis circa ſacroſanctum altarium ad liberos dimittendi deducti ſunt, per anime tue mercedem. Et inſuper concede ſibi ad gratiam ſue libertatis omne ſuum conquiſitum, quod nunc habet, aut in antea aquirere potuerit, ut faciat exinde a preſenti die proprietario nomine quicquit voluerit per anime ſue mercedem. Dicis ita? dico. ita trade cartam libertatis huic Notarius ad ſcribendum. Dic: omnes vos rogo. Si Salichus, & cetera, elevent atramentarium tantum ſupra pergamena de terra, ſi non tribuunt eis terram. Si vero tribuunt, tunc elevent cultellum, & cetera, exceptis Bajoariis & Gundebadis. adde per heredes, & pone peculiare, & adde inſuper mitte pena ſtipulationis nomine, que eſt multa auri optimi uncias quatuor & argenti ponderas octo, quam inferatis ad illam partem contra, quem intulerimus, &, quod repecieritis, vendicare non valeatis. Si eſt Romanus adde illic, ubi dicis deducti ſunt Civeſque Romani portas apertas eat. & pergat & qua parte voluerit ambulare diſcedat. Similiter in Salicha; & in omnibus aliis & ceteri vero omni ſunt ſimilia in omnibus.

*Traditio promiſſionis pignoris.*

Martine, modo promitte, & ſponde te, & tuos heredes Petro, & ſuis heredibus, quod ſi Petrus, & ſui heredes tibi, aut tui heredibus dederit, aut ſanatione fecerit DC. ſolid. hac die uſque Kal. de tale in Civitate

tate T uſculanenſi in domo habitationis tue redditis ei cartam illam venditionis, quam in vobis emiſit de petia una de terra, que eſt in tali, que habet coherentias tales capſatam & taliatam, ut in ſe nullum obtineat roborem. Quod ſi tu ipſe, aut tui heredes ſibi, aut ſuis heredibus diſtuleris predictam cartam venditionis capſatam & taliatam reddere in eodem conſtituto, ut ſupra dictum eſt, tunc componatis pene eadem petia de terra in duplum ſicut pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit ſub eſtimatione in conſimili loco. Et ſi ipſe Petrus, aut ſui heredes diſtulerimus tibi, aut tuis heredibus, & predicto conſtituto predictum pretium adimplere, ut diximus, ut eadem carta venditionis in ſuo maneat robore & facias tu, aut tui heredes de hinc in antea de ipſa petia de terra proprietario nomine quicquit volueritis. Dicis ita? Dico ita. Adde huic carte promiſſionis & huic Notario ad ſcribendum. Habes launechild? Habeo. Dic omnes vos rogo. Si eſt Romanus ſimiliter. Si eſt Salichus, & ceteri, elevent cartam de terra cum atramentario, & adde per heredes & mitte, obliga te, & junge illi, ubi dicis in conſimili loco, et inſuper mitte pena ſtipulationis nomine, que eſt mulcta auri optimi IIII. argenti pondera octo, cetera ſunt ſimilia.

*Traditio Judicati.*

Petre Presbiter, trade per hanc pergamena carta ordinationis de una petia de terra, que modo venit in te per cartam venditionis, & pro accepto pretio de petia una de terra, que fuit juris Joannis, & eſſe videntur in loco tali per menſuram & coherentias deſignata, eo tenore, ut ipſe Joannes faciat de fructu ejuſdem pecia de terra uſufructuario nomine diebus vite ſue quicquid voluerit per anime ſue mercedem. Dicis ita? Sic dico. Ita tradite cartam ordinationis, & huic notario ad ſcribendum; et ita faciat judicatum, ut eſt tenor.

*Traditio offerſionum.*

Joannes trade per hanc pergamenam cartam offerſionis de una petia de terra, que eſt tui juris, in tali loco, que eſt pro menſura tantum, & habet coherentias tales, ad Eccleſiam S. Pauli, ut a preſenti die proprietario nomine faciat pars ipſa Eccleſie quicquit voluerit, ad uſum & ſervitium presbiterorum, & clericorum, qui ibi pro tempore fuerint, ſine tua, & heredum tuorum contradictione. Dicis ita? dico ita. Trade cartam offerſionis ad Eccleſiam S. Pauli pro anima tua mercede & huic ad ſcribendum. Similiter fit etiam, ut venditio cum defenſione, veluti ſine defenſione, & cum alio tenore, prout offerens vult, & ita Longobardus, & Romanus. Si vero Salichus, et ceteri, mitte ſupra cartam illam omnia, que dixi ſupra in venditione Salicha. Et adde hic illud, que addi de pena, & de per heredes, & vuarpite in illo venditionis. cetera enim ſunt ſimilia.

*Traditio brevis diviſionis.*

Trade per hanc pergamenam brevem diviſionis inter vos de una petia de terra que eſt veſtri juris que jacet in tali loco, & ut in primis tollat Petrus in portionem, et diviſionem ex parte occidentis tabulas IIII, que pars habet coherentias tales, & poſt tollat Martinus item in portionem, & diviſionem item tabulas IIII. ex parte Orientis, que pars habet coherentias tales; ita ut faciat unuſquiſque veſtrum ſua portione a preſenti die proprietario nomine vos, et veſtri heredes, & cui vos dederitis quidquid volueritis, ſine omni unius alterius contradictione, veſtrorumque heredum, ita tamen, ut in ipſa petia de terra ſemper ſortes ſtent, & equatio percurrat, et inſuper eſpondete vos ad invicem, ut ſi vos, aut veſtri heredes non compleveritis omnia qualiter ſupra &c. vel ſi ab uno quiſvis homine contradicente vos, & veſtri heredes non defenſaveritis ad invicem, & ita firmum eſſe non promiſeritis, qualiter ſupra diximus, ut tunc componat pars parti fide ſervandi penam in duplum ipſam portionem de terra ſupradicta, qualiter pro tempore fuerit meliorata, aut valuerit ſub eſtimatione in conſimili loco. Dicitis ita? Dicimus. tradite invicem duos breves diviſionis in uno tenore, & huic notario a ſcribendum. Dicite omnes vos rogo. Similiter Romani faciunt. Salichus, et ceteri levant cartam de terra cum omnibus, que ſuperius diximus in venditione Salicha. et adde, pro heredes, et per eſpondete. mitte obligate. et dic ſine contradictione et repetitione et adde illic, ubi dicis, in conſimili loco et inſuper penam ſtipulationis nomine, que eſt mulcta auri optimi untias quatuor argenti pondera octo quam inferatis ad partem fidem ſervantem, vel contra qualiter intuleritis et adde vuarpite et cetera ſunt ſimilia. In Romana et Salicha ne addas, ut ſortes ſtent et equatio percurrat.

*Qualiter Vidua Salicha ſpondetur; Nam de Puella fit ut de ceteris.* (1)

Comite, Miſſove regis cum ſeptem judicibus

(1) Miratur Eccardus Tit. XLVII. Pacti Salici, legem Salicam nihil præſcripſiſſe de Puellis, quæ viro traderentur, cum fuſius agat de redemptione viduarum. Ratio conſtat; nam eædem conſuetudines in puella ducenda habebant Salici, quas cæteræ ſervabant nationes.

cibus in judicio residente, tongino vel centenario placito banniente femina vidua Salica tali tenore et ordine spondetur. Adsunt enim novem homines quorum tres sunt actores, tres qui rei, tres ut testes hujus omnis rei et solid. III. et unus denari eque pensantium; ita ut hi actores utantur actionibus quarum due semper jure jurando indigeant terminari veluti controversia de antestestura et de consilio mortis. Tercia vero actio semper duello gaudet examinari actorem clepio et baculo preparato ut de furto super sex solid. et deposito XX. et ultra, sed factis actionibus et jure pro iis datis vademoneis a reis, actores baculos vadimonii reis restituant. Hoc facto, et a sponsuro precio (1) supradicto repario (2) dato, debet mulier inquirit an eligat eum virum de quo sit placitum sibi, quod cum mulier affirmaverit, tunc debet pater sponsuri interrogari, si filio suo consentit et post orator incipiat.

Notum sit vobis, Quirites, si a Deo factum, ordinatumque fuerit, quod Fabius venerit ut sibi Sempronia relicta quondam conjux Thersitis et que est ex genere Francorum, filia Ciceronis, vobis presentibus, Fabio spondeatur et Seneca suo repario. Quo a Fabio confirmato Seneca ab Oratore interrogatus respondeat Sponsalibus et primo Orator interroget Fabium qua lege vivendo utatur. Si dixerit, verbi gratia, Salicha, tunc Orator dicat, o Fabi, da Senece vadimonium ut faciat Semproniam, que defensione Senece regitur jure tuo securitatem scripturalem et tercie portionis omnium rerum quas nunc habes vel adquisitionis tam mobilium quamque immobilium seu familie et si hoc non feceris ut componas decem libras auri. Quo vadibus firmato, tunc gladius cum clamide et . . . tenditur a Seneca, et Orator dicat: per illum gladium et clamidem Sponsa Fabio Semproniam tuam repariam, que est ex genere Francorum. Quod cum Seneca firmaverit tunc Orator dicat ad Fabium accipientem gladium cum clamide dicat ei: o Fabio tu per eumdem gladium et clamidem comendatam sibi, donec fuerit inter te et illum conventio. Quo facto tunc Seneca det Fabio vadimonio quod dederit Semproniam ad legitimum conjugium, et mittet eam sub mundio cum omnibus rebus mobilibus, et immobilibus, seu familiis que ei legibus pertinent et Fabius det Seneche vadimonium eam recipiendi et si quis eorum se subtraxerit componat X. libras auri. Quo facto, tunc Fabius eam subarret annulo, et post tradatur cartule donationis et dotis et scripte ibi legantur et Seneca det conjugem Semproniam Fabio.

## *De Mundio.*

Hoc facto, pro mundio det Fabius Senece crosnam unam valentem XX. solidos et Orator dicat: o Seneca, tu per hanc crosnam mitte sub mundio hanc cum omnibus rebus mobilibus, et immobilibus, seu familiis que ei legibus pertinent et mundium et crosnam trade ad proprium Fabio. Quo facto, tunc Fabius cum Sempronia sua uxore lonechild Senece tribuad.

## *De Donatione Salica.*

Carta in terra posita, et super calamario, cultello, festuca nodata, vuantone, cleba, ramo arboris donatio Salicha ita fit. Carta cum omnibus suprascriptis rebus susum levata ad donatore teneatur, et Orator dicat; ita o Petre trade per hanc pergamenam cartam donationis sub dupla defensione nominative de quodam fundo tui juris qui est in Tusculano rure per mensuram & coherentias designato ut hic breviter scriptum est ad Martinum ut faciat a presenti die proprietario nomine ipse aut heredes ejus ac pro eredes aut cui ipsi dederint quidquid voluerint sine omni contradictione de te et de tuis heredibus ac pro eredibus. Equidem obligate vos atque promittite ab omni homine defensare quod si defendere non potueritis aut per aliquod ingenium subtrahere volueritis tunc componatis ipsum fundum in duplo sicut pro tempore fuerit melioratus aut valuerit sub estimatione in consimili loco & insuper penam stipulationis nomine que est mulcta auri optimi uncias IIII. argenti pondera octo. quam inferatis ad illam partem contra quam exinde litem intuleritis & quod repecieritis vendicare non valeatis. Dicis ita. dico. trade huic ad proprium & huic notario ad scribendum. Da ei launechild. Modo vuarpite. Dic omnes vos rogo tangere. Et hec omnia sint in donacione Longobarda & Roma-

(1) *Precio.*) De pretio emptionis viduæ Salicæ matrimonii caussa, quod *Reipus* vocabatur, diserte loquitur Eccardus in notis ad Tit. XLVII. Pact. Salic. Vide etiam Glossas Lindenbrogii ad Tit. legis Salicæ XLVI.

(2) *Reparìo.*) Sic dictus a *Reipus*, seu *Reiphe*, ille erat, cui Reipus debebatur, idest pretium emptionis viduæ in matrimonium collocandę. Cui vero deberetur discimus ex leg. III. Tit. XLVII. quam emendatam ex Cod. Guelferbytano protulit Eccardus; scilicet, ut, si possessoris filius fuerit, Reipum acciperet, si non fuerit, nepos; si vero nepos non fuerit, filius sororis viduæ, deinde neptis filius, aliique juxta gradus agnationis; quod si nemo ex agnatis exstaret, accipiebat frater prioris mariti. Apud Langobardos qui viduam duxisset, medietatem metæ, sive donationis, quam ipsa a priore viro habuisset, tenebatur restituere hæredibus proximioribus defuncti mariti, ex leg. CLXXXII. Regis Rotharis.

mana preter pro eredes & penam obligationis & vuarpite.

*Noticia de banno.*

Qualiter fit noticia de banno miſſo ſuper res. Donne Comes hoc dicit Petro quod habet & tenet ad ſuam proprietatem res que ſunt in tali loco & habet coherentias tales & ſi aliquis homo eſt qui inde vul aliquid dicere paratus eſt cum eo exinde ad rationem ſtandi & legitime finiendi ſed quod plus eſt querit & vul ut vos Donne Comes mittatis bannum ſuper ſe & ſuper ipſas res propter Deum & anime Donni Imperatoris ac veſtri mercedem ut nullus quidlibet homo eum de predictis rebus diſveſtire preſumat ſine legali judicio. Qui vero fecerit componat mille mancuſios aureos medietas camere Donni Imperatoris & medietas ipſi & ſuis heredes. Mittis ita bannum? Mitto. Precipite fieri noticiam.

*F I N I S.*



YN.

# INFERIOR CURIA.

---

## SCRIPTURÆ SEPULCHRI,

*S E U*

## ASSISIÆ ET CONSUETUDINES

REGNI HIEROSOLYMITANI,

AB INCLYTO DUCE GODEFRIDO BULLIONÆO PRIMO IN REGEM ELECTO INSTITUTÆ,

*Inde vero emendatæ & auctæ,*

Sereniffimæ REIPUBLICÆ VENETÆ auctoritate in Italicam linguam translatæ,

*Joanne de Nores Comite Tripolis, Francisco Attario, Aloysio Cornelio, Regni Cypri Baronibus, Versioni præfectis.*

ADDITUR

## LIBER PLACITORUM

*VICECOMITATUS REGNORUM JERUSALEM, ET CYPRI,*

Eadem auctoritate & cura Italice translatus.

# IN ASSISIAS
## REGNI HIEROSOLYMITANI
### *MONITUM COLLECTORIS.*

CApta a Crucesignatorum exercitu Hierosolyma, fausta die XV. Julii anno MIC., novoque ab Occidentalibus in Oriente fundato Regno, inclytus Dux Godefridus Bullionæus, primus in Regem electus, duas Laicas Curias instituit (1), alteram, qua Proceribus, alteram qua populo jus diceretur; atque illi quidem Regem ipsum Præsidem esse voluit, huic vero Gubernatorem & Justitiarium præfecit, qui *Vicecomes* nuncupatus fuit.

Duos quoque legum Codices Procerum atque sapientum consilio concinnatos edidit, alterum videlicet, quo Curia Regis, *Superior* nuncupata, regeretur; alterum, quo in Curia Vicecomitis, quæ *Inferior* dicta est, jus administraretur. Qui Codices subinde tum sub ipso Godefrido, tum sub aliis Regibus, qui usque ad Urbem Saladino deditam Hierosolymitano diademate insigniti fuere, emendationes susceperunt atque incrementa (2), prout Regni necessitas, aut utilitas postulare videbatur.

Quanta erga leges ipsas reverentia foret, declarat modus, quo Codices servabantur. Eorum siquidem Autographa (3) majusculis litteris exarata, auratis initialibus exornata, & per singulas paginas firmata manu, atque sigillo Regis, Patriarchæ, & Vicecomitis Jerusalem, quasi sacer thesaurus, in æde Sancti Sepulchri asservabantur in arca, quæ cum in dubiis causis ad Autographa eundum esset, reserabatur coram novem saltem testibus ex primoribus trium Ordinum Regni. Inde vero invaluit antiquitus, ut Codices illi antonomastice appellarentur SCRIPTURÆ SEPULCHRI.

Verum enim vero præstantissima hæc Autographa diu non perstiterunt. Cum enim anno MCLXXXVII. sancta Civitas Saladino dederetur, honestis licet pactis deditione signata, atque honestiori humanitate expleta; ex Assisiis tamen ipsis haud obscure edocemur, (4) non modo Autographum Superioris Curiæ eo tunc deperiisse; sed nec alia ejusdem superfuisse exemplaria. Quare opus fuit, ut Assisiæ ad Superiorem Curiam spectantes Nobilium quorundam in jure versatorum opera scriptis iterum traderentur.

At cum Assisiæ (5) *de deperditis Autographis* indistincte loquantur, idem subiisse videtur fatum & authenticum illud, quo leges ad Curiam Inferiorem pertinentes continebantur. Sed valde probabile est, aliqua Legum earundem exemplaria superextitisse, e quibus Assisiæ, quas nunc habemus, depromptæ sint. Ipsarum namque lectio innuit, Codicem quidem aliquatenus interpolatum esse, sed non ex integro privata manu, atque auctoritate refectum. Et revera Assisiæ Superioris Curiæ, & Liber Placitorum Vicecomitatus sese cuiquam ostendunt privatorum opera concinnatos; at vero Codex, de quo nunc agimus, leges exhibet, ferme prout a Legislatore ferri solent.

Hisce autem Codicibus regebantur Regna Jerusalem & Cypri. Quin & illorum maximus viguit usus in Imperio Romaniæ, postquam in Venetorum & Francorum ditionem redactum est; prout evidenter ostendam, cum de Libro Consuetudinum ejusdem Imperii verba faciam.

Cum vero Cypri Regnum in jus devenisset Venetæ Reipublicæ, evenit, ut



(1) Assisiæ Curiæ Sup. cap. II.
(2) Vide ibidem cap. III. & ultimo.
(3) Ibidem cap. IV.
(4) Ibid. cap. ultimo.
(5) L. c.

ut in ſuprema Curia Italici idiomatis ægre intelligerentur Aſſiſiarum Codices antiqua Gallica dialecto conſcripti, atque antiquatis phraſibus, & obſoletis vocibus adeo ſcatentes, ut inter Cyprios ipſos pauci eſſent illis apte interpretandis idonei. Quapropter Reipublicæ Sereniſſimæ decreto ſancitum eſt, ut omni diligentia adhibita Aſſiſiarum Regni Jeruſalem verſio fieret in Italicam linguam, quæ vice veterum Codicum fungeretur.

Imperata facta ſunt ea dignitate, quæ tum Principis imperantis majeſtati, tum legalium codicum ſanctitati par eſſet. In quo profecto Locumtenens, & cæteri Rectores nobiliſſimi, qui tunc Regno Cypri præerant, præclarum præbuere exemplum Magiſtratibus omnibus, quibus a Summis Poteſtatibus cuſtodiendarum legum cura concreditur. Huic namque rei gerendæ delegerunt tres Regni Barones, qui regia auctoritate ſuffulti, omnibus, quotquot erant, ex univerſo Regno accerſitis Codicibus, ſelegerunt Aſſiſiarum Superioris Curiæ optimos quatuor, Inferioris Curiæ quatuor, Placitorum Vicecomitatus quatuor. Tum verſio ſuſcepta fuit a peritiſſimo Interprete ſub eorundem Baronum præfectura, & adeo quidem diligenti propoſita circumſpectione, ut ſi qua inter Præfectos ſententiarum diſparitas in obſcuriorum locorum interpretatione oriretur, ea nonniſi coram ſuprema Regni Curia declaranda foret. Cautum inſuper fuit, ut authenticum Gallicum, & Italica verſio perpetuo aſſervarentur in archivio tum Veneto, tum Leucoſienſi, ut verſio ipſa cum authentico, quotieſcumque id e re eſſe videretur, conferri poſſet, ad genuinam legum interpretationem certiorem reddendam. Verſionem itaque ſic peractam Sereniſſimus Princeps ex jure Summi Imperii ratam habuit, & anno MDXXXV. magnificis typis excuſam Cypriis pro patria lege ſervandam dedit.

Nihil autem in Verſione ab authentico immutatum fuiſſe, illud inter cætera probat, quod pluries deſcripta legantur ea ipſa, quæ a plurimo ante ſuſceptam verſionem tempore in deſuetudinem abierant, imo & prorſus inhibita, & bonis moribus contraria eſſe cenſebantur; uti ſunt ea quæ de monomachia judiciali habentur, & illa, quæ occurrunt de purgatione vulgari per ferrum candens; quod in Aſſiſiis noſtris appellatur *portare il giudizio* (1).

Ex Italica ergo Verſione potius quam ex Originali Gallico vix intelligibili Inferiores Aſſiſias nunc trado, Superiores alio in volumine traditurus, quibus quoque (ut aptiore loco) authentica documenta adnectam, adamuſſim comprobantia, quæ de Aſſiſiarum Regni Hieroſolymitani hiſtoria & ſatis huc uſque diſſerui.

Inferioribus interim Aſſiſiis addo Librum Placitorum Vicecomitatus Regnorum Jeruſalem, & Cypri, privata quidem auctoritate conſcriptum, ſed Aſſiſiis pene ipſis æquiparatum in foro. Hujus libri Auctor teſtatur, ſe anno MCCCXXV. rem geſtam Leucoſiæ in Curia Vicecomitis advertiſſe (2); quæ ſatis indicant, haud multo poſt annum ipſum, Librum ſcriptum fuiſſe.

In quo Placitorum Libro notabiles occurrunt ſanctiones (3), quibus cavetur, ne immobilia bona tranſeant in dominium Communitatum Laicarum, aut Eccleſiaſticarum, Locorumque religioſorum, *ſenza la licentia del Capo Signor*. Quod equidem Auctor refert, non ut ex Aſſiſiis depromptum, ſed *ſecondo l' uſanza della probibition fatta nelle Scritture della Corte*.

Sanctionem profecto tulerat & in Imperio Romaniæ Henricus Imperator Balduini frater, repetito edicto cavens, ne immobilia bona in Imperio Eccleſiis & Monaſteriis dono dari, vel teſtamento relinqui poſſent. Cujus interdicti cauſas attulit eruditiſſimus Cangius (4), ex quibus conſtat, quod ſicubi Regnorum ejuſmodi condere leges publica ſuaſit utilitas, in Imperio Romaniæ, uti & in Regnis Syriæ & Cypri urgens extorſit neceſſitas.

Etenim cum potior immobilium pars ſtipendiorum militarium vice fungeretur, imminutis atque in manus mortuas translatis ſtipendiis, imminuebantur & numeri militum, & onera ſervitiorum, e quibus robur conſtabat exercitus, quo

(1) Vide Libr. Placit. Vicecomit. cap. finali.
(2) Ibid. cap. XXIV.
(3) Ibid. cap. XVII. XXV. XXIX.
(4) Du Cange *Hiſt. de Conſtantinople ſous les Empereurs Francois* lib. II. n. 15. *apres l' Hiſtoire de Geoffroy de Ville-barduin*.

quo apprime opus erat sustinendo instabili Imperio, atque hostilibus armis semper exposito.

Accedit, quod cum convenæ illi, quorum complexæ vires firmamentum Imperii constituebant, ex nacta occasione aut cis mare transfretarent ad propria, aut novas sedes, novasque fortunas alio quæsituri emigrarent, hi, queis ab Imperio abscedere animus erat, haud facile invenientes, qui immobilia emerent, quorum possessionem ingruentia bella nutantem, incertamque reddebant, ea religiosis locis aut ex retributione, aut ex pia largitione tradebant.

Hisce ex Cangio deductis major certe adhuc accedebat vis ex conceptu gentis, ratæ fundum intra ditionis fines positum Imperanti obnoxium esse non modo ex jure Imperii, sed & ex jure radicalis proprietatis, quæ *directum dominium* appellatur. Quod jus, ut ego quidem reor, non ad Feudalia, & ad Burgensatica, quæ sub annuo censu Curiæ solvendo possiderentur, perstrictum erat, sed & ad Burgensatica cujusque liberi tenementi, & generatim ad quascumque fundorum possessiones extendebatur. Ita namque obtinuisse mihi videtur ex veteri Feudalis juris constructione inter populos, penes quos Feudalium conceptus quam maxime vigebat. Et profecto hodiedum in Regno Angliæ veterum institutorum tenaci, *nemo habet* (1) *directum dominium*, *idest veram proprietatem in quocunque terræ genere*, *excepto Rege in jure suæ coronæ*.

Sed hoc exinde incommodi ortum est, quod Dynastæ quidam, Imperialis Edicti clypeo tutati bona religiosorum locorum invaderent, *sous le pretexte faux ou veritable*, ait laudatus Cangius (2), *qu' ils avoient etè donnez au prejudice de cet Edit*.

Quod Prælatorum, Summique Pontificis Innocentii III. auxit querelas, qui pro libertate populi, & statu profectuque Ecclesiarum allegantes, multimodis conati sunt, ut & ablata bona redderentur Ecclesiis, & Imperiale Edictum revocaretur, vel careret effectu.

In Libro Consuetudinum Imperii Romaniæ concinnato in usum Principatus Achajæ interdictum perstrictum innuitur (3) ad donationem bonorum Feudalium, ac Burgensaticorum, sub annuo censu Curiæ solvendo possessorum, utpote quæ extincta possessoris linea ad dominum census regrediebantur. In Libro autem Placitorum Regnorum Syriæ & Cypri indistincte de Burgensaticis non transferendis sermo fit. Quænam autem præcise fuerit hac in re in utroque Regno atque Imperio Curiarum praxis, & observantia, prorsus ignoro.

(1) Jacobs Law Dictionn. V. *Fee-Estate*.
(2) Du Cange loc. cit.
(3) Liber Consuetud. Imperii Romaniæ Ms. cap. XCVI. Confer & cap. CXLII. & CLXXXIII.

# LA BASSA CORTE.

## LE ASSISE, ET BONE USANZE,

### *DEL REAME DE HYERUSALEM.*

---

**Le Rubriche del Libro de le Assise, & de le Usanze del Reame de Hierusalem de la corte de li Borgesi, ditto testi expressi.**

dati a cenſo.

XCIV. De quelli che tengono le ſue caſe, terreni, o giardini, a cenſo.

XCV. De colui che racomanda una coſa, la qual ſi perde.

XCVI. De colui che racommanda una bolzetta ſerrata, & la trova aperta.

XCVII. De l'hoſte che vien dimandata la robba datali in recommandatione.

XCVIII. Come deve reſtituir l'hoſte quella coſa che li vien racomandata dapoi.

XCIX. De la compagnia, & conventione che fanno li homini tra loro.

C. Del compagno che fa danno a la compagnia, & del reſtoro.

CI. De le convention che li homini fanno tra loro, & qual valeno, & qual non.

CII. De colui che fà patto de far male.

CIII. Che ſi deve fare di quelli che patizano de far male, & lo fanno.

CIV. Quando ſi deve giurare.

CV. Per che dà la corte termini a li litiganti.

CVI. In che pena incorre chi è a termine, & non vien in corte.

CVII. De colui ch'è a termine, & non è homo de la cità, il qual non vien al ſuo termine.

CVIII. De colui che non può venir al ſuo termine, & el ſacramento che fà el ſervitor di colui che manda à dinotar el ſuo impedimento del termine.

CIX. Come perde l'actor la cauſa, & la guadagna el Reo.

CX. Del colpo apparente, & de colui chel dà.

CXI. De l'actor che non nomina de chi ſe recbiama, & ſi metteno a termine le parte.

CXII. Del piezo che pieza un'homo de venir al ſuo termine, & l'homo non vien, in che incorre el piezo.

CXIII. Le raſon che hanno verſo el Viſconte le perſone littigante.

CXIV. De li Religioſi che littigano in la corte Real, & dapoi convinti el ſuo ſuperiore non vol eſequir quel che fece il ſuo fratte.

CXV. De la cauſa meſſa a termine per cauſa de li preiurati diſcordanti de opinion.

CXVI. Se la donna maridata citata in iudicio deve reſponder, o non.

CXVII. De colui che tuol per piezo una femina che hà marito ſe la piezaria val, o non.

CXVIII. De colui che ſi marida con donna vedoa, la qual hà debiti ſuoi, ò del primo ſuo marito, & chi deve pagar quel debito.

CXIX. La pena di colui che diſponzella una vergine ſenza ſaputa de chi l'hà in governo.

CXX. Ancora de la medema materia.

CXXI. Per qual cauſa ſi deve haver advocato, & per qual non.

CXXII. Che homini deveno eſſer li teſtimonii.

CXXIII. Qual homini ponno eſſer teſtimonii in corte, & quali non.

CXXIV. Chi può eſſer teſtimonio, & chi non.

CXXV. Chi può teſtificar contra donna, s'in quella prova vi hà battaglia.

CXXVI. Del Viſconte, & de li ſuoi baſtonieri che voleno eſſer teſtimonii, & ſe vale.

CXXVII. De li teſtimonii de le ſcritture, & qual teſtimonio de ſcrittura val, et qual non.

CXXVIII. Qual ſcrittura vale, & qual non.

CXXIX. De le ſcritture de li homini del commune.

CXXX. De la ſcrittura che non hà ſcritti teſtimonii ſe diè valer, o non.

CXXXI. Qual coſe ſi ponno iudicar in le corte de li communi, & qual deveno eſſer iudicate in la corte regia.

CXXXII. De colui che vol eſſer teſtimonio in corte, & lui è guaſto, ò hà paſſato la ætà di ſeſſanta anni.

CXXXIII. De colui ch'è amalato, et vien querellato de ſaſſinamento.

CXXXIV. Del creditore morto del qual vien dimandato poi il ſuo credito per li ſuoi parenti.

CXXXV. De colui che non deve eſſer accettato per teſtimonio.

CXXXVI. De la teſtimonianza de l'homo religioſo, & prette, & clerico, & quanto vale.

CXXXVII. Che il Viſconte, & li giurati ſonno tenuti de transferirſe al loco de le differentie tra vicini vertente.

CXXXVIII. De colui che mette travo ne l'altrui muro.

CXXXIX. De colui che vol fabricar in la ſua guaſtina, & alcun li mette difficultà.

CXL. La raſon che deve haver chi receve alcun danno fuor de li muri di caſa ſua.

